Ium - Lanerj
Med - Prof^r


RESPONSIONVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM TOMVS VNICVS.

Nunc accuratè recognitus, & ab omnibus erroribus ea, qua fieri potuit diligentia repurgatus.

In duas sectiones partitus in quarum prima Responsiones, In altera Consultationes compræhenduntur.

Auctore IVLIO CAESARE CLAVDINO Philosopho, & Medico Bononiense, ac in eiusdem Ciuitatis Vniuersitate maxima cum omnium vtilitate Publicæ Medicinæ practices Professore ordinario.

Cui accesserunt duo Indices, vnus capitum, & alius rerum quarumcunq; memorabilium, quæ in toto opere continentur locupletissimi.



HANOVIÆ,
Typis Vvechelianis, apud Claudium Marnium & Hæredes Ioann. Aubrij,

M. DCXXVIII.

TYPOGRAPHVS LECTORI SAL.

IVLII CÆSARIS CLAVDINI Medici præstantissimi lucubrationes illas medicas, quas multis ab hinc annis nouæ impressioni tradere erat in animo, cępimus superioribus diebus in lucem edere, illudq; de Medici ingressu ad infirmos volumen Typis imprimendum, ea, quæ fieri potuit diligentia mandauimus, spe fręti quotidiana vniuersum illius opus. De Medicis Consultationibus, & Responsionibus nouiter imprimere, quòd nunc D.O.M. auxilio absoluimus. Hoc ergo lege, & perlege amicissime Lector habes enim non mancum, non lacerum, non confusum, sed integrum, clarum, & ab omnibus erroribus repurgatum, & Claudinus erit tibi, crede mihi, tanquam promptuarium, & locus in quo cum omnium Ga-

leni, Hippocratis, & Auicennæ operum dogmata, & mysteria veluti aurea quadam claue conseruentur, recludantur, & claudantur, erues, quicquid voles, ad medicam facultatem attinens. Vale amice Lector, & hoc Claudini monimentum in tuos cariores libros repone, intuere frequenter, & nostrum hunc laborem æqui, boniq; consule: Iterum vale.

INDEX RESPONSIONVM
IN PRIMA SECTIONE
CONTENTARVM.

Finis Indicis Responsionum.

INDEX CONSVLTATIONVM IN SECVNDA SECTIONE CONTENTARVM.

INDEX CONSVLTATIONVM.

pro

INDEX CONSVLTAVIONVM.

pro

INDEX CONSVLTATIONVM.

pro

Finis Indicis Consultationum.

INDEX

INDEX RERVM OMNIVM

MEMORABILIVM

IN RESPONSIONIBVS

CONTENTARVM.

C

D

diui-

G

H

I

&

putre-

Vena

INDICIS FINIS.

INDEX RERUM OMNIUM MEMORABILIUM IN CONSULTATIONIBUS CONTENTARUM.

calo-

D

hydro-

N

O

P

T

V

Ven-

INDICIS FINIS.

IVLII CAESARIS CLAVDINI MEDICI BONONIENSIS

RESPONSIONES MEDICINALES.

Hippolyto Masetto Mirandulano, ac Ioanni Contio Lucensi Medicis Excellentissimis, de loco putredinis in febribus intermittentibus.

RESPONSIO PRIMA,

In qua fusius de putredine disputatur.

QVOD tuis tum eruditis, tum elegantissimis litteris à me efflagitasti, Masette amantissime, illud idem Ioannes Contius pariter amantissimus, non minus eruditè, non minus eleganter efflagitauit, vt meam scilicèt de loco putredinis in febribus putridis intermittentibus sententiam aperirem, quod munus eò accuratius mihi obeundum proposui, quò ab illis fuerit impositum, quibus morem gerere tantum exopto, quantum maximè debeo: ii vos estis, de quibus mihi carissimis discipulis, ante quam rem aggrederer multa dicenda essent, quæ ad vestri ingenii perspicaciam, eruditionem, ac innumeras animi dotes attinerent, quas tamen nunc sit satis (aliò enim tendimus) annuisse; Non propterea illud interim de me præteribo, quòd, vt vobis hac in re potissimum satisfaciam, ob eam in vos ipsos, qua teneor animi propensionem, eas omnes agam partes, quas potero, nisi quas debuero, mihi persuasum habens, hac saltem meæ voluntatis promptitudine animis vestris meritissimis aliqua ex parte me satis esse facturum. Rem profectò ex sui natura scitu dignam postulastis, quò fit, vt libenter eiusdem explicationem suscipiam; hucusque à quoquam, quem ego legerim ex illustrioribus etiam Medicis non rectè cognitam, ac sufficienter explicatam,

E quò nomine libentius hanc subeo prouinciam, ac tandem ob Medicum negotium maximè necessariam, quò iure illam mihi dilucidandam libentissimè propono, quam si diffusius explicauero, non in me, at in rem ipsam longiori, sed necessariò certè sermone indigentem referatis, exopto; quod & alii quicumque, ad quos hi nostri peruenient discursus, faciant vehementissimè cupio; & pro eorum humanitate mihi futurum confido. Cœterum rem assequar, si de putredine, tum essentiam, tum existentiam enodauero; essentiam quidem, vbi definitionem ac omnia illius principia explicauero, in his etenim vniuscuiusq; rei cognitio naturæ continetur; existentiam verò, quando (prout ad præsens attinet negocium) primum, in quo generæ causæ ad febrem putridam producendam concurrat, deindè quis nam sit locus putredinis in humano corpore febre putrida laborante, demonstrauero, nullus enim sanæ mentis reperitur, qui omnium febrium putridarum causam communem, & adæquatam, putredinem esse F non indicet, in hac etenim, veluti, in equo Troiano omnes causæ cum effectrices, tum effectricum consociæ reperiuntur, vt non sit mirum, si in ratione curandi febres à putredine propria, & peculiaris desumatur indicatio: focus verò putredinis pariter in omnibus febribus erit explicandus, vt quod peculiariter quæritur facilius innotescat.

A definitione igitur Putredinis exorsus, hanc prius distinguendam esse statuo, sic enim ratum, & ab omnibus sancitum est, vt multiplex quodlibet definiendum, prius distinguatur, ne æquiuocatio interturbet, hinc nos putredine medica selecta citius perueniemus, quò respicimus. Aristoteles libro quarto Meteor. capitulo secundo duplex putredinis genus nobis proposuit, quorum vnum putredinem secundum partem, aliud secundum totum vocauit; Putredo secundum partem est violenta, contrariatur proprio temperamento substantiæ putrescentis, præcedit naturalem interi- G tum, atque tandem ab Aristotele, putredo propriè dicitur; quæ verò secundum totum, naturalis vocatur, aduersatur simplici generationi, & est finis naturalis interitus. Illam secundum partem dicunt, quia sub ea res putrescens non secundum se totam (vt videbimus) corrumpitur, & dicitur violenta, non tantum quia destruit rei temperamentum, quod à Galeno natura vocatur, & naturalem interitum præcedit, verum etiam, quia fit à principio externo, vt apparebit infrà. Cœterum quomodo Aristoteles putredinem hanc propriè talem vocet, est difficultas, quoniam attributum hoc peculiariter attinere videtur ad putredinem; quæ solis mixtis conuenit, & formaliter est dissolutio humidi à sicco, quæ naturalis dicta fuit.

Aliqui ex recentioribus respondent, quod Aristoteles non voluit putredinem hanc propriè dici, assumendo propriè, vt contrà distinguitur ab impropriè, sed pro eo, quod est peculiariter, singulariter, & seorsum, dicuntque textum græcum huic expo- H sitioni fauere, vt sensus sit, quod præter putredinem, quæ est contraria simplici generationi, cuius Aristoteles mentionem fecerat, datur quidam alius peculiaris putredinis modus, qui est corruptio secundum partem; Sed hæc dicendi ratio non arridet. Primo enim textum extorquent Aristotelis; Amplius putredinem naturalem generationi simplici aduersariam, nullibi Aristoteles propriè dictam vocat, quasi putredo violenta illa sit, quæ propriè putredo dici debeat, tandem per putredinem Aristoteles vbique locorum intellexit naturalem, de qua præcipuè quarto libro Meteor. agitur. ergo semper abusus fuisset nomine putredinis, quia nunquam respexit ad illum peculiarem modum putredinis ab istis propositum, nec illius meminit.

Dico igitur ego quod Putredo secundum partem dicitur propriè in hoc sensu, quoniam in Arte Poetica cap. 20. secundum Aristotelem ea nostra propria sunt, quæ omnibus in vsu, ac veluti famosa existunt, modò nomen putredinis vnicuique est vsitatum in illis, quæ secundum partem corrumpuntur. Eiusdem verò nomen acceptum

pro illa mixti resolutione in elementa, non omnibus fuit in vsu, sed Aristoteles illius inuentor eam expressit in hoc libro, vt vbi dicebatur, quod illa putredo propriè videtur dicenda, quæ est dissolutio humidi à sicco dicatur, quod si Aristoteles primus imposuisset nomina, huic forsan difficultati occasio dempta fuisset; At quia primi nominum impositores, corruptionem secundum partem, non autem dissolutionem humidi à sicco putredinem vocarunt, propterea factum est, vt illa secundum partem corruptio propriè putredo nuncupata fuerit ab Aristotele, etiam si magis, & propriè nomen putredinis dissolutioni humidi à sicco (sicuti res expostulat) competere videatur, quæ dissolutio putredo secundum totum dicitur, quoniam mixtum in sua componentia resoluitur nullo sensibili remanente, vt subiecto, & est naturalis, quoniam vt videbitur est finis naturalis interitus; nam in omni motu, & mutatione ex Arist. 5. Phys. 56. datur differentia secundum naturam, & præter naturam, vt corruptio etiam naturalis dici possit, & ob id vbi res mixta per suum debitum, atque conueniens temporis spatium perdurauerit, si corrumpatur, & corruptio ad putredinem terminetur, dicitur hæc pati secundum naturam. Sed contra tres adferuntur instantiæ; Prima, putredo hæc est à principio extrinseco, ergo violenta, ad quod respiciens Aristoteles libro de Morte, & vita, dicebat mortem naturalem esse à principio intrinseco, violentam ab externo; Secunda, si putredo hæc est naturalis, ergo & combustio, vel si combustio est violenta, ergo & putredo violenta, nam ambæ prorsus terminantur cinere, & terra, fiuntque ab eadem causa, nempe à calore externo ignis, vel ambientis. Postrema, Mors est corruptio secundum naturam, Putredo non est mors, ergo non est corruptio secundum naturam.

Omissis variis dicendi modis, puto secundum veritatem asserendum esse, quod putredo illa secundum naturam sit, non quidem respectu mixti, vt mixtum est, sed respectu principiorum componentium, calidi nimirum, frigidi, humidi, & sicci, quæ materialiter occurrunt ad generationem mixti; Non esse quidem naturalem respectu mixti, liquet, quia in mixto, vt mixtum est, miscibilia vnita manere debent, quæ per putredinem segregantur; At respectu principiorum esse secundum naturam, patet ex eo, quoniam illa ab inuicem naturaliter separabilia sunt, & vbi separantur non corrumpuntur, quod non euenit combustioni, in hac enim duo principia naturalia destruuntur, frigidum inquam, & humidum, ac transmutantur in calidum, & siccum. Verum, & alia ratione supradictam putredinem naturalem dici posse existimo, quà scilicet fit per similitudinem naturæ. & à simili, non autem à contrario, vt accidit combustioni; fit quidem à simili, & similitudine naturæ, quoniam à calido calidum educitur, ad quam eductionem sequitur putredo. Quibus sic stantibus facilè est ad obiecta respondere. Ad primum enim dico, Putredinem esse violentam ipsi mixto, quà mixtum est, ejus enim tollit essentiam, non est tamen violenta principiis materialibus eiusdem, quæ ab inuicem sunt dissolubilia, & licet fiat à principio externo, respectu tamen illorum principiorum est secundum naturam; Præterquam quod etiam datur motus ab extrinseco, qui est secundum naturam, 8. Phys. 27. quando scilicet passo confert; vnde 3. Ethic. capite 1. scribitur violentum esse id, cuius principium extrinsecum est huiusmodi, vt ei neque quod agit, neque quod patitur quippiam conferat; & eidemet Aristoteli libro de Morte, & vita c. 14. Mors dicitur naturalis diuersa ratione, ac dicatur corruptio secundum naturam, vocatur enim mors naturalis illa, quæ fit ex humidi dissolutione à calido, quoniam fit ab intrinseco, At corruptio teste eodem Arist. 1. de generatione primo, quando fit ab agente naturali ad differentiam eius, quæ fit per artem. vel per consilium.

Ad secundum respondeo, quod licet putredo, & combustio conueniant penes terminum, atque etiam principium agens, differunt tamen, quoniam in putredine fit dis-

E solutio, in combustione destructio, vt dictum est.

Ad postremum respondetur, quòd alia ratione mors est corruptio secundum naturam, alia varò putredo: nam illa est corruptio secundum naturam animati, hæc autem mixti.

Addebatur deinceps, eandem putredinem aduersari simplici generationi, quia sicuti in mixto principia materialia vniuntur, ita & per illam ad inuicem disgregantur, vt putredo hæc iure merito, non solum contraria simplici generationi ab Aristotele sit dicta, verum & contrarium maximè commune, vt secludatur combustio, quæ opponitur generationi, tanquam violentum naturali, sed non vt contrarium maximè commune, multa enim sunt mixta, quæ non possunt comburi, vt aurum.

Inferebatur etiam esse finem naturalis interitus, quia mixtum non potest in puluerem, & cinerem resolui, nisi prius intereat.

F Et si quis cum Argenterio obiiceret, quòd multi gladio, suspendio, & morbo interimuntur præter naturam, & tamen sequitur putredo, atque incineratio, ergo putredo non est semper finis naturalis interitus; responderem, quòd modi illi corruptionis non sunt mixtorum, sed animalium proprii. Mixta igitur corrumpuntur, vel naturaliter, vel violenter; si naturaliter, corruptio est putredo, si violenter, corruptio est, quæ fit à contrario destruente aliquid, vel aliqua ex miscibilibus, & hæc corruptio potest esse combustio: nec existimandum solam combustionem esse corruptionem mixti præter naturam, quoniam quælibet alia facta à quouis contrario aliud destruente in mixto, præter naturam dici potest.

Rediens ergo vna cum Aristotele duplex genus putredinis tantum constituto; quo fit vt satis non possim Argenterium admirari, qui iniustè admodum Aristotelem reprehendit, tanquam eum, qui species putredinis ad Physicum attinentes omiserit, nam G omnes in illas duas supradictas referuntur. Et quamquam Argenterius quoquo pacto propter insignes difficultates circa Aristotelis dicta contingentes axcusari possit; à modestiæ tamen limitibus in tanto reprehendendo viro nimis longè recessit, vt enim diuinus Plato Viros magnos reprehendere, & ab eorum placitis dissentire quid arduum, & difficile prædicat, ita & ego eos iniustè redarguera quid temerarium arbitror, ac immodestum.

Iam verò quænam ex præfatis putredinibus medica, atq; febrilis sit habenda tempestiuum est vt explicem; quòd melius succedet, si prius explicato modo generationis vtriusq; vtramq; pariter cum Aristotele definiuero. Putredo igitur violenta, vt ab ipsa exordiar, tamquam à famosa, generatur sic. Si omnibus substantiis, tum elementaribus, excepto igne, tum mixtis occurrerit causa aliqua præter naturam calefactiua, & humectiua, per quam illæ non secundum se totas, sed secundum temperiem, & H non quomodocumque, sed ad calidum, & humidum vltra naturæ limites mutentur, necessariò putrescunt violenter, vt merito Aristoteles hanc putredinem definiens dixerit, quòd sit corruptio secundum partem, cum res separata fuerit à propria natura; Ad cuius definitionis germanum intellectum, mihi veluti viua Anatome est facienda, atque tria explicanda. Primum, qualis ea sit; Secundò, singulæ particulæ exponendæ, Tertiò, si quæ erunt difficultates soluendæ.

Quoad Primum cum Aristoteles secundo Post. & de Anima, Auerroes primo Physic. ad initium, duplicem, aut etiam triplicem definitionem proponant. Primam quidditatiuam, & formalem, dicentem tantum quid; Secundam causalem propter quid exponentem; Tertiam vtrumque propter quid scilicet, & quid simul complectentem; Certe putredinis violentæ definitio hic tradita, est definitio propter quid, vt melius ex declaratione singularum particularium eiusdem apparebit. Primum igitur habetur, quòd putredo hæc sit corruptio, quia quælibet putredo, & non tantum violenta

lenta est corruptio, quoniam in qualibet fit mutatio ab esse, ad non esse, si non simpliciter, saltem secundum quid, quà nimirum res putrescens ab esse tali, ad non esse tale, vt à naturali ad non naturale mutatur, sicuti in violenta putredine luce clarius apparet, cum substantia sub ea putrescens variet à proprio temperamento (vt videbimus) ad calidum, & humidum; & quamquam substantia illa ex propria natura fuerit calida, & humida, nihilominus sub hac mutatione calidior, & humidior redditur, quam deceat pro naturæ lege, & proinde ad statum præter naturam traducitur; Verum alia ratione corruptio de putredine naturali verificatur, quia videlicet est contraria generationi, cui maximè contrarium est corruptio.

Additur verò, quòd sit corruptio secundum partem, quòd dicitur ad differentiam putredinis naturalis, quæ secundum totum est corruptio, quoniam ad cineres terminatur. Sed quid per illam corruptionem intelligat Aristoteles est controuersum, nam aliqui per partem exponunt calorem; sed errant, quia hæc putredo, vt dicit Aristoteles, competit aquæ, & terræ, quæ nullum habent in se calorem, & licet possint ipsum præter naturam habere, tamen corruptio illius caloris non est terræ, & aquæ putrefactio, sed potius expurgatio.

Argenterius per corruptionem secundum partem exponit dissolutionem humidi à sicco, quæ dicitur corruptio secundum partem, quoniam est dissolutio materiæ, quæ materia est pars compositi, sed grauiter peccat hic vir, quoniam hæc putredo secundũ Aristotelem conuenit elementis, in quibus tamen non fit dissolutio humidi à sicco, ergo per partem non possumus intelligere humidum, & siccum cum Argenterio, qui & in alio est deceptus, dum putredinem hanc simplici generationi aduersariam affirmauit, quia definitio generationis simplicis non competit elementis, sicuti putredo hæc; nam simplex generatio definita ab Aristotele ad initium quarto Meteor. de qua loquitur Argenterius, est mixtorum generatio, vt ibidem patet, non autem elementorum. Satius igitur erit in hoc eundem Aristotelem sequi, qui se ipsum declarat, quando subdit: cum res separata fuerit à propria natura; per naturam autem secundum Galenum temperamentum possumus (sicuti debemus) interpretari, & sensus erit, quòd putredo violenta sit recessus à proprio temperamento per corruptionem partis rei putrescentis; pars verò hæc non est integralis, aut essentialis, sed vt dicunt qualitatiua, quoniam ex Auicenna temperamentum est qualitas; Ex quibus innotescit, recessum à proprio temperamento nil aliud esse, nisi alterationem secundum qualitates passibiles, vt proinde ab Aristotele dicatur corruptio secundum partem, nam ex eodem, & primo de generatione 13. alteratio est generatio, & corruptio secundum partem. Cum igitur in putredine violenta fiat recessus à proprio temperamento, non quilibet recessus, sed tantum qui fit calefactione, & humefactione, non autem siccitate, vel frigefactione putredo vocari debet; in ore enim cuiusuis positum est putredinem quamlibet fieri à calore in humido. Et si aliquis quæreret, quænam sint substãtiæ huiusmodi violentam putredinem sustinentes, ab Aristotele loco citato responsionem habet, esse nimirum alia omnia, excepto igne, vbi per omnia alia intelligit tum omnia mixta, quę nõ sunt ignea, tum omnia alia, quæ non sunt ignis. Putredo enim hæc conuenit humoribus, pomis, piris, & alijs mixtis, conuenit aeri, aquæ, atque terræ. Causa autem, per quam omnia excepto igne putrescant, ex eo petenda est, quòd omnia alia sunt materia igni, & ab igne calefieri, & ob id putredinem pati possunt; cui & illud accedit, quòd ab Aristotele 13. Probl. 4. traditur, calida, & sicca, vt munera, quæ ex Arabia portantur, non putrescere; Verum tamen hoc obseruare oportet, quòd licet mixta hæc minimè corrumpantur prædicta putredine, corrumpuntur tamen putredine naturali.

Sed quædam interim occurrunt difficultates, quarum prima est. Non videtur, quòd

E alijs sint materia igni solum, sed etiam ignis est materia alijs, elementis inquam, & mixtis, cum ex igne possit generari quodlibet elementum, & mixtum, ita vt ignis possit esse materia alterationis respectu aliorum elementorum, & compositionis respectu mixti. Cui difficultati ex dictis patet responsio, videlicet, ea quæ sunt præter ignem, dicuntur materia igni, in quantum possunt ab ipso calefieri; ex quo statim sequitur, omnia sic putrescere excepto igne, ad hoc enim quod res violenter corrumpatur, requiritur, vt alieno calore, & præter naturam afficiatur (quamquam etiam aliena, & præter naturam humiditas sit necessaria) vt videbimus, aer enim commixtione malorum vaporum, qui calidi, & humidi sunt, putrescit; Aqua pariter vbi caliditate à proprio temperamento recedit, & ab alienis vaporibus, humoribusque non expurgatur, in putredinem abit, vnde aquam fluentem minus putrescere, quàm stagnantem apud omnes est in confesso; Terra etiam calore, & humiditate præternaturali infecta, sibi putredinem nanciscitur; hinc videre licet quod terræ palustres magis putredini sunt obnoxiæ, quam sint aridæ; Sic & Medici omnes docent, humorum corruptionem fieri à calido, & humido, eosque putrescere ex sola prohibita transpiratione dicunt, in qua, tum calor augetur, & fit præter naturam, tum humiditates excrementitiæ retinentur; Hinc ex Aristot. 10. Probl. 47. humida, quæ non mouentur, neque exhalant putrescunt, & secunda sectione 33. Putrescens putrescit externo calore. Idem etiam traditur à Galeno 11. Meth. 8. qui & primo de differentijs Febrium quarto, ac mille alijs in locis, habet, impossibile esse, vt quæ carent humido excrementitio, putrescant. Quamobrem, sicuti alia patiuntur ignem, quia ab eo possunt alterari, eò quod ipsi possunt esse materia, ita ignis remanet à putredine intactus, quoniam non potest esse materia alijs, cum à nullo magis calefieri possit, est enim calidissimus omnium; nec potest sic vaporibus infici, vt putrescat, nam eos propria actiuitate quam G citissimè dissipat, & consumit, seu cito extinguit ratione paruæ resistentiæ, vnde non patitur (veluti & Cor) insignem læsionem. Verum tamen est, vt supra tactum fuit, ignem esse posse materiam alterationis respectu aliorum elementorum, & materiam compositionis respectu mixti, quamquam esse nequeat illius alterationis materia, quæ putrefactio dicitur.

Secunda difficultas est petita ex Aristotele libro de longitudine, & breuitate vitæ, capit. 3. vbi habet Pinguia non putrescere, quia sunt à prædominio aerea, aer autem ad aquam, & terram relatus, est ignis, ignis autem non putrescit. Ex quo duæ emanant dubitationes; vna, quod hic dicit, omnia vnico excepto igne, putrescere, ibi verò, etiam pinguia excipit; altera est, quòd hic admittit aerem putrescere, ibi negat. Respondetur quod Aristoteles ibi non vult, quod pinguia nullo modo putrescant, sed maiori cum difficultate, ita & de aere affirmare licet, & ratio est, quoniam H ipse respectu aquæ, & terræ est ignis, vnde cum calidior sit, quoquo pacto vapores extraneos resoluit, & absumit, non ita tamen vt ignis, hinc difficultas putrescendi, non impossibilitas exoritur.

Tertia difficultas est, an quod putrescit putredine violenta possit restitui in pristinum. Erasistratus tenet quod non, & primum, quia quæ putredine hac putrefiunt, corrumpuntur, & corruptum ex secundo de generatione non redit in idem. Secundò, dicit Aristoteles hoc à natura separari, ergo necessariò suam substantiam amittit, quare nec restaurari potest. Tertiò, à priuatione ad habitum non datur regressus. Quartò, euidentia compertum est, poma, & pyra putrefacta non restitui, sicuti & vinum vbi per putredinem in acetum est transmutatum. Et si aliquis objiceret ex quinto de generatione animal. 4. capillos canos, aliquando factos fuisse nigros. Respondet Erasistratus, & bene cum Aristotele, canos defluxisse, & ortos fuisse alios nigros, vt habetur 3. de Historia animalium cap. 11. Et si aliquis rursus objectionem faceret de vino semiputri,

nequeri, quod ad pristinum reuocetur, Respondet in hoc vino esse partes putridas, quæ purgatione excernuntur, vt patet ex fœcibus: esse & partes aliquas à putredine intactas, quæ remanent, quo pœne modo asserit respondendum esse ad Galenum, & in 2. Aph. 17. dicentem humores putrefactos posse restitui, vt vinum, & in Arte Medic. affirmantem putredinem coctione corrigi; Quæ sententia, vt verum fatear, non est reijcienda, vbi tamen clarior hac distinctione reddita fuerit. Si temperamentum ita alteretur per recessum insignem à statu naturali, vt forma substantialis tollatur, sicuti in aceto ex vini corruptione, tunc putrefactum non potest restitui, Ratio inde oritur: quia impossibile est sub alieno temperamento formam substantialem permanere: hinc primo Cœli quę sunt pręter naturam cito corrumpuntur, & in hoc sensu impossibilis est regressus ex secundo de generatione; & hac ratione humores putrefacti non sanantur sine euacuatione. At si temperamentum non ita alteretur, vt proprie forma penitus auferatur, iam quod putrefactum poterit restitui, & hoc pacto docent Medici humores sola qualitate peccantes corrigi alteratione sine aliqua euacuatione. Ratio est: quia quamdiu remanet forma substantialis, restat etiam multum temperamenti eiusdem formæ, quæ præsertim ope alicuius extrinseci adiuta, potest alienum temperamentum expellere, sic aqua licet ferueat, quoniam tamen retinet adhuc propriam formam, & proinde multos frigiditatis gradus, in sibi propriam redit frigiditatem.

Quapropter rationes, & auctoritates, quæ in propriam Erasistratum deducunt opinionem, ea ratione veniunt intelligenda, vt Aristoteles non dicat simpliciter putredinem hanc esse corruptionem, sed addat secundum partem; Corruptio autem secundum partem, nil aliud est, nisi alteratio, ex primo de generatione. Secundò, Aristoteles per separari à Natura, vel à substantia, intelligit alterari, hinc 8. Physic. 59. dicit rem per alterationem à suo esse dimoueri; non nego tamen, ipsum per separari à Natura, intelligere corrumpi substantialiter. Tertiò, si ipsius temperamenti aliqui sint gradus corrupti, illi non ijdem numero regenerantur, Sed cœteri, qui non fuerunt corrupti vnà cum composito substantiali ijdem numero manent. Et proindè postremò statuendum est, quod quæ putrescunt putredine violenta, aliquando sic recedunt à suo temperamento, vt non possint amplius in illud restitui.

Quarta difficultas in id potissimũ tendit, quòd Aristoteles adeo ieiunè putredinem hanc violentam explicans videatur diminutus, cum tamen sit propria, & famosa, vti traditum fuit. Respondetur Aristotelem summa cum ratione, se talem in hac pertractanda putredine præstitisse, nam putredo hæc ex se satis bene cognita erat Antiquis, & re vera ex sui natura cognitu facilis est; Accedit, quod in Problematibus potissimum multa ad hanc putredinem attinentia tradidit Aristoteles, quæ omnia cum minimè de naturali liceat affirmare (cum fuerit Antiquis incognita, & propria natura captu sit difficilis) fuerunt in causa, vt Aristoteles 4. Meteor. in ea tractanda valde laborauerit, atque fusius de ea verba fecerit, alibi verò fere nihil de ea fuerit loquutus.

Sed ad putredinem hanc naturalem explicandam eadem prorsus Methodo iam mihi est deueniendum, quam obrem primum circa modum eiusdem paulò erit digrediendum: circa quem auctores in varias opiniones abierunt. Abertus enim, & multi alij, putredinem fieri existimarunt, quòd nimirum calor ambientis calefaciendo corpus mixti rarefaciat, & relaxet, qua relaxatione facta, intus penetret, & calorem naturalem adaugeat, & hic ipse auctus, in humidum agat, ipsum dissoluat, ita, vt nihil remaneat alimenti idonei pro caloris nutritione, vnde deficiente pabulo, deficiat & calor, ac perinde mixtum corrumpatur; Cui addunt aliqui calorem naturalem etiam augeri per antiperistasim à frigido ambientis, & per prohibitam transpi-

transpirationem, nam ambientis frigiditas concentrando calorem, eundem intendit, intensiorque factus ex prohibito transpiratu (merito cuius fuligines, & vapores non excernuntur) agit in humidum, vt supra, sicque mixtum perducit ad corruptionem. Cuius opinionis autores fuerunt Buccaferreus, & Argenterius. Verum putredinem non fieri ex calore aucto, sed diminuto potius probatur ex 4. lib. Meteor. tex. 1. vbi habet Aristoteles, putredinem fieri, quando humidum, quòd terminatur, calori terminanti dominatur propter ambiens; & in textu sexto quò loci inquit putredinem fieri exeunte calore naturali, & humido euaporante; ergo putredo sequitur potius caloris decrementum, quam augmentum. Nec eadem putredo fit per dissolutionem humidi factam à calore naturali, sed potius quia humidum dissoluitur per recessum caloris naturalis, qui recessus, vt patet, est causa priuatiua illius dissolutionis, nam calor internus ab ambiente languidus redditus, non amplius humidum cum sicco terminare, vel F continere valet. Ad hæc, falsum est in omnibus mixtis humidum esse calidi pabulum, vt hoc deficiente, deficiat & illud, hoc enim solum in rebus animatis locum habet; Nec obstat Aristotelem in libro de Morte affirmasse calorem à contrario, vel ad corruptionem humidi corrumpi; quoniam Aristoteles pariter de rebus animatis loquebatur, quarum putredo ad humidi defectum subsequi solet; & quòd addebatur calorem naturalem augeri per antiperistasim, & prohibitam transpirationem: dico id attinere ad aliam speciem putredinis, quæ violenta dicitur, fitque à calore adaucto, non autem imminuto.

Hugo Senensis in primam Fan. 4. Can. Auic. tractatu de Febribus putridis, tenet, quòd putredo fiat à calore ambientis impresso in humidum, & ipsum dissoluente, ad cuius dissolutionem calor naturalis mixti dissoluatur, & proinde putredo fiat. Sed contra (vt etiam dictum fuit) est Aristotelis definitio de putredine, quam definit per G corruptionem calidi naturalis à calore ambientis: nam in hac definitione vult, quòd calor naturalis immediatè dissoluatur à calore ambientis, non autem mediatè ad dissolutionem humidi factam ab ambiente. Dicit etiam Aristoteles, quòd exeunte calido euaporat humidum, ergo potius dissolutio caloris est causa dissolutionis humidi, quam è contrà. Amplius si exeunte calido dissoluitur humidum, ergo humidum non dissoluitur à calore ambientis impresso.

Erastus arbitratur putredinem naturalem fieri, quia calor naturalis longo tempore seipsum debilitat media corruptione proprij pabuli, quòd est internum humidum, in quo subiectatur calor, qui vbi ad extremum debilitatis gradum deuenerit, vult, quòd ab ambiente euocetur facilè, & dissoluatur. Sed hæc opinio patitur difficultatem, nam ea data mixtum naturaliter posset interire absque putredine, quòd Aristoteli repugnat. Consequentia ex eo deducitur, quoniam vbi calor consumitur sui huH midi consumptione, potest totum illud humidum consumere, & totaliter seipsum interimere, vt accidit viuentibus. Præterea, non dixit Aristoteles in putrescentibus humidum esse consumptum, sed adesse, & per putredinem educi, vnde putrescentia primum fiunt humida, deinde sicca. Postremò, falsum est, quòd in omnibus mixtis calidum vtatur humido tanquam pabulo, eo quia mixta quædam reperiuntur à prædominio frigida.

Cœterum, & circa modum quo frigiditas interna ad putredinem faciendam concurrit, non consentiunt Auctores, nam aliqui existimant, quòd hac ipsa meatus obstruantur, inde accendatur calor, quò putredo succedat. Sed contrà, quia talis obstructio potius fit à frigiditate externa, quam interna. Secundò, putredo in qua calor accenditur est violenta, interim autem de naturali habetur disputatio.

Alij verò, vt Hugo dicunt, quòd frigiditas propria duplex existit, positiua, & priuatiua. Priuatiua est caloris naturalis defectus, quem putredini cooperari confirmant

mant ex Aristotele, qui vbi statuit frigiditatem internam esse putredinis causam, dicit: Indigens tali virtute est frigidum. Sed contra etiam, quia clarum est, quod quocumque ex contrarijs labefactato, alterũ quod prædominatur in remissum agit, vt labefactato calore in re putrescente internã frigiditatẽ positiuã in calorẽ agere sit necesse. A

Germanus igitur putredinis naturalis modus in fieri est huiusmodi. Si calor ambientis in substantias mixtas agat, ita, vt illas primum rarefaciat, deinde similitudine naturæ perpetuò aliquid caloris natiui vnà cum humore trahat, tunc necessariò exeunte calore, natiua frigiditas interna validior redditur, sicque insurgit, & aliquot gradus eiusdem caloris corrumpit, hinc calor ab vtraque causa ab ambiente nimirum, & frigiditate illa interna debilitatus, ac imminutus, non valet amplius humidum cum sicco continere, & proinde humidum à sicco dissolutum cum calido euaporat, sicque mixtum putrescit, vt iure merito Aristoteles loco citato definierit putredinem naturalem per id, quod sit corruptio caliditatis propriæ, & secundũ naturam in vnoquoque humido ab alieno calore, qui est ambientis. B

Erastus in proprio tractatu contra Archangelum existimauit, definitionem hanc attinere ad putredinem eam, quam supra propriam, atque corruptionem ex parte ad mentem Aristotelis statui, & pluribus rationibus vtitur pro suæ sententiæ confirmatione, quarum prima est: quòd Aristoteles putredinem naturalem definierat, dum dixerat: fit autem corruptio, quando id, quod terminatur, dominatur terminanti propter continẽs, ergò frustra de nouo eam definiuisset. Secundò, sicuti simplex generatio fit à principio interno, ità, & putredo ei proposita; Sed putredo, quę definitione proposita definitur, fit ab extrinseco, ergo non est, quæ simplici generationi opponitur, & quæ naturalis dicitur. Tertiò, in calce secundi capitis quarti Meteor. dicit Aristoteles animalia nasci in materia putrefacta, ergo cum in putredine naturali non nascantur animalia, necessariò loquitur de violenta, non autem de naturali. Quod autem in naturali non generentur animalia, ex eo patet, quia in ea fit dissolutio elementorum, à qua generatio prohibetur. Et si dixeris, quod ex elementis dissolutis, & posteà coeuntibus fiunt animalia, tunc non erunt ex materia putrida producta, puta ex putrido caseo, sed ex elementis. Quartò, si non definiret hic putredinem violentam, vsitatam, & propriè dictam, ergò eam nullibi definiuisset, cum nullibi de ea tractet. Quintò, accedit, quòd omnes alij Auctores cognouerunt hanc putredinem, & nullus naturalem cognouit, ergo rem indignam fecisset, si de impropria, & sibi solùm nota putredine definitionem tradidisset, propriam ac omnibus notam ommittendo. Sextò, vbi Aristoteles in alijs suis libris, de putredine agit, de ea loquitur sicuti in hac definitione est loquutus, at in alijs suis libris de violenta, non artẽ de naturali sermonẽ habet, ergo hic putredinem definit violentam. Quòd autem eodem modo de ea loquatur alibi, patet ex 5. de generatione animalium, capit. 4. vbi ait: fit verò omnis putredo à calore, sed non à suo, & natiuo, vt alio loco exposuit. Putredo autem aquæ, & terræ, & quorumuis corporum eiusmodi fieri potest. Hic de putredine violenta mentionem facit, quam dicit se alibi definiuisse, per id, quod fiat à calore ambientis, sicuti in præsenti definitione traditur. Amplius 4. Meteor. 11. dicit: Quapropter & in putrefactis animalia nascuntur, inest enim caliditas, quæ corrumpit vniuscuiusque propriam caliditatem, hic violentam intelligit non naturalem, nam in hac non nascuntur animalia, & de ea dicit quod fit à calore corrumpente proprium calorem, ergo hæc definitio, in qua dicitur, quod putredo est corruptio caliditatis, pertinet ad violentam. Septimo nunquam Aristoteles dixit naturalem interitum fieri ab alieno, & externo calore, talis enim fit ab interno, ergo cum in hac definitione Aristoteles asserat putredinem fieri ab externo, non loquitur de naturali putredine. Vltimo definitio putredinis tradita à Gal. 11. Meth. conuenit cum hac, at Galenus putredinem violentam definit, naturalem enim non cognouit, ergo. C D

Sed

E Sed hic vir toto cœlo aberrat, nam putredine violenta corrũpuntur elementa omnia excepto igne, ergo cum in definitione hac, putredo sit corruptio natiuæ caliditatis in humido, omnia elementa excepto igne haberent in se necessario caliditatem, & humiditatem, quod tamen falsum; Aqua enim, & terra nihil habent in se caloris, & terra caret humore. Ac si diceres elementa alterata habere quidem humiditatem, & calorẽ non sibi propriũ, sed alienũ, tunc contra: nam corruptio caloris alienis in elementis non est putredo, sed potius expurgatio, & depuratio quædam, ex quà ad propriã naturam perducuntur. Secundò Aristoteles 4. Meteor. post traditam hanc definitionem putredinis, de eadẽ loquens dicit, quod partim fit ab interna frigiditate, ergo in talẽ definitionẽ non cadunt omnia elementa, vnico excepto igne, quia Aer non habet internam frigiditatem. Tertiò Violenta putredo non fit per caloris exitum, sed quæ definitur modo proposito, fit caloris naturalis exitu, ergo Maior Propositio liquet ex eo, quod humorũ violenta putredo facta occasione prohibiti trãspiratus, sine dubio nõ fit caloris exitu; Cõfirmatur auctoritate Arist. 10. Probl. 43. vbi de putredine violenta loquẽs, dixit; Humida cũ nõ exhalant, putrescunt. Quartò sequeretur Aristotelẽ plura de putredine dixisse, de qua nõ ꝓposuit, & de qua alibi tractauit, ac omnibus nota est, quã de qua proposuit, nec alibi tractauit, ac ipsi solũ nota erat. Quintò vbi Arist. de putredine naturali verba facit; dicit, quod quę eã patiuntur, primũ fiunt humida, deinde sicca, quasi quod à putredine sola terra, & cinis remaneat, quo stãte, sic argumẽtor. Vbi fit dissolutio miscibiliũ succedit putredo naturalis, sed putredo, ĩ qua terra remanet, est dissolutio miscibilium, ergo est naturalis; at in hac definitione sermo est de putredine, in qua terra remanet, ergo hac in destnitione est sermo de putredine naturali.

Vt igitur Veritatem, Aristotelem, & Mercenarium tuear, occurrendum mihi est G rationibus ab Erasto adductis. Primæ itaque respondetur, quod putredinis naturalis, vt videbitur, duplex potest assignari definitio, vna formalis, causalis altera; modò quãdo Aristoteles dixit putredinem fieri, cum quod terminatur dominatur terminanti propter continens, definitionem formalem assignauit: nam putredo formaliter est dissolutio humidi à sicco, quæ dicit dominium eius, quod terminatur super id; quod terminat; quando verò Aristoteles definit putredinem per corruptionem caloris natiui, causalem definitionem proponit, quia ex caloris natiui dissolutione, tanquam ex causa, sequitur dominium eius, quod terminatur super terminans, quare definitio iam proposita sine dubio in putredinem naturalem est referenda.

Ad secundam dubitationem dico, quod sicuti generatio fit à principio intrinseco, idest à calore dominante, & vincente, ità, & putredo naturalis ei opposita, fit ab intrinseco à calore nimirum victo, quasi putredo fiat à principio interno priuatiuè, ge- H neratio positiuè; nam dominante calore velut ex causa positiua fit generatio, ipso verò deficientem, tanquam ex causa priuatiua succedit putredo, non aliter ac ob eodem principio pendeat tum salus nauis, tum eiusdem subuersio, sed illa ex principij positione, hæc verò ex ipsius absentia, ac priuatione.

Ad tertiam respondeo, dissolutionem humidi à sicco non esse necessariò omnimodam dissolutionem, sed talis, qualis requiritur ad mixtorum corruptionem; quo stãte, iam apparet in putredine animalia generari posse. Vel etiam dicendum, quod etiamsi illa dissolutio esset totalis, tamen si quæ animalia generarentur, ea ratione, essent orta ex putredine, quã calor naturalis mixti, vti ab ambiente corrumpitur, ità regulatur vt aptus fiat ad illorum generationẽ, vnde c. pen. 4. lib. Met. dicitur, quod inest caliditas, quæ corrumpit propriã caliditatẽ, quasi dicat ꝙ corrũpat propriã mixti putrescentis caliditatem, & illam corrũpendo propriã generet pro generatione illorũ animalium.

Ad quartam, & quintam dicendũ est, Arist. definiuisse putredinem violentam per corrum-

corruptionē secundū partem in his, quæ à natura separantur, & breuiter se ab hac expediuisse, ob rationes superius adductas; Quibus accedit, quod putredo violenta est cōmunis, & mixtis, & elementis, de elementis autē non agitur in 4. Meth. sed de mixtis, quatenus mixta, ideò pauca de violēta putredine nobis ibidē dereliquit. Amplius, institutum est Arist. in 4. lib. Meth. de corruptione secundū naturam opposita generationi verba facere, non autē de corruptione, seu putredine violenta, quæ non conuenit mixtis omnibus, vt auro; neque est necessaria, multa enim sunt, quæ licet putredine violenta possint putrefieri, prius tamen corrūpuntur, & in putredinē naturalē abeunt.

Ad sextam respōdetur, quod licet Aristot. loco cit. de violenta putredine loquatur, quoniam dicit elementa ea putrescere, vult tamē illam fieri ab extraneo calore, in hoc etenim ambæ putredinis species conueniunt, & vbi dicit. se hoc alibi dixisse, intelligenda potissimum est 2. Probl. sectio Probl. 33. vbi hoc docuit, & licet etiam innuat 4. lib. Meteor. in quo expresè putredinem violentam fieri à calore ambientis nos docet, dicit tamen se in hoc libro tradidisse, & summa cum ratione: quoniam illud de putredine naturali docuit, quæ quantum ad hoc non differt à violenta, cum vtraq; fiat ab externo calore, quamuis diuersa ratione. Ad auctoritatem verò ex 4. Meteor. exceptam, dico, quòd ibi intelligendus est Arist. de putredine naturali, & falsum est, quòd in ipsa non nascantur animalia, vt videbimus.

Ad septimam dicitur, ab externo etiam fieri motum naturalem, 8. Physicorum 27. & hæc euenit, quando passo confert, quia restituitur in propriam naturam, idcirco non est inconueniens naturalem interitum, & putredinem fieri ab externo.

Ad Postremam sit responsio, definitionem putredinis à Galeno traditam, non conuenire cum nūc proposita, sed cum violenta, vt declarabo, vnaq; firmissimis rationibus demonstrabo; A ratione enim esset alienum, vt Galenus putredinem medicam minimè definiret, quam violentam esse puto, qua in re etiam (vt verum fatear) Mercenarius est deceptus.

His ita Erasti tū expeditis, tū dissolutis rationibus, Rediens ad propositū, dico definitionē illā adductā esse putredinis naturalis, & iure: quoniā Arist. 4. Meteor. cū de generatione simplici egisset, & putredinē naturalē ei opponi statuisset, eā etiā definire debabat, sicuti definiuit per definitionē causalē, seu dicentē propter quid, quę est mediū ad probandā definitionē formalem eiusdem putredinis naturalis, quæ dicit, quid tantum, conclusioq; euadit demonstrationis, & hæc est dissolutio humidi à sicco; sicq; demonstratio elici potest. Corruptio eius, quæ in vnoquoq; humido propriè, & secūdum naturam caliditatis, est dissolutio humidi à sicco; At putredo naturalis est corruptio eius, quæ in vnoquoq; humido propriè, & secundū naturam caliditatis, ergo putredo naturalis est dissolutio humidi à sicco. Maior patet, nam sicuti calore dominante fit vnio humidi cum sicco, itā quando corrumpitur calor, euenit dissolutio humidi à sicco, vnde Arist. 4. Meteor. cit. dicebat; ex his .n. facta sunt, & terminatum fuit humido siccum operantibus actiuis; fit autem corruptio, cum id, quod terminatur dominatur terminā̄ti propter continēs; Minor verò, & consequentia satis sunt manifesta.

Sed iam singulas partes huius definitionis declarandas aggredior. Verum primum animaduerto, quod aliqui textus habent: Putredo est corruptio quædam, sed re vera textus Græcus caret illa particula, quædam, si tamen apponatur, bonum reddit sensum, vt patebit infrà.

Præterea noto ferè omnes expositores decipi, cum dicant corruptionem in hac definitione sumi loco generis, sed decipiuntur (vt dixi) quoniam definitio causalis, qualis est hæc, non datur per genus.

Est ergo putredo naturalis corruptio, quoniam contrariatur simplici generationi, vt sensus sit putredo est corruptio .i. putredo fitā corruptione, tāquam à propria causa

effectrice

D effectrice immediata, additur, caliditatis, ad differentiam aliarum corruptionum, in quibus corrumpitur aliqua alia qualitas, per quæ à putredine violenta discriminatur: nam cum ex caloris corruptione (vt sæpius dictum fuit) sequatur terminati dominiũ super terminans, & ob id humidi à sicco dissolutio, necessariò corruptio succedit secundum totum, cum tamen putredo violenta sit solum secundum partem, pariter in putredine naturali. corrumpitur calor, at in violenta alteratur temperamentũ, quod non tantum calidum, sed frigidum, & humidum esse potest.

Cœterùm hic interim illud adnotandum, quòd corruptio hæc caliditatis est transitus eiusdem, partim deesse, ad non esse simpliciter, partim verò deesse naturali, ad non esse naturale, quod sic ostendo. Primum quidem est transitus ab esse ad nõ esse, quoniam (vt infra dicetur) caliditas hæc ab interna frigiditate secũdũ sui partem aliquam destruitur, solet autem transmutatio à contrario producta, perducere ab esse

F ad non esse simpliciter. Secundò verò in putredine naturali partim fit trãsitus ab esse naturali, ad esse non naturale, sine tamen destructione caloris, qua scilicet corruptio hæc fit à calido ambientis, quod calorem internum corrumpere nequit, deducendo ipsum ad non esse simpliciter, talis enim transmutatio procedit, vel à contrario, vel propter defectum humidi, vt in libro de Morte, & vita c. 14.

Sed si aliquis quæreret, quodnam sit illud esse non naturale, ad quod calor internus ab ambiente perducitur, dico esse tum illius augumentum, tum diminutionem per attractionem ad circumferentiam, illud quidem in febribus; hanc verò in putredine naturali. Ex quo soluitur illa difficultas, Corruptio fit à contrario, ergo calor naturalis non corrumpitur à calore exteriori; nam dici potest Argumentum procedere de corruptione, quæ est ad non esse simpliciter, non autem de ea, quæ tendit in nõ esse tale. Cuius causa expositores illi, qui addunt, quòd putredo sit corruptio quæ-

G dam, pulchrè possunt propriam lectionem tueri, quia caliditas naturalis, prout corrumpitur ab ambiente, non simpliciter destruitur, sed quodammodo, qua ex naturali non natnralis euadit. At quod hæc corruptio caloris non sit ad non esse simpliciter, sed ad tale non esse, præter ratinnem adductam, Aristotelis auctoritate cõfirmari, quæ segregatur. Caliditas naturalis existens facit constare segregata; quasi velit Aristoteles, quod rei putrescentis caliditas remaneat saltem secundum patrem, & rursus terminet humidum cum sicco pro illorum animalium generatione; licèt enim non sit naturalis mixto iam dissoluto, hæc caliditas, est tamen respectu animalium, quæ ex putri materia generantur. Et si quis diceret, si post putrediné remanet caliditas mixti iã non apparet, qua ratione caliditas illa ex naturali non euaserit. Respondetur caliditatem remanere in materia secundum partem, non secundum totum, nam ipsius aliqualis portio fuit ab ambiente educta, altera verò corrupta ab interna frigiditate,

H quo circa restat eiusdem portio sufficiens pro illis generandis Animalibus, quæ cum non sit conueniens, & naturalis mixto, quod fuit putrefactum, verè ex naturali non naturalis euasit.

Cùm verò calor secundum naturam possit naturæ limites egredi dupliciter, intensione videlicet, & remissione, explicandũ occurrit, quonam pacto in putredine naturali calor præternaturalis fiat. Volunt aliqui fieri talem intensione, quia calor non remittit, sed intendit caloré, Putredò verò fit à calore ambientis; sed hoc dictũ nõ sibi constat, quoniam vt sæpius ex Aristotile dixi, tunc fit putredo naturalis, quandò ꝙ terminatur dominatur terminanti propter continens, ergo in putredine calor diminuitur, & non intenditur. Amplius Aristotiles in lib. citato, dicit, quod putredo sit exeunte calido, & rursus, ꝙ exeūte calore interna frigiditas in eũ agit, ergo calor in putredine non intenditur, sed remittitur quidem à calore ambientis per attractioné, à frigiditate verò intima por corruptionem. Et quamquam dicatur caloré calore augeri, id

verum

verum est per se, per accidens tamen fallit, quando scilicet accedit eductio. A

Additur in definitione, Propriè, & secundum naturam, quia corruptio caloris præter naturam non est putredo, sed expurgatio quædam, & in pristinum restitutio. Apud scriptores autem controuersum est, quid per calorem proprium, & secundum naturam sit intelligendum; Aliqui enim, vt Buccaferreus noster Bononiensis substantiam calidam vaporosam ex tenuiori parte sanguinis genitam intelligunt; & Aliqui vt Paparella, in suo libro de Calore secundum naturam c. 5. per calorem proprium, complexionem propriam vniuscuiusque calidam, & per naturalem formam substantialem corporis mixti viuentis exponunt.

Quæ expositiones ex eo sumunt occasionem, quòd Aristoteles dicit hoc calidum proprium, & secundum naturam esse in vnoquoque humido, vt loqui videatur de rebus animatis, quorum vita est mansio caloris in humido, quo calor nutritur, & sustentatur tanquam pabulo, vt iure merito calidum illud ad ea, quæ in rebus animatis sunt, possit transferri. B

Sed contra huiusmodi assertiones duplex adfertur instantia; quarum prima est, quod sequeretur putredinem solum inesse viuentibus, quòd falsissimum est; quinimo viuentia non desinunt esse viuentia per putredinem, sed per mortem, vel naturalem, vel violentam, ad quam postmodum sequitur putredo. Secunda instantia est, quòd in hac definitione per calorem intelligere debemus illum eundem, qui vbi dominatur passiuis generationem parit, vt ex dictis colligere licet, sed talis calor est qualitas elementaris, ergo per calorem intelligere oportet qualitatem elementarem, quæ sicuti in generatione dominabatur passiuis, ita in putredine ab æisdem superatur propter ambiens; ex quo sequitur dissolutio humidi à sicco, quæ formaliter est putredo; nam vt docebat Aristoteles ad initium quarti libri Meteor. quatuor sunt principia elementorum, duo actiua, vt calidum, & frigidum, & duo passiua, vt humidum, & siccum, nomine igitur caloris in hac definitione principium actiuum calidi designatur. C

Ad motiuum autem expositionum supradictarum Zimara, & eius sequaces responderent in omnibus mixtis, nedum in viuentibus calidum vti humido, vt pabulo, & ipsum paulatim consumere; Sed hæc responsio non est tuta, nam primo sequeretur quòd mixtorum naturalis corruptio non esset putredo, sed marcor, at hoc falsum. Consequentia ex eo deducitur, quoniam si in quouis mixto calidum consumit humidum tanquam pabulum, ergo mixtum corrumpetur facta totali consumptione humiditatis, sed talis corruptio dicitur marcor ab Aristotele in libro de Morte c. 3. ergo. Assumptum probatur, quoniam ex eodem Aristotele supra loco citato, & libro etiam de Morte constat marcorem esse corruptionem rerum animatarum. Confirmatur adhuc: quia in serie inanimatorum multa reperiuntur à prædominio frigida, vt de his non sit asserendum, calidum vti humido, tanquam pabulo; quare sequitur maiorem esse calorem animatorum, quam inanimatorum, & maximè animatorum animalium, propter quem illa humidi resolutio ab interno calore producta propria videtur esse animatorum, & maxime animalium. Et si diceres cur ergo dixit Aristoteles calorem in humido? Dico, quòd id fortè protulit, quoniam in quouis mixto calidum est in humido, licet non tanquam in pabulo, tanquam tamen terminans in terminato, & in eo, quo siccum terminatur; Cui accedit & id, quòd in putredine calido euaporante simul humidum euaporat, vt iure possit dici calidum inesse humido, nam coniuncta expirant. Reliquũ est igitur, vt per calorem intelligamus qualitatem elementarem, non tamen separatam à materia, quoniam hoc est impossibile; Nec mirum videri debet, quòd cum quattuor sint qualitates elementares in mixtis, duæ actiuæ, duæ passiuæ, quòd putredo ad calorem tantum referatur, quoniam vt sæpius dictum fuit, sicuti generatio fit à calore dominante passiuis, ita & putredo fit, vbi idem calor à passiuis superatur. D

Adiun-

E Adiungitur verò propriè, & secundum naturam, quæ verba sic expono. Calor hic dicitur proprius, idest internus, ad differentiam externi: secundum naturam, ad differentiam caloris præter naturam, qui internus esse potest, licet non naturalis, vt in febribus. Vel dicatur, quod calor alia ratione dicitur naturalis, & alia ratione proprius, dicitur naturalis, quatenus passiuis dominatur, Vnde Aristoteles cap. de Coctione habet: Quamdiu in calido est ratio, & proportio supra humidum, est secundum naturam, idest quamdiu calidum passiuis præest, tandiu naturale dicitur, quod dominium commune est omnibus mixtis; Dicitur verò proprius, quatenus sub hoc, vel illo gradu passiuis prædominatur in hoc, vel illo mixto, & tale dominium est proprium vniuscuiusque mixti, & diuersum diuersis, vti auro, carni, ossi, & huiusmodi; Vnde ratione talis certi, ac præcisi dominii dicitur proprius, ratione verò illius communis, quo in mixto dominatur, dicitur secundum naturam, & sic in putredine corrumpitur calor, F vt proprius, quia tollitur gradus illæ præcisus dominii, vt naturalis, quia non amplius dominatur: & primo quidem tollitur, vt proprius, secundo vt naturalis aufertur; cuius causa Aristoteles in hac putredinis definitione fortè proprium naturali præposuit; At in generatione res secus accidit, quoniam calor primum est naturalis, quia prius quàm commensuratus fiat, debet dominari passiuis, secundo fit proprius, & commensuratus per mixtionem, seu repassionem à frigido.

Infertur verò, quòd talis corruptio caloris proprii, & naturalis, fit in vnoquoque humido; Quo modo calor sit in humido dictum est, quoniam non tanquam in pabulo, sed tanquam terminans in terminato reperitur, & in eo, quo siccum se terminat, dixit autem in humido, quoniam calor potest sicco coniungi, vt in igne, cuius caloris corruptio non est putredo; in aere verò licet calor humido sit coniunctus, non tamen hac putredine corrumpitur, quia si calor ambientis traheret aeris caliditatem vna cum G humore, totam naturam aeris traheret, atque sic nihil in putredinem abiret. Dixit autem in vnoquoque humido, quia sicuti calor, qui passiuis dominatur est sub hoc, vel illo gradu commensuratus, ita etiam debet in humido commensurato, atque sub hoc, vel illo gradu esse: nam inter terminans, & terminatum, debita requiritur proportio, vel dixit, In vnoquoque humido propter humidum tum aereum, tum aquosum, quæ ambo sunt in mixto putrescente.

Tandem dicitur ab aliena caliditate, & quid per alienam caliditatem sit intelligendum, ipsemet Arist. declarat, dum ait, ipsam esse ambientis, vbi causa effectrix corruptionis caliditatis exprimitur, causa quidem præcipua, & origine prior, non autem adæquata, & totalis, quoniam ad hanc caloris corruptionem non solum concurrit externa caliditas, verum, & interna frigiditas est necessaria, vt demonstratum fuit, per quod putredo naturalis distinguitur potissimum à violenta, quæ fit à calore quidem H externo, sed non ambientis, vt videbimus; vbi per calorem externum intelligo non calorem extra corpus, sed in corpore, qui tamen est extra constitutionem substantiæ putrescentis violenter, ac illi alienus existit, & aduentitius, oritur in corpore ex prohibito transpiratu.

Dicitur etiam à caliditate ambientis ad differentiam corruptionis caliditatis mixti quæ fit ab ambientis frigiditate, sed violenta, & non naturalis dicitur ab Arist. lib. de Morte 14. Putredo autem nostra est corruptio naturalis; Dicitur etiam hoc ad differentiam corruptionis caliditatis naturalis rei animatæ ob alimenti defectum, quæ corruptio non est putredo, sed marcor, qui duplex existit naturalis, vt in senibus, violentus, vt in his, quæ suffocantur, seu in febribus, in quibus citius, quàm par sit, humidum consumitur propter nimirum calorem, ex quo sequitur corruptio, quæ tamen non est putredo.

Sed quid per alienam caliditatem, quam dicit esse ambientis oporteat interpretari

dubium est. Multi ex Philosophis, & Medicis nedum calorem aeris, & aquæ, sed etiam vapores, ac fuligines in corpore eleuatas, retentas, & humoribus putrescentibus circumpositas, calorem externum, & ambientis constituunt. Contra quod est instantia: quia Arist. putredinem fieri à calore ambientis, signis quibusdam demonstrans, semper per ambiens exposuit aerem, & aquam, non ergo intelligere oportet fuligines, & vapores. Amplius, vapores, & fuligines augent calorem naturalem, vt in febribus putridis, in quibus calor naturalis igneus redditur; Sed corruptio caloris in naturali putredine ab ambiente est diminutio, quia calor exit, ergo putredo naturalis non fit à vaporibus, & fuliginibus. Ad hæc vapores, & fuligines solum corrumpunt calorem naturalem, vbi non transpirant, sed corruptio illius caloris in putredine naturali fit par exitum, & euaporationem eiusdem, ergo non fit vaporibus retentis; Non negandum tamen ab his fieri putredinem violentam, quæ magnopere à naturali differt, vnde æquiuocatio, merito cuius duæ istæ putredines ab auctoribus hisce confunduntur, fuit in causa omnis erroris.

Satius ergo est per alienam caliditatem exponere solum aeris, & aquæ calorem, vt videtur etiam attestari ipsemet Arist. in signis, quibus definitionem ipsam confirmat. Nec obstat aquam, quia frigida est, calore destitui, quoniam illa potest esse calida per accidens, ratione scilicet aeris, qui in aquam sese perpetuo insinuat, atque illam calefacit.

Argenterius hoc in loco Arist. reprehendit, quòd naturam, & qualitatem huius externæ caliditatis non declarauerit; præterea proportionem huius caloris putrefacientis omiserit, cum de eis rationem habuerit in simplici generatione.

Ad primum tamen respondetur, quòd in signis iam nominatis, & ab Aristotele adductis innuitur caliditatem hanc debere esse humidam, non autem siccam, dicit enim talem caliditatem esse aeris, vel aquæ. Confirmatur: quia vbi docuit calorem hunc extraneum facere caloris natiui euaporationem, addidit simul etiam humidum euaporare, ideò necessario caliditas hæc humida esse debet, talis enim est, quæ aperit, & relaxat, quòd caliditas sicca non præstat. Dici etiam potest, quòd licet putredo sæpius, & melius fiat à calido humido, fieri etiam potest à calido sicco, non tamen adeò vehementi vt comburat, & ob id fortè Arist. indifferenter, & indeterminatè loquutus fuit, quoniam ab vtroque calido fieri potest.

Ad secundum dicendum est, quòd Arist. non declarauit proportionem: quia illa subintelligitur, & à virtute quadam alienæ caliditatis indicatur, nam cum sit corrumpens, necessariò dominantis proportionem habere debet. Et hæc pro declaratione huius definitionis, quæ si paulo diligentius consideretur, tria genera causarum continere videbitur, formam, quæ est corruptio caloris, materiam, quæ est vnumquodq; humidum, efficiens demum, quòd est aliena caliditas. Nec obstat, quòd corruptio caloris dicatur causa efficiens, quia cum sit efficiens coexistens, gerit vicem formæ; præterea, corruptio caloris respectu alienæ caliditatis, quæ est causa effectrix corruptionis illius, potest dici forma.

Reliquum modo est, vt difficultatibus circa huius definitionis particulas contingentibus occurram, prius tamen illa breuiter oportet proponere. Prima ergo est. Ambiens apud nos, & alibi est frigidum hyeme, sicuti, & in aliis regionibus, vt sub Polis, semper est tale, at vtrobique putredines fiunt ergo. Ad primam partem dico, quòd hyeme apud nos Ambiens non est ita frigidum, quin caloris aliquid educat, minus tamen, quam in æstate, vnde cadauer in hyeme difficilius putrescit. Ad secundam partem respondeo, quòd vbi ambiens est valde frigidum, pauciora, & imperfectiora mixta generantur, sed illud semper in se aliquid caloris habet, & arte sæpè frigiditas aeris corrigitur. Et si dixeris, putrescuntne ibi difficilius mixta? Respondetur quòd

sic,

E sic, de facili tamen corrumpuntur corruptione quadam interni caloris ab ambiente, quemadmodum etiam euenit in locis summè calidis, in quibus nimirum calor non permittit res mixtas naturaliter putrescere, sed eas violenter destruit.

Dubitatur secundò sic: Cum mixtum constet calido, & frigido interno, & vnumquodq; corrumpatur à suo contrario, caliditas interna poterit corrumpi à sua frigiditate interna, At caliditate ita corrupta, fit dissolutio humidi à sicco, quæ est putredo, ergo putredo fieri poterit sine ambientis calore. Respondeo, quòd frigiditas interna nunquam agit in intrinsecam caliditatem, nisi prius caliditas hæc fuerit diminuta ab Ambiente; hinc Aristoteles, quòd putrescit indigentiam calidi patitur. Sed adhuc quid esset dicendum; Si interna frigiditas ab aliqua causa externa augeretur, & nihil diminueretur interna caliditas?

Dicerem, quòd tunc frigiditas calorem corrumperet, & inde fieret passiuarum dis-F solutio, quæ tamen non esset putredo, sed violenta corruptio, in qua calor destruitur.

Tertiò, dubitandum occurrit, quòd non videatur pariter verum putredinem ab ambiente fieri, nam sub niue generantur vermes; hyeme fiunt abscessus cum putredine, vna pars putrefacta putrefacit aliam, multa demum putrescunt interius at non exterius, vt castaneæ, & nuces. Ad primum dicunt aliqui, putredinem non semper fieri à calido, sed decipiuntur, nam præter id, quod definitiones vniuersaliter intelligi debent, clarissima est Aristotelis opinio 4. Meteor. cit. dicentis, hyeme minus res putrescere, quoniam minor est calor. Dicendum itaque, quòd putredo fiat sub niuè à calore, continuo enim è terra calidi vapores eleuantur, qui cum non possint propter superpositam niuem exhalare, tantum sibi caloris comparant, vt induant rationem ambientis, & idcirco putredinem excitent; pariter pars putrefacta eiusdem ambientis vicem gerit, vt non sit mirum, si partem sibi proximiorem inquinet, & putrefaciat.

G Postremò in prædictis pars exterior est frigida, & sicca, interna verò calida, & humida, & proinde aptior ad putredinem, quòd in castaneis præsertim obseruatur. Præterea pars externa magis porosa ambienti per commodum aditum præstat, quòd calidum naturale, & vna humidum euocat, ita vt solum puluis remaneat intus, atque idcirco in his putrefactis, atque in nucibus præcipuè foramina quædam solent apparere, per quæ calor internus cum proprio humido euaporat.

Quartò putredo fit ab ambiente, cur est quòd mixtum positum in simili ambiente non semper putrescit; quinimmò antequam putridum fiat, multo tempore durat. Respondeo, quòd calor ambientis longo temporis tractu innatum calorem dissoluit, atq; interdum in ipsum agit intensius, vt æstate, interdum remissius, vt hyeme, & vbi longiori tempore eam calor internus passus est dissolutionem, quæ sit in causa, vt non possit amplius humidum cum sicco retinere, tunc, & non prius fit putredo.

H Quintò dubitatur, si ambiens esset putredinis causa, ergo mixtum positum in vacuo non putresceret, & ita corruptibile fieret æternum, quòd est contra Arist. 1. Cœli. Marcus Antonius Zimara respondet, quòd mixta adhuc posita in vacuo putrescerent, quia habent principium intrinsecum actiuum suæ naturalis corruptionis, contrarietatem scilicet passiuarum qualitatum.

Sed hic dicendi modus Aristotelem oppugnat, qui naturalem interitum mixtorum putredinem ab ambiente factam constituit. Præterea, vna qualitas non corrumpit suam qualitatem contrariam, nisi ipsi sit valde superior, quare si contigeret, vt mixta, quando in vacuo ponuntur, essent æqualia, vt dicunt ad iustitiam, vna qualitas non corrumperet aliam.

Alii itaque sic respondent, Corruptibile non posse esse æternum per se, sed per accidens, supposito scilicet vacuo, Conditionalis enim potest esse vera, cuius Antecedens, & consequens absolutè sumpta sunt falsa; Impossibile est ergo vacuum esse, impossi-

bile est corruptibile perpetuari, si tñ daretur vacuũ, corruptibile perpetuaretur. Illud A tũ obseruo, quod corruptibile nec per se, nec per accidens à causa positiua perpetuatur, sed solum per accidens à causa priuatiua, qualis est defectus ambientis in vacuo.

Sexta dubitatio versatur circa id, quod Aristoteles velit euaporante calido innato, simul & humidum euaporare: Contra humidum stat cum frigido, ergo non est necesse, quod euaporet cum calido. Respondendum hoc valere in elementis, quæ putredine violenta corrumpuntur non autem in mixtis quæ putredine naturali pereunt, nam humidum cum calido eductum, aliud est aereum, aliud aqueum; aereum est in calido corpore, vt in subiecto, aqueum est in frigido pariter tanquam in subiecto, calidoque euaporante euaporat.

Septimo dubitatur, calor ambientis vel est maior, vel minor innato calore mixtorum, si minor non aget, si maior comburet. Dicitur, quod calor ambientis vtique maior est, sed non summus, nec siccitati coniunctus, nam si sic, profectò combureret, B quod tamen nequit efficere, cum ex gradibus illis constet, quia tanquam humido coniuncti solum putredinem, & non combustionem valent inducere.

Octauo dubitat Argenterius. Putredo fit à calore, ergo non est corruptio caloris deinde putrefieri, & corrumpi sunt nomina, quæ passionem significant, sed calor secundum Aristotelem est qualitas actiua, ergo non putrefit, & corrumpitur. Respondetur quod putredo fit à calore, & est corruptio caloris, sed fit à calore ambientis, & est corruptio caloris naturalis; quasi non sit idem calor, qui corrumpit, & corrumpitur. Ad secundam partem dubitationis dicitur, quod etiam si calor sit qualitas actiua respectu humidi, & sicci, patitur tamen à suo contrario, & vt minor calor patitur à maiori calore, nam hic gerit vicem contrarij.

Hinc nono dubitatur, Corruptio omnino fit à contrario, ergo in putredine calor non corrumpitur à calore. Respondetur, vt aliàs responsum fuit, eam corruptionem C fieri à contrario, quæ est ad non esse simpliciter at corruptio (qualis est hæc caloris naturalis in putredine naturali) non fit ad non esse simpliciter, & propterea non fit à contrario; quamquàm etiam dici posset, quod aliqua ex parte fit à sui contrario, quatenus fit ab interna frigiditate; Ex quo Aristoteles vocauit putredinem communem passionem calidi, & frigidi, non tanquam subiecti, sed tanquam efficientis, cum vtrumque constituat causam adequatam putredinis, Principalis tamen est caliditas, nam frigiditas cooperatur tantum, & secundum quid, ad caloris corruptionem concurrit, qua scilicet facta validior propter absentiam sui contrarij, non autem ob additionem noui gradus, calorem quoquo pacto corrumpit, ex qua corruptione procedit mixti dissolutio. Et si aliquis instaret, quod frigiditas interna validior redditur post putredinem, quia talis euadit ob caloris defectum, à quo putredo pendet, ergo non potest esse efficiens causa illius nam efficiens ex 2. Post. præcedit effectum. Dico quod in- D terna frigiditas validior facta non sequitur totalem caloris corruptionem, sed incompletam, inchoatam videlicet ab ambiente. Ac proinde sicuti in generatione, frigiditas est causa effectiua temperando calorem, ita in putredine est causa efficiens ipsum (vt sic loquar) in temperando, in generatione tamen primo temperat, at in putredine tẽperiem tollit secundariò quam primariò aufert ambiẽs; Et sicuti calor suo dominio est causa generationis positiua, ita sua inopia est putredinis causa priuatiua, & quẽadmodũ humidũ, & siccũ sunt causa materialis generationis, ita sũt materia putredinis. Neq; obstat quod putredo tãquã vnus, & idẽ effectus non possit fieri à duabus causis cõtrarijs, vt propterea putredinẽ excitare nequeant, tũ ambiẽtis calor, tũ rei putrescentis frigus internum, nam id fieri potest diuersis omninò rationibus, fit n. ab ambiente, tanquam à causa principali, & à frigiditate interna, tanquam à causa cooperante.

Postremo tandem sic dubitatur; In libro de Morte, & Vita dicitur ab Arist. quod

E quando calori animalis deficit alimentum, tunc calor marcescit, sed marcor est idem cum putredine, ergo putredo fit, eò quòd caliditati humidum proprium alimentum deficiat. Respondetur quòd multum differt marcor à putredine, vt etiam superius traditum est, & si aliquando apud nos videatur confundi marcor cum putredine, apud græcos verò id non accidit, quia marcor græcis dicitur (Maransis) putredo verò (Sipsis) vnde quidam per (Maransim) in lib. de Morte (vt fuit Leonicenus) transferunt exiccationem.

Sed iam quædam dubitationes aduersus totam putredinis definitionem facientes dissoluantur. Prima est, quod hæc definitio videtur conuenire combustioni, nam & hæc ipsa est corruptio calidi interni in humido à calore Ambientis, sicuti & Putredo. Respondendum combustionem non esse talem corruptionem, quæ putredini adaptetur, & idcirco huius definitionem illi conuenire negandum, primum, quia com F bustio est corruptio frigidi, & humidi, quod putredini non accidit. Secundò, in putredine ab ambiente calor innatus diminuitur, in combustione verò intenditur, vnde combusta sunt calidiora. Tertiò, Agens comburens conuertit combustum in suam naturam, in putredine verò hoc non euenit. Quartò, Putredo fit à calido humido, combustio à calido sicco. Postremo, putredo fit etiam ab interna frigiditate, quod combustioni denegatur.

Secunda dubitatio est, quod definitio hæc videatur conuenire elixationi, quia elixatio fit ab ambiente calido, & humido, & videtur corruptio caloris naturalis, quia calor naturalis in carne cocta, & cruda non est idem. Præterea in elixatione humidum educitur, vt apparet in iure. Respondetur, quod in elixatione calor innatus variatur, quoniam augetur, at in putredine variatur, quia diminuitur. Hinc Olimpiodorus probans, quod putredo fit à caloris inopia, dicebat: Si quis quæreret propter quid G carnes coctæ minus putrescant, quam crudæ, respondendum esse, quoniam coctæ plus habent caloris, habent enim calorem domesticum, seu naturalem, & acquisitum ex coctione; At crudæ primo tantum sunt donatæ.

Postrema dubitatio. Febris est corruptio calidi innati in humido, ergo febris est putredo naturalis. Respondeo, quod in febre calor naturalis fit præter naturam per intensionem, non per euaporationem, & consequentem diminutionem, vt in putredine naturali; id etiam dici potest, quòd in febre accidit putredo, quæ est corruptio secundum partem, non autem ex toto.

Atq; hæc de definitione vtriusque putredinis dicta sint, quæ cum fortasse nimis in longum fuerint exarata, melius, & commodius innotescent, si conuenientias, & discrepantias inter vtramque occurrentes ex prædictis exceptas per capita quædam ita breuiter distribuero.

H Prima igitur differentia est, quod putredo naturalis solum mixtis conuenit, nam quod tali putredine putrescit, constat ex calipo, humido, frigido, & sicco; At violenta quæ dicitur corruptio secundum partem, competit tum mixtis, tum elementis omnibus, excepto igne, quoniam hæc possunt à proprio temperamento recedere, & ad calidum, ac humidum accedere, ad illud per calefacientem causam, ad hoc autem per humiditates excrementitias retentas.

Secundò, Naturalis, & violenta putredo differunt, quod omnia mixta necessariò in putredinem naturalem tandem incidunt, nisi violenter comburantur; At putredo violenta mixtis aduenit per accidens, & non necessariò, violenter, & nõ naturaliter, cuius causa non est opposita simplici generationi, tanquam contrarium maximè commune, sicuti est putredo naturalis.

Tertiò, putredo violenta quouis tempore accidere potest, naturalis verò solum vbi sos per suum temporis debitum spatium perdurauerit.

Quartò,

Quartò, naturalis putredo est sine morbo, sicuti etiam in viuentibus mors naturalis; at putredo violenta est cum morbo tum eam præcedente, vt quando ex angustia pororum, cutis, & valorum, media prohibita transpiratione oritur, cum etiam subsequente, qualis est febris. A

Quintò, in putredine naturali fit dissolutio humidi à sicco, in violenta verò non. Et si aliquis instaret, quod humores putredine hac putrescant, atque ad humorum putredinem sequatur interdum incineratio, ita vt in violenta putredine, sicuti & in naturali fiat dissolutio humidi à sicco.

Respondendum, quod licet hoc interdum accidat, id tamen non est necessarium, nec incineratio est terminus intrinsecus violentæ putredinis, quia talis terminus est solum remotio secundum partem à proprio temperamento, ad quam aliquādo sequitur incineratio illa propter nimium calidum acquisitum, quod humidum absumit. Ex quo liquet, quod etiam si putredo violenta aliquando ad cineres terminetur (sicuti semper naturalis) diuersus tamen est modus incinerationis, nam post putredinem naturalem remanet cinis, quia humidum dissoluitur à sicco, at in violenta humidum dissipatur, à calido, & hæc est ratio, propter quam omnes ferè Medici in æquiuocationem incidunt, & arbitrantur putredinem violentam esse naturalem, cum in quam violenta aliquando solum, naturalis autem semper desinat in cineres. B

Sextò differunt putredines prædictæ, quod naturalis est finis naturalis interitus; violenta verò naturalem interitum, & putredinem naturalem non tantum præcedit, sed tollit interdum, vbi scilicet temperamētum euariat ita, vt non possit in pristinum restitui; Præterea, putredinem naturalem semper sequitur corruptio naturalis, at talis corruptio non semper sequitur putredinem violentam, sed tantum vbi temperamentum euariat modo dicto.

Postremò differt naturalis putredo à violenta, quando quidem in illa calor naturalis imminuitur, in hac verò augetur, in illa humidum euocatur, in hac humidum naturale humido excrementitio inficitur. C

Verum quoniam quæ differunt, necessariò etiam conueniunt, idcircò iam expeditis differentijs, conuenientiæ harum putredinum sunt proponendæ.

Et primò, conueniunt, quia ambæ fiunt à calore ambientis, seu extraneo. Secundò, à calido humido potissimum fiunt. Tertiò, in vtraque temperies alteratur. Quartò tam in hac, quàm in illa generantur animalia. Quintò, Terminus vtriusque est cinis, in naturali quidem semper, in violenta verò non. Quibus omnibus sic se se habentibus, iam quænam ex illis duabus medica, atque febrilis sit constituenda, decernatur oportet.

Dico itaque putredinem violentam eam esse, quæ ad Medicum attinet, atque febribus putridis, tanquam propria causa accommodatur. Ducor autem in hanc sententiam non solum, quia definitio illius, quæ est Aristotelis concidit cum definitione Galeni tradita 11. Meth. capite 8. quò loci putredinem tanquam causam febrium putredarum considerantem, ac partes Medicas Galenum agentem putredinem medicam definire rationi est consentaneum; Verum etiam quia ratio ipsa, rei natura, ac experientia id maximè suadent. D

Ad primum Galeni definitionem considerare necesse est, dicit ergo putredo est mutatio totius substantiæ putrescentis ad corruptelam; in hac definitione Galenus viam, seu præuiam alterationem, terminum, atque subiectum putredinis proponit; Præuiam quidem alterationem, cum dicit esse mutationem; terminum, vbi corruptelam totius; subiectum verò, vbi substantiam putrescentem: quasi Galenus velit in putredine mutari substantiam putrescentem ad corruptelam totius, idest, ita disponi media præuia alteratione, vt amittat propriam: formam substantialem, & corrumpatur secundum

E totum, hoc enim accidit cuilibet mutationi, quæ corruptio simpliciter dicitur, modo in putredine violenta res mutatur à proprio tẽperamento, & aliquando ita vltro progreditur hæc mutatio, vt dictum fuit, vt necesse sit rem ipsam corrumpi secundum totum, & exinde amittere propriam formam; Ideo definiens cum Aristotele hanc putredinem, dicebam esse corruptionem secundum partem, idest recessum à proprio temperamento, & addebam, quod aliquando hic recessus tollit formam substantialem, ergo definitio Galeni, & Aristotelis videtur, quoad sensum in idem coincidere, nam id solum discriminis est, quod putredinem definit Galenus pro via, & termino; Aristoteles autem pro via tantum, vt de se patet.

Sed instabit aliquis, putredo violenta non semper perducit ad corruptionem, sed in magno recessu à proprio temperamento, ergo non videtur quà ratione Galenus absolutè loquutus, dixerit esse mutationem ad corruptelam. Secundò, putredo violenta F est corruptio secundùm partem, hic autem dicit Galenus totam substantiam putrescere. Ad primum dico, definitionem Galeni esse propositionem indefinitã, quæ in materia contingenti æquiualet particulari: Et si quis obstaret, quòd nunquam definitio dicitur esse in materia contingenti, sed necessaria. Respondeo, quod hoc verum est de definitione substantiarum, quæ verè definiuntur, & dato quod etiam in accidentibus verificetur, id intelligendum est de formali definitione, non autem de causali, sicuti est Galeni definitio; præterea, dici potest, quod in putredine violenta duo sunt termini ad quem successiui, vnus absque formæ deperditione, alter cum eiusdem amissione, & hic includit primum, & non è contra, ideo Galenus, vt nobis completam definitionem putredinis relinqueret, potius secundum, quam primum terminum expressit.

Ad secundam verò dubitationem dico, quod Aristoteles definiuit violentam putre G dinem pro via tantum, & ideo dixit secundum partem, at Galenus pro via, & termino, qui est totam substantiam corrumpi, quod alipuando succedit, vt sæpius dictũ fuit.

Ratio etiam ipsa, ac rei natura, vna cum experientia idem suadent, quod nimirum Medica putredo sit violenta, quoniam ea putredo febrilis, & medica censeri debet, in qua calor augetur, quoniam ex Galeno loco citato Putredo fit ex prohibito transpiratu, sub quo calor intenditur; At in putredine violenta calor augetur, in naturali remittitur, vt patet ex dictis, ergo putredo violenta est putredo medica atque febrilis.

Secundò, Medicus eam putredinem considerat, quæ duplicem habet sanationem, alterationem inquam, & euacuationem, tum naturalem, tum artificiosam, nam experientia docet in arte medica putredinem his duobus tantum modis finiri; sed putredo violenta duplicem hanc habet sanationem, naturalis verò non, ergo putredinem vio H lentam medicus considerat. Minor propositio quoad primam partem ex dictis patet; de secunda verò quamuis aliqua sit difficultas, ipsa tamen ex illis sic deduci potest. Putredo naturalis accidit mixtis post interitum naturalem, mixtaque ad cineres perducit, ergo putredo naturalis nullo modo sanatur, nam incineratio accidit ipsi mixto, cum iam interierit secundum naturam; mixto autem corrupto quis medicinæ locum dari audebit affirmare?

Tertiò, si in febribus humores putrescerent putredine naturali, & non violenta, ergo prius interirent corruptione naturali, quoniam putredo naturalis est finis naturalis interitus, at hoc falsum est, quia interitus naturalis fit, vbi calor deficit, ac ei dominantur qualitates passiuæ; Atqui in febribus humores non patiuntur hoc, sed summè tantum incalescunt, vt sæpius dictum fuit, ergo humores in febribus non putrescunt putredine naturali, sed violenta.

Quartò. Si humores in febribus putridis putrescerent naturaliter, ergo quælibet febris

febris esset mortalis, quoniam putredo naturalis naturalem supponit interitum mixti, A à quo secundum Aristotelem tanquam à priuatione impossibilis est regressus. Experientia verò docet plures febres sanari. Et si quis diceret, quod euacuato illo humore putrefacto putredine naturali, alius generatur humor bonus, vnde videmus, quod euacuatis humoribus incineratis in febribus, sanantur ægri, & humores boni regenerantur, vt non sit necesse febres reddi mortales, & insanabiles ob putredinem, quecumque illa sit. Respondeo, quod in putredine naturali hoc euenire minimè potest, quia mixto corrupto (vbi per tempus fatale suæ durationis extiterit) necessariò tollitur temperies, quæ est etiam generans humores, & ideo ij ipsi non regenerantur, quod in violenta putredine non accidit, in qua alteratur quidem temperies, sed non penitus aufertur, nec id fit post illud fatale tempus, sed quolibet tempore.

Quintò putredo naturalis semper ad cineres perducitur, quia formaliter est dissolutio humidi à sicco, at humores putrescentes non semper incinerantur, sed tantum B vbi calidum ita exarserit, vt humidum absumpserit, ergo humores in febribus non putrescunt putredine naturali.

Quorum occasione miror Mercenarium, qui Galeni definitionem expendens, vult illam esse putredinis naturalis, nã præter id quod hoc concesso putredo naturalis esset medica (quoniam rationi consentaneum videtur Galenum putredinem medicam definiuisse,) id etiam eueniret, quod Galenus abuteretur nomine putredinis, quia concederet putredinem naturalem fieri ex prohibito transpiratu, cũ de hac ibi loquatur, quod tamen est falsum, aliàs putredo naturalis fieret aucto calore. Miror etiã Massariam, qui vult definitionem illam Galeni coincidere cum definitione putredinis naturalis Aristotelis, & ob id putredinem naturalem esse medicam, nam vtrumque horum esse falsum ex dictis patet. Nec valet quod Galenus definitionem illam putredinis naturalis eiusdem Arist. non reijciat, quia ex hoc Massaria nunquam naturalem C putredinem esse medicam colligere potest.

Putredo igitur violenta est putredo medica, cuius principia quæcumque generationis iam sunt perquirenda; In quo munere obeundo, ne latum quidem vnguem ab oraculo Arist. recedam, in illis enim inueniendis à proximioribus vsque ad elementa, seu principia remotiora progrediar.

Principia igitur putrediñe violentã generantia, vel sunt perficientia, vel coadiuuantia, priora attendũtur ex parte agentium, caloris videlicet extranei, & humiditatis excrementitiæ, nã cum putredo hæc sit mutatio ad calidum, & humidũ, ac omnis mutatio fiat ab vniuoco, ergo causa agẽs perficiens necessariò duplex erit, calor inquam, & humiditas: de calore non est difficultas, est enim qualitas actiua, sed nec etiam de humiditate, quoniam hæc ipsa pænes operationem per se primam sine dubio est actiua.

Calor igitur extraneus (vt ab ipso exordiar) duplex est, aut. n. extra corpus, vt in pu- D tredine citra febrẽ, aut etiã (si sit in corpore) est tñ extra constitutionẽ naturalem substantiæ putrescentis, & eã ambit. Prior cõicatur à causa calefaciente, tum per se, tum per accidens, tũ actu, tũ potentia, vti ab aere, alimento, & medicamento corpori occurentibus. Alter verò calor extraneus magis ad nostrũ pertinens negociũ, cũ sit qualitas mutata, corporisq; affectus, & ob id symptoma, secudariũ necessariò supponit tanquã propriã, & immediatã causam aliquã actionẽ læsam. Actio aũt hæc nulla alia esse põt, nisi quæ calorem in corpore valet augere, & est contraria refrigerationi, ac tẽperationi caloris natiui, quæ sine dubio est transpiratio abolita, seu vt cõiter dicitur prohibita meatuum cutis, ac vasorum intimorum corporis, nam illius interuẽtu vapores, ac fuligines iugiter ab actione caloris natiui in humidum prodeuntes retinentur, quæ cũ sint calidę, calorẽ quẽdã extra naturæ leges in corpora gignunt, fouent, & augẽt, qui calor in humores agens à propria temperie eosdem auertit, ac ad calidũ perducit.

E Cœterum quoniam transpiratio secundum naturam fit ope facultatis expultricis, vbi proprio potitur fine, è contrario transpiratio abolita præternaturam (vt est illa, de qua agitur) frustratæ expultricis partium corporis merus partus erit; frustratur autem, tum facultate ipsa læsa, tum ob errorem externum 3. de Sympt. citatis 1. læsio facultatis nil aliud est, nisi morbus in via, & cauitate, angustia vocatus, quæ si ad perspiracula, & cutis foramina transferatur, potest esse densitas, atque obstructio; Si verò ad internos canales, & ipsa vasa, obstructio, & compressio. Densitas est, vel naturalis, vel aduentitia; Prior obseruatur in corporibus à primo semine compactioribus: Aduentitia verò à frigore tum aeris, tum aquæ frigidæ epotæ, atque à balneo aluminoso: At obstructio eorumdem meatuum, ac pororum à sordibus, necnon etiam ab humoribus crassis, & glutinosis illuc demissis oritur: demittuntur autam, quoniam ex motu, æstu, & ira excalfacti attenuantur, prægresso tamen frigore cogente. Internorum canalium obstructio fit à duplici corporis habitu præternaturali, pletorio inquam, & cacochymo: omnis enim obstructio ex Galeni, atque omnium medicorum præceptis oritur à sanguinis multitudine, vel ab humorum crassitie, atque lentore: Illa quidem ab hepate calido, & humido, alimentisque sanguineis coadiuuantibus etiam otio, ac sanguineæ euacuationis consuetæ suppressione generatur, hæc verò à iecore calidiori, & ventriculo, capiteque frigidioribus, atque alimentis similibus coadiuuantibus, crapula, ebrietate, & cæteris huiusmodi ortum habet.

Sed notandũ non quamlibet obstructionem posse putredinem, ac proinde febrem putridam excitare: sed solum eam, quæ magna est 8. Meth. 4. parua enim diariã vnius diei, mediocris verò plurimum dierum febrem parit. At de compressione illud dicendum, quòd fiat à multitudine carnis, in habitu carnoso, ab aliquo tuberculo, vel tumore, tandemque à vinculis aliquibus.

G Verum hoc in loco quærendum venit, an putredo febrilis fiat à prohibita tráspiratione. Ex vna parte asserendum videtur, putredinem nequaquam fieri à prohibito transpiratu, quod probatur cum auctoritatibus, tum experientia. Auctoritatibus quidem primũ Galeni, qui varijs in locis id visus est affirmasse, libro enim de Causis morborum cap. 2. loquens de citat. caloris, putredinem ab obstructione separat, quasi putredo fiat sine obstructione, & prohibito transpiratu, & eodem lib. cap. 8. præter prohibitam transpirationem medicamenta putrefacientia, & excrementa in corpore putredinis causas proponit: Rursus 1. de Differentijs febr. 2. & 4. ex aere inspirato putrefacto, & corrupto febrem pestilentem oriri tradit. Amplius 1. Epid. commentario 2. tex. 20. putredinem in calorem ambientis refert, nulla facta mentione prohibitæ transpirationis, quod etiam 2. de Differentijs feb. 9. de febre synocha loquens sensisse patet, dum sanguinem à calore externo aeris putrescere affirmat. Galeno adstipu-H latur Auic. cum obstructionem, vt plurimum esse causam putredinis doceat. Experientia tandem idem suadet, quoniam in dies obseruamus, carnes, & alia plura marcescere absque aliquo prohibito transpiratu, vt in gangrenis, in quibus partes marcidæ sanas inquinant.

Ex altera verò parte auctoritatibus pariter, atque rationibus facilè erit adstruere, putredinem fieri ex prohibita ventilatione, auctoritates ex 4. Meth. 3. 1. de Differentijs feb. 3. 11. Meth. 4. & 10. sectione Problematam Proble. 47. petuntur: Rationes verò sunt hæ. Et prima Oraculo Diuini senis innititur, cum dicit: Ostendit autem sanatio, nam cum putredo per obstructiones referantia prohibeatur, ac ab eo inchoandum sit in curandis febribus putridis, vt restituatur transpiratio, ex 11. Meth. cap. 4. & 10. iam vnicuique in rebus medicis, vel parum etiam versato, putredinem vna cum impedito transpiratu consistere satis perspectum erit; Adhæc, si in febribus putredo prohibitam transpirationem sibi non haberet adiunctam, iam fuligines à minera putrida

trida prodeuntes ad cor minimè peruenirent, cum ipsis euaporatio per proprios meatus haud occlusos pateret. Postremò in febribus putredo fit per caloris augmentum (vt sancitum fuit) hoc autem propriam causam supponit, quæ nulla alia potest assignari, nisi ipsamet prohibita transpiratio, ergo hæc erit omninò necessaria, vbi putredo febrilis fieri debet. A

In hac controuersia sic habendum censeo. Prohibitam transpirationem (vbicumq; hæc reperitur) esse putredinis causam, non tamen semper vbi putredo fit, prohibitam transpirationem præcessisse necessarium esse existimo, cum interdū ab alijs causis putredo possit exoriri, vti à medicamentis putrefacientibus, aere putri, atque similibus, siquidem aliquando ex causis internis, multoties ab externis ortum ducit; hinc si primo modo, semper prohibitus transpiratus est necessarius, tamquam causa agens, & persiciens ad differentiam caloris aeris, qui tamquam causa disponens concurrit; si secundo modo, fit absque prohibita transpiratione, quamquam facilius, & celerius in corporibus ventilatione destitutis succedat, primo de Differentijs feb. 4. B

Quibus ita sese habentibus, iam ni fallor liquet, putredinem nostram, tamquā eam, quæ à causa interna, nempè caloris augmento, producitur (quod prohibitum transpiratum, & obstructionem supponit) ex impedita, tantum transpiratione generari, in cuius confirmationem auctoritates, ac rationes superius adductæ possent iterum adduci; sed satis sit, quæ oppositum suadent breuiter dissoluere.

Primum igitur ad Galenum in 2. de Causis morborum secundo, dici potest, quòd distinguit putredinem ab obstructione, vel quia obstructio aliquando citra putredinem (cum fuerit remissa) febrem diariam excitat; vel quia sub putredine eam etiam, quæ à causis externis fit, cōprehendit, atque loquitur ibi Galenus de causis calefacientibus in communi, non autem de causis putredinis.

Quòd verò addidit cap. 8. nempè, putredinem fieri ab alijs causis diuersis ab obstructione, & prohibito transpiratu, dico, quantum ad medicamenta hæc tamquam causam externam inducere putredinem, hic verò de putredine ab interna causa producta sermo est institutus. C

De excrementis verò in corpore genitis ita sentio, ea videlicet ibi à Galeno recenseri, tamquam subiectum, & materiam putredinis, aut tamquam agentem causam, quæ si adhuc tamquam agentem causam constituere velis, iam hæc esse minimè poterunt, nisi quatenus obstructiones inducunt, præterquam, quòd etiam illa eadem, vt acuta, nidorosa, & fuliginosa (si retineantur) rationem caloris extranei, & proinde agentis immediatè ipsius putredinis induere possunt, ac putredinem ipsam accendere.

De loco autem 1. de Differentijs feb. ita decerno, Galenum loqui de putredine à causa externa, est enim sermo de febre pestilenti verè, & propriè, quod citra prohibitum transpiratum ex aeris putredine, & corruptione pendet, quod quidem febris genus lubens à ratione putredinis aliarum febrium secludo. D

Et locus, qui ex 1. Epid. adducebatur, parum firmus est, quia non solum ex eo colligunt aliqui, ad putredinem non esse necessariam prohibitam ventilationem: sed alij, vt Vallesius, ex eodem loco febrem à bile ferueſcente, non autem putrescente fieri autumant, & dato, quòd illud colligeretur, adhuc trifariam respondeo. Primum de febre putrida in fieri, ac humoribus ad putredinem paratis ibi Galenū esse intelligendum, qui humores cum ad putredinem disponantur per feruoré, & calorem, non immerito Galenus humores tantū incensos, & calefactos, qui sunt causa febris in fieri afferebat.

Secundò quamquam Galenus dicat febrem fieri à bile quouis modo accensa (vt ex modo loquendi illius apparet) non propterea putredinem secludit, quoniam ex libro de Causis morborum secundo, putredo inter causas calefacientes maiorem caliditatem bili impartiri, & eam accendere magis potest: Immo si diligenter locus ille

 perpen-

E perpendatur, omnes causas calefactorias Galenum recensere apparebit.

Tertiò demum respondeo, quòd ibidem sententia Galeni sic venit intelligenda, febris ardens non fit sicut tertiana ex retentione bilis tantum, sed etiam ex alijs causis calefacientibus ob summum feruorem, qui secundum Hippocratem, & Galenum, 4. Acut. 13. vna cum siti inexplebili est perpetuus comes febris ardentis.

Quantum verò ad locum ex 2. de Differentijs feb. affirmare non vererer, Galenum pariter de febre pestilenti, sed à sanguine loqui, cuius putredo à calore extraneo ex aeris statu pestilenti, ac suffocato fit; Et quamquam Galenus asseuerauerit, prius putredinem eandem ex solis deustione oriri, nulla facta mentione perspiratus, puto tamen ipsum de sanguine, prout ad putredinem paratur, esse loquutum, solet autem ad hanc parari solis, & aeris feruore; Vel concesso, quod ei si sermo de sanguine iã putrescente, tunc prohibiti transpiratus non meminit tanquam necessarij, atque noti: sed bene F deustionis à sole factæ mentionem fecit, quoniam in febre sinocha (vt etiam superius de ardente dicebatur) saltem copiosus, & multus calor obseruatur, meritò cuius ex 2. de Differentijs feb. 2. ardens dicitur.

Ad Auicennam verò sic responderem, putredinem, vt plurimum, fieri ab obstructione, quoniam datur putredo, quæ fit à causa externa, quam vt exciperet, hoc modo loquutus fuit.

De experimentis autem adductis ferè eodem modo statuendum arbitror, nempè carnem, ac alia quam plura putrescere à causa externa, & ex contactu; Interim verò ad putredinem eam febrilem respicimus, à qua fuligines in ipsum cor feruntur, & calor augetur, quæ non contingerent, nisi putredo fieret à prohibito transpiratu.

Sed iam tempestiuũ est, vt error externus abolitæ transpirationis causa, in medium adducatur, quem nullum alium esse existimo, nisi vitium fuliginum secũdum copiam, G & qualitatẽ, quia enim copiosiores existunt, quàm deceat, crassiores, quàm conueniat, & viscidiores, quam par sit, ea propter non expelluntur, & corpus non transpirat, tales autem fuligines ex habitu plethorico, & cacochymo, atque à calore copioso, & acri suum ortum habent; Hæcque de causa calefaciente.

Subsequitur modò humectans, quæ est mixtum humidum excrementitiũ genitum, collectum, & retentum, genitum ob causam tum augentem, tum materialem. Agens est innatus calor languidus, atque frigida intemperantia partium coctioni destinatarum, materia verò est alimentum quodcunque humidum, & plurimo excremẽto refertum; Collectum ex causis pariter colligentibus, quæ in vitia partium excretioni excrementorum inseruientium referuntur; Retẽtum postremò ob errorem facultatis expultricis, quæ excrementa ad loca decentia non expellit, quod illi accidit, vel propter intemperiem summam, præcipuè verò frigidam, vel propter angustiam vasorum, & per-H spiraculorum corporis, vel quia obiectum ei oblatum ad expellendum nimis est crassum, viscidum, ac ob id improportionatum.

Superest modò, vt de causis putredinem adiuuantibus agam, quæ ex parte non solum agentis, verum, & passi petuntur. Ex parte agentis sunt omnia illa, quæ ad putredinem præparant humores, non tantum in sui ortu; sed etiã post. In suo ortu primaria, vel secundaria ratione, Primaria quidem ab alimentis, & primũ à cibo variato secundum Auicennam ratione substantiæ, qualitatis, quãtitatis, opportunitatis, ordinis, atq; præparationis; Ratione substantiæ totius, vel non totius; Si totius id bifariam accidit: aut quia cibus à tota substantia ad humores prauos, & putridos in corpore gignendos sit aptus, cuius census sunt pisces, carnes, & quamplura alia, quæ tametsi propria natura sint bona, nihilominus praua ob putredinem quandam euadunt, vti triticũ, hordeũ, ac omnes aliæ fruges, quæ rationem habent alimenti, item oua antiqua, horum n. aliqua statim in primo ortu, aliqua per malam repositionem, aliqua demum ob temporis diutur-

diuturnitatem qualitatem quandam putredinalem acquirunt, & semiputria reddun- A
tur, Aut secundò, idem cibus à tota substantia malos humores producit, hinc in beni-
gnam naturam conuerti non est aptus, vti sunt fungi ex Galeno 3. de Naturalibus fa-
cultatibus cap. 3. & 7. Simpl. cap. vltimo; Cum etenim frigidæ, humidæ, ac prauæ
sint conditionis, gratiam naturæ consequi nequeunt.

Quòd si cibus ratione substantiæ non quidem totius disponat humores ad putredi-
nem, id pariter dupliciter contingere potest, vel quia ex propria natura facile in ven-
triculo corrumpitur, vt Lac 10. Simp. cap. proprio (propter quam causam 7. Meth.
4. lacti mel Galenus admiscet) vti sunt Melones, Cerasa, Mora, & reliqua huiusmo-
di; Vel quia humores crassos gignit, cuius census sunt Anguillæ, castaneæ, portulaca,
meritò quorum non solum fiunt obstructiones, verum etiam, & humores ipsi humido
excrementitio inficiuntur.

Qualitas etiam cibi humidior ad idem facit, nam sanguinem valdè aquosum, & ob B
id ad putrediné maximè pronum efficit. Præterea, & quantitas, tũ simpliciter, & abso-
lutè, tum respectu virium hominis considerata hũc referẽda, non solũ qua præbet ob-
structionibus occasionem, verũ etiam qua copiosa generat excrementa, quæ cum à na-
tura regi minimè possint, accedente actione caloris extranei, facilè putrescunt; Quod
etiam eisdem accidit ratione opportunitatis, & temporis assumendi cibum; nulla si
quidem maior occasio gignendi prauos succos in corpore humano suscitatur in dies,
quam ea, quæ pendet ab assumptione noui cibi priore non concocto.

An verò per coctionẽ interim prima tantũ sit intelligẽda, an triplex illa, quę in cor
pore animantis celebratur, non est præsentis speculationis. Dicam tamen id rei natu-
ram, atq; euidentiam suadere, (quicquid alij dicant) citra noxam cibum denuò prima
tantum celebrata coctione ingeri posse, quòd aliquibus septem, aliquibus nouẽ horis
accidit. Neq; contra hoc facit Hippocratis sententia 3. Acut. 34. vbi Oximel celebra- C
tis tantum coctionibus dandum esse iubet, aliter labor, ac erosio in ventriculo induci-
tur, quoniam id non ad alimentum, sed ad medicamentum (vt constat) refertur.

Vtcumque tamen omni studio curandum est, vt coctiones hæ bene & cõmodè pro-
cedant; Id autẽ assequi licebit, si ei, quæ fit in ventriculo, adijciatur somnus, & quies; si
illi, quæ in hepate, adiungatur primum quies, deinde vicissim leuissimus motus; Tertia
verò coctio (quoniam fit præcedente digestione, & distributione) dubio procul motu,
ac exercitio iuuanda; quæ omnia ab Hippocrate 6. Epid. Commentario 4. circa me-
dium scribuntur.

Postremò ordo conueniens (vbi cibus diuersæ naturæ ingeritur) si non seruetur,
occasionem putredini præstat, vti quando quæcumque crassiora, ac difficilis coctionis
prius, deindè subtilia, & facilioris deuorantur. Circa quem ordinem scio etiam cla-
rissimos Medicos esse discordes, & aliquos rem hanc decernere per id, quod subtilio- D
ra prius in ægris, in sanis verò è contra sunt assumenda, & cibus medicinalis in ven-
triculi fundum primum est recipiendus, deinde qui alimentalis.

Ego verò sum ex illis, qui existimant, ordinem hũc parum conferre, quia, vt dicebat
Galenus lib. de Sympto. Differentijs in vẽtriculo cibariorum ingestorum mixtio fit,
quæ cũ supponat diuisionem, & contritionem miscibilium ad minimas partes, non vi-
deo qua ratione ordo iam dictus debeat multum conferre, nisi dixerim, quod calor, &
facultas ipsa concoctrix, vbi cibariorum alterationem aggreditur, si subtilioris, & faci
lioris coctionis post assumantur cibaria, hęc veluti supernatantia calorem natiuũ sub-
terfugiunt at proindè putrescunt; Quod periculum, vt deuitetur, imperandum, vt ho
mines tum sani, tum ægri subtiliora, ac faciliora præassumant, aut saltem æquè facilia,
& subtilia, vel crassa, & difficilia deuorent, quod potissimum in his, qui ex huiusmodi
ordine non seruato sibi labem compararunt, obseruare licebit.

Præpa-

E Præparatio tandem cibi humores ad putredinem perducit, vt si coquantur pisces cum butyro, si vna cum lacte oua, & aromata misceantur, facilè fit, vt hæc postmodum corrumpantur, & putrescant.

Sed præter cibum potus quoque maximè potest ad humores putrefaciendos, potus inquam nimius, ac vitiosus, siue fuerit vini, siue aquæ in proprio temperamento alteratorum, ac semicorruptorum.

Verum, & causæ coadiuuantes ex parte agentis secundaria ratione ad putredinem conducentes occurunt, quæ sunt aer, motus corporis, ac animi; Aer si quidē pluuiosus, nebulosus, paludosus, & non perflatus, quo refertur constitutio austrina, regio calida, atque humida 9. Math. 4. quæ quanto humidior, & calidior, eo quoque efficacior; Atque hæc duo postrema, sicuti medijs calore, ac humiditate putredinem iuuare possunt, ita aer prædictis modis euariatus non interuentu caloris, sed vaporum, potest F sic corpora nostra alterare, vt putredo, vel facili negocio suscitetur; Motus autem corporis, & animi intempestiuus, & immoderatus calefaciendo, agitando, & statum coctionis peruertendo, non paruum ad idem conducit.

Ex parte agenti occurunt causæ disponentes ad putredinem ipsos humores in corpore post sui generationem, in quarum serie reponuntur omnia illa, quæ humores prædictos in aliquo loco præternaturam retinent; ratio enim suadet, humores hosce non regi à natura, & proinde putridos fieri; sunt autem hæc aer frigidior, alimenta adstringentia, alui stipticitas, & quies immodica.

Sed, & passi habilitas, promptitudoque huc referatur oportet, passum autem, hoc est humor putredini obnoxius, qui considerari hoc in loco potest, vt est mixtum, & vt est in corpore humano tanquam illius pars essentialis. Si primo modo, iam occurrit temperamentum illius, quod duplex esse potest, naturale inquam, & aduentitium. Me-G ritò naturalis (quod tale potestate tantum existit) humores, qui sunt, vel calidi, vel humidi, vel calidi, & humidi simul, maximè ad putredinem sunt habiles; Ideo sanguis putredini proximior est, citiusque, & facilius putrescit, quia calidus, & humidus, cui ob calorem succedit bilis, mox pituita, ratione humiditatis, vltimo melancholia, quoniam frigida, & sicca. Nec obstat bilem, quæ elemento ignis respondet non posse putrescere, quoniam, vt dictum est, omnia putrescunt excepto igne, nam, etsi igni aliquo modo respendeat ob simile temperamentum, tamen est discrimem nam temperamentum ignis non potest intendi, nil enim datur calidius, & siccius igne, at aliquid magis tale ipsa bile datur, & ob id putredini subiacet. Nec obstat pariter, quod melancholia nullam habeat symboleitatem cum causis effectricibus putredinis; quoniam ob præuiam alterationem ab ijsdem inductam tandem habilis ad putredinem (quamuis tardius, & difficilius) redditur, nam causam insignis actiuitatis subesse est H necessarium.

Cœterum hoc in loco quærendum venit, an humores possint citra putredinem excitare febrem, & si non, quomodo fieri possit, quod vnus tantum humor alijs remanentibus intactis putrescat, cum tamen omnes sint simul mixti.

De primo statuo numquā humorē aliquem, etiā si calidior sit, sine putredine posse febrem accendere, & ducor in hanc sententiā, propter Galeni auctoritatem 2. de Differentijs feb. 3. & propter rationem, supposito prius, id quod febrem parit, copiosum, & calidum esse debere; Calidum quidem, quoniam tum in substantijs, tum in accidentibus quod fit, ab vniuoco fit; Copiosum, quia febris est calor maior moderato, ergo fit à maiori virtute, at maior virtus est in quāto copiosiori, ꝙ igitur febrē inducit, debet esse Copiosū, quare necesse est humores febrē excitare, aut quia calidos, aut quia copiosos, at calidi ferè omnes ob putredinē febrē accendunt, ergo febris humoralis necessariò fit ab humoribus putrescētibus. Attecedēs huius postremæ rationis cū

Galeno

Galeno 2. de Differ. feb. 5. per omnes humores discurrẽdo sic declaratur; Nã si frigidos humores respicio, certum est, ipsos febrem non excitare, nisi calorem, qui actiones incommodet nanciscantur, at hoc non patiuntur, nisi putredinis interuentu, ergo humores frigidi si non putridi, febrem non accedunt. Etsi ad sanguinem animum conuerto, dico, quod quamquam hic ipse non putrefactus febrem sinocham sine putredine diariam dictam indicat, quod illi accidit, quia propria natura est calidus, ac alijs succis copiosior, tamen, vt etiam alias ex Galeno demonstrabo, putrefactus sinocham putridam producit. Postremo bilis, quamuis sit calida, cum tamen in corpore non adeò redundet, vt sine putredine possit febrem accendere, necessaria erit eiusdem putredo, vbi febrem debet excitare; Quinimmo etiam si copiosior, vt in morbo Arquato, febrem non inducit, quia non putrescit, vt iure meritò affectus ille ferè semper à febre immunis deprendatur. A

Atqui huic sentẽtiæ Galenus obstare videtur 4. Aph. 58. dicens ardentẽ febrẽ fieri à bile non putrescente; Idem et visus est voluisse 1. Epid. superius citato, dum affirmauit febres ardentes excitari, cũ humores biliosi quouis modo, & quauis causa accendũtur. B

Vallesius quoque 5. lib. Controu. 19. credidit fieri tertianam exquisitam à flaua bile vsta citra putredinem, quod primũ ex vomitibus bilis tenuioris, studioris, ac minimè fetentis, confirmat, secundo ex Gal. 10. Meth. 5. vbi dicit febrem ex succo excalfacto, & attenuato, maximè conducturum, si alimentum humidum offeratur, quod noxium esset, si febriret ob putredinem, quæ sicca postulat. Et si quis illi obijceret, Galenũ febrem omnem in humoribus accensam (sinocha excepta ex sanguine excalefacto, atque etiam tertiana exquisita) putridã vocare, ipse respondet Galenum ad id, quod vt plurimum accidit respexisse: cum igitur raro febris fiat ex humore non putri, ideo istius, & præcipuè quoad nomen, nullam habuit rationem; quinimmo addit vir hic, quæ à bile vsta oriuntur febres, sub putridis comprehendi, quoniam ex 2. Simpl. 14. habetur, quæ putrescunt, & vruntur, penes symptomata maximè similia esse. C

Sed Vallesius hac in re ob auctoritatem, & rationem superius adductam valdè lapsus est, neque illius fundamenta sunt alicuius valoris, nam quantum ad vomitũ, si ipse habuit experientiã illam, humores videlicet excretos non fætere, dicerẽ me experientiã contrariã habuisse; Vel ipsius etiam data experientia, non est necesse semper sentiri fætorem, sæpius enim cibus admiscetur, vel alius succus, qui fætorẽ reprimit; præterquã quod pluries occurrit, quòd humores excreti per vomitum non sunt febris causa continens, sed antecedens, & ob id à putredine immunes; Et dato etiam quòd sint putridi, eos non semper talis putredo depascitur, quæ prauum odorem emittat.

Ad Galenum verò 10. Meth. dico, quòd ibi loquitur de febribus diarijs in naturis calidis, & siccis, quibus prohibebat inediam, ne fieret in putridam transitus. Nec obstat, quòd videatur loqui de febre orta ab humoris calefacti acrimonia, quoniam in omni febre non solum adest, quod superincaluit (vt in illa spiritus) à quo specificatur febris: sed etiam quod superincalescit (vt in eadem humores, ac solida) libro de inæquali intemperie c. 8. Vel dicendum, Galenum eo loci loqui de diaria in via ad putridam, hinc potuit meminisse humoris excalfacti sine putredine, cum adhuc putredo non irrepserit in humores; Diaria autem illa tendebat ad putridam, quoniam humor excalfactus, & attenuatus facilè à calore extraneo alteratur, & in putredinem degenerat. Vel adhuc dico, Galenum ibi de præseruatione naturarum calidarum, & siccarum verba facere, cum autem præseruatio solum ad morbum in fieri pertineat, & febris putrida penes fieri pendeat solum ab humoribus excalefactis, iure proposuit alimentum humidum, vt propterea ex illo loco haud colligatur febrem putridã fieri sine humorum putredine. Quare puto ego, vt infra demonstrabo, putredinem esse causam immediatam, & adæquatam febris putridæ, ea tamen ratione, vt D

ne, vt

E ne, vt sinoca diaria, quælibet alia febris humoralis fiens, ab hoc loco excipiatur.

Ad Galenum autem 4. Aphoris. dico, ibi non esse sermonem de causa immediata, & adæquata febris ardentis, sed de mediata, ac remota, quæ cum multiplex esse possit recenset ibidem Galenus sanguinis ichorem ex iecore à venis ob ambiens excalfactis, attractum, quod febrem non in facto, sed in fieri circumscribit. Quid autem sit dicendum ad 1. Epid. ex supradictis non est difficilè intelligere.

De secunda verò dubitatione ita sentiendum humorem vnum, etiam si cum alijs sit admixtus, putredinem nancisci alijs non putrescentibus, quia humor ille habet talem analogiam ad causam putredinalem, vt simul concurrat efficacia agentis, & habilitas passi, quod est dispositum alterari à tali causa, cui cæteri humores sunt rebelles.

Rediens autem ad principaliter institutum iam & penes temperamentum aduentitium omnibus quattuor humoribus commune, quod est calidum, & humidum actu, F dico eosdem ad putredinem maximè habiles esse, vt de se patet.

Sunt quidem calidi actu, quia de his, prout sunt in corpore viuenti, est sermo; sunt pariter humidi actu, quoniam ex Auicenna sunt corpus liquidum, & fluidum, & hæc est causa, propter quam bilis etiam si sicca sit potestate, putrescat humida enim existit actu. Verum si humores non vt mixtum quoddam, sed vt pars corporis humani veniant in medium, possunt dupliciter considerari, vel ratione corporis, vel ratione loci, Primo modo quidem qua ob temperamentum totius, ætatem, & habitum corporis, atque sexum magis, vel minus ad putredinem præparantur. Ob temperamentum potissimum calidum, & humidum vna cum habitu carnoso.

Sed contra id est Galenus 8. Meth. 7. & 8. scribens corpora calida, & sicca, maximè obnoxia esse febri, & ob id putredini, deindè calida, & humida. Quæ difficultas ex eo dissoluitur, quod ibi sermo sit de febre ephemera, quam primum incurrunt cor- G pora calida, & sicca.

Ob ætatem etiam fit talis ad putredinem apparatus, nempè ob adolescentiam, quæ est ætas calida, & humida; cui subsequitur iuuentus ratione caloris; tertio est senectus primigradus, quia sub ea propter caloris languorem multæ humiditates excrementitiæ coaceruantur.

Si ad sexum respicio, viri primum ratione caloris, deinde fœminæ ratione humiditatis solent putredinem incurrere.

Postremo occurrit locus determinatus putredinis in corpore, calidus inquam, & humidus, qui tantum potest pro humorum putredine, vt forsitam omnibus alijs causis sit præferendus; Hinc non est mirum, si in ore, & partibus genitalibus ex 6. de Med. loc. humores facilè putrescant, vt liceat etiam statim prima die deuenire ad maximè siccantia, ad oleum sulphuris, & similia, pro sanandis hisce partibus. Atque hæc H erant illa omnia, quæ ad ipsius putredinis essentiam attinebant. Superest modo, vt ad eiusdem existentiam accedam.

Cum igitur putredo fuerit extra proprias causas, & in loco determinato corporis humani extiterit, ipsum lædet, ac effectus varios potissimum verò febrem (nam de febrili interim loquor) tamquam causa morbifica producet.

Verum quoniam causarum non vna, sed multiplex est ratio, pluresque ac diuersi sunt loci in corpore humano, idcirco duo præsertim ad existentiam putredinis attinentia explicanda suscipio. Primum, sub quonam genere causæ putredo febrem accendat; Alterum quis nam sit locus determinatus eiusdem in febribus.

Circa primum, cum plures ac varij sint modi causarum ex medicorum sententia, ij prius sunt mihi distinguendi. Causæ ergo, vel ab agente petuntur, vel à passo, vt colligitur ex Galeno varijs in locis, sed potissimum in subcitatis.

Si ab agente ex lib. de Differentijs Sympto. c. 1. circa medium sunt, vel perficientes,

ficientes, vel coadiuuantes, perficientes internæ, externæ, internæ, vel antecedentes, A quarũ meminit Gal. 1. Meth. cap. 8. vel coniunctę seu continentes, de quibus loquutus est Gal. 2. Apo. 3. 1. de causis puls. 1. & contra Iulianum 6. & 11. Externarum verò mentionem fecit 8. Metho. citato.

Adiuuantes sunt quæcumque perficientes in actione iuuant, potissimum autem quæ illas impellunt, & induunt rationem causæ, sine qua non, lib. de Differentijs Sympto. cit.

Causæ etiã desumuntur ex parte passi sicut videre est apud Galenum loquenté de corporib⁹ ad febres dispositis 8. Meth. 7. & 8. 3. Apho. 16. & apud Principé 1. Quarti.

Cœterum modi, atque rationes hæ aliquo superindigent examine; Idcirco per causam antecedentem intelligere oportet causam remotam, & mediatam per se, sed non primam, atque etiam causam potentia, ita vt non sit necessarium ea posita, & ablata, poni, & aufferri effectum. B

Atqui per continentem causam proximam, & immediatam actu, per se primam, seu totalem, & adęquatam, intelligere necesse est, quando ad illius positionem, & ablationem, ponatur, & auferatur effectus, quod lib. Definitionum mendicarum traditur. Quocirca obiter noto, causam hanc non solum continentem, verum, & coniunctam dici debere, cum effectum cum omnibus alijs causis in se contineat, ab effectu non separetur; vt pateat eos maximè decipi, qui in eam deuenere dementiam, vt existimarint causam continentem a coniuncta differre; nam præter rationem adductam contra hos est Galeni auctoritas 1. de Causis Sympto. 5.

Et si quis ex eodem Galeno probare niteretur, causam hanc non dari, quoniam 1. Meth. cap. 8. causam primitiuam, atque antecedentem tantũ recenset; & lib de Causis procatarcitis, atque lib. de Causis morborum 3. causam coniunctam expresse negat, quod si adhuc ratione comprobaret, quia omnis morbus est de genere permanentium C & nullum permanens habet causam coniunctam.

Responderem ex ipsomet Galeno, morborum alios esse factos, alios verò fientes, vt ludus, & certamen; Morbi facti sunt, qui recedente causa permanent in corpore, & actiones vitiant: Fientes verò ratione partis in fieri fouentur a causa, ratione partis iam factæ permanent, & actiones incommodant, fiunt tamen successiuè per fouentem causam, quæ & ipsa suum esse habet in fieri; Quo constituto, loca Galeni, necnon ratio adducta, vera sunt de morbo facto, non autem fiente.

Redeo autem ad propositum, & dico per causam externam esse intelligendam primitiuam, communiter dictam a Græcis procatarticam, quæ cum vel necessario occurrat, & ad seriem non naturalium referter, vel non necessariò, & ad quecumque alia externa pertinet; per causam primitiuam, præsertim causam primo modo dictam intelligere oportet. Quid autem sit causa ex parte passi petita, non est difficile captu, D quoniam si causa agens in passum dispositum agit, ergo per causam hanc ex parte passi, nil aliud, quam, promptitudo, & habilitas illius ad patiendum denotatur.

Cum itaque tot sint causarum modi, putredinem febris putridæ causam continentem, seu coniunctam, adequatam constituto, putredinem inquam, de qua interim est sermo; Nam febris putrida est de genere entium, quæ successiuum, non autem permanens esse habent, ergo necessariò cusam habent continuo fouentem, quæ ei fieri, & factum præbet, & hæc nulla alia esse potest, nisi putredo, qua posita, & ablata, ponitur, & aufertur febris putrida, vt numquam ab inuicem separentur, ergo putredo verè est causa continens febris putridæ.

Sed vt tandem quod principaliter intenditur appareat. Quisnam scilicet sit putredinis locus in febribus putridis intermittentibus in omnibus vniuersaliter id prius erit quærendum; Quædam tamen more Geometrico, tunc de loco, tum

E tum de febre putrida sunt præaccipienda. De loco quidem dico, & primum nunc de eo, in quo materia putrescit (non autem ad putredinem paratur) & in quo primum calor accenditur, esse sermonem, nam præter id quod febris putrida tunc tantum proprium esse acquirit, vbi materia putrescit in aliquo loco determinato, habet etiam inchoationem ab aliqua corporis parte determinata, talis autem est, in qua calor primum suscitatur, sic enim febris principium a Gal. 1. de Diffe. feb. vlt. circumscibitur, qui calor accensus, sicuti cordi communicatus, & a corde per totum diffusus actiones incommodans febris ab igne Piretos dicitur, ita & putredinis locus febris dicendus est, tametsi in diaria ex ira, & timore, itemque in pestilenti aliqua cor sit focus febris.

Secundò præaccipiendum, eundem locum quandoque esse focum febris, & materiam putredini simul suppeditare (siue locus fuerit vna corporis particula, siue quid F aliud maius) quandoque verò esse focum tantum, & aliundè materiam putredinis recipere, quod inferius demonstrabitur.

De febre verò hæc præassumenda; primum de putrida per se, non autem per accidens, tamquam ea, quæ inflamationes sequitur nos interim verba facere.

Secundò præassumendum, febrium putridarum, alias esse putridas simpliciter, alias pestilentes, & veneficas. Putridæ autem simpliciter sunt tum continuæ, tum intermittentes, & continuæ, vel continentes, quæ immunes a periodo vnica accessione ad finem vsque continentur, vel proportionatæ, quæ cum accessionibus progrediuntur ea tamen ratione, vt proportionem aliquam tertianam, quotidianam, & quartanam seruent. At continentium 9. Meth. 4. 2. de De differentijs feb. 2. tres sunt gradus, quia vel increscendo, vel decrescendo, vel æqualiter incedendo procedunt. Priores epacmasticæ dicuntur, increscunt verò, quoniam plus est quod contrahitur, quam quod G exhalat; Decrescentes sunt quæ paracmasticæ vocantur, & in his plus est quod exhalat, quam id, quod contrahitur; Atquæ æqualiter incedunt Omotonas dicunt, & in his putredo æqualiter ꝓcedit, vt tantũ sit, quod resoluitur, quantũ, quod regeneratur.

Pariter proportionatæ, vel quotidiè accessiones habent, vt traditur 2. de Differentijs febr. citato, nomineque careant, æmulantur tamen duas tertianas, & fiunt a materia aut copiosa, aut propulsa a duplici fomite; Vel alternis diebus exacerbantur, & Triteophies vocantur, oriunturque a materia aut pauciori, aut suppediata ex vno tantum fomite.

Verum intermittentes sunt cum interuallo, aut citra interuallum, quæ non sunt continuæ, quia non habent eas dotes, quæ spectant ad continuas, continuo tamen affligũt, & sunt, quæ vulgo febres cum paroxismorum subingressu nuncupantur.

Postremo mihi supponendum, febres sine periodis fieri absque flusione, & motu H materiæ, nam materia retenta in loco putredinis, ibidemq; contaminata, suboriuntur.

At febres cum periodis si fuerint continuæ proportionatæ, fiunt cum motu, ac materiæ fluxu, aliàs non haberent exacerbationes. Sed si intermittentes fuerint, quandoque cum fluxione, quandoque sine materia scilicet genita in aliqua parte, & ibi detenta; Quare in continente, ac intermittente sine motu idem locus est putredinis focus, & putredini materiam suppediat; In proportionatis verò, & intermittentibus cum fluxione vnus est putredinis focus, ad quem fluxio terminatur, & alter suppeditat materiam, à quo scilicet exorditur fluxio. Verum hæc facilius perspecta reddentur, si causa, cur putrida febris inuadat, perquiratur.

Galenus 2. de Febrium Differentiss vl. dicebat; si febris fuerit continens, & sine periodis ob vitium totius corporis inuadit, qua scilicet humores vitiati sunt, vel in toto genere venoso, vel in plurimo, eoque ipso maximo, & principali inter alas nimirum, & inguina, quod etiam 10. Meth. 6. & 11. eiusdem 4. & 7. capitibus, atque 9.

eiusdem

eiusdem 4. & 7. capitibus, atque 9. eiusdem 5. tradidit expresse Galenus. Quod si febris fuerit periodica, habens accessiones (sub qua, & continua proportionata, & intermittens continentur) ob vitium alicuius partis determinatæ, puta iecoris, ventriculi, & lienis inuadit, sic enim primo ad GLauconem tertianam fieri vitio iecoris, quotidianam ventriculi, quartanam lienis tradebat idemmet Galenus.

A

Quapropter si periodica febris fiat cum motu, & materiæ fluxu, vti continua proportionata, & aliqua ex intermittentibus, duplex pars vitiata occurrit, prout vna erit terminus a quo, altera ad quem, necessarij in omni motu. Si igitur fiat fluxio per transmissionem, est pars mittens, est & suscipiens, vtraque tamen non inculpata, nam mittens, quamquam sit suscipiente robustior, quia ad hanc à copia, & qualitate materiæ irrata expellat, est tamen alia ratione morbosa, quia videlicet imbecillis reddita, excrementa gignit: quia aut non bene conficit alimentum, aut alia ratione. Sed & pars suscipiens vitiata dicitur, prout debilior existit parte mittente, vel a natura, quia ignobilior sit, quatenus laxa, & rara, vel ex accidenti, ob intemperiem frigidam, & humidam ex tempore contractam, hæc igitur pars àc affecta, excrementa, atque succos morbificos a parte mittente recipit, & hac ratione febris inuadit, quoniam est dare partem, quæ quamquam sit robusta, & bene affecta, quatenus expellit, est tamen morbosa, vt excrementa gignit; est assignare partem, quæ succos expulsos ob sui languorem, & vitium suscipit. Prior autem pars est, veluti cerebrum, iecur, lien, & ventriculus. posterior patet ex dictis, sed melius ex dicendis innotescet.

B

Cœterum hoc in loco notare oportet, partem suscipientem aliquando, & si non suscipiat excrementa) ob labem tamen, & inquinamentum contractum, esse causam, vt febris accendatur, concitata putredine in succis, quibus pars illa scatet, & hoc mihi ipsi non somniaui, sed accepi a Galeno 2. de Differentijs feb. vlt.

Quòd si fluxio per attractionem fiat, duplex pariter pars vitiata occurrit, attrahens, & a qua fit attractio, illa morbosa est, qua vel dolens, vel calida præter naturā attrahit, hæc verò qua intemperata varia generat excrementa, vt iecur iusto feruidius bilem, cerebrum frigidum pituitam gignit, & sic de cæteris.

C

Tandem si febris periodica fiat sine motu, quod solum in intermittentibus aliquibus habet locum, vt dictum est, tunc febris inuasio fit tantum ob vitium vnius partis, quæ est putredinis focus, & simul illi materiam supoeditat, nam vna, & eadem pars dupliciter præter naturam affecta secundum generationem inquam, & expulsionem, sicuti generat excrementa, ita ea non expellit, vnde hęc ipsa in parte illa præter naturę institutum detenta, ab eadem non reguntur, proinde putrescunt, & absque motione materiæ febrem accendunt. Hæc autem pars, vt plurimum iecur, ac ventriculus esse solet, quorum viscerum functiones vitiantur, non tantum læsa facultate, sed & ob errorem externum; læsa quidem facultate generatrice ob aliquam intemperiem, expultrice ob intemperiem frigidam, & morbum in via, nempe vasorum angustiam; Ob errorem autem externum generatio vitiatur, quia facultati generatrici offertur sanguinis, & alimentum vitiosum; Item & expulsio ob humorem crassum, lentum, atque copiosum, ob quem genita excrementa detinentur.

D

Et si quis quæreret. Si pars non generauerit excrementa, sed aliundè ea receperit, quæ postea non eiecerit, putredineque suborta febris inuaserit, an illa eadem pars sit putredinis locus, & materiam suppeditet absque motu.

Dico quod sic, quia tametsi per motum antea fuerint excrementa collecta (fuerunt etenim vel transmissa, vel attracta) non tamen occasione inuasionis febris mota fuere, ac ea instante fluxerunt, sed præextiterunt.

At rursus quis instabit, semper supponitur partis mittentis, & generantis vitium, ita vt non vna, sed duplex pars sit vitiata, & infecta.

Respon-

E Respondeo primum, quod pars mittens ab illis excrementis exonerata fuit sanitati restituta ope naturæ, vel artis. Dico secundo. Quòd pars mittens, vt sana potest demandare excrementa naturalia ad partem illorum susceptioni destinatam, quò deducta, si non bene, & secundum naturæ leges regulentur, possunt morbifica euadere, vt hac ratione quandoque febris respectu vnius tantum partis vitiatæ inuadere possit quod exemplo declaratur.

Sit lien imbecillior omnibus alijs partibus, atque in illo collecta sit materia morbifica, certum est, quod si meritò illius febris accendatur, nulla motio, ac transmissio fiet, nam sequeretur, imbeciliorem partem ad rubistiorem transmittere, quod tamen falsissimum est.

Ex quibus omnibus apparet aliquas febres cum motu fieri, alias absque motu, & in aliquibus alium esse putredinis locum, alium putredini materiam suppeditare; In F aliquibus verò vnum, & eundem esse locum, qui hæc duo præstat.

His itaque sic iactis fundamentis, iam non erit difficilè quis nam sit locus putredinis in omnibus febribus putridis, astruere, quod tametsi apud omnes admodum sit controuersum, ita tamen sic decernendum existimo, in mentem prius reuocato, nunc de febre per se, ac morbo institutum esse sermonem, quæ febris cum sit passio per se omnium venarum, ideo locus putredinis in omnibus febribus putridis, non modo inquam continuis, verum intermittentibus erit genus venosum, sub quo & Arterias complector. Atque hæc omnia luculentissimo Galeni testimonio in 1. de Crisibus c. 7. ad calcem confirmantur. Et quamquam Galenus eo loci expresè non asserat febrem esse passionem per se, & inseparabilem, nihilominus id ex modo loquendi eiusdem colligitur, nam statuit in omnibus putrididis febribus ad vrinas præcipuè attendendum esse, quoniam febres sunt venarum passiones, quæ nisi essent per se, & G inseparabiles, vrinis præcipuè insistendum esse non dixisset, vrinæ enim primò, & per se venarum affectiones demonstrant.

Vt propterea hoc in loco missa facienda sit opinio Augenij nuper edita, qui vult ea ratione febrem esse affectionem venosi generis, quoniam in omnibus febribus semper venæ, & arteriæ per vniuersum corpus caliditatem febrilem deferunt.

verum & rationibus propriam sententiam tamquam veritati, & Galeno cosonam comprobare non desistam: quia nisi febres essent venarum passiones per se, iam aut alicuius partis extra venas, aut habitus totius passiones esse oporteret, quo dato, non amplius febres, sed aliquod aliud malum a febre diuersum existerent, quoniam vt vnicuique in re medica versato cognitum est, partes extra venas, & habitus totius habent proprias affectiones toto cœlo a febribus discrepantes; Et quamuis febres morbus totius dicantur, hoc intelligendum per participationem, & non secundum H propriam originem, quando quidem sic ad venas non ad totum attinent, ita vt febres venarum effectiuè, totiùs verò formaliter sint passiones.

Præterea, ex Gal. 1. de Differ. feb. 5. febris putrida fit, qnia cordi communicatur vapor quidam veluti fumus, cordi autem per venas præcipuæ fit talis communicatio, quia eidem sunt continuæ, ergo in venis fomes febris existit.

Ad hæc, omnis febris putrida supponit obstructionem, vt ostendit sanatio, obstructio verò est morbus, præsertim venarum, ergo febres in venis fouentur.

Amplius, vbi fit humorum putrescentium coctio, ibi fit quoq; putredo, nam humor putrescens coquitur; Atqui in omnibus febribus putridis in venis fit humorum putrescentium coctio, quia à vasis fit alteratio, ex 1. de Differentius feb. 1. Indicio sunt vrinæ, quæ coctionem, & cruditatem in febribus per se præseferunt, vt iure a Gal. 1. de Crisibus citato dictum fuerit, in omnibus febribus per se potissimum ad vrinas esse attendendum, ergo in febribus omnibus per se humores in venis putrescunt; Quod

etiam

etiam & quibusdam alijs rationibus infra de febris intermittentis foco adducendis, magis confirmabitur. A

Sed contra interim obstat Alex. lib. 12. cap. 2. quòd in venis humores potius comburantur, quàm putrescant, quia si putrescerent cum in omni putredine animalia generentur, ergo in venis etiam animalia fierent, atque sic per vrinas excernerētur, quod tamen non obseruatur.

Respondeo, aut quod vermes non generantur, quia in venis nō fit insignis putredo, quæ ad vermium generationem requiritur, animali. n. superstite, quomodo talis putredo fieri possit, non apparet, vt non sit mirum si sanguis ex venis detractus non fæteat; nam vigente coctione non fit fætor in abscessibus, ergo multo minus in venis.

Aut respondendum, si putredo aliquando vigeat, vt humores etiam feteant, sicuti in vrinis, sudoribus, & habitu corporis obseruatur in dies, tunc animalia non fieri, quoniam putredo hæc in venis repentè fit, ita, vt nisi à corpore educatur, ad cineres deueniat; At animalia generantur in putredine, quæ sensim fit, & antequam ad incinerationem perducatur. B

Quibus & illud accedit, quod tametsi putredo fiat in venis, animalia tamen in illis haud possunt generari, propterea quia ibi viget aliqua coctio, merito cuius animalium generatio prohibetur; Ad quod respiciens Aristot. 4. Meteor. 3. in ventriculo vermes produci negabat, quia videlicet in eo fit coctio, quæ sicuti à calore moderato proficiscitur, ita putredo ab immoderato prodit.

Præterea, si animalia in putredine nasci debent, oportet, vt putredo excitetur in materia pituitosa, cruda, dulci, nec omninò naturæ gratiam subterfugiente, item & copiosa, vt pro illorum tum generatione, tum nutritione deseruiat; At in venis succus huiusmodi esse nequit, idcirco in venis non producuntur animalia, & eo magis, quia natura solicita de animantium vita, & salute, non permittit huiusmodi animalia, quæ sæpè sæpius interimunt, in illis locis procreari, in quibus genita, & maximè lædere possunt, neque commodè eijciuntur, cuiusmodi sunt venæ. C

Quarum quoniam sicuti & febriū multiplex est ratio, ac in quibuslibet venis quælibet febrium differentiæ proprium focum, & fomitem non habent, sed in determinatis venis determinatæ febres accenduntur, vt hoc tandem liqueat, quotuplices, & quales sint venæ in humano corpore, breuiter oportet considerare.

Venarum igitur aliæ perfectum, & elaboratum sanguinem, aliæ verò imperfectum, & rudem continent, priores sunt Vena caua, Arteria magna, & eius rami, ac surculi; Posteriores sunt venæ Meseraciæ vocatæ, vti vena porta, & eius propagines.

Priores adhuc sunt aut magnæ, vt quæ inter alas, & inguina existunt, aut paruę, quæ & mediæ dici possunt, vti rami à duplici biforcatione maiorum venarum exorti, & per partes, particulasque corporis distributi; Aut capillares, quæ in easdem partes, & particulas terminantur. D

Posteriores verò venæ variæ sunt, prout ad diuersas partes, vti ad cauam iecoris, mesereum, intestina, lienem, ventriculum, pancreas, & omentum referuntur. Atque hanc venarum diuisionem, tamquam per se notam, & ab omnibus receptam, recipio, eique innixus per conclusiones quasdam vnicuique febri suum putredinis locum accommodo, & adapto.

Sit ergo prima Conclusio. In febribus continuis continentibus, locus putredinis sunt vasa magna, inter alas & inguina. Probatur tum ratione, tum auctoritate.

Ratione quidem, quoniam illa vasa sunt locus putredinis febris cōtinuæ continentis, in quibus materia morbifica ratione copiæ, & qualitatis collecta, atq; quiescēs (nō transmittitur enim, vel attrahitur) propter obstructionem ventilatione impedita putrescit, retinetur, ac exinde fuligines iugiter, statim, & commodè in cor transmittit;

C Sed

E Sed vasa magna inter alas, & inguina sunt huiusmodi, ergo sunt locus putredinis in febribus continuis continentibus.

Maior propositio patet: nam feberis continens nullam aliam ob causam accessionibus est destituta, nisi quia in ea non fit fluxio, ac motus, & proinde non ex partita, sed tota sui materia constat, 2. de Differentijs feb. vlt. Est verò continua, quia sicuti ad eius generationem materia haud mota, sed in venis dictis detenta, putrescit, sicque non euacuatur, ita & continua subita, facilisquæ in cor ex putredine fit effumatio; Vt ad febris continuitatem duo requirantur, retentio scilicet materiæ putrefactæ in vasis, atque effumatio dicta; Retentio quidem, quatenus ipsius interuentu putredo serpit, ac (vt indicabat Galenus 1. de Differentijs feb. 5 exemplo stercoris columbini) noua materia contaminatur, & putrescit, quousque aut vis putredinem nacta per solam alterationem sanetur, aut tota putrefacta auxilio naturæ, vel artis educatur, aut deniq;
F à calore humidum absumente incinerata separetur, & expellatur pariter modis iam dictis; Effumatio etiam ad idem conducit, quia si cuislibet febris putridæ causa proxima est fuligo putrida cordi communicata; ergo febris continuæ debet esse continua effumatio, quod si facilis hæc erit, & subita, non continuæ modò, sed continentis causa erit, quoniam in hac maximus ardor in corde debet excitari, continua verò est effumatio, quæ fit à putredine retenta, & serpente, vt dictum est.

Minor propositio principalis rationis declaratur, nam vasa illa inter alas, & inguina ob sui capacitatem possunt tū colligere, tū retinere materiam morbificam; fieri etiam potest, vt ab illis ad alia vasa non fiat expulsio, tum vitio facultatis expellentis ob intemperiem, vel vasorum angustiam, tum vitio obiecti expellendi, quia nimis crassum, lentum sit, & copiosum, possunt & vasa simili obiecto obstructa putredinem excitare, & excitatam adhuc detinere ob easdem rationes; sicuti à putredine valent
G ob sui amplitudinem, ac vicinitatem cum corde, eidem continuò, subito, & quàm facilè fumos communicare.

Sed eadem proposita conclusio confirmatur auctoritatibus Galeni supra in declaratione vltimi suppositi recitatis, dū de causis inuasionis febris loquebar, quibus addo loca ex 2. de Crisi. 7. & 1. Epidemiorum 2.

Secunda Conclusio in frebibus continuis periodicis, seu proportionatis dictis, locus putredinis sunt venæ remotæ à còrde, quæ & mediæ inter magnas, atque capillares dici possunt.

Probaturque hæc conclusio, hoc modo, illa vasa sunt locus putredinis in febre continua proportionata, in quibus materia collecta, ob fluxionem, motumque transmissionis, vel attractionis à venis magnis immediatè pendentem, ibidem inculcatur, transpiratuque prohibito propter obstructionem putrescit, & putrefacta non expur-
H gatur, fuliginesq; continuò, sed non ita commodè, ac statim ad cor transmittit; Atqui venæ mediæ sunt huius census, ergo hæ putredinis locus in febribus continuis periodicis sunt constituendæ.

Maior propositio ex eo liquet, quòd febris continua periodica non alia de causa patitur accessiones, nisi quia in ipsa fit transmissio, aut attractio, materiæ, meritò cuius non ex tota, sed ex partita sui materia constat, & quæ singulam facit accessionem, non excernitur, sed retinetur, hinc febris continuatio, Cui & continua in cor effumatio superaditur, sed non ita subita, nec ita facilis, sicuti in continente, quoniam in hac febre proportionata fuligo eleuatur à materia, quæ defluxa est ad venas, quæ immediatè magnas subsequuntur, tales autem sunt à corde remotæ; A venis autem remotis non ita facilè, & subitò suppeditatur corpi fuligo, & propter hanc causam additum est fluxionem fieri à venis magnis immediatè.

Coeterum nec minor propositio est subobscura, quia sicuti in venis medis potest

collig

colligi materia, tum transmissione ob illarum imbecilitatem, & robur venarum magnarum, tum attractione ob calorem proprium, atque dolorem partium, quibus insident, qui vterque motus immediatè procedit à venis magnis, quoniam mediæ cum illis continuantur; Ita in ijsdem venis medijs potest eadem materia inculcari, ac detineri, non tantum quia venæ hæ secundum facultatem expellentem non polleant, verum etiam quia obiectum expellendũ sit renitens (vt de venis magnis dictum est) quinimmo, & in illis obstructione concitata, putredo in retenta materia potest excitari, quæ non euacuata, ob rationes superius allatas continuò serpit, nouamque materiam inficit, vnaque continuo cordi fumos impartitur, sed non statim, neque commodè ob causam supra adductam. A

Secundò si materia continuas proportionatas febres inducens in venis medijs non putresceret, ergo vel in magnis, vel in minoribus per carnem dispersis, at neutrum horum esse potest, ergo. Non quidem in venis magnis, quia ob loci amplitudinem, & cordis vicinitatem maximus ardor excitaretur, & febris succederet absque accessionibus, quæ huic non conueniunt. Non in minoribus, quia febris esset intermittens, quoniam materia in his venis putrefacta per singulam accessionem expurgatur; Præterea, non ita patet aditus fuliginibus, vt in cor possint effumare, quemadmodum inferius demonstrabitur. B

Sed contra hanc determinationem est instantia, quoniam Galenus secundo de differentijs febr. 11. & 10. Meth. 6. & 11. eiusdem 4. item & 9. eiusdem 5. scribit in febribus periodicis humores in vna particula putrescere, ergo cum febris continua proportionata sit periodica, vnam tantum particulam, & proinde eandem sedem putredinis cum intermittentibus febribus, & non venas medias habebit.

Vt tollatur hæc difficultas, quæ non est pauci momenti; dico primum, per particulam tunc Galenum intellexisse partem viuentem, quæ medijs venis subministrantibus alimentum viuit, ergo, per particulam intelligit quamlibet corporis nostri partem, non tamen separatam à venis, quæ in quantum attinent ad particulas particulares dici possunt, ad venarum communium differentiam inter alas, & inguina, quæ communes dicuntur, quatenus venæ omnium particularum, & ob id totius per surculos à duplici illarum biforcatione exortos euadunt; Vt per venas particularum intelligere oporteat surculos, & venarum maiorum ramos qui prout immediatè à venis maioribus oriuntur, mediæ nuncupantur; prout mediatè ab eisdem venis maioribus procedunt capillares, minores, ac venarum fines dicuntur, vt ex his tum venas particulares, tum medias, tum capillares necesse sit intelligere. Ratio autem ob quam nomine particulæ designauerit Galenus venas prædictas, duplex potest assignari. C

Prima est, quoniam venæ hæ particulis inseruntur.

Secunda est, quia Galenus locum putredinis in omnibus febribus per Methodum diuisiuam membris contrarijs inhærentem inuenire sibi constituerat, & cum locum in continentibus venas totius statuisset, in periodicis necessariò venas partium proponere debebat. D

Cum igitur nomine particulæ (vt redeam ad propositum) circumscribat venas medias, & capillares, & in capillaribus materia putrefacta non retineatur, iugisque in cor effumatio non sequatur, sicuti fit materia putrescente in venis medijs, necesse est, vt per particulam locum putredinis in continuis proportionatis venas medias designet Galenus in intermittentibus verò capilares; Atque hoc indicauit idem Galenus 10. Meth. 6. quando dicebat in finibus vasorum humores impactos putrescere, fines enim hi sunt venæ capillares.

Sed rursus dicet ille potest ne in venis tantum vnius partis materia putrescere, an verò necesse est in venis plurium, ac omnium particularum?

E Dico id posse in vna, & in omnibus euenire, primum Galenus indicauit 10. Meth. 6. cum dixit in vna qua piam, alterum alijs in locis, vbi indefinite locutus est.

Tertia Conclusio, febres intermittentes, quæ fiunt cum motu, & fluxione materiæ pro sede putredinis habent venas minores per particulas, carnes, atque habitum corporis dispersas. Quæ conclusio cum duplicem habeat partem, vnam quod materia putrescat in venis, alteram quod in venis capillaribus, vtraque probanda venit.

Et quãuis prima superius pluribus fuerit comprobata, nihilominus (quod attinet ad intermittentes febres) quia sententiæ ferè omnium aduersatur, interim alijs rationibus comprobare mihi necessarium videtur.

Primò itaque si materia in febribus intermittentibus non putresceret in venis, ergo febris non esset per se, sed symptoma, at hoc falsum, quoniam nunc de febre per se sermo est institutus. Non esset vtique febris per se, quia hæc est passio venarum, vt F supra dictum est, ex primò de Crisi. Esset verò febris per accidens, propthereaque vbi materia putrescit extra venas fit inflammatio 10. Meth. 6. quam sequitur febris per accidens, quod etiam & 11. eiusdem citato fuit indicatum.

Secundò, si materia extra venas putresceret, ergo per febres necessariò cutis infectionibus, & tumoribus (vt in peste correptis euenit) laborarent febricitantes, quòd est falsum; Consequentia de se patet.

Tertiò, in febribus intermittentibus (sicuti & in alijs) quid puri simile, & aliquãdo cinis, ex quo finem morbi medici prædicunt, in vrinis subsidens excernitur; Atqui vbicumque in vrinis, hæc excernuntur, necessarium, est hæc quoque in venis genita esse, quoniam vrina est inditium per se earũ effectionum, quę pertinent ad venas, ergo in febribus intermittentibus, ac omnibus alijs puri simile, ac cinis in venis generantur, & hæc non fiunt citra putredinem, ergo putredo in febribus interpolatis, ac alijs G quibuscumque fit in venis. Quod autem prædicta non fiant citra putredinem, patet: nã finis eiusdẽ est incineratio, & sicuti natura vincẽte, coquenteq; in inflãmationibus generatur pus, ita humoribus putrescentibus in venis, quid simile puri producitur.

Quartò, si humores putrescerent extra venas, ergo vel antequam deferantur in habitum corporis, aut dum deferuntur, vel postquam sunt delati; Sed nullum horum dici potest, ergo Nam si primum diceretur; iam in venis putrescerent, si secundum, vtique commota putrescerent facilius, quod naturæ putredinis repugnat, excitatur enim putredo in loco obstructo quiescentibus humoribus, si tertium, ergo humores in toto corpore putrescerent, at hoc falsum, quoniam in febribus periodicis humores in vna particula putrescunt, vt ex Galeno dictum est. Præterea, ad hoc tertium sequeretur in principio febris, quoniam fiunt rigores ob materiæ motum concitatum, non esse febrem, & accessionis principium non esse tempus, & partem eiusdem, cum H adhuc non esset putredo, fuligoque cordi non communicaretur; Quæ omnia quam sint absurda, constat manifestè.

Quintò, si materia in febribus intermittentibus putresceret extra venas, ergo non fieret rigor, quoniam materia quiescit, vt putrescat, in rigore autem mouetur. Præterea, per sudores solum, non autem per vrinas, vomitum? 3. de Crisi 3. ac alias regiones expurgaretur materia.

Sextò, si materia pariter extra venas putresceret, ergo vrinæ vix inficerentur, quando citra putredinis venarũ occasionẽ vix mutentur. At in febribus intermittentibus vsq; adeo mutantur aliquando, vt magis, quã in continuis tales appareant, ergo.

Septimò, si in habitu corporis, & in carnibus putrescit materia, cur medici non curant semper febres intermittentes frictionibus, balneis, cucurbitulis, & similibus?

Octauò, hoc dato, sequeretur febres hasce non vsque adeo citò per venam sectam iugulari, & curari, sicuti sæpius curantur.

Postremò,

Postremò, febres intermittentes nõ euanescunt, nisi obstructio (putredinis causa A sine qua non) curetur medicamentis attenuantibus & detergentibus, internis tamen, vt apud omnes est receptum; Obstructio autem, quæ sic curatur, est venarum morbus in via dictus, ergo medicus in sanãdis venis, tanquam illis, in quibus est putredo, præsertim occupatur.

Cæterum & in capillaribus venis materiam febrium intermittentium putrescere sic ostendo: Humores febrium intermittentium in illis putrescunt vasis, à quibus egrediuntur facilè, & ab eis non ita patet aditus fuliginibus, vt cor petant, propter enim hæc duo febris intermittit, vt ex dictis patet; venæ capillares sunt huiusmodi ergo sunt sedes putredinis febrium intermittentium.

Minor propositio declaratur sic; humores facientes accessionem non retinentur, quoniam tales venæ sunt extrema, & fines vasorum, vnde illis facilis est exitus, & eò magis, quoniam à principio accessionis humores hi naturæ infensi eam irritant, quæ B sic irritata, ad carnes expellit eorum tenuiorem partem cum fuliginibus; Quæ duo ibidem discurrentia, rigorem inducunt? at crassior permanens, est causa accessionis, in fine cuius natura iam exonerata ob tenuioris portionẽ celebratam expulsionem à principio, validiorque facta materiam accessionis, quæ remanet, euacuat, vel insensibiliter, vel expellendo eam ad cutim, renes, ventriculum & intestina, per sudores, vrinas, vomitum, & aluum, quæ continuis febribus non accidunt, in quibus humores ad crisim vsque retinentur (quam etiam natura aliquando rigore molitur) vel vsque ad tempus idoneum euacuationis eorum artificialis, ad quæ respiciens Galen. 2. de Crisi. 1. de differentijs feb. 1. dicebat manentibus humoribus in venis, fieri continuas, at illis per totum delatis, intermittentes fieri febres vt 4. aph. 6. 3. Quibus quotidiè fiunt rigores, ijs quotidiè soluuntur febres.

Dictum est etiam in minori illa propositione, à venis capillaribus aditum fuliginibus ad cor non adeò patere, quòd contingit ob locorum maximam distantiam, atque C etiam quoniã in singula accessione putredo finitur, & effumationis minera detrahitur.

Confirmatur eadem conclusio auctoritate Galeni 10. Meth. 6. vbi scribit fieri periodicam febrem humoribus putrescentibus in finibus vasorum quod & 9. Meth. 5 tradidit, vbi per fines vasorum sine dubio minores, & capillares venas intelligit, tanquam eas, a quibus (vt sæpè dictum est) facilè materia vnamquamque accessionem inducens, exit, & non vsque adeò patet transitus vaporibus in cor, vt iure in illis putredinis locus pro febribus putridis intermittentibus sit constitutus.

Amplius Galenus 1. Epid. 2. textu. 2. scribit tertianã febrẽ fieri, cũ partes carnosæ bile affluunt, cũ autẽ partes hæ venis exiguis (vt dixi) sint refertæ, & extrahas venas materia in illis pro generatione febris essentialis non possit putrescere, iure colligendũ in capillaribus venis esse putredinis focũ pro febriũ intermittentiũ generatione. D

Sed dicet ille ante rigorem, & horrorem putrescit ne materia? ita vt non tantum accessio, sed & rigor fiat à materia putrescẽte? quod ex dictis adhuc nõ satis cõstat.

Respondetur quod putrescit, quoniam rigor supponit, & consequitur principium febris, quod circumscribitur, vt dictum est, ex accẽsione caloris in aliqua corporis partu, à qua statim putredo, & proinde fuliginum ad cor eleuatio succedit.

Quod autem rigor principium febris subsequatur, sic probo: Quoniam non potest fieri rigor, nisi materia expellatur extra venas, non potest autem expelli, nisi vasorum stimulet facultatem expultricem, solet autem stimulare acrimonia, quam & maiorem ex putredine nanciscitur; Qua veritate Massarias, & allij coguntur affirmare, materiam etsi in venis non putrescat, maximè tamen ibidem ad putredinem esse paratam.

Præterea, si rigor fieret à materia non putrescente, ergo, vel materia illa esset accessionis materia, vel nõ si sic, ergo materia accessionis extra venas putrescit, contrariũ

E tamen supra probatum est; Si non, ergo in intermittentibus febribus fieret transmissio duplex, vna ad carnes, altera ad putredinis focum, cuius non apparet ratio.

Quocirca miror Massariam, qui ex malo intellectu cuiusdam loci Galeni 3. de Præsag. ex pulsis. 7. vbi Galenus tradit in initio febrium intermittentium pulsus fieri paruos, quoniam facultas suffocatur à materia frigida, existimauit materiam nequaquam putrescere antequam transmittatur, sed postquam transmissa est, quoniam si ante rigorem adesset putredo, cum putredini calor sit adiunctus, à principio facultas non suffocaretur à materia frigida, quod esset contra Galenum loco præcitato.

Sed pace tanti viri dico locum illum, vel non bene ab eo intellectum, vel consideratum fuisse, nam si diligenter consideretur, apparebit ibi esse Galeni institutũ, ostendere nimirũ, quales nam mutationes pulsuum futuram febrem prænuncient, & inquit quod pulsuum mutationes factæ à materia calida, statim ostendunt futuram febrem,
F quæ verò à frigida materia, non æque, si tamen diligenter animaduertatur, facilè liquebit, quoniam si secludantur omnia alia; & ob solam frigidam materiam pulsus alteretur, ad paruum, tardum, in indiciũ multam ac frigidã materiã calorẽ suffocare, quam materiam si calor superet, paulatim accendet, ac febrilem calorem generabit.

Vt ex his sit facilè cognoscere Galeni scopum eo in loco fuisse, prius declarare in genere pulsuum mutationes ostendentes febrem futuram; Ad febres postmodum ex pituita accensas animum conuertere, tanquam ad eas, quæ maximè pulsum paruum reddunt: vt etiam apparet in exemplo ab eodem ibidem allato, de materia inquam, quæ non facilè accenditur, talis autem frigida est. Hinc Massariæ dormitatio, vel saltem leuis consideratio pro intellectione huius loci luce clarius apparet, ipse enim Galeni modum vniuersalem tantum sibi propositũ à principio attendens, particularem despexit, cũ nimirũ Galenus ad febres ex frigida materia accensas sese contraxit.

G Putrescit igitur (vt redeam ad principaliter institutum) materia à febrium intermittentium in venis capillaribus, vel vnius particulæ tantum, vel plurium (vt de continuis etiam proportionatis dictum est) cuius materiæ portio tenuior egrediens, & discurrens rigorem facit, & horrorem.

Et si quis obijceret, quomodo egressa materia ab vna particula possunt fieri isti motus, cum rigor totum corpus, horror totam cutim apprehendat, & materia illa egressa sit pauca, & pro horum generatione non sufficiat.

Responderem in rigore materiam egressam primum in partem carnosam, & neruosam, & ob id maximè sentientem incidere, que media expultrice ad proximam partem expellit, & hæc ad aliam, quousque totum apprehendatur, ac materia sensibiliter aut insensibiliter expellatur.

Ex quibus omnibus ad mentem Galeni constat, ex aliquo loco, tanquam ex foco
H putridam fuliginem venas, & cor petere, ac in habitum spargi; vnde primò lassitudinis sensus, & inæqualitatis, quiescente materia iam sparsa persentitur, postea aucta materia, & agitata horrores, atque rigores fiunt, quibus reccurrente calore ad suum principium, tum ob materiæ noxam, tum vt vnitas, & ob id validior factus expultricem facultatem vasorum magis, ac magis iuuet, extremorum subsequitur refrigeratio; interim materia permanens in venis, putrescensque in cor effumat, & fit principium febris; At idem calor ad igneam naturam ob fumos cordi communicatos, mutatus reuertitur, & per vniuersum corpus diffunditur, sicque & augmentum mox status, tandemque febris declinatio succedit.

Vt ex his, quæ de febrium intermittentium typo dicta sunt, pateat alium esse locum, in quo materia putrescit; alium, qui eidem materiam suppeditat, vnde nouæ febris inuasio; alium postremò, in quem putrida fuligo cum portione tenuiori mineræ ex corde, venis, iecore, ac alijs visceribus internis detruditur, aut reliquiæ mineræ,

quæ ni

quæ in singulis accessionibus putruit, expelluntur, & hic locus est extra venas, nempè cutis, ventriculus, intestina, ac renes.

Et si quis quæreret, quid fiat, si reliquiæ hæ non educantur?

Dico, quod incinerantur, & facta incineratione finitur accessio, & fit Apyrexia, quousque noua materia putrescat, & incineretur, nam incineratio, est finis putredinis vt non sit mirū ipsius interuētu fuliginē nō amplius ad cor eleuari, & proinde cessare febrē, quod non modò in intermittentib. verum ēt in continuis accidit, vt de se patet.

Sit igitur constitutum, febrium intermittentium cum motu materiæ ortarum focū esse in capillaribus venis particularum habitus totius.

Verum quæret aliquis, an materia febrili putrescente in hisce venis minoribus possit febris vnquam fieri continua?

Respondendum puto, materia in venis illis retenta non expurgata, non incinerata in singulis accessionibus febrem continuam sine dubio, vt ex dictis innotescit, excitari posse; Retinetur verò si expulsio eiusdem à venis non fiat, non fit autem vbi facultas expellens leditur ob intemperiem, vel morbum in via, obstructionem inquam, vel quia obiectum facultati oblatum nimis copiosum, crassum, & lentum existat, vt supra ipsum facultas expultrix actionem habere minimæ possit, hinc necessariò febris continua euadit, quod 2. de Differentijs febr. 01. tradebat Galenus. B

Relinquitur igitur solum expulsa, vel incinerata materia febrem intermittere, & vbi intermittit, absque dubio proprium focum esse in venis capillaribus.

Quare missa facienda, est opinio Auic. Trincauellij, Capiuacij, Massariæ, Augenij, & quamplurimorum aliorum, affirmantium, in hisce febribus materiam extra venas in carnibus putrescere. Nec auctoritates Galeni, nec rationes, quæ pro eorū opinione adferuntur sunt alicuius momenti.

Nam quantum ad Galenum attinet, pluribus quidem in locis asseruit, materiam in hisce febribus per carnes deferri, numquam autem ibidem putrescere affirmauit, vt licet videre secundo de Crisi. 6. & 12 necnon 2. de Differentijs feb. 1. Vt propterea ego valdè fuerim admiratus hosce grauissimos viros, qui Galenum apertissimis verbis, materiam deferri per carnes asserentem extorquentes nimis, voluerint deferri extra venas interpretati idem, quod putrescere. C

Nec obstat quod idem Galenus 1. Epid. Com. 2. Tex 20. Dicat tertianam fieri à bile redundante in carnibus totius corporis, vt ob id materiā extra venas putrescere indicauerit, & eo magis, quia subdit, bilem, ibi prohibita transpiratione facere tertianā, nā impedita ventilatione, quilibet humor, & proinde bilis putridus fieri solet, non inquam hoc obstat,

Quoniam per carnem non simplicem, sed carnem venulis refertam intelligit, quæ caro est idem, quod est particula ab eodem Galeno 10. & 11. Meth. citatis pro loco putredinis proposita, loquitur enim Galenus de carne in corpore viuente, viuit autē caro medijs venis alimentum deferentibus, quo nutritur, sicque dico, bilem redundantem per carnes putrescere in earum venulis. D

Confirmatur hęc sententia auctoritate, & ratione; Auctoritate 10. Meth. 6. vbi scribit Galenus materiā in finibus vasorū, & ꝓinde in venis capillaribus putrescere.

Amplius, ex Galeno materia putrescit in vna particula, non autem in toto, quod non esset verum, si materia in carnibus putresceret.

Ratio etiam id suadet; quoniam si humor putresceret in toto hac ratione, ergo vnica tantum esset accessio, quia non adesset, vnde noua materia colligeretur.

Nō obstat & secundò, alius Galenus locus secūdò de differentijs feb. 7. vbi de febre Epiala loquens, expressè asserit pituitā putrescere in partibus sentiētibus, qa pariter hic accipit partes sentiētes venulis refertas, vt putredo in his, nō autē in carnib⁹ fiet.

E Neque tertio loco est contra meā determinationē, quod 4. Aph. 37. scribitur à Galeno, febres scilicet fieri humoribus putrescentibus aliquando in toto, aliquando in vasis solis, vt putredo videatur extra venas fieri, cum aliquando in vasis solis fiat, quoniā vt est videre, ibi Galenus loquitur de febribus acutis, in quibus sudores aliquando frigidi, aliquando calidi erumpunt; vel dicendum, quod per vasa intelligit vasa magna, conspicua, ac interna, per totum verò venas exigua, & externas ad habitum totius attinentes.

Nec valet quarto, quod Galenus libro de Palpitatione, trem. & rig. dicat in tertiana bilem per carnes diffundi, & extra haberi; Ardentes verò in vasis bilem eandem habere, quoniam per vasa pariter intelligit Galenus vasa magna extra quæ in intermittentibus febribus humores putrescunt; At vasa, quæ sunt extra magna, sunt venæ paruæ, & capillares, idcirco quando dixit bilem per carnes diffundi, & extra haberi,

F vult eam in venulis hisce putrescere.

Et si quis instaret, quod Galenus ibidem dicit, quod materia illa dolorem inferat ac venulæ illæ non dolent, quia sensus non in illis, sed in carne viget.

Dico, quod Galenus indeterminate est loquutus, nam materiam per carnes moueri, & in carnibus putrescere, contingere potest, tum in venis exiguis, tum extra, verum quia ibi loquitur de causa rigoris ad propositum facit illa materia, quæ per carnes mouetur, & exit è venis; vbi autem loquitur de loco putredinis, vt diximus, vtitur distinctione, quoniam affirmat extra venas fieri febres ex inflammatione, quæ sunt continuæ, quoniam materia retinetur quousque discutiatur, vel suppuretur, intra autem febres per se, siue in magnis, siue in paruis venis fiat putredo.

Et si quis rursus obijceret lassitudinem, & inæqualitatem, quæ rigorem febrilem præcedunt noxios humores extra venas arguere, nam ijdem humores quiescentes fa-

G ciunt lassitudinē, & inæqualitatē, motiautē horrores, & rigores primò de sympt. citatis quinto, ergo tū motus, tū putredo extra venas in febribus intermittentibus fieri potest.

Respondetur, quod dubitatio procedit de causa illorum symptomatum, non autem de loco putredinis in febribus, nam materia si extra venas moueatur tantum, facit quidem symptomata illa, sed citra febrem, quia non communicatur fuligo putrida cordi, quod si moueatur, & postea putrescat facit scabiem, & alias cutis infectiones, sed sine febre ob loci distantiam à corde.

Verum rationes, quoque pro parte aduersa soluere oportet, sunt autem hæ.

Prima si materia febrium intermittentium putresceret in venis, ergo nullus fieret rigor, febrisque non intermittens, sed continua foret. Consequentia probatur: quia, vt fiat rigor materia egredi venas, ac per carnes discurrere debet, at materia putrescente in venis non apparet quomodo materia egredi possit, ergo, Pariter, si in fe-

H bribus etiam intermittentibus materia putrescit in venis, cum materia febrium continuarum, & ipsa putrescens in venis retineatur, & retenta faciat febrem iugem, necesse erit etiam materiam intermitentium in venis putrescentem retineri, pariterque continuam febrem excitare.

de Secunda, vbi natura non valet expurgare per loca consueta, & illorum euacuationi pristinata, solicita de salute animantis, semper ad partes longinquiores à visceribus, [p]rincipalibus expellit, carnes sunt partes valdè longinquæ à partibus principibus, & visceribus, atque à corde potissimum remotæ, ergo natura ad illas transmittit; vt propter hoc carnes sint putredinis focus in febribus putridis intermittentibus.

Tertia. Si putredo esset in venis, ergo vrinæ bonæ substantia, colore, & contentis, nunquā apparerent, at hoc falsum, Consequentia patet, quoniam vrinæ sunt indicium affectionum venarum.

Quarta. Non videtur, quod fiat transmissio in hisce febribus; primum quia vrinæ albæ

albæ & tenues, per rigorem, & horrorem minguntur, quæ potius demonstrant bilem A intrò, & non extra moueri; secundo, in tertiana obseruatur extremorum frigiditas, ergo illuc non confluit bilis, aliàs partes illæ feruerent.

Quinta. Si putredo esset in venis, ergo sola phlebotomia curarentur febres istæ, quod tamen falsum Consequentia patet: nam phlebotomia est euacuatio omnium humorum ex æquo in venis existentium.

Sexta, Dato, quod putredo fiat in venis, nō videtur qua ratione febres sudoribus finiri possint, quando per sudores expurgentur humores, qui in ambitu corporis extra venas existunt; Experientia tamen docet, quamplures intermittentes febres sudore terminari.

Isti sunt scopuli, qui possunt animum legentium hanc meam de loco putredinis in febribus intermittentibus sentētiam deturbare; Sed his non obstantibus (facilè enim deuitantur) puto quicquid est dictum, firmum, & inconcussum remanere. B

Quantum ergo ad primam difficultatem attinet, dico ex superius dictis responsionem esse petendam, nam vbi ad venas capillares fluit materia, tunc pars tenuior illius in carnes detruditur, ac per eas discurrens, rigorem inducit, quæ verò restat, accessionem facit, & à natura modis iam dictis tandem expellitur, vt proindè finiatur accessio, & necessariò febris intermittat.

Ad secundam dico, naturam eo in casu demittere quidem excrementa ad loca remotiora, ac proinde ad carnes, & cutim, nisi subsit aliquod impedimētum, quare cum in venis capillaribus sit aliquando obstructio, fit, vt materia expulsa non possit egredi; vel dico, venas istas capillares respectu mediarum, & maiorum, esse loca remota.

Ad tertiam dico, quod si focus febrium intermittentium, venis magnis, & omnibus adscriberetur, vtique in illis vrinæ bonæ nunquam videri possent; At quia focus illæ venis capillaribus remotissimis, & vnius tantum particulæ interdum attribuitur, ideò C fieri potest aliquando, vt tales appareant. Vel etiam dicendum, rarò quod proponitur accidere, vbi scilicet adhuc nō est facta humorum permixtio; & propterea semper vrinis ipsis est incumbendum, vt docebat Galenus loco supra citato, ex illis .n. tanquam ex ijs, quarum febres sunt passiones per se, aliquid tandem est obseruare, quod ad illarum tum cognitionem, tum curationem conducat, contra Augenium, qui ea tantum ratione vrinas esse attēdendas vult, eo in loco Galenum docuisse, quā possunt quidem vbi in venis est putredinis focus, putredinem actu denotare, vbi verò putredo extra venas existit, nihil conducere, quoniam in hoc, vir iste alioqui doctissimus, supponit febrem putridam intermittentem extra venas putredinis propriæ focum interdum habere, quod tamen falsissimum supra satis, superque (ni fallor) ostendi.

Nec pro soluenda illa tertia ratione valet, quod quidam adducit, Hypostasim bonam excerni posse, quoniam hæc non prouenit à materia morbifica, sed à portione chili D ob cruditatem sanguinis assimilationem subterfugiente, quia id verum est in sanis, nam (vt alias docui) in egris Hypostasis pendet à portione illa chili, & à materia morbifica, quæ si exigua sit, fieri quoque potest, vt vrina non inficiatur.

Ad quartam dico, vrinas illas apparere in principio febris, quoniam humores aliò mittuntur, quam ad vias vrinæ, ideò non permiscentur, sicque vrinæ albæ, ac tenues minguntur; Aliò autem tunc temporis feruntur humores, quoniam calor, vt refugiat noxam humoris fluxi, retrahitur ad sua principia, vna cum tota humorum massa; deinde verò redit, & proindè non sequitur humores non moueri extra, sed intra, quinimmo quia mouentur extra, id accidit, sed per accidens modo declarato. Et quod ad extremorum frigiditatem spectat, dico id accidere propter eandem rationem, quia scilicet calor ad intima refugit, non autem quod bilis illuc non perueniat.

Ad quintam difficultatem respondeo, quod sola Phlobotomia febres hæ nō curantur,

E tur, quoniam in his cachochimia, & non pletoria est causa principalis, cachochimia autem vt genita, ratione copiæ medicamentis euacuantibus, ratione qualitatis concoquentibus indiget, vt verò gignenda, pharmaca requirit, quæ in statum contrarium viscera permutent.

Ad postremam tandem dicitur, quod etiam si materia in venis putrescat, nihilominus expulsa ad carnes, & cutim, potest per sudorem euacuari, vt ratio adducta nil contra me facere videatur.

Quarta, & vltima conclusio febres intermittentes, quæ sine motu, ac humorum fluxione fiunt, pro foco, ac sede putredinis habent venas particularum in præcordijs existentium, sunt autem particulæ hæ ventriculus, Iecur secundum cauam, lien, pãcreas, omentum, intestina, & mesereum; Harum igitur venæ, quæ communiter Meseraicæ vocantur sunt locus putredinis in intermittentibus febribus, quæ sine fluxu, ac materiæ E motu generantur, sub qua febrium idea iecur quoque secundum gibbam ramulis venę cauæ donatum, si comprehendatur, vnicuique rem hanc diligenter intuenti alienum à ratione minimè videbitur, vt propterea si iecur & secundum gibbam, & secundum cauam, ac aliæ prædictæ partes sint vitiatæ, non solum quia generent excrementa, verum etiam quia excrementa genita non expellant, sed colligant, necessariò illa præternaturam detenta putrescunt, in cor effumant, & proinde febris oritur.

Causa autem, propter quam pars excrementitios humores tum gignat, tum genitos non expellat ex dictis satis, superque liquet.

Sed venas prædictas esse locum putredinis in prædictis febribus, probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate, quoniam ex Galeno, vt supra sancitum est, omnes fe-G bres periodicæ habent pro sede putredinis particulam aliquam secundũ sui proprias id su venas, ergo & particulam aliquam naturalem, quæ venis sit referta. Ratio etiam sunt adet, nam primo venæ illæ sunt sedes putredinis in febribus circa fluxionem, quę cula terminus à quo, vbi tales febres fiunt cum fluxione, vt de se patet, sed venæ partiniti rum naturalium solent esse terminus à quo fluxionis in febribus cum fluxione genfiu s, quoniam particulæ hæ sunt, quæ generant humores, & humores geniti ab illis unt, vel transmissi, vel attracti, ergo.

Secundò, febres sine fluxione habent pro loco putredinis vasa illa, à quibus singulaquaque accessione egredi potest materia morbifica, quia hac detracta desinit effumatio, atque febris intermittit, sed vasa particularum naturalium sunt huiusmodi, nam secundum proprios fines terminantur ad partes superius enumeratas, vt & per vomitum, per vrinas, & per aluum sensibiliter materia putrefacta possit educi, ergo vasa H hæc sunt focus febrium intermittentium.

Tertiò febres, in quibus nullus ferè rigor, & horror, nullaque ferè extremorum frigiditas obseruatur, citra sudorem finiuntur, & incipiunt cum oscitationibus, præcordiorum distentionibus nausea, vomitu, ac alijs similibus prænuncijs, pro sede putredinis venas eorundem præcordiorum sibi vendicant, sed febres intermittentes absque fluxione sunt huiusmodi, ergo habent pro sede venas prædictas.

Maior sic declaratur: nam rigor fit, ac febris per sudorem finitur, vbi materia morbifica per carnes decurrit, & ad cutim mouetur, quæ vix fieri possunt, si in venis præcordiorum retineatur, & putrescat, ergo febres, quæ sine rigore fiunt, & absq; sudorę cessant focum habent in venis iam dictis.

Minor ex eo declaratur, quia febres sine fluxione priuantur rigore, ac sudore, quoniam hæc non fiunt sine materiæ motu ad carnes, habitum totius, & ad cutim. Vt exinde meritò sit constitutum focum intermittentium sine motu esse in venas particularum naturalium.

Et si quis quæreret (quod etiam de intermittentibus cum fluxione quæsitum fuit.)

An

An putrescéte materia in venis alicuius particulę naturalis fiat vnquã febris cõtinua. A

Respondeo quod sic, ob easdem omnino rationes, quas de febribus cum fluxione tetigi, vbi scilicet facultas expultrix languet ob intemperiem, & morbum aliquem in via, obiectumque illi offertur improportionatum, quia nimis copiosum, crassum, & lentum existit, 2. de Differentijs febr.

Et sit huius exemplum manifestissimum Lyirria febris facta ob vitium alicuius particulæ præcordiorum, quæ est continua propter rationes prædictas.

Rursus dicet ille, vbi febris sine motu est intermittens, quomodo fiet rigor, & horror, cum non transmittatur materia?

Respondeo, non humoralem, sed vaporosam materiam, & hanc ipsam acrem ad partes sentientes transmitti, quæ aliquando per sudorem exiguum tamen (quia pariter ipsa est exigua) ferè autem semper insensibiliter euacuatur.

Nec id absonum videatur, quoniam facultas, quæ non potest humores expellere, B vapores depellit, cui accedit quod vapores propria natura eleuantur, qua facilè à sui minera, & eleuati per vasa etiam vsque ad carnes, & reliquas corporis partes faciles excurrunt, vt licet obseruare in epilepsia, quæ fit ab aura ex digito pedis eleuata.

Vaporem autem sufficere ad rigorem (præter id quod rigor paruus in his febribus accidit) certissimum habetur testimonium ex Hippocrate lib. de Flatibus, ex Galen. 10. Meth. 4.

Vt ex his omnibus non sit difficilè captu Fernelij sententiam haud esse recipiẽdam, dum statuit omnium febrium intermittentium materiam non transmitti à venis, sed in præcordijs circa viscera putrescere, ac rigorem, horrorem, & frigus excitare, quia illorum membranæ exquisito præditæ sensu à materia putrida demorsæ trahunt totum in consensum.

Primum namque materiam non transmitti falsum est, quia, vt sanctitum fuit, ex Ga- C leno fiunt febres intermittentes per materiæ fluxionem à præcordijs.

Secundò data hac opinione Fernelij in febribus intermittentibus circa præcordia dolor insignis, & acerbus (hinc animi deliquium) ferè semper excitaretur.

Tertiò non tantum in principio, sed semper dolor perduraret.

Quartò nulla febris intermittens secundum Fernelium esset per se, quoniã ad mentem ipsius materia non putrescit in venis, sed in spatijs, & cauitatibus membrorium, sed hoc est falsum, sicuti ex Galeno supra est demonstratum, febres enim extra venas sunt febres ex inflammatione, & ob id per accidens.

Quinimmò repugnat dicere, quod materia extra venas putrescat in viscerum cauitatibus, & sit febris intermittens, quoniam illa, quæ extra venas modo dictas habet proprium focum est continua tanto enim tempore durat, quanto inflammatio resoluitur, vel supporatur, vt etiam dictum est. D

Nec argumenta illius me quicquam mouent; quando nimirum dicebat. Primò, si materia transmittitur in intermittentibus, ergo in omni febre materia peccat in venis, quod falsum.

Secundò non videtur qua ratione tam citò materia separetur à sanguine, vt expellatur ad extrema.

Postremò raró fit quartana cõtinua, quoniam humor melancholicus raro putrescit in venis, quartana autem intermittens, quoniam frequenter fit, & deinde durat necessariò dependet à materia copiosa, quæ non est in venis, nec à venis transmittitur.

Nam ad primum respondeo in febribus intermittentibus non semper transmitti materiam quoniam dantur febres, vt decretum est, quæ fiunt sine motione aliqua, & vbi transmittitur non est inconueniens materiam illam peccare in venis, quinimmò quia peccat expellitur.

E Et si quis interim obijceret, in venis contineri alimentum totius, & propterea ibi non posse peccantes humores morari.

Dico re vera non posse cum hominis salute, ideo natura vincente concoquuntur separantur, & expelluntur ex Galeno 1. Aphor.

Ad secundum Responderem, quod vbi materia transmittitur, non ita subitò fit, vt principium accessionis valdè longum etiam obseruetur, & sicuti expulsio non ita subito fit, ita nec separatio, sunt enim motus, qui fiunt in tempore certo, & constituto pro ratione resistentiæ passi ad Agens. Verum si adhuc citò fieret, quid mali sequeretur?

Ad tertium dico vtique verum esse rarò fieri quartanas continuas, quoniam materia illius, quæ est succus melancholicus, & humore bilioso malignior 2. de facult. naturalibus vltimò est excrementum nutritioni ineptum, & in venis medijs non retinetur, sed expellitur, ob idque ibi non putrescit, nisi rarò.

F Cœterum quoniam ijdem succus ob victum aliquando copiosus gignitur, atq; colligitur, & idcircò fit, vt etiam ad venas capillares, atq; habitum corporis propellatur, sicque aliquando quartana intermittens diuque durans generatur, ergo materia in venis interdum peccat, & etiam transmittitur. Multæ aliæ rationes à Fernelio proponuntur, quæ cum sint friuolæ non adduco, vt soluã, & eo magis, quia supra quædam ex illis contra tertiam conclusionẽ facientes fuerunt tum adductæ, tum vndequaq; dissolutæ.

Sit igitur hæc firma, & inculcata sententia, omnem febrem putridam proprium focum in venis habere, atque sic ex his, ò, Masette, ò, Conti amantissimi vobis erit facilè colligere, quid de re dubia, ac omnibus controuersa mihi proposita, mea sententia, sit habendum; Concedat modo Deus vt animis vestris meritissimis satisfecerim. Vtcumque tamen valete, diuque fœlices viuite, hoc præsertim nomine, vt vestri Claudini vobis continuò in omnibus paratissimi memores existatis.

G

GVIDONI MONTICELLO MEDICO BONON. Excellentissimo.

Responsio II. In qua num aspectus Astrorum, & materiæ Cruditas venæ sectionem possint prohibere, necnon vtrum in materiæ turgentia eadem conueniat venæ sectio, decernitur.

INter præsidia Medica venę sectionẽ primas obtinere partes illud præsertim suadet, quod vbi ad vsum deducitur, statim adiumentũ ægris impertitur, id quod ipsi peculiariter cõuenire rõ, & experientia demonstrarunt, quoniã per venæ sectionẽ vniuersi humores ab vniuerso animantis corpore ex æquo, ac subitò vacuãtur

H quo secundũ rõnem facto quãplurimos à lethalissimis ẽt affectib. siue præsentes ij fuerint, siue dumtaxat imminerẽt, statim fuisse tum præseruatos, tũ perfectè curatos, vsus comprobauit, quemadmodum è cõtra multos perditos extitisse, vbi nempè temerè venæ sectio fuerit adhibita, id quod in Medicorum imperitiam sine dubio mea sententia est referendum; nonnullos namq; reperiri non me latet, qui cum in venæ sectione adeò faciles sint, vt in quocumq; veluti morbo nulla ferè habita, indicantis, & coindicantis ratione venam secent, se dignos efficiunt, vt à Medicorum vera familia lõgius ablegentur. Nonnullos pariter esse nõ me fugit, qui, cum nimis religiosi circa hoc pręsidij genus existant in morbis, in quibus conueniret, quin maximè reprehẽdantur, fieri nõ potest, inter quos an ij sint ambigis Vir Excellentissime, qui materiæ cruditatem, syderum

rumque cœlestium aspectum tanquam venæ sectionem prohibentia, censent, vt propterea duas hasce difficultates, quæ ad tempus opportunum secandi venam meo iudicio referuntur, mihi explicandas proposueris, vtrum scilicet ad sydera cœlestia, & ad materiæ cruditatem in secanda vena Medicus tanquam ad ipsam interdicentia respicere debeat, cuius posterioris occasione illud etiam exquiris, num turgente materia eadem conueniat venæ sectio; circa quæ tria, quid ego sentiam in tui gratiam non possum non aperire. A

Quantum igitur ad primam difficultatem attinet, pro parte affirmatiua est primum Auicenna, qui quarta primi, capite de ventosis dicit, in principio mensis non conuenire ventosas, quoniam humores tunc penè immoti non ebulliunt, sed nec etiam in fine, quoniam tunc deficiunt, quocirca tantum eas apponit in medio mensis, quando eo tempore moueantur humores, ebulliant, & ad Lunæ augmentum augeantur. Quæ de Cucurbitulis tradita ab Auicenna, Commentatoribus ad venæ sectionem transferuntur, nec sine ratione, quando quidem venæ sectio est materia medica longè potentior ipsis Cucurbitulis. B

Hinc aliqui ad Lunã, quæ nostris humiditatibus ideò potissimum dominatur, quia est omnium inferior planeta, ac nobis valde proxima, pariter respicientes venæ sectionem sub prima quadra calida, & humida (eius nimirum quadras obseruantes) sanguini consentiente conuenire dixerunt, aliqui verò in medio solum tertiæ quadræ, sub qua humores neque nimis contracti sint, neque nimis efferuescunt.

Alij in senib. Luna vetere existente venam secant, in iuuenibus autem Luna noua sese offerente.

Secundò, Hippocrates libro de aere, locis, & aquis scribit in exhibendo pharmaco purgante ad magnas temporum mutationes esse respiciendum.

Rursus eodem libello tradit ortus astrorum obseruari oportere, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum, sub his enim maximè morbi iudicantur, alij namq; perimunt, alij desinunt, alij in aliam speciem, & constitutionem mutantur. Ex quibus mutationibus ab astrorum mutatione, præcipuè verò Lunæ in morbis occurrentibus vt plurimum Crisis imminet, sub qua dubio procul à remedijs est abstinendum secundum Hippocratem, qui ideo non minimam partem ad rem medicam conferre Astronomiam, sed omninò plurimum dixit ferè à principio libelli iam citati. C

Tertiò Galenus 3. de Diebus criticis Lunæ motum in humoribus maximas facere mutationes tradidit, ex quo vim dierum criticorum à lunæ motu pendere existimauit, vt non sit dubitandum, varios lunæ aspectus varias quoque in nostris corporibus efficere mutationes & ptoinde varia materierum medicarum genera, atque inter hæc venæ sectionem interdum impedire.

Amplius idem Galenus vti in diebus criticis lunæ motum, vt dictum est, maximi fecit, ita in libello, qui inscribitur, si quis Medicus sit, eundem & Philosophum esse debere, deridet eos, qui negabant Medicis necessariam esse Astrologiam. D

Et si quis quæreret q̃ nã mutationẽ faciãt in nobis præsertim diuersi lunæ aspectus.

Respondent Auicenna, & eius interpretes, quod luna tempore suæ coniunctionis humores contractiores, & quietiores, ac vim totius regitiuam debiliorem reddit, modò humores sic affecti, ad euacuationem sunt inepti, & vis imbecillis reddita maiori cum periculo suffert euacuationem, ideo in his caloribus valde suspecta, & periculosa admodum existit euacuatio per venæ sectionem.

Et si obijceres, quod mutatio lunæ est causa externa, à qua pro curandis morbis nulla sumitur indicatio ex 9. Meth. 3.

Respondent huius opinionis fautores, quod illud verum est, si causa externa abierit, sed si præsens fuerit, requiritur, vt auferatur, immo quod alijs, si nõ ad curationẽ, saltẽ

ad

E ad cognitionem facit, vt propterea mutatio lunæ nullo modo sit despicienda.

Quartò, Medici Astrologiæ periti addunt, & sua experimenta, quæ vbi rationes valde firmæ desunt, non veniunt contemnenda; Dicuntque in singulis solstitijs, & Aequinoctijs per decem dies à remedijs esse quiescendum; item per ortum Canis, & Arcturi, ac per occasum Pleiadum, itemque per Lunę coniunctiones, immo & oppositiones, quæ venæ sectionem prohibent, quia scilicet tunc est plenilunium, quod facit humores turgere, ac redundare, atque sic Crisis promouetur.

Quinimmo & aliqui Solis decursum per signa Zodiaci obseruant, & cum Sol est in Ariete abstinent ab Auxilijs Capitis.

Tauro	*Colli*
Geminis	*Humerum, & Brachiorum*
Cancro	*Spatularum*
Leone	*Cordis, & Ventriculi*
Virgine	*Ventris*
Libra	*Partium circa pudenda*
Scorpione	*Pudendorum, Vesicæ, & Ani.*
Capricorno	*Genuum*
Aquario	*Crurium*
Piscibus	*Pedum.*

F

Alij verò statuunt dies aliquot infortunatos, & infœlices pro venæ sectione, & purgatione reperiri, atque dicunt duos huius census singulo mense ab Aegyptijs obseruatos fuisse: Alij alia dicunt, quæ in hunc transferre locum longius esset, quam deceret quæstionem hanc producere.

G

Quam per id decernendam esse putarem, quod non quodcumque coindicans, seu prohibens in electione, & vsu cuiuslibet materiæ Medicæ est animaduertendum, sed tantum quod maximi est momenti. Quo constituto, iam aspectus astrorum nihil contra venæ sectionem facere poterit; quam sententiam pluribus rationibus comprobare, non erit onus adeò difficile.

Primò namque nec Hippocrates, nec Galenus, nec alius demum ex probatissimis scriptoribus huius coindicationis ex syderibus depromptæ meminerunt, quod ad venæ sectionem attineat.

Secundò, si hac in re sydera aliquid efficerent, id maximè esset, quia mutationem aeris nos ambientis efficiunt (sic sub Cane, & ante Canē difficiles medicationes fiunt, quia aer in calescit ita, vt corpora nostra veluti eneruet.) At hoc falsum, quoniam mutatio hæc aeris non omnibus æqualiter nocet, immo quibusdam est remediū, quod contingit ob diuersam ægrotantis naturam, ob variam morbi essentiam, ob varium anni tempus, tandemque ob morbi causam diuersam.

H

Tertiò, si ad concursus, & astrorum aspectus medicus respicere omninò deberet, ergo cum singulo die aliquis concursus venæ sectionem impediens occurrat, nullum tempus opportunum nullaque hora commoda pro venæ sectione reperiretur, quod tamen dictu absurdum existit.

Quartò, si aspectus planetarum ita corpora nostra immutarent, vt venæ sectionem hac ipsa mutatione possent impedire, illam profectò proprijs notis absque syderum cœlestium aspectu Medicus cognosceret, ergo aspectus illi nihil faciunt ad sanguinis missionem. Nam mala, quæ ex syderum aspectibus contingunt, sunt illa eadem, quæ

à causa externa, & procatartica pendent, quoniam aspectus hi causæ sunt huius census, modo à causis externis causæ internæ mouentur, ac agitantur, sicque vel noui affectus producuntur, aut præexistentes augentur, ac tandem virtus regitiua debilitatur, quæ vbi aderunt, proprijs signis absque astrorum obseruatione (vt de se patet) dignosci commodè poterũt; motus.n. materiæ, & causæ internæ ex inquietudine, doloribus, ac alijs similibus, quæ materiæ turgentiam demonstrant, distingui facilè poterit; Pariter morbus quilibet habebit propria indicia, siue de nouo fiat, siue augeatur; tandẽ languor virtutis cognoscetur ex pulsu debili, ac alijs operationibus imminutis, ex quibus manifestè obseruationem astronomicam in re medica nullius ferè esse momenti patet. A

Quintò, Cœlum est causa vniuersalis, quæ supponit causas particulares bene dispositas, vt in ipsis operetur, ergo cœlum, & obseruatio astrologica nil habet cum sanguine mittendo, cuius tantum dispositionem Medicus attendat oportet.

Sextò, Iudicia Astrologorum, vt plurimorum sunt dubia, varia, & inconstantia, ac ob diuersitatem causarum particularium illudentia, ergo quid ad venæ sectionem? B

Septimò, Experientia ipsa docet, quod huiusmodi obseruatio nil confert ad hanc artis partem, quæ est de venæ sectione, singulo enim quoque die Medici venas secandas iubent, quibus sectis nullum sequitur inconueniens, dummodo principalia indicantia, & coindicantia coierint; Ex quibus ita cõstitutis, dubio procul aqparet, astrorum omnium, at præsertim lunæ motum aliquid coindicare circa venæ sectionem, vt rationes pro affirmatiua parte adductæ suadent; sed vt rationibus mox in contrarium allatis comprobatur, apparet etiam coindicationes istas astrorum nullius ferè momenti esse, vtpote quæ alijs omnibus quamuis exiguis cedere omnino cogantur.

Hinc Auicennæ interpretes dicunt illis satisfaciendum esse, nisi aliquid aliud obstet, quod etiam Hippocrates loco citato concessisse videtur, quando, innuat cogi necessariò aliquando Medicum, vt ea die, sub qua motus astrorum fiunt, pharmacum exhibeat; est igitur indicatio hęc minima, vt quæ alijs omnibus cedat quoad curationem. Quantũ verò ad præcautionẽ attinet, si differre venæ sectionem non erit cũ patientis detrimento, obseruationem hanc tanquã eã, quæ vt dictum est, aliquid coindicat, quin recipiam efficere non possum, si minus, illam penitus, tanquam exiguam valde, reijcio. C

Circa secundam difficultatem, Auic. 4. primi existimauit sectionem venæ non in principio morbi, sed tantum cocta materia conuenire, rationemque afferebat, quia sectio venæ humores attenuat, attenuatos agitat, agitatos facilius per vniuersum corpus distribuit, sicque boni etiam humores inquinantur, & peccantes non educuntur, vt proinde sectio venæ à principio omninò inutilis videatur ad mentem Auicennæ.

Ego verò arbitror venæ sectionem non indigere præparatione humorum, & idcirco conuenire in principio morborum, cruda etiam existente materia, quod facilè mihi est tum auctoritate, tum ratione comprobare. D

Auctoritate quidem primum ipsiusmet Auicennæ, qui 1. 4. in cura febrium in vniuersali cap. 8. sectionẽ venæ non esse ex ijs determinat, in quibus coctio sit expectãda.

Secundò, Hippocrates 2. Acut. 10. & cũ eo Galenus, qui in principio Pleuritidis venã secant. Rursus eiusdẽ Hipp. qui 2 Aphor. 29. habet inchoantib. morbis, si quid tibi videtur mouendum, moue: Galenus in Cõmentario dicit in morbis salubribus à principio vsurpanda esse remedia magna, nimirum phlobotomiam, & purgationem, vbi non tantum à principio venæ sectionem conuenire, sed ferè semper visius est vóluisse, quemadmodum purgationem solum aliquando, vbi scilicet materia turget.

Sed præter has auctoritates affero rationes. Prius tamen obiter quædam supponenda. Primum nempè venæ sectionem tantum conuenire, vbi morbus est magnus, ac vitium est in materia sanguinea, quod vitium sectione venæ corrigitur. Secundò, & illud supponendum, quod morbus magnus non tantum postulat sanguinis missionem, per

sectam

E sectam venã, sed etiam purgationem, quoniam & hæc est remedium magnum. Tertiò, tandem in morbis magnis vbi vtroque auxilio indigemus, à venæ sectione esse auspicandũ supponere oportet ad mentẽ Gal. 6. Epid. Cõmentario 1. & 6. & 4. Acut. 22. Cuius rei (præter id, quod ab vniuersaliorib. est inchoandum) ea fortè ratio esse pôt, quod sanguis replens vasa, est impedimẽto attractioni, quæ fit à medicamẽto purgãte.

Quibus ita constitutis, sic argumentor. Et primo: Sanguinis vitium corrigitur tantum sectione venæ, & non medicamentis præparantibus, ergo à principio morbi conuenit venæ sectio ad auferendum Sanguinem.

Secundò illud curationis principium in morbis est instituendum, quod potissimum remoueat impedimenta reliquis præsidiorum materijs in progressu morborũ ad vsum deducendis, sicuti in medendi Methodo Gal. non semel innuit, sed venæ sectio præter id, quod vitium sanguinis, vt dictum est, emendat, detrahit etiam impedimentum (nimiam scilicet vasorum repletionem) ipsi purgationi, ergo ab illa auspicanda curatio. F

Tertiò, si venæ sectio à principio morborum, in quo materiæ cruditas viget, non conueniret, id maximè esset, quia inter scopos mittendi sanguinem eiusdem materiæ præparatio reponeretur, sed hoc falsum, ergo & id, ex quo sequitur.

Probatur assumptum, quia quod per se proprium est vnius, alteri conuenire non potest, sed purgationi per se ita propria est humorum præparatio, vt nunquam Galenus eam venæ sectioni accommodauerit, tanquam scopum ipsis, ergo falsum est non conuenire venæ sectionem, vbi humores non sunt præparati.

His accedit, quod venæ sectio omnes humores ex æquo simul euacuat, & non vnum ab alio separatũ, ergo non supponit aliquã pręparationẽ: Consequẽtia deducitur, quia præparatio fieri solet, tũ vt noxius humor quodammodo maturetur, ac separetur, tũ vt sic affectus, & separatus facilè educatur, quę haud necessaria sũt ante venæ sectionem.

G Quinimmo, & facillimũ est comprobare, ita venæ sectionem in principio morborum conuenire, vt nullo pacto in augmento, nulla ratione in principio status eorũdẽ conueniat, quoniam tunc non est secanda vena, vbi natura est intenta coctioni humorũ. Sed in augmenti fine, ac statu morbi natura, maximè intenta est coctioni ex lib. de Crisibus passim, & 1. sect. Aph. 21. ergo tunc temporis non est secanda vena: Rationem subdit Galenus; nam venæ sectio à principio adhibita exonerat naturã, quæ sic affecta citius coctionem molitur, at ex aduerso, illis temporibus, augmento inquam, & principio status morbi, virtus animalis est satis fatigata, & propterea nun conuenit venæ sectio.

Quibus omnibus illud addendum, quod in acutis eadem die medicari oportet, tardare enim in his malum, quia sæpius coctio non est futura, primo ad Glauconem 14. Quod si coctio etiam sit futura, iam morbus ipsa finietur, & proinde non erit opus aliquo remedio generoso, nec venæ sectione.

H Præterea eadem sectio sic nunquam erit ex vsu, nã cocta materia non amplius aderit morbi magnitudo, quæ principalis mittendi sanguinem scopus existit.

Ad rationem autem Auicennæ ex doctissimo Fernelio facilè mihi est respondere, si dixerim primo falsum esse sectionem venæ sanguinem attenuare, quia post venam sectam eadem remanet in venis sanguinis proportio, quæ ante venæ sectionẽ existeret.

Præterea, attenuatio est opus medicamentorum, vt vbique Galenus asserit, quin sectio venæ potius incrassat, quia expeditius, ac citius sanguis tenuis euacuatur, crassus verò remanet.

Secundò falsum est sanguinem agitari post venæ sectionem, quæ potius quietem inducit, cum auferat multitudinem, quæ causa erat omnis perturbationis, & quamuis aliquem impetum reliquo sanguini ad loca proximiora venæ sectæ præstet, hic tamen statim sedatur.

Cum igitur sanguis non attenuetur, non agitetur, sequitur vt non possit aliud malum

lum ab Auicenna propositũ parere, nempè humores bonos inquinare, & malos haud educere; Immo humorum prauorum portio cum sanguine per sectam venam educitur, & quæ pauca remanet, etiam si, vt inquit Auicena, distribueret, non esset tantæ efficaciæ, vt bonos humores contaminaret. A

Cœterum, hoc in loco videre oportet, an sit possibile Auicennam tueri. Hinc aliqui (ac inter hos Costeus in suis ad Auicennæ libros adnotationibus) dixerunt non de omnibus morbis fuisse sermonem Auicenæ, dum sanguinis missionem ob materiæ crudæ existẽtiã prohiberi dixit, sed de inflãmatione tantũ, quæ cũ vel immineat, vel facta sit, statuunt in imminenti secundũ Auicennã non cocta materia venæ sectionem conuenire, vt fluxio inhibeatur, at in facta, priusquam materia sit cocta, sanguinem haud esse mittendum dicunt, & hoc ea ratione, quia humores impacti nullo modo moueri, & educi possunt, antequam coquantur; At in inflammatione facta, priusquam materia sit cocta, humores sunt impacti, ergo non possunt euacuari, neque per venæ sectionem, nisi prius præparentur. Maiorem propositionem probant ex Hippocrate, & Galeno; Ille enim 4. Acut. 2. facta inflammatione inter initia prohibet purgationem, eo quòd nil demit ab inflammata parte ob materiæ cruditatem, quæ non cedit, & quicquid sanum est educitur, & contabescit; Si ergo Hippocrates purgationem detestatur cruda existente materia in inflammatione, quia sana absumit, & efficit vt contabescant, tanto magis (inferunt isti) prohibenda est sanguinis missio, tamquam ea, quæ omnes humores, maximè verò sanguinem vitæ thesaurum, ac fundamentum euacuat. Hic verò, nempè Galenus 4. Acut. 76. humores, qui firmati, & impacti sunt minimè moueri posse innuere videtur, nisi fortè pars inflammata secetur. B

Quomodo autem secundum hunc dicendi modum sequantur incommoda illa ab Auicenna proposita, si nimirum à principio in confirmata inflammatione ante materiæ coctionẽ venæ sectio fiat, non est difficilè intelligere ei, qui nouit sanguine misso à parte inflammata extenso, atque per vniuersum corpus diffuso calore (nam semper febris inflammationem comitatur) quod sanguinis superest attenuari, ac nouam fluxionem excitari, vel saltem quod fluxerat incrassari, vnde postmodum inflammatio in crudos, & prauos abscessus abeat, necesse est. Quod autem materia fluxa incrassetur, causa est eductio spirituum, & caloris refrigeratio, quæ venę sectionem consequuntur. Ex quibus iure meritò secundum istos Auicenna absoluta inflammatione, firmatisque humoribus sectionem venæ interdicit, nisi coctio prius eorundẽ apparuerit. C

Atque sic ad Hipp. qui ab initio Pleuritidis loco citato venã secat; Respõdent inflãmationẽ nõ adhuc factã esse, sed fieri, in qua etiã Auicẽna venam secaret à principio.

Ad id autem ex 2. Apho. si quid videtur mouendũ, &c. Dicunt pariter Hippocratẽ loqui de morbo nondum facto, & ob id de inflammatione non facta, sed in fieri.

Tandem vt Auicennam ipsum concilient in prima quarti, respondent ibi sermonẽ facere de febribus, quarum solutio coctione terminatur humorum, qui non vna in parte, sed in toto putruerant. D

Sed hic dicendi modus, quo se tueri Auicennam arbitrantur isti, eam patitur præsertim instantiam, quod humores impactos per venæ sectionem euacuari posse supponit, quod tamen falsissimum est, nam discutientibus tantum euacuantur. Et quamquam in inflammationibus iusserint Hippocrates, & Galenus 2. Acut. 10. euacuandũ esse sanguinem vsque ad coloris mutationem, vt videatur velle materiam impactam ex inflammata parte per venæ sectionem posse deduci. Dico ex hoc colligi secundum Hippocratem, & Galenum materiam solum fluxam euacuari posse; non tamen impactam, sed quæ fluxilis adhuc existit.

Secundò peccat hic modus, quoniam in eo detegitur inconstantia quædam, nam prius volunt Auicennam loqui tantummodo de inflammatione, ac postmodũ ad loca

E Hippocratis pugnantia, immo adipsum met Auicennam respondentes, transferunt Auicennæ sententiam ad febrem, & alios morbos.

Quibus accedit, quod Auicenna haud loquitur de inflammatione, sed de alijs præternaturam affectibus, vt videre est.

Quapropter alij (inter quos fuit Augenius) dicta Principis in sui tutelam sic explicant. Et primum, quod sectio venæ à principio morborum humores attenuet secundum hunc sensum, quod nempè fieri facilè potest, vt in ventriculo ac primis venis reperiũtur humores tenues, qui nisi antè venæ sectionẽ euacuẽtur, necessariò secta vena trahuntur in venis, sanguinique permixti eundem subtiliant, ac proindè melius est à principio prædictos humores euacuare, atque postea venam tundere.

Secundum pariter dictum Principis, quod sectio venæ post coctionem conueniat, sic exponunt, quod humores crudi, qui sunt in primis venis prius coqui debent, antequam vena secetur, vt penes hæc duo Princeps iure affirmauerit, sectionem venæ

F non conuenire à principio morbi, & cruda existente materia. Iuxta quam explicationem patet, quomodò sequantur incommoda illa, humorum videlicet attenuationem, & eorundem per corpus distributionem, quia si primis ductibus insint humores subtiles, necessariò à sectione venæ trahuntur in venas, vnde permixti sanguini, eundem attenuãt, ac per corpus distribuunt.

Verum hic dicendi modus, quamquam sit verus, nihilominus improbatur, cum non possit accomodari verbis Auicennæ, quoniam ipse non de humoribus subtilibus, seu crudis loquitur, sed de ægritudinibus, quæ phlobotomia tum curari, tum præseruari possunt, vt patet legenti verba contextus Auicennæ. Præterea, Auicenna loquitur de humorum cruditate, qui sunt causa principalis morbi, humores autem crudi in primis venis sunt causa sine qua non.

G Commentatores Auicennæ antiquiores, & recentiores (inter quos est Antonius Maria Bettus olim in hac nostra Academia Bononiensi Medicinæ professor) existimarunt in principijs illarum ægritudinum, quarum meminit Auicenna, non conuenire sectionem venæ eradicatiuam, sed bene minoratiuam, quoniam cum sub illis ægritudinibus sanguis peccet in qualitate ob admixtionem aliorum humorum, si eradicatiuè mitteretur à principio, Patiens detrimenta illa explicata pluries incurret. Ideo, vt hæc deuitentur, satius erit minorare sanguinem deinde materiæ cruditatem maturare, tamd enque eradicatiuè sanguinem educere.

Atqui & modus hic alienus à veritate videtur, primum, quoniam, non video, qua ratione à principium morborum, quo tempore vires sunt robustiores, magis conueniat venæ sectio minoratiua, non autem eradicatiua, & post coctionem celebratam, vbi vires à morbo sunt confractæ, non minoratiua, sed eradicatiua, & eo magis, quo-

H niã cocta materia morbus ad declinationẽ properat, atq; tunc non est opus eradicare.

Præterea, coctio materiæ morbificæ, vt constat inter omnes medicos fit, vt materia cruda, quæ prius purgantibus medicamentis non cedebat, reddatur obsequens, talis autem redditta non venæ sectioni, sed medicamento purgante educitur.

Rursus, tametsi sanguis peccet in quali, ita vt quædã cacochimia spuria suboriatur, non video causam, cur non sufficere debeat à principio venæ sectio minoratiua, quoniã eradicatiuã potius in plethora tũ exquisita, tũ notha, nullus, qui dubitet cõuenire.

Ex quo alius horum interpretum error detegitur, quod etiam si nec minoratiuam venæ sectionem à principio morbi Auicenna concesserit, vt ego puto, non tamen apparet ratio cur eradicatiuam post materiæ coctionem concedat, quia ante coctionem etiam humores praui, quos postmodum concoqui voluit Auicenna, à principio poterant euacuari, vna cum sanguine, quando cum eo mixti fuerint.

Postremò, si Auicenna in contextu dicit penitus à principio abstinendũ esse à venę

sectione,

ſectione, nec minoratiua venæ ſectio ſecundum ipſum erit concedenda. Et ſic non valet expoſitio Betti, dum dicit, quod verbum illud, pœnitus, ſit interpretandum pro euacuatione eradicatiua, vt ſenſus ſit à principio non conuenire phlobotomiam penitus, i deſt eradicatiuam, nam tunc ſequerentur illa incommoda, quæ Auicenna proponit in textu. A

Vltimò demum, commune quoddam vitium hiſce omnibus dicendi modis pro Auicenna excogitatis non ſubticebo, quod cocta materia, vt ſupra dicebam, morbi magnitudo ceſſat, & morbus tamquam ſalubris in declinationem per ſe properat, quo in caſu nullo modo conuenire remedium aliquod, & præſertim generoſum, ſicuti eſt venæ ſectio non eſt dubitandum.

Et proinde ego, vt liberè loquar, quid ſibi voluerit Auicenna hac in parte, numquā mihi potui imaginari, & eo magis, quoniam Galenus de venæ ſectione exactè, atque exquiſitiſſimè loquens, numquam coctionis, tamquam eius, quæ ad venæ ſectionem conferat, mentionem fecit, cum tamen in omnibus, quæ ad venæ ſectionis cognitionē abſolutè conſequendam conducere poterant, diligentiſſimus extiterit, quod ex pluribus, præcipuè verò ex eo innoteſcit, quod nil noui vnquam circa ipſam præcipuum, ac neceſſarium à Medicis ſibi poſterioribus fuerit adinuentum, quod Galeno primum acceptum non referatur; Et quamuis ingenia in dies magis excolantur, ac maiorem perfectionem acquirant, non tamen indifferenter id in omnibus rebus ſcibilibus contingit, ſed tantum in illis, quæ non benè, ac perfectè prius excultè, maiori indagine, atque inquiſitione poſt modum indigent, vt propterea numquam Auicennā hac in re defendi poſſe exiſtimauerim, immo ob rationes adductas ſententiam illius à vera Medicina explodi debere crediderim. B

Verum, quoniā huius occaſione illud quoque poſtulaſti (Monticelli amantiſſimè) Nunquid purgatio ſolum conueniat turgente materia, an etiam venæ ſectio, quin & hoc tibi breuibus decernam, efficere non poſſum. C

Maſſaria in ſuo tractatu de Purgatione, conſiderans locum Hippocratis 2. Acut. 11. vbi ſcribit in Pleuritide, dolore ad Hippochondrium deſcendente dandum eſſe pharmacum nulla præmiſſa materiæ coctione, quia ad mentem Maſſariæ tunc materia turget; Et ideo cum Galenus in Commentario illius textus dicat, non tantum purgationem, ſed etiam ſectionem venæ conuenire, colligit inde etiam in humorum turgentia præter medicamentum purgans ſecundum Hippocratem, conuenire venæ ſectionem ſecundum Galenum.

Sed, vt verum fatear, vir ille à vera, & germana Hippocratis, & Galeni via longè deuiat, qui materiæ turgentiam per motum eiuſdem à parte ad partem indifferenter circumſcribunt, ita vt materia turgens loco ſtare non poſſit, patienteſque ſic infeſtat, moueat, atque titillet, & ipſi loco ſtare non queant, vt ex Galeno 1. Apho. 22. manifeſtè colligitur. Quo conſtituto, dolore erumpente in Hippocondrium, materia ad partem determinatam mouetur, vt de ſe conſtat, ergo tunc temporis non turget, vt falsò dixit Maſſaria; Hinc non video, qua ratione velit ex hoc loco venę ſectionem ſecundum Galenum humoribus turgentibus accomodare. D

Cauſa verò (vt hanc obiter inſeram) propter quam Galenus ibi venæ ſectionem probet, eſt febris vehementia, nam dicit Galenus, & ſi tunc minus operetur ſectio venæ, quam medicamentum, nihilominus tutior illa erit: rationemque ſubdit, quoniā purgans medicamentum quibuſdam adeo eſt moleſtum, purgatque nimis quam deceat alijs verò difficulter operatur, ſunt enim aliqui, qui maxima cum difficultate purgantur, quibus adde, quod Galenus 1. Apho. 24. quod purgat calidum, & ſiccum medicamentum exiſtit, vt propterea non admodum tuto febrientibus febre præcipuè vehementi, poſſit exhiberi, quorum neutrum in venæ ſectione periculum reperitur.

E Præterea, humores turgentes sunt humores qui valde à natura sanguinis recedũt, ergo ipsis non debetur venæ sectio, sed tantum purgatio. Quòd autem humores turgentes recedant à natura sanguinis, ex eo conuincitur, quòd humores isti (vt ratio docet) debent esse biliosi, hi namque tamquam calidiores, ac tenuiores à causis morbificis promptè, & facilè ad turgentiam perduci possunt, & morbi acuti, in quibus materiæ turgentia præsens est à bile, quæ dubio procul à sanguine distat, vt plurimũ fiunt.

Amplius, humores turgentes ex Galeno loco citato purganti medicamento statim sunt educendi, humores verò, qui purganti medicamento ducuntur, necessariò sunt qualitate peccantes, & proinde valde à natura sanguinis diuersi, in quibus haud conuenit venæ sectio, atque sic ex his patet, Massariam valde lapsum fuisse.

Cœterum, tametsi verum sit humoribus turgentibus non conuenire venæ sectionem, prout Massaria declarauit: Nihilominus puto ego alia ratione ex Galeno id F concedi posse, quod vt statim intelligatur, quædam breuiter præmitto.

Et primum, humores turgentes non semper esse biliosos, sed interdum sanguineos, accepto nunc sanguine pro humore feruente, ac maximè ad naturam bilis accedente, ita vt constituatur quædam cacochimia spuria.

Causa verò ob quam sanguis hic turgeat, est, quia celeriter, & facilè admodum mouetur, vt propterea existimem ego ab eo, sicuti & à bile pura, fieri morbos acutos, ac pluries maxima pericula hominibus impendere, vt qui facillimè in partes principes irrepere possit.

Secundò, præmitto in humorum turgentia aliquando simul concurrere posse scopos mittendi sanguinem, ita vt præter vitium materiæ sanguineæ, subsit morbi magnitudo, virium robur, ac ætas florens. De vitio materiæ sanguineæ non est dubium, quia sæpius in corpore humano fit cacochimia spuria, vt nõ semel obseruaui: morbus quo-G que magnus accedit, quoniam humores turgent sub morbo acuto, qui est morbus magnus: sed & robur virium, ac ætas florens, vt de se liquet, concurrere possunt.

Tertiò præmitto, quod si comparetur purgatio cum venæ sectione in humorum turgentia, sine dubio purgatio accommodatior existit, & vtilior, venæ tamen sectio purgatione semper tutior erit.

Et quoniam ex Hippocrate 1. Epid. Commentario 2. tex. 50. ita medicus sese præstare debet in morbis, vt prosit, aut ne quid noceat, ideo aliquando venæ sectio purgationi substitui poterit.

Nec obstat, quod purgatio ducat tantum humorem prauum, sectio venæ omnes, vt propterea substitui non possit, quia dico ego primum humores turgentes diuersos à natura sanguinis simul etiam euacuari, vt qui sint in motu: Secundò, venæ sectionem substitui non semper, sed aliquando, vt apparebit.

H Pariter, non obstat quòd vbi turgent humores biliosi, ac à sanguine diuersi, nõ subsit peccatum sanguinis, & proinde venæ sectio substituta non conueniat, quia dicerem ego, in simili humorũ turgentia quicquid sit, non indiscriminatim substituendã esse venæ sectionẽ, sed tantũ vbi adest febris vehementissima, quæ potius amicam venæ sectionẽ expostulat, quã inimica medicamenta purgantia, vt quæ calida sint, ac febrẽ intendere possint, quod manifestissimè Gal. indicauit lib. de Humoribus, Comment. 2. tex. 21. & 1. Apho. 24. vbi illud quoq; tradit, etiãsi materia turgeat, nũquã, pharmacũ esse dandum, nisi Medicus certo sciat, maius longè iuuamentum, quàm detrimentũ ex vsu illius esse futurũ, quod poterit Medicus distinguere, si humorum præparationem corporis constitutionem variam, ac planè inconstantem, aliaque similia animaduertit.

Quòd autem febris vehementissima requirat sibi potius venæ sectionem, ex pluribus persuaderi potest, primum quia febris est morbus calidus, sectio autem venæ refrigerat, quamuis per accidens id præstet.

Secundò,

Secundò, febris, de qua nunc loquor, est vehementissima, ergo in cibus magnus A ergo magna remedia sibi requirit, atque potissimum venæ sectionem.

Tertiò, sub febre vehementissima sanguis victiosus admodum efficitur, quia nimis feruescit, & ineptus redditur nutritioni, tum ob prohibitum transpiratum ab obstructionibus inductum, tum ob ipsummet febris calorem. ergo venæ sectio, vt quæ potis hæc omnia emendare in hac febre erit opportuna. Sic Galenus 8. Meth. 4. in febre diaria ab obstructionibus, & nõ existente plenitudine, venã secabat, eo quia scilicet, sub ea sanguis ad nutritionem ineptus fiebat. His ita constitutis; iam conclusiones quasdam propono, ex quibus tibi patebit vir Eccellentissimæ quomodo, & quando venæ sectio mea sententia humoribus turgentibus conueniat.

Sit igitur prima Conclusio, si humores turgentes sint cum sanguine mixti, sine dubio sub illis conuenit venæ sectio, vt patet ex præsentia sanguinis vitiosi.

Secunda, si humores turgentes sint diuersi à natura sanguinis, sed adsit febris magna, robur virium, ac ætas florens, sectio venæ mihi probatur, & eo magis, quo- B niam in simili casu semper aliquod etiam sanguinis vitium subest.

Tertia, tandem conclusio, si humores diuersi à sanguine turgeant, absintque prohibentia purgationem, absintque pariter indicantia sanguinis missionem, tunc nullo pacto est secanda vena, sed purgationi tantum insistendum, tamquam ei, quam non leue præstabit iuuamentum, ac profectò longè maius quam nocumentum. Quòd si è contra venæ sectio adhiberetur, maius esset nocumentum, quam iuuamentum.

Ex quibus omnibus iam tibi constat Monticelli Excellentissime, quid ego sentiam (quod ad venæ sectionem attineat) circa syderum, & Astrorum aspectum, circa materiæ cruditatem ab Auicenna propositam, an scilicet in venæ sæctione coindicent, & num in materiæ turgentia eadem conueniat venę sectio, quomodo & quando; faxit modo Deus, vt tibi viro meritissimò, ac mei amantissimò, satisfacerim. Vale. C

ALESSIO ARLOTTO REGIENSI Medico Præstantissimo.

RESPONSIO III. *In qua statuitur, quid sentiendum sit de Cauterij supra Coronalem vsu.*

QVO remedia in Arte Medica valentiora existunt; antequam ad vsum perducantur, diligentiori quoque indigent consideratione; Eapropter prudentissimè (vt in omnibus soles) illud in tuis litteris exquiris, vt nempè D declarem, an Cauterij supra coronalem Commissuram vsus vulgaris satis pro Catarrho à capite in subiectas partes distillante sistendo videatur opportunus. Tu vir Eccellentissime partem negatiuam defendere videris multas ob causas, tum quia nullum, vt inquis, est adinuenire Galeni præceptum illud præscribentis, tum quia plura ex rõne illi obstare vidétur. Primũ.n.villi, quia à dura Meninge per suturas ad efformandũ pericraniũ emergũt, quique in latioribus suturis valdè insignes sunt, acutissimũ omninò sensũ habent, ex quo, si os altè admodũ inurať, periculũ imminet, ne læsio per eosdẽ Meningi, per hanc verò cerebro communicetur, hinc suspicio Conuulsionis, & Mortis, quã interdũ secutã scribis. Secundò, diuturnæ destillationes capitis imbecillitatẽ, & non leuẽ intẽperiẽ (quæ rationẽ causæ pruhibentis induunt) arguere solent, & ppterea cũ inustio continuũ soluendo imbecillitatẽ maiorẽ inducat

E (præsertim si velus ab ipsa excitatum diu detineatur apertum) noxia potius erit existimanda, quàm vtilis pro Catarrhi curatione; Augetur item difficultas, quoniam si cerebrum intemperie calida laboraret, tantum abest, vt vtilitatem Cauterium ipsi præstaret, vt potius intemperiem intenderet. Tertiò, inustio in tantum opportuna in tali casu indicatur, in quantum euacuare, exiccareque potest, sed aliter iucundius (& quod magis vrget) tutius admodum ob rationes adductas, illud vtrumque præstat Medicus pulueribus capiti inspersis, pileolis, ceratis, embrocis, ac alijs quam pluribus similbus præsidiorum generibus adhibitis, proficuis omnibus. Neque Arabum auctoritas, quorum inuentum Cauterium dicis, ab hac sententia te abducit, quandoquidem ipsis Anatome certis legibus prohibebatur, ex cuius inexperientia periculum supradictum ijsdem haud cognitum esse potuit. Quam ob rem longè satius Cauterio in posteriore capitis parte inter primã, secũdã vertebrã insistẽdũ arbitraris, vel per an-
F teriorem errhinis, quæ duo per bellè, & materiã peccantem euacuare, atque retrahere valebunt; Quod etiam ea ratione satis valida tibi confirmare possem, quòd humorem euacuatio, quæ primum attenditur ab vsu iam dicti Cauterij, ex voto succedere minimè potest, quoniam humor peccans propria grauitate, quæ sursum fit, euacuationi admodum obsistit, & potius per decensum euacuatur, in ceruice cauterijs excitatis, his enim grauitas causæ morbificę plurimum fauet. Cœterum, quod etiam addo in tui confirmationem, maximi momenti est, quod cum Medicus naturam imitari in curatione morborum teneatur (hanc enim esse eorumdem veram medicatricem docent non semel Hippocrates, & Galenus, ratio, & experientia suadent) ipsaque in causis morbificis expellendis ea sit, quæ illas, vel extra corpus detrudat, vel in ignobiliorem locum corporis deponat, abscessibus aliquibus in parte aliqua, verum iam affectę semper inferiori excitatis, vt apparet in quartana, quæ cum liene affecto fiat, termina-
G tur tamen ob vlcera in cruribus facta; Vtique Medicus naturæ minister probè operantis in destillatione à Cauterijs supra caput locum affectum abstinebit, partemque aliquam humiliorum inurendam assumet, iuxta naturaæ leges. Hæ sunt rationes quibus vsum Cauterij supra commissuram coronalem reijcere aliquis posset.

Illis tamen non obstantibus, si modo ingenuè, quid hac in re sentiam tibi propònere debeam, arbitror ego in distillationibus rebellibus adeò, talia Cauteria esse posse ex vsu tum proficuo, tum rationi consentaneo; quibus autem rationibus mouear, breuiter percurram. Et primò in omni destillatione (potissimum vbi cerebrũ per essentiam afficitur) euacuatio, & absumptio materiæ peccantis sunt valdè necessariæ, has omnes consequimur ob inustionis vsum supra commissuram coronalem, ergo talis inustio maximè conuenit.

Secundò per talem inustionem in capite non solum humor iam genitus peccans
H euacuatur, verum, ne maior copia illius fiat, eo iure prohibetur, quo vapores in caput elati, antequam ad modum pluuiæ concrescant, per illam commodè exeunt, quod adeò certum est, vt neutiquam negari possit, ex eoque confirmatur, quod natura futurarum in capite solicita valdè fuit, vt illis medijs tum fuligines nimiæ in caput effumantes exhalarent, tum medicamenta adhibita ex occasione eo magis capiti essent proficua, quo magis liberum, ac peruium in cerebrum iter haberent, quod cum adhuc Medicus naturæ sectator assequatur ex vsu iam dictarum inustionum, non poterit (si modò rationi inhæreat, & naturæ) ipsas non comprobare.

Tertiò, & est fundamentum, quo propria nititur opinio, & aliorum difficultatibus occurro; Ea ratione est necessaria in destillatione à capitè in subiectas partes, euacuatio humoris noxij, vt simul, & semel fiat eiusdem ab illis reuulsio (& hæc præsertim est necessaria, vbi destilatio est acris, ac maligna, aut saltem valde copiosa, & præceps, tussis molesta, ac raucedo insignis adsunt, vt immineant suppuratio, phtisis,

præ-

præfocatio, & mors) sed hanc præstat Medicus ægroto, vbi inustiones supra caput A
fiunt, ergo tales inustiones aptæ natæ sunt omne commodum afferre, ergo maximè conueniunt. Vltimò tandè extremis morbis extrema conueniunt remedia, subitoque agentia, sed destillationem contumacem, eamque potissimum, ad quam accidentia iam dicta sequuntur, morbum esse extremum (ad hanc enim extremum extremorum, mors nimirum, vt plurimum sequitur) nemo negabit, ergo extremum remedium, quale generosum est, ac statim agens cauterium supra caput excitatum, maximè proficuum erit, & opportunum. Neque ideo ab illius vsu desistere vllus debet, ob rationes superius adductas, propterea que illæ re vera nihil obstant, tametsi aliquid obstare videantur, vt mox ex earum solutionibus ostendam; quoniam quamquam Galenū tale remedium nullibi proponentem videas vir Eccellentissime, non idcirco improbādū venit, quod vtiq; sequeretur, si vbi illud proposuisset, postmodū nobis im pbasset; Præterquam quod etiam Galenus non omninò visus est hoc remedij genus neglexisse B
si quidem remedium velut igneum (vt ob id cauterio nostro simillimum) in nobili matrona Romana ex tapsia, ac stercore columbino compositū vertici adhibuit. Cœterum nec ratio illa me mouet, qua concluditur periculum conclusionis, & mortis ob villos exquisito admodum sensu donatos, quoniam hoc periculum, quod tu vocas imminens, longè ego abesse existimo, vbi non ab inscio Chirugio, ne dicam barbitonsore, cauterium infigatur, vt Menbrana Cranium inuoluens comburatur vndique, sic enim conulusionis, & cuiuscunque acciden is suspicio abit, sicuti experientia comprobatum est, vbi pars aliqua neruosa alicuius extrinseco occorsu læsa, atque discissa non secundum se totam, tota à prudenti Chirurgo discinditur, impendentem conulusionē mox incipientem cessare; Vnde si mortem aliquando secutam esse dixeris ob vsum talis inustionis, eam non ipsius Cauterij naturæ, sed manui potius ipsum infigenti adscribendam censerem. Verum (& est secundæ rationis dissolutio) diuturnæ destil- C
lationes imbecillitatem quidem cerebri arguunt, & intemperiem, sed non eas, quæ possint impedire administrationem eius præsidij, quod & eandem intemperiem, quæ humida vt plurimum esse solet, emendare potest, & per consequens magis prodesse, quàm obesse, neq; etenim Cauterium inustum igne actuali, cuius proprium est potius corroborare, maiorem noxam, & imbecillitatem inferre valet, quam vtilitatem, sicuti gratis assumitur in argumento. Ad confirmationem dico, vtique id, quod adducitur, euenturum, si Cauterium ad emendandam calidam intemperiem dirigeretur: at quia ad materiam copia ac motu peccantem immediatè dirigitur, intemperiem nullo pacto augebit, & idcirco cauterium haud improbandum, & eo magis, quia longè maius pręstat iuuamentum, absumendo, & corrigendo materiam, quàm nocumentum, etiam si intemperiem aliqualiter augeret, quod vix credo ob exiguum calorem, quem communicat, propter ipsius subitam, ac veluti instantaneam operationem. Ad tertiam verò D
rationem respondetur, quod quemadmodum fateor, inustionem in capite ea ratione opportunam esse, quà euacuare, exiccareque potest, ita nego eodem pacto, parique passu has easdem, exicationem inquam, & euacuationem posse fieri, puta pileolis admotis, pulueribus inspersis, & huius census præsidijs mitioribus vsurpatis, longè.n.maius remedium expostulant pro sui ablatione destillationes malignæ, & cuntumaces, ideo tamquam generosum maximè conueniens est Cauterium supra coronalem commissuram, sicuti experientiā habeo ducē, & iure, si quidē quēadmodū magnis morbis magna remedia conueniunt, ita etiā prosunt, & quāquā iucundius operētur pulueres, pileoli, ac alia huiusmodi, non tamen vtilius, sicuti neq; tutius, si modò rectè infigatur Cauterium, vt dictum est. Et id quod dicis, non moueri Arabum auctoritate, quorū inuentum Cauterium scribis (quicquid de hoc sit, quemadmodum & de eo, quod ipsis prohiberetur Anatome) nec ego moueor, me tamen mouent rationes prædictæ,

 euen-

E euentusque illis rationibus fautor insignis, quamplures enim mox suffocatos ob destillationem in pectus præcipitem, subito vidi sanitatis restitutos ob administratione dicti Cauterij. Quartò falsum est, quòd ex voto euacuatio humoris destillationem facientis succedere minimè possit ob grauitatem eiusdem, quæ quamuis aliqualē difficultatem arguat, hanc tamen natura transmittens ad locum conferentem, quicquid illi noxium est, vel facilè superat, præterquam quod etiam, non solum ipsum humorē euacuare intendimus ex vsu inustionis in capite, verum etiam & vapores, qui materia sunt proxima generationis eiusdē: Atq; ob id præsertim Cauteria in ceruice minimè substituenda (quamquam & ipsa etiā proprium habeant locum in destillationib. vbi nimirum interceptio materiæ ad aliquam partem infernam ruentis, deriuatio eiusdem, ac euacuatio intenditur) quoniā illa non ita subitò, & immediatè possūt exiccare, euacuare, atq; reuellere, quemadmodū facit illud, quod in capite supra cōmissurā coronalem F excitatur. Ad id autem, quod vltimo addebam ego, naturam semper, vel extra corpus causam morbificam detrudere, vel in ignobiliorem corporis partem, inferiorē tamen iam affectæ deponere, dicerem tunc temporis id esse verum, vbi solum euacuatio principalis est naturæ scopus, & ideo quando simul cū euacuatione reuulsione indigemus, possumus etiam & supra partem affectam causam morbificam trahere. Cœterum, ne Cauterium, de quo agitur, rationibus tantum superius adductis cōuenire alicui videatur, legendus præterea est diuinus Hippocrates, qui libro de Morbo Sacro docet, vlcera capitis (quorum vices cauteria sustinent) si fiant pueris, eos à caduco morbo præcauere, & hoc profectò nulla alia ratione, nisi qua materia peccans euacuatur; Modo cum præseruationis, & curationis eadē sit conditio in hoc, vt id, quod præseruat, possit etiam præsentem affectum curare, Medicus & ipse ad modum naturæ præseruantis morbos curans, poterit aliquando per superiorem partem iam affectæ causam morbificam euacuare, vt ostendimus ex ipsius Hippocratis luculentissimo testimonio. Qui-G bus ita cōstitutis, luce clarius apparet, omnem prorsus scrupulum abire, qui Cauterij vsus in vertice capitis fructum, & vtilitatem quam maximam alicui interturbare potuisset. Aliqua tamen circa illius administrationem obseruanda propono. Primum est, vt animaduertatur, an celebrū in destillationibus per essentiam, & læsa facultate illius coctrice afficiatur, vel per consensum, ac errorem externum tantum; Si primo modo caput lædatur, maximè Cauterium inustum conuenit, si verò ob culpam externam laboret, ab eo desistendum, errorique externo, ac alteri parti affectæ consulendum (quamquam etiam aliquis, & in hoc casu tandem ob rationem superius traditam, quia scilicet per illud vapores materia destillationis exeunt percommodē, ab eiusdem vsu nōn abhorret.) Secundum animaduertendum est, vt prius (si modo destillatio inducias polliceatur) alia mitiora, pileolas illas, pulueres, cerata, herrina, ac cætera H huius census ad vsum deducantur, quibus non conferentibus, generosè postmodum ad illud deueniatur, nihil prohibente, quacumque puta graui in capite læsione. Tertium, & vltimum, quod adnotatione dignum occurrit, est, vt diu apertum non detineatur, tunc enim forsan longè maior esset noxa, quàm adiumentum illatum, atque eo tempore (vt tutius agatur) aliud in ceruice, vel in brachio substitui poterit, secundum, quod occasio postulabit, & curanti Medico videbitur. Et hæc sunt, quæ dicere habebam circa præsens negocium; Vellem interea tibi satisfecisse, & à scopo, rectaque ratione non aberrasse, quæ duo si ex voto successerint, nil mihi gratius occurrere vnquam poterit, tunc etenim & tibi mei amantissimo, cui omnia debeo, rem gratam fecisse, atque alijs quam pluribus hoc præsidij genere indigentibus profuisse, videbor; Vtcumque tamen tu me magis in dies amare ne desistas, si modo ad eum amoris gradum peruenire tibi animus est, quo ego te summo, sicuti semper dilexi, ita diligam in perpetuum. Vale.

A

DOMINICO RAVITIO CORRIGIENSI

Responsio IV. In qua declaratur an Theriaca, & Mithridatica Confectio pariter & Oleum Calcanti, seu sulphuris, febribus pestilentibus conueniant.

QVæ merita mihi in tuis litteris adscribis, ea potiori longè ratione tuæ humanitati debentur, quæ cum maxima continuo in me extiterit, maximè quoq; me tibi debere profiteor, id quod ipsa magis in dies experientia confirmabit, vbi ex occasione opera mea vti non dedignaberis, Claudinum siquidem tuum eum semper habebis, vt tibi, tuisque morem gerat; Hinc ea, quæ ad negocium Medicum spectant nuper à te quæsita, quin expediam, efficere minimè possum, illa solum breuiter circa illorum declarationem proponens, quæ tum ratione, tum lõgo vsu foelici cum successu fuere mihi comprobata. Quod igitur primum de vtraque antidoto magna, necnõ de oleo sulphuris, seu calcanti quæsitum scribis, an scilicet febribus pestiferis conueniant, breuibus expedio. Et primò Theriacam maximè conuenire pro illarum curatione assero, sed hac vtor distinctione ex triplici (vt ita loquar) febrium pestilentium serie petita; Vel etenim febris pestilens qualitate manifesta, calor inquam magis offendit, quam occulta, venenosa nimirum, quod cognoscitur ex præsentia sitis magnæ, linguæ siccitate, scabritiæ, & nigredine, calore ad tactum aliquando apparenti (nam ex Galeno febres huiusmodi multoties tactui mites secundum calorem existunt) & tunc consultò theriacæ tamquam calidioris exhibitionem meis patientib. soleo denegare: Vel secundò, febris pestilens eius est conditionis, vt magis venenoso, quam calido vapore ægros affligat, quod ex supradictis absentibus, præsentibus verò symptomatibus quid venificum attestantibus distinguitur, atque tunc temporis theriacam laborantibus exhibeo maximo non sine fructu, quẽ illud Hippocratis magnum argumentum confirmat: Curatio autem ostendit. Vel demum tertio pestilenti febri ex æquo tum venenata, tum calorifica qualitates adiunguntur, quod cognosco vbi accidentia, & calidum, & veneficum vaporem referentia pari passu, vt ita dicam, incedunt, ac modo theriacam, castigatam tamen, vel conserua rosarum, violarum, acidi citri, & boraginis aliave simili ratione præscribo meis ægrotantibus assumendam, Galeni præceptoris vestigia insequutus, qui in febribus theriacam ex pluribus cyathis aquæ dulcis exhibebat, libro de Theriaca ad Pamphilianum. At quæ de theriacæ vsu dixi, ea quoque de Mitridatica confectione intelligi volo, quin etiam hanc tutius administrari posse censeo, eo quia minus calida existit, & quamquam theriaca contra viperæ venenum magis quam Mithridatus valeat, non idcirco in febribus pestilentibus minorem fructum adferet, quoniam ex Galeno primo de Antidotis, primo theriaca (cuius compositionem caro viperarum ingreditur) ad morsus viperæ plus quidem Mithridato valet, ad reliqua verò omnia non modo quicquam illa plus non potest, sed est in quibusdam etiam inferior. De oleo autem calcanti, vel sulphuris illud mea sententia statuendum, quod quemadmodum vtraque magna Antidotus in febribus pestilentibus ea ratione conueniunt, qua veneficam qualitatem domant, ita & olea dicta eo nomine in illis recusari haud possunt, quo maximè contra putredinem faciant, sed castigata meo iudicio debent offerri.

B C D

E

EIDEM EXCELLENTISSIMO VIRO.

Responsio V. In qua decernitur, an in curatione Dysenteriæ tum medicamentum Purgans, tum Diureticum conuenientia sint.

NOn indignum profecto, vt diluatur illud etiam est, quod proponis ad dysenteriæ curationem spectans, vtrum scilicet in ea curanda pharmacum purgãs propinare sit vtile, & rationale, quemadmodum, & per vias vrinæ causam morbificam deducere. Et partem negatiuam primo (quod ad purgans medicamentum attinet) sic adstruere liceret, nam vtilitatem medicamenti caliditas interturbat, sicuti inquis, vtpote quæ morbi causam efficientem potest adaugere; Rationale esse, illud videtur denegare à Medicis decantatum, à Galeno 13. Meth. exceptum, non debere nimirum materiam noxiam ad affectam partem deduci, & summa cum ratione, nam si ob humorum confluxum ad intestina fit vlcus in dysenteria, quo ergo magis excrementa confluunt ad illa (quod vtique ex medicamento purganti succedet) maius etiam vlcus excitabitur. Secondò verò quod medicamenta diuretica non conueniant, sic arguere videris; ea quæ ad vias vrinæ humores facientes dysenteriam deriuant, vel sunt calida, vel frigida, si frigida, hoc nõ præstabunt propter eorum imbecillitatem, si calida, non solum febrem (si quæ erit) non solum efficientem morbi causam, hepatis, inquis, feruorem augebunt, verum etiam erunt in causa, vt humores maiori acquisita acrimonia, dum ab intestinis ad angustiores vrinæ vias deriuantur, illas exulcerent, maiusque malum peius priori ægrotantibus impartiatur; & ideo diuretica in dysenteria omninò detestanda. Quibus tamen non obstantibus, eius ego sum sententiæ, vt & medicamentum electiuè eductorium, & diureticum in curando, & finiendo morbo dysenterico apprimè conueniant, sed suis tempore, ac alijs conditionibus debitis obseruatis: Tempus prioris medicamenti principium erit, præsertim ipsius dysenteriç. Cœterum circa hanc rem aliqua considerare oportet, supposito prius, alui fluxum induere rationem causæ, & ad sese curationem trahere, nan autem merum symptoma esse, hoc enim in casu solum humorum exeuntium, & erodentium acrimoniam attemperare, ac intestinorum partes sustinere sat erit, in illo verò præter hæc, & purgatorium dare oportebit, sed prius ante eiusdem exhibitionem considerandum est, vtrum in corpore dysenterico copiosam cacochimiam sit adinuenire, quo in casu optimum, & necessarium est pharmacum purgans ordinare, & huius rei duas potissimum rationes reddo, quarum altera est, quia conuenit illud paucioribus vicibus medicamentis omninò educere, quod si pluribus educeretur sola naturæ vi, in loco affecto longè maiorem noxam excitaret, quoniam ita exeundo in intestinis magis immoraretur, atque ita per contactum diutiorem vlcus, ac proinde morbus augeretur: Altera ratio est, quòd humorum copia pharmaco sic imminuta, reliquos curationis scopos facilius Medicus assequitur, remanentes nimirum succos commodius attemperat, & concoquit, quò inter exeundum, partibus non obsint: At si humorum peccantium exilis sit portio, tunc eorum acrimoniam obtundere satis erit, vt supra diximus, medicamentoque ommisso, opus naturæ derelinquere. Sed & illud hac in re obseruandum, vt medicamentum aliquod seligatur, quod primum à valde remotis non attrahat, nec verè catarricum sit, deinde quod simul obstet, ne excrementis exeuntibus vlceri detur occasio, tale autem erit, si vires aliquas præsertim adstringentes habebit, & ex aliquo refrigeranti dabitur; adstrictione namq; intestinorum partes defendet, refrigeratione illa

F

G

H

illa humorum acredinem attemperabit. Hinc ficuti cum omnibus ferè Medicis vſum Rhabarbari mirum in modum probo, ita eius præparationem, quam torrefactionem dicunt, tamquam eam, quę forſan aliquam caliditatē à rhabarbaro indit, tutius in hunc præparandi modum commuto. Rhabarbarum in aquam plantaginis ſoleo per noctem infundere, mane leui facta expreſſione, infuſionem abijcio, ſubſtantiamque ex ſyrupo roſ. ſol. vel ſimili, & ſero propino, felici cum ſucceſſu, cum hæc etiam præparatio ſine dubio facultatem Rhabarbari attractoriam: itemq; caliditatem caſtiget. Sed & quę mihi placuerunt, experientia duce medicamenta, ſunt Myrobolani omnes, tamarindi, & inter compoſita, quod micleta dicitur, in qua cum omnia mirobolanorum genera reperiantur, ſummopere hoc in caſu probatur. Quæ verò rationes contra purgantis vſum a principio allatæ facere videbantur, vel facili negocio ſoluuntur: Caliditas etenim medicamenti, quod ſimul robur partibus induat, & humoribus acrimoniam eo iure detrahat, quo cum aliquo refrigeranti datur, vt dixi, non eſt pertimeſcenda. Nec pariter illud Galeni ab omnibus decātatum obſtat, ad partem affectam non eſſe trahendam morbificam cauſam, nam ea ratione venit intelligendum, vt excrementa ad partem malè habentem non trahantur, ita, vt ibidem permanentia maioris læſionis ſint in cauſa, at vbi trahuntur defluunt, & penitus euacuantur, non eſt contra Galeni mentem, qui & ipſe in colico dolore medicamento purganti vti conſueuerat, ſicuti videre licet primo Loc. aff. quarto, & 12. Meth. ſeptimo. Ad illud autem, quod vlcus fiat per fluxionem, ergo quo maior erit fluxio per medicamentum exhibitum, maior quoq; vlceri dabitur occaſio, dico falſum eſſe abſolutè, vlcus in inteſtinis per fluxionem fieri, ratio enim vera, & formalis ipſius vlceris in humorum acrimonia abradēte, & erodente conſiſtit, quæ tamquam conditiones omninò neceſſarias, & contactum partis requirit, quæ debet exulcerari, & debitam moram ſuper partem, quæ omnia cum occaſione medicamenti potius impediantur, id nulla ratione ſequetur, quod contra afferebatur, & eo magis, ſi illo medicamenti genere vtatur Medicus, quod ſimul euacuando, partes corroboret, vt dictum eſt. Omni igitur ſcrupulo ſic adempto tutò conſideratis ijs, quæ ſupra dixi, medicamento eductorio à principio dyſenteriæ non abhorrebis. In progreſſu verò (quod ad ſecundum pertinet propoſitorum) conueniens erit, & perutile diureticis ipſis vti, ſi quidem tunc temporis valdè imminuta humorum redundantia, tum quo ad copiam medio purgante dicto, tum quo ad qualitatem acrem, atque mordacem medijs alijs medicamentis illas attemperantibus, tutum erit agendum, inter quæ aquam Villenſem in agro Lucenſi numquam ſatis laudatam maximè probo, hæc enim præter id, quod ſimul, & ſemel humores per vreteres valenter deducit, ac illos attemperat, præſtat quoque id, quod vias, per quas tranſit corroborat vehementer, vt alibi, vbi ſpeciatim de huius aquæ auxilio, quod dyſentericis affert fuſius verba feci, clarius apparet; Ex his itaque patet reſponſio obiectis contra diuretica medicamenta in dyſenteria, quæ quidem diuretica frigida debent eſſe, quod falſum eſt, non poſſe præ illorum imbecillitate humores facientes dyſenteriam ad vias vrinæ deriuare, ſi modo in progreſſu morbi, in quo humores ij tum diminuti, tum etiam minus acres redditi fuerunt antea præſidijs conuenientibus, atque etiam tunc diureticorum frigiditate in itinere magis attemperantur, ex quo ſtatim remouetur occaſio periculi maioris imminentis, vt dicebatur, exulcerationis nimirum vaſorum diureticorum. Hæcque dicta ſufficiant, tum pro purgantium, tum pro diureticorum vſu in Dyſentericis.

EIDEM

E

EIDEM EXCELLENTISSIMO RAVITIO.

Responsio VI. In qua constituitur an venam secare liceat in Dysentericis.

CIrca Dysenteriam, quod ad curationem attinet non leuem moueos difficultatem, an scilicet venæ sectio conueniat, quam damnare videris, quia tantum abest, vt illam vnquam tamquam remedium in tali morbo proposuerit Galenus, vt potius expresè non semel primo ad Glauconem 14. & 1. de Ratione victus 16. tamquam detrimentum prohibuerit, fluēte aluo sanguinem ne detrahas; quæ opinio sanè confirmari ea ratione potest, qua in dysentercis humorum cacochimia viget, quæ purgationem expostulat, nequaquam venæ sectionem tamquam eam, quæ plurimum obesse solet, vbi humores acres (quemadmodum in dysenteria) mordacesque redundant, eorum siquidem sanguis frænum est. Adde, quod laborans dysenteria, non nisi cum magno suæ vitæ discrimine, duas insignes euacuationes perferre poterit. Ego tamen is sum, qui venam tundere non dubitem in disentericis: verum aliqua ante venæ sectionem mihi perpendenda propono, eaque sunt huiusmodi. Primum, an indicans venam secandam sit præsens; secundum, an permittens concurrat: Circa illud vitium sanguinis animaduerto, quod sicuti triplex esse potest, in substantia nimirum motu, & quantitate (qualitatis vitium, tamquam id, quod medicamentis emendatur, non propono) ita etiam, vel altero istorum modorum sanguinem peccantem in quouis morbo euacuare tenetur Medicus, in motu, siquidem, vt retrahendo motum vitiosum corrigat, in copia, vt imminuat, in substantia, vt qui putridus iam sanguis existit, euacuetur, qui verò in via ad putredinem, commodius, restituta ventilatione, præseruetur, quorum aliqua (præcipuè verò copiam, & motum) vbi in dysentericis video, ex vi indicantis animosè venam secari iubeo; Cœterum an id permittens concedat, ad vnguem obseruo, vt propterea de viribus Patientis omninò cogitem. Posse autem in dysenteria laborante simul, & indicans, & permittens concurrere consideranti patet. Primũ etenim vitium in substãtia, vel ex eo conuincitur, quod & dysenteriam, & sanguinis putredinem, vel sanguinem ad hanc maximè dispositũ simul existere non implicat, quamquam rarò contingat: Eiusdem sanguinis secundo copia, & quantitas, etiam in hoc malo deprehenditur, si dysenteria carnosum patientem occupauerit, vt non semel occurrit. De motu nihil dicendum, adeo enim motus sanguinis (quamquam is nec copia, nec substantia peccet) ad intestina eo affecta dolore, quem partes membranosæ insignem solent sustinere, pertimescendus est, vt semper inflammatio superimmineat. De virium verò constantia (dummodo in adolescenti, iuuenili, virilive corpore, atq; robusto vndequaque, nempè secundum spiritus, carnem, & solida, aut secundum hæc duo tantũ dysenterica passio reperiatur) omnino fidendum. Hinc Alexander inter Medicos principes nemini secundus, si sit inflãmatio cum dolore, si corpus sit iuuenile, & vires, vt vno verbo expediam, permittant, sanguinem euacuat ad libras duas vbi verò simul prædicta nõ concurrant, & viribus tantũ non fidat, nõ ob id cessat à missione sanguinis, sed hunc non multũ euacuat, nõ confertim, & vnica vice, sed parum, & per vices. Pariter Aetius in re medica tanti faciendus, quantum propria in hac facultate monimenta suadent, in dysenteria sanguinem euacuari iubet.

Sed

Sed non auctoritatibus, rationibus insistamus; Si namque ex medendi Methodo, medicæ intentiones in prædicto morbo sunt, sicuti certò esse debent, plenitudinem, si quæ adest, auferre, iecoris feruidiorem intemperiem remittere, dolores intestinorum demulcere, inflammationem eorundem, si præsentem delere, si imminentem inhibere, vlcera sanare, si modo oporteat, febrem, & alia huius generis symptomata corrigere, cum vnica venæ sectio has omnes intentiones expleat, tamquam ea, cuius est posse plenitudinem, euacuando dimouere, iecur, euentando refrigerare, doloribus, inflammationibus, ac vlceribus à parte affecta retrahendo, præsto esse, febremque, refrigerando compescere, cur ab illa desistendum? An forsitan ob rationes in contrarium adductas? quæ vel facilè soluuntur. Nam primum ad id, quod dicitur nullibi Galenum in dysentericis venæ sectionem proposuisse, hæc sufficiens sit responsio, quod argumentum à parte negatiua desumptum nihil concludit; nec propterea damnandus Galenus, tamquam is, qui remedij adeò celebris pro dysenteria curanda, vt dictum est, mentionem haud fecerit expressam, satis enim fuit, quod alibi, non semel docuerit, ad motum sanguinis non decentem compescendum (vt fiat retractio) venam in opposita parte esse secandam; sat fuit, & ipsum docuisse, sanguinem putridum, aut ad putredinem paratum (tamquam nutritioni ineptum) esse educendum, sicuti, & in copia sanguinis maximis doloribus, & inflammationibus venæ sectionem summopere conuenire; modò prudentis, & sapientis Medici est hæc vniuersaliora præcepta particularibus affectibus accommodare; si quidem cum in dysenteria motus sanguinis vitiosus impendeat ob intestinorum dolores insignes, & eo magis, si secundum copiam sanguis excedat, cum in eadem sanguis pariter secundum substantiam peccare possit, ex Galeni etiam instituto venæ sectionem in hac cõuenire dicere possumus. Et quamquam illud dixerit fluente Aluo sanguinem ne detrahas, non propterea obstat, nam canon ille tunc temporis est seruandus, quando aluus fluit, nec aliquod ex venæ sectionem indicantibus, nec permittens concurrunt, verum præsentibus indicante, ac permittente omninò ad venæ sectionem, tamquam ad sacram anchoram confugiendum. Ad illud; quod in Dysenteria cacochimia potissimum vigeat, quæ purgantibus est auferenda, dico quòd vbi cacochimia simul habet vitium sanguinis adiunctum, non solum purgantibus, verum, & vitium sanguinis emendantibus præsidijs est agendum, neque sanguis, vt peccans humorum acrium frenum esse potest, quamquam etiam secta vena, non detrahatur frænum, quoniam eadem proportio sanguinis ad alios humores in venis remanet. Quod autem vno, & eodem tempore duas euacuationes nequeat patiens sustinere, negandum est in corpore robusto, & eò magis vbi altera euacuatio alterius est curatio, & auxilium, sicuti venæ sectionem fluxus dysentericis in esse remedium modis supra enarratis, pro certo tenendum; Venam igitur secare ne dubites in dysenteria, seruatis tamen seruandis, sed à principio potissimum, quò tempore vires maximè constant, & mihi credas experto, qui hisce annis, quibus similis morbus ferè per totum orbem vagatus est, possum iurare, me complures hoc præsidij genere seruasse, ac citius sanitati redidisse.

Vale, & mei memor esto.

E

IVLIO TEDESCHIO MEDICO Sapientissimo.

Responsio VII. In qua signa, quibus ad inuicem febris pestilens, ac maligna distinguuntur; An detur febris intermittens, quæ possit simul esse maligna; & quid sit morbi malignitas, manifesta fiunt,

F SIcuti me tua semper delectare solent, ita & nunc, quæ à te mihi litteræ redditæ fuerunt, mirificè delectarunt, tamquam eæ, quæ non solum elegantes, amoris, & officij plenissimæ, verum etiam & meam operam (quod ad Medicum negocium attinet) erant requirentes, multa siquidem à me declaranda proponebant, in facultate Medica scitu quam necessaria, in quo equidem munere obeundo optimæ tuæ de me semper habitæ opinioni re ipsa respondere præsertim desideraui; sic etenim verius forsan, quam honorificentius de me sentire te posse putabam; Vtcumque tamen ingenuè tibi in hoc (sicuti & in omnibus) meam operam præstare decreui, ne quicquam à me petieris vnquam, quod statim præ viribus non fuerim aggressus. Age igitur. Quæris vir præstantissimæ, quæ nam sint peculiaria, ac patognomica signa, quibus ad inuicem febris pestilens, ac maligna distinguuntur; An detur febris intermittens, quæ possit simul esse maligna, & demum quid sit morbi malignitas exposcis. A quo primum incipiens tanquam ab eo, quod ad alia viam sternit, Dico ad quemcumq; G morbum hæc duo inter cætera potissimum spectare speciem scilicet, & morem; Clarissima est doctrina Galeni pluribus in locis, at præcipuè, tertio, Crisium, quarto. Modò specie omissa ad morem, tanquam ad eum, qui ad rem nostram facit, animum conuerto, eundem iuxta Galenum, primo Crisium tertio, in benignum, & malignum distinguens; benignus tunc erit mos morbi, vbi nullis superueniẽtibus symptomatibus, cum proprijs tamen, & concomitantibus morbus euanescet; Malignus verò, è contra tunc constituendus, vbi morbo præter propria, alia superueniunt accidẽtia, vt Galeno placuit locis supra citatis, ex quibus, quid sit morbi malignitas apparet, nil enim est aliud, nisi malus mos eiusdem morbi, proueniens ex subsequentia symptomatum, quæ cum possint febribus etiam intermittentibus superuenire, nulli dubium esse debet, quin & ipsæ malignæ esse possint, quod experientia mihi confirmatum in dies (quamplures etenim febre tertiana intermittente laborantes propter febris malitiem H ex subsequenti Cardialgia perditos vidi) auctoritatibus Galeni tibi confirmo, & locis superius adductis, potissimum desumptis, vbi de morbis ijs verba facit, qui præsertim per circuitus infestant, hos etenim non solum in accessione ex symptomatibus aduenientibus malignos haberi posse dicit, verum etiam in declinationis, ac intermissionis tempore. Cuius rei certissimum quoque nobis præstant argumentum varia de iudicijs febrium intermittentium Galeni constituta circa prognosticum, modò enim febrem, quomodocunque intermittentem periculo vacare scribit, dummodo (vt arbitror) proprijs aliena non superueniant accidentia; modò periculosam determinat, vbi scilicet ipsam mox varia subsequuntur, non tantum ratione propriæ essentiæ per timescenda symptomata, verum & ob loci affecti dignitatẽ, hinc ego semper Cardialgiam subsequentem febrem, etiam intermittentem maximi feci. Amplius Galenus 3. Cris. citato, febres, quantumuis debiles, & paruas, inter quas potissimum intermittentes censendas autumo, valde malignas esse posse confirmat, ex quibus omnibus patet,

brem

brem etiam interpolatam mali moris siue malignam dixeris, reperiri. Qua nam autem ratione febris hæc, & pestilens ad inuicem distinguere Medicus valeat, breuibus ijs aperio. Et quidem tunc malignam febrem dixeris, vbi malo more patientem infestarit, quod tunc temporis erit, vbi alia symptomata symptomatibus febrem proprie comitantibus, vt dictum est, superaddentur; Vel si pestilentem à maligna distinguere volueris, illud sit tibi tanquam ratum, & firmum, necesse est, febrem pestilẽtem perniciosa, & venefica qualitate præcipuè patientes affligere, hanc præsentem agnosces, vbi subditus virium languor occurrerit, hic etenim causam maximè actiuitatis denotat, quæ nulla alia esse potest, nisi primò venenũ ipsum; vel secundo quid veneni formam, & similitudinem in agendo referens, in quo pestilentis febris essentia verè consistit. Sed quæ adhuc meo iudicio rem hanc infallibiliter ostendunt, illa sunt, pulsus vicissitudo, & quod accidentia non tantum sibi ipsis, verum nec febri respondeant, vt tibi scilicet nulla alia manifesta causa, in quam ipsa referre certò possis, innotescat, nisi in occultam, & venenosam qualitatem referas. Quamplura etiam possem indicia ad te scribere, quibus febris pestilentis existentiam dignoscendo, eandem à maligna vel facilè distingueres, sicuti sunt maculæ per cutim erumpentem, expiratio fætens, aurium sonitus, capitis veluti stoliditas, vrinæ quandoque laudabiles, turbatæ veluti iumentorum aliquando, & alia ferè innumera; verùm, quoniam, ex illis quamplurima alijs etiam febribus, adhuc & malignæ conuenire interdum possunt, vt febrem tantum pestilentem non semper, & necessariò comitentur, tibique hæc, sicuti & alia omnia cognita certè scio, consulto prætermitto. Concludo tamen ex dictis, febrem eam esse malignam, cui mox varia superueniunt accidẽtia, eam verò pestilentem, quæ venenatam, ac perniciosam qualitatem secum habet adiunctam, omnemquè febrem quamquam exiguam, ac intermittentem, etiam malignam esse posse. Hinc, cuius sit momenti eorum opinio liquet, qui febrem pestilentem cum maligna cõfundunt: malignitas si quidem morbi morem, pestilitas verò eiusdem speciem, & ideam denotat. Quod si vnquam Galenum hoc nomen (maligni) ad pestilentes morbos referentem legas, ipsum ne reprehendas: quando quidem omnis pestilens affectus malignus ratione mali moris ex symptomatibus superuenientibus, sed non ratione propriæ essentiæ dici potest; Quod si præterea pestilentis morbi nomen eumdem Galenum maligno morbo imponentem videas ipsum nomenclaturas minimè facientem, nomine abusum fuisse, arbitreris. Valeas diù.

EIDEM EXCELLENTISSIMO TEDESCHIO.

Responsio VIII. In qua, cur in Febribus vno putrefacto humore, reliquij haud putrescant, causæ redduntur.

QVæris interim, Vir eruditissime, quid causæ sit, cur in febribus vno putrefacto humore, reliqui imputridi seruentur, cum adeo in massa sanguinea misceantur, vt proinde tibi non abs re videatur veluti impossibile, reliquos illæsos conseruari. At profectò, in hoc naturam mirum in modum admirandi sese offert occasio, in quam arbitror ego totam ferè huius rei causam esse referendam; ea si quidem animantis vitam pro viribus tuendo, id efficit, vt putridum humorem continuò separet à bonis, quos ipsa tanquam dilectos filios agnoscens, animantiq; pro vita necessarios regit, ac tuetur; quamquam & ipsam nõ solum ob sui potestatem

admi-

E admirabilem hoc assequi dicere possim, verùm & ob causas, quæ potius vnum, & non
alium humorem inficere valent; quodlibet enim non agit in quodlibet, sed determina-
tum in determinatum, hoc est proportionatum agens in passum sibi proportione re-
spondens, hinc præsentibus causis, humorem, puta biliosum, putridum reddere valen-
tibus, ipsoque iam putrescente impossibile est (& eo magis posito naturæ gubernio)
quod reliqui humores, nisi tractu temporis, inficiantur, humor si quidem biliosus per
proprias sibi, ac deputatas causas putrescens, nullum in se retinet proportionis speci-
men, quo mediante, melancholicum valeat inficere, multo minus pituitosum, adhuc
etiam & sanguinem, quem præcipuè natura defendit, vt non immeritò Galenus asse-
rat 2. de febr. differentijs 9. sanguinem minimè putrescere, vbi à natura regitur. Cœ-
terum, ego eius sum opinionis, quod, si naturæ ministerium in reliquos humores desi-
steret (quod duas ob causas accidere potest; vel vbi ex se defessa ob varias rationes
F existit; vel vbi reliqui humores quantitate nimis redundant, qualitateque peccant)
tandem & ipsi putredinem nanciscerentur, cum demum omne, quod à putrido tangi-
tur, & putridum reddatur; Hæcque dicta ad hoc negocium attinentia sufficiant.

EIDEM EXCELLENTISSIMO VIRO.

Responsio IX. In qua an in febribus cum Cardialgia venam secare liceat Medico curanti, traditur.

G AN in febribus cum Cardialgia sanguis mittendus sit per sectam venam, tibi
sanè controuersum videtur. Ego verò vt controuersiam hanc dirimam, vna
cum Galeno statuo, prius (prout ad præsens attinet institutũ) Cardialgiam
duplicem esse, Vnam, quæ fit à sanguinis ichore in venis coaceruato, cum
aliàs per venas podicis euacuari consueuisset, cuius meminit Galenus 1. Proretic. se-
ctione tertia, Commentario 38. Alterã, quæ fit ab humore, & præsertim bilioso, quod
Galenus 5. Aphor. expressè fassus est, dum Cardialgiam à flaua bile ebulliente in tu-
nicis ventriculi fieri dixit, & tacitè confirmauit, cum eandem Cardialgiam fieri à suc-
co mordaci scripsit, primo ad Glauconem 14. & 1. de Sympto. causis, 7. Quinimmo,
& aliquando humorem hunc venenatum esse, 5. de locis affectis, capite 2. conceptis
testatus est verbis; Qua stante diuisione, dico, quòd tametsi ratione febris esset secanda
vena, nihilominus ex Galeno primo ad Glauconem citato, prius Cardialgiam refrin-
H gere oportet, nam hac præsente, & ex bile facta, non adest indicans, nec permittens ve-
næ sectionem, quoniam non fit à sanguine, & virtus languet, ad quam Cardialgia n
Auicenna etiam loco citato, sed capite tertio respiciens, venæ sectionem improbabat;
& iure quidem; quoniam præter dicta, illud etiam obstat, quod humorum acrium in
ventriculo existentium, in venas fieret attractio, ex qua maius malum orirètur: Quòd
si Cardialgia fiat ab Ichore sanguinis, etiam si ratione huius adsit indicans, abest ta-
men permittens: nam in omni Cardialgia virtus est imbecilla, cum sit dolor, cui qua-
litas dolorifica vehementer in festa coniungitur, ex Galeno primo de Symptom. cau-
sis. citato vt sæpius Syncope Cardiaca suboriatur; Nihilominus, quoniam Ichor san-
guinis, qui solitus erat per hæmorroidas expurgari, retinetur: idcirco in febre cum
Cardialgia ex hoc Ichore orta, non erit inconueniens venas illas podicis aperire, per
illas enim sanguis eductus, vires non adeò confringit; An verò cessante Cardialgia,
& febre adhuc perseuerante, sectionemque venæ exigente, liceat sanguinem mittere,
si quis

si quis vlterius quæreret: Dicerem, quod si ex toto Cardialgia causa sui ipsius extirpata, fuerit finita, procul dubio viribus ratione febris consideratis permittentibus, vena secari potest, quod si cessauerit Cardialgia, & Medicus non sit certus an reuiuiscere debeat, quia eius causam adhuc latitare dubitet cautè admodum agere debet, & à sanguinis missione potius per sectam venam abstinere; Vt ex his innotescat, in hoc casu tale remedij genus maxima diligentia, & Medici dexteritate indigere: quia, etiam si viribus nunc valentibus ad vsum deducatur, ægri (tamen pro maiori parte postmodum perduntur, aut cum maxima difficultate releuantur, accedente denuò Cardialgia, vt sæpiùs obseruaui; nam (vt docuit Galenus) oportet etiam & statum virum patientis in futurum respicere; & ego (vt verum fatear) ex illis sum, qui vbi incido in ægrotantes febre cum hoc Symptomate, semper à venæ sectione abstineo, & mihi feliciter succedit curatio. Vale.

EXCELLENTISSIMO IVLIO ROSSIO Medico Fauentino.

Responsio X. In qua, num thermæ Tettuccianæ conferre possint in Dysenteria, certior redditur.

SI aliquibus ex Medicis vnquam plurimum fiderem, tu profectò ex illis esses, Vir Excellentissime, cui etiam ex occasione propriam vitam committere non dubitarem: In munere enim obeundo Medico ea te prudentia, eo officij genere procedentem non semel vidi, atque obseruaui, vt nihil animo intactum derelinquas, quod possit ad effectus curãdi exactam cognitionem conducere, nullumque pro illius curatione prætermittis remedij genus experientia, rationeque comprobatum, quod ad vsum non deducas suis loco, tempore, ac alijs conditionibus animaduersis. Hinc mihi firma fides, quod omnem curam, omne studium adhibueris in perpendendis, & curandis Dysenterijs, quæ hoc tempore ferè per totum orbem vagatæ fuerũt, id quod nuper tuæ litteræ omni ex parte mihi charissimę confirmarunt, in quibus, habitis prius circa tale morbi genus te dignis considerationibus, nonnulla tandem, quæ ad illius curationem facere posse tibi videntur, mihi proponis, circa quæ (quoniam aliquibus præmeris difficultatibus) meam requiris opinionem, qua exaudita, vel omninò ab illis abstineas, vel tutò eisdem vtaris, qui dicendi modus sicuti beneuolentiæ solum in me tuæ adscribendus existit, ita omninò cogit, vt quid de propositis sentiam, liberè ad te scribam. Proponis primò, num aqua Tettuccij dicta, in Dysenteria conueniat, nec conuenire ex eo dubitare videris, quod sua caliditate efficientem, remotam tamen morbi causam intendere possit, ea ratione, qua Hepar excalefactum adeo, atq; exiccatum, ad sese aquæ huius portionem quam facile potest attrahere, id quod etiam colligis, vt inquis, quod qui hasce epotant aquas, copiosiores reddunt vrinas. Ego (vt paucis me expediã) ab vsu aquæ Tettuccianæ nequaquam in dysentericis abhorreo, immò si ea tempore debito, nihilque prohibente Medicus vtetur, multum sibi gloriæ, & patienti vtilitatis, mea sententia, comparabit. De tempore ea est habenda ratio, vt dum in intestinis sit vlcus, potissimum verò sanies apparet, vsurpetur, tũc (etenim, tamquam illa quæ ad detergendum plurimum potest, plurimum etiam proderit, adde, quod præter exiccationem, quam tantoperè sibi partes exulceratæ requirunt,

E & roborationem, adstrictionemque, quam maximam partibus inferet, materiam, quoque noxiam sine intestinorum noxa, citò, tutò, & nequè iniucundè deducet. Verum, quod eius vsum potest prohibere, febris est, non quidem Symptoma, sed essentia; aquam enim hanc, tanquam calidam, febris morbus calidus prohibet, sed vbi febris Symptoma fuerit dysenteriæ, vt sæpius esse solet, cũ omne Symptoma ad ablationem eius, cuius existit Symptoma, auferatur, & aqua ista à Dysenterico affectu (vt dictum superius est) pro sui ablatione, indicetur, nulla ratione aquæ Tettuccianæ exhibitionem febris hæc poterit interdicere, si modò adeò magna non extiterit, hoc enim in casu, quemadmodum & in intestinorum inflammatione, aut etiam intemperie calida satis insigni, ab eadem aqua cauendum. Caliditatem autem illius non est, quod alia ratione timeas: nam statim atque in ventriculo ingesta est, statim pariter intestina petit, heparque nihil in sese huius aquæ recipere potest, quod si timeremus propter aliqualem moram, Syrupus rosatus, vel violatus solutiui addi possent in primo cyatho; neq; F iecur ad se aquam illam allicere, (quod dicis) ex eo conuinci potest, quòd qui eandem epotant, multum vrinæ mingunt, hoc etenim credere non possum; nã ego in Praxi ferè semper obseruaui, quod aqua Tettucciana, (sicuti ex illi ex natura conuenit) tota per secessum reddita fuit, quod etiam ratio suadet, hepar nimirum, propria siccitate, atque caliditate non valere ad attractionem, plus potest vis, quam aqua hæc facultati expultrici indere potest pro sui excretione quã hepatis facultas attractrix ad vim aquæ faciendam pro sui attractionem, id, quod experientia comprobat in dies. Aqua igitur prædicta vtaris, absentibus prohibentibus, tempore potissimum vlceris in intestinis: nam præterquam quod ventriculum, primas venas, & intestina ab excrementis expurgabit, vlcus etiam deterget, exiccabit, partes omnes roborabit, pluraque commoda non leuis momenti inferet, quæ non solum ijs patent, qui theoricè naturam huius aquæ cognouerunt, verum, & illis, qui eam in Praxi, & in Dysenteria præsertim, G vsurparunt, vt non semel mihi contigisse tibi fateor ingenuè. Vale.

EIDEM EXIMIO VIRO.

Responsio XI. In qua, num Aqua Villensis, in Agro Lucensi, eo tempore quo Tettuccianam aquam in Dysenteria conuenire decretum est, conueniat, breuibus decernitur.

H SVperiori explicito quæsito, iam ad id, quod secundo loco quæris explicandum me conuerto, in quo dubitas, Aquanè Villensis, quæ in Agro Lucensi nũquam satis laudata diuinitus pro innumeris persanãdis morbis erumpit, per omnesq; illustriores totius orbis Ciuitates in hunc finem exportatur, eo tempore, quo Tettuccij aquam conuenire dixi, possit & ipsa Dysentericis præstò esse; Qua in re negatiuam partem sustinerem, quatenus hæc in qualitatibus, (vnde vis operandi desumitur) longè ab aqua Tettucciana differt, quod (præterquam Villensis ferreæ, & aluminosæ minerea existit, Tettucciana verò. Sale inter cætera superabundat) vel ex hoc etiã dignosci potest, quod hæc statim intestina, illa verò vias vrinæ petit; Hinc, cum aquam Tettuccianam eo potissimum tempore, ac iure commendauerim, quo per intestina exiens, eorum vlcera saniosa (quæ potissimũ in morbi vigore obseruantur) mirificè mundificat, & exiccat, ob eam, qua maximè pollet, facultatem abstersoriam,

Villen-

Villensisque aqua hæc minimè præstet: nam etiam si per intestina redderetur, adstringit tamen (quod omninò in vlceribus detestandum) ideoque non possum eius vsum tunc temporis, quo Tettuccianam probo, non improbare, tanquam eam, quę intentiones, quarum caussa Tettuccij aqua exhiberi debet, haud potest explere: Non nego tamen & Villensem aquam maximè esse posse fructui pro Dysenterico debellando morbo, si modo, vt dicetur, suo tempore administrabitur, ea si quidem per vias vrinæ morbosam materiam peroutiliter deriuare potest, huius enim est conditionis admirabilis, vt lotio partes inseruientes adeat; interim tamen iecur attemperet, renesque à feruore vindicet, earum etiam partium proportionem maximè teneat. Neque ab vsu Diureticorum in Dysenteria abhorreas, Vir doctissime, propter timorem, ne excrementa acria, qualia quæ Dysenteriam pariunt esse solent, ad renes adducantur, sicque morbus peior priore suscitetur; nam vbi Diuretica temperandi simul excrementa, quæ ducunt, vim obtinent, necnon præterea partes roborandi facultate sunt donata, illud periculum ob eorum vsum non incurrimus, quod tamen, vt tutius effugiamus, in progressu morbi, & materiæ morbificæ diminutione (ecce tempus vsus aquæ Villensis, sicuti & omnium Diureticorum in Dysenteria conuenientissimum) debent administrari. Sed & alterum administrationis modum, alterum pariter insignem fructum, quem patientibus Dysenteriam hæc aqua Lucensis solet adferre, silentio præterire iniustum arbitrarer. Modus is est, vt in annum, tunc temporis inijciatur Clysteribus, vbi cicatrix ob vlcera prægressa erit inducenda in intestinis, ad eam enim mirificè valet, vt certè nil præstantius vnquam fuerim expertus, & eo magis, si cum ea prius Tutia, Cerussa, atque Litargirium decoquantur. Quod si ulcus in superioribus intestinis existeret, non ob id miseri patientes ab hoc certè diuino auxilio per os assumpto sunt arcendi; & quamquam, vt dixi, vias vrinæ aqua hæc petat, adhuc etiam per intestina defluere ipsam efficiemus, vbi vel in modica quantitate patientes illam assumẽt, vel ei aliquid subductorij commiscebitur, quod simul & facultatem habeat exiccandi, cuius generis existunt Syrupus rosatus solut. Tamarindi, ac Mirobolani omnes. Quæ autem postremò de huius aquæ viribus dicta fuere pro Dysenteria curanda, eadem prorsus intelligas velim de aquis illis, quæ huic consimiles sunt in facultate, sicuti Ficoncellenses, ac aliæ innumerę. Interim, tu me amare pergas, ea ratione, qua ipse semper ero ad omnia tua paratissimus. Vale.

EXCELLENTISS. IVLIO TEDESCHIO

Mirandulensi Medico, postulanti, num Hippocrates primo Prognosticorum, per illud, Diuinum in morbis, voluerit nobis significare occultam qualitatem ex Syderum motu, ac lumine in corpora influentem.

Responsio XII. In qua etiam Galeni ipsius Commentum fusius explicatur.

E Doceri, vt nimis modestè loqueris, Vir doctissime, vehementer cuperes, An Hippocrates primo Prognost. per verbum illud, Diuinum in morbis, præter ambientis cõstitutionem ex Galeni mente in Commentario, cui pariter ego subscribo, possit etiam intelligere occultam quandam qualitatem ex Syderum motu, ac lumine in humana corpora influentem, occultam vocas Medicis incognitam, ita vt illa, quorum naturalis ratio nostro intellectu percipi, haberique minimè potest,

E est, Diuino nomine meritò possint insigniri; Quam sententiã certè non improbarem, nisi esset, quod ad occulta confugere, vbi quid manifestum possumus assignare, nunquam mihi laudabile satis visum fuit; cui forsan illud accedit, quod Hippocrates per illud, Diuinum, occultam qualitatem, cuius noster intellectus rationem nequit adinuenire, intellexisse minimè potuit, ea enim, quorum causam ignoramus, neutiquam Diuina, sed propriè admiranda dicuntur, tum enim ex communi omnium consensu admiramur, vbi causam eius, cuius occasione admiratione afficimur, nescimus adinuenire; Verum, quod non parum vrget, est, quod si Hippocratis intentionem manifestare velis, vt certè teneris, vbi eiusdem verba interpretaris, nullo pacto verbum illud, Diuinum in morbis, occultam qualitatem ex Syderum motu, ac lumine in humanũ corpus influentem declarabis, huius etenim nullibi ego, quod sciam, mentionem fecisse mihi videtur Hippo. satius ergo erit, Galeni præceptoris sententiam insequi, tanquã eam,

F quæ & Hippocraticæ menti, & rationi magis consentanea existit, vt patet considerantí: Cœterum, non leui consideratione contextus esse oportet, alioquin nullo pacto huius Galeni interpretationis veritas appareret, quandoquidem ab Hippocratis mente alienum satis esse videtur, quod per (Diuinum) aerem, seu aeris constitutionẽ dixeris, voluerit intelligere, quid enim aer præ cœteris in se habet (quod spectet ad morbos) merito cuius Diuinum sibi nomen potissimum mereatur? Quod equidem nõ semel animo voluens, quid excogitarim pro declaratione, tibi breuibus hac data occasione hic aperire decreui. Sanè aerem nõ solum nobis naturalem, quod & ad nostram compositionem concurrat, & naturalem in nobis statum (si modo conueniens sit) diutius conseruet, verum etiam ac Diuinum esse, primum ab effectibus liquet, iisque ferè diuinis, quos operatur, ille enim inter cętera omnia, nos alterare valet, tum inducere, tum inductos in nobis curare morbos, ea ratione, qua in omnibus intimioribus etiam partibus nostri corporis liberè, nolimus velimus, sese insinuat, ingreditur, & egreditur adeo, vt illi absolutè solum vndiq; corpus permeare à natura datum sit, media respira-

D tione, ac transpiratione, quibus calorem nostrum in propria seruat symmetria, & si aliquis calor aliquando fortè nos corriperet, hunc eumdem frigiditate emendat, humiditati in nobis interdum affluenti, siccitate repugnat, huic humiditate obstat, ac demum frigidos morbos proprio calore depellit, hic quà lucidus, mediũ est, quo videmus, quà commotus, quo audimus, quà odorum fit particeps, quo olfacimus, hic tandẽ, quo vitam viuimus. Ex quibus omnibus, quemadmodum Aristot. & Galen. non semel thermales aquas sacras iure dixerunt, ob effectus quasi sacros, quos in nobis efficiũt; ita pariter & Hippoc. aerem quid diuinum merito dixisse, Galenus idem autumat, & interpretatur; Amplius, quemadmodum aqua piscibus diuina non immeritò diceretur, ob eam, quam in ipsa, vitam degunt, sic & nobis aerem diuinũ non maximo sine iure Hippoc. nuncupauit, quod in ipso viuamus, operemur, & conseruemur, tantum si quidẽ in nobis momentum in se habet aer, vt ne momento quidẽ ipso carere absq; vitę discrimi-

G ne possimus. Quæ ita se habere, dum secunda valetudine fruimur certo certius existit, ac experitur vnusquisque; an autem eadem vera sint dum morbis affligimur, præterquam quod clarissimè testatus est Hippoc. in ijs Aphor. præsertim, in quibus de temporibus, & causis morborum ex diuersis aeris dispositionibus contingentium mentionem facit, explicatq; Galen. in Commentarijs, experientia adhuc rerum omnium fide certissima cõprobari potest, morbos.n. sæpè sæpius præ manibus curandos habemus, quos alterius conuenientioris aeris beneficio tãtum curamus, quasi manu diuina, cum alioquin alijs quibuscunq; præsidiorum generibus adhibitis, & assumptis, illos curare nequissemus hinc, si quid diuinum existat in morbis, adnotandum præmonet Hippoc. hoc est, an aer, seu aeris constitutio, remedijs præscribendis, curandoq; morbo profutura, vel potius contraria subsistat, quòd non parum etiam ad prognosim faciendam

conferre

conferre, haud est dubitandum, quia aeris constitutio variabilis, vt puta autumnalis, A sæpissimè in morbis certum euentum Medico interdicit, eo potissimum nomine, quo propria inæqualitate caloris, & frigoris, siccitatis, & humoris patientes continuò, veluti Caribdis, ac Syrtes agitat, atque turbat, sicque morbos incerti iudicij tunc temporis vagari compertum est, & apud omnes receptum, ex quo omni iure aeris constitutionem per quid diuinum exprimere voluisse Hippocratem Galenus est interpretatis; hæc etenim tamquam diuinum numen subitò variare corpora nostra potest, huiusque beneficio, quod alijs quibuscunque præsidiorum generibus consequi non potuimus, statim assequimur. Non abhorrerem etiam ab ea, quam tu proponis vir Excellentissime interpretatione, nisi essent superius dicta, quæ me tum ab ipsa retardant, tum ad Galeni Commentum amplectendum adducunt. Vale.

PAVLO ANTONIO MILZETTO FAVENTINO Medico Præstantissimo. B

RESPONSIO XIII. *In qua Vtrum Dysenteria inter contagiosos morbos sit reponenda, disseritur.*

CIRCA Dysenterias, quæ hisce temporibus per totum ferè orbem serpunt, illud libenter scires, nu scilicet inter contagiosos affectus essent connumerandæ; in quo, sicuti diu te anciperem fuisse tuæ nuper mihi redditæ litteræ ostendunt, ita & nunc, vt quid hac de re sentiam significè tibi, te maximo flagrãtem desiderio satis apertè declarant, quo ne frusteris, tibi morem gero, & Dysenteriam nullo pacto inter morbos, qui contagio sese insinuãt, recenseo; quonam autem fundamento innixus, satius erit tibi breuibus perstringere, ne videar propriam sine iure sententiam sustinere. Profectò morbos quoscumque, qui ex contagio dependent, quod nil aliud est, nisi qualitas morbosa, & praua ab aere, vel corpore alio infecto in aliud corpus translata, ad duo capita reducere, vel nolentes cogimur: Aut enim alij per contactum immediatum corporis infecti suscitantur, aut per mediatum: hunc spiritualem, illum humoralem contactum vocant nonnulli: Spiritualis tunc fit, vbi de corpore infecto spiritus inquinati egressi, aeri commixti, vel vestibus, indumentis, ac alijs fomitibus impartiti, aliud postmodum corpus ingrediũtur per inspirationem, aut per insensibiles corporis meatus, illo modo ob aerem propriè inquinatum, hoc verò ob vestium & aliorum infectorum vsum corpora inficiuntur, primo quoad spiritus, humores deinde, demum quoad solidas partes; sicque Lippitudinem, Phtisim, Pestemq; morbos contagiosos dicunt. Cœterum, qui humorum contactus dicitur, ea ratione suscitatur, quà praui humores in aliud corpus transferuntur, quod vtique accidit quando corpora se mutuo immediatè tangunt, eorum si quidem proprius est contactus, quorum extrema sunt simul, hinc humores prædicti (vt etiam indicauit Aristoteles septima Problematum Sectio. Problemate 8.) duabus sint insigniti conditionibus necesse est, quarum altera vt in corporis superficie consistant, altera vt moderatam habeant tenacitatem, illa, vt agentis in passum potentia melius deducatur ad actum, quod potissimum occurrit, vbi contactus immediatus ob superficialem humorum in corpore existentiam intercedit, hac verò, vt præ viscidítate, atque lentore magis adhærentes humores, commodius etiam ob moram, propriam formam introducant: Hincque luce clarius innotescit, cur morbus attonitus, aqua inter cutim, morbi

C D

E minimè contagiosi esse nequeant, & è, contra, cur scabies affectus contagiosus constituatur pariter innotescit. Quæ cum ita se habeant, ad rem nostram accedo. Porrò, Dysenteriam, vel ex eorum specie morborum per contagium dixeris, qui per contactum Spiritualem, aut humoralem inficiunt, neutrum defendum est, ergo neque inter contagiosos morbos Dysentericus reponi poterit; non primum, quoniam morbi ij propriè per contactum spiritualem se propagare possunt, qui vel aere infecto inspirato, vel vestium, aut alterius, fomitem morbi contagiosi sustinentis vsu, & contrectatione in aliud corpus transferuntur; Aer autem, & vestes, cęteraque omnia infecta euadunt, media morbosi corporis, vel respiratione, vel transpiratione; Dysenteria verò ex illis affectibus minimè est, qui aerem possit, indumenta, linteamina, ac alia ita coinquinare, vt fomitem proprium inducat: nam si hoc posset, vtique vel respiratione, seu transpiratione; Non quidem respiratione, cum hæc propria sit il-F lorum affectuum qui partes spirituales potissimum obsident, proindeque Phtisim, & Pestem, in quibus pulmones præsertim, corque laborant, contagiosos morbos dixit Arist. loco præcitato, & Galenus 1. de feb. differentijs. Sed neque transpiratione, cum hæc illis affectibus debeatur, quorum proprium est exhalationes morbificas extra per superficiales cutis poros transfundere, transpiratio enim meatibus per vniuersum corpus distributis maximè debetur; modo, cum Dysenteria neque morbus sit, qui partes obsideat spirituales, naturales namque partes, vel saltem naturalibus inseruientes in Dysenteria laborant, neque is affectus existat, cuius proprium sit euaporationibus insensibilibus per transpirationem exhalare, sensibiliter enim morbosa excrementa per secessum transmittere facultatem cogit expultricem, ex illorum affectuum serie non erit, qui per contactum mediatum, (vel spiritualem dixeris) corpora morbosa reddant. Sed nec pariter ex illis erit, qui per humoralem contactum inficiant, quod est secundum à nobis principaliter concludendum: nam Dysenteria G morbus non est, cuius peccantes humores duabus illis sint insigniti conditionibus, quas superius in humoribus contagiosis necessarias ex Aristotelis mente, & rei veritate docui, tantum enim abest, vt humores Dysenteriam producentes in superficie siti sint, viscositatemque habeant adiunctam, vt potius per interiores corporis partes sint dispersi, tenuesque vt plurimum existant, bilem si quidem vt plurimum referunt. Verum, cum hæc omnia ex se notiora existant, quam ego possum in medium afferre, circa illorum vlteriorem comprobationem non immorabor, sed ex illis iure concludam, Dysentericum morbum minimè contagiosum ex sui natura esse posse, quamquam illum Symptoma febris ipsius pestilentis aliquando existere non repugnet; quæ duo mihi experientia sunt præterea valdè comprobata, quando viderim in ædibus ijsdem eos, qui Dysentericos tractarunt, & gubernarunt, intactos ab H hac labe fuisse seruatos, & plurimos febre pestilenti correptos Dysentericos etiam factos fuisse. Et si quis contra primum illud afferret, quod in eadem domo, ciuitate, & loco, plures fuerint ab hoc morbo immaniter vexati, id accidisse dicerem, ob communem causam, quæ in illis pluribus humores acres colligere, generareque potuit, quemadmodum fuit communis victus ratio; & hæc sunt de hac re, quæ in præsentia dicere potui, & vtinam tibi satisfecerim, Vale atque Claudini memor esto.

A

BARTOLOMÆO SEVEROLIO EXIMIO Medico Fauentino.

Responsio XIV. In qua constituitur, An vita in hominibus, ablata respiratione perseuerare possit.

NOn abs re An vita hominis ablato anhelitu consistere possit à me petis, quoniam hoc dubium satis esse videtur; nam ex vna parte expressissima est Aristotelis, & Galeni sententia, illius, in libro de Respirat. cap. vlt. tam diu nos B viuere, quamdiu respirare contingit; huius verò sexto de Locis affect. cap. 1. sublata respiratione vitam & auferri; item, cap. 5. vbi idemmet Galenus respirantem non viuere, & viuentem non respirare statuit impossibile. Ex altera verò parte experientia, dum scilicet mulieres hysterica passione detinentur in dies, vitam a respiratione separabilem suadere videtur, sicuti & illud suadet, quod miserrimè subtilissimo Scoto dicunt accidisse, quem cum semel Symptomate sibi familiari, quò respiratio auferebatur, ita, vt mortuus videretur, monachi reperissent, tanquam verè mortuum terræ dederunt. Quid autem in hac controuersia sentiendum sit, vt pateat, illud in primis non ignorandum, Vitæ nostræ permanētiam in debita caloris symmetria, ac proportione firmari; hincque cum cordi nostro tantum à primordio caloris insit, vt si digitus in eiusdem sinubus immitteretur, calorem vix sustinere valeret, factum est, ad feruorem illum compescendum, prædictamque proportionem inducendam, atque diu C seruandam, non vnicam ventilationis rationem natura procrearit, respirationem primò placidam, quæ solo diaphragmatis motu perficitur, vehementiorem secundò, cui pectus etiam cum proprijs musculis auxiliatur, atque tertiò, transpirationem, quam vniuersi per corporis ambitum distributi pori quamquam insensibiles exequuntur: Quos ventilationis modos, sicuti ad vitæ nostræ diuturnitatem Deus instituit, sic & plures ipsum instituisse ad hunc præcipuè finem certò supponendum, vt vel altero illorum impedito, puta respiratione, alter, transpiratio nimirum, interea calorem ventilando, sustineret. Illud praeterea sciendum est, respirationem sensui quidem apparere, & eo præcipuè, si vehementior fuerit, transpirationem verò eius esse conditionis, vt oculos, reliquosque sensus subterfugiat; Quæ omnia, an ita se habeant, Galenum habeo ducem, qui vbi de respiratione, ac trāspiratione verba facit, at præcipuè libro de Vtilitate respirationis capitibus 3. & 4. ea, quæ dixi probat non solum, verū etiam D expresè confirmat, vt propterea interim mihi circa dictorum comprobationem nulla ratione sit immorandum, sed solum ex illis propositæ quæstioni sit satisfaciendū. Impossibile est vitam perdurare, vbi omnis ventilationis ratio calorem nostrum destituerit; at vbi respiratione deficiente solū, transpiratio non cessat, vitam adhuc ad aliquod tēpus pro trahi posse certo tenendū, atq; eo magis, si calor natiuus ventilandus modicus, vt in quibusdam morbis existat, Hinc Arist. & Galeni auctoritates præcitatas, experientiam è contra ab hysterica passione in mulieribus desumptam, acetdensq; Scoti inter se haud repugnare colligitur. Quantum n. ad Aristot. & Galen. attinet, ea ratione sunt intelligendi, vt vna cum respiratione transpirationem in locis recensitis includant, vt sensus sit, Impossibile est viuere, omni ventilationis modo cessante, respiratione nimirum, ac transpiratu prohibitis; qui quidem transpiratus, vbi calor est imminutus (vt in mulieribus prædicto morbo affectis, alijsq; præter naturam se habentibus,

tibus, vsu venit; nec non Scoto superuenisse credendum) est ad vitæ sustentationẽ satis, superque sufficiens, tantum enim iufrigidantis aeris per latentes cutis poros ingreditur, tantumque fuliginis egreditur, quantum affecti caloris gberniũ interim expostulat, quæ cum sensui non appareant, non mirum propterea, si mulieres hystericæ, dubitandi præstent occasionem, an Vita à respiratione separabilis existat; nec mirum pariter, si monachis occasionem præbuerint, quà Scotum Symptomate illo correptum limo dederint ante tempus. Et hæc sunt, quæ ad præsentem difficultatem facere mihi visa fuerunt, quorum tibi mentionem feci, vt litteris tuis potius obtemperarem, quam satis facerem: hoc etenim longè maiores, quam sit mei ingenij vires, requirere pro certo habeo; sed cui non parum fido. est beneuolentia in me tua satis insignis, quà semper mea tibi saltem placuerunt, si non ex toto satisfecerint, vt exinde me tuæ humanitati plurimum debere profitear. Vale, & tuos conciues, meosque familiares Medicos Excellentissimos meo nomine saluere iubebis.

IOANNI BAPTISTÆ ORIO ARIMINENSI Medico Excellentissimo.

RESPONSIO XV. In qua Contradictiones aliqua in dictis Hippocratis, & Galeni satis apparentes de medio tolluntur.

NISI iam ego in multis, quæ ad Praxim, ac Theoricam spectant, & in hac tui iugenij perspicaciam, in illa eiusdem peritiam agnouissem, nunc mihi ex tuis elegantissimis litteris vtraque satis superque constaret, in ijs siquidem eos moues lapides, quos nisi in dogmatibus Hippocratis Diuini Medicinæ parentis minimè versatus esses, nec non in rebus practicis exercitatissimus, nullo pacto dimoueres; verum. quoniam illos ea ratione mihi motos proponis, vt meam circa eorundem expolitiorem (nam ob difficultates insignes rudes admodum sunt) sententiam patefaciam, tibi morem gerens, rem aggredior. Galenus (vt inquis) & reliqui omnes quotquot, post ipsum de Pleuritide fuere loquuti, ipsam membranæ sub ingestis costas inflammationem esse dixerunt; quia in re, ab Hippocrate præceptore longe dissentire videntur, cum ipse lib. de Locis in homine, textu 24. Pleuritidem pulmonum secundum alteram partem, Peripneumoniam verò eorundem secũdum vtramque inflammationem constituit his verbis: [Et vbi materia in totum fluxerit, vtrumque latus contingit, & peripneumoniam Pulmonum appellatum morbum facit, cùm verò alterum tantum, Pleuritis fit.] Id quod etiam confirmat eodem libro textu 37. vbi Pleuritim siccam pulmonis exiccationem, & costis eiusdem adhęsionem vocat. Quam Hippocratis sententiam oculata fides tibi confirmare uisa est, dùm Romę multi ea prorsus patientes Symptomata, quæ Pleuritidem uerè demonstrant, tandem ui morbi extincti, atqui dissecti, pulmones tantum malè affectos habuerunt, nulla obseruata labe in membrana pleura dicta; Hoc idem, quòd uiderint alij exercitatissimi uiri, scribis, ut proindè admirari liceat Galenum cæterosq; omnes, qui proprij præceptoris obliti, Pleuritidem definientes, (quod spectat ad locũ affectum) membranam pleuram affici pronunciarint, id quod experientiæ, ut scribis manifestè repugnat; Vel potius quis addere posset, admirandus existit Hippocrates, qui aliàs costalem morbum Pleuritidem dixit, cum Pulmonarium magis dicere debuisset

buisset, ex locis præcitatis. Cæterum, neque Galenum, neque Hippocratem admirari A conueniens est, inter ipsos enim nullam, quantum ego existimo, dignoscent ij cõtradictionem, qui verba præcipuè Hipp. diligenter legerint, quæ vt intelligantur, sic incidere oportet. Supposito enim prius, quod Hipp. de destillationis à capite biliosæ affectibus morbosis in thorace verba faciat, vt statim verba ad initium illius textus 24. legenti perspectum est, duos deinde tantum affectus præter naturam partus destillationis ibi, nempè Peripneumoniam, ac Pleuritim proponit, eosq; circumscribens, testatur in reliquis Symptomatib. conuenire, præterquam in dolore lateris, quoniã in Pleuritide vnum tantum latus in Peripneomoniam verò vtrumq; dolet; Hinc animũ ad partem prognosticam conuertens, dicit Pleuritim (quod etiam de Peripneumonia, tanquam morbo acuto intelligere oportet) esse periculo plenam 7. ac 9. die. tandẽ vt causa, ob quã in Peripneumonia vtrumq; latus thoracis, & in Pleuritide vnũ doleat, innotescat, quomodo generentur hæc malo subdit, dicens, quod si B materia biliosa defluat à capite per guttur, & asperam arteriam in pulmones, tũc hi, quia rari, & sicci, facilè replentur tanto humore, quãtũ capere possunt. & repleti fiunt maiores, secundumq; totũ adaucti, vtrumq; thoracis latus per proprias extremitates, seù per superficiẽ externã cõtingunt, atq; sic Peripneumoniã morbum pulmonũ vocatũ, fieri nos docet: Quod si pulmones non contingant vtrumq; latus, quod cõtingit quia ex toto (& hoc vt notum ex dictis de Peripneumonia Hippo. non profert) non replentur, fit Pleuritis, ex quo modo loquendi colligitur causa, ob quã vtrumq; latus in Peripneumonia, vnum in Pleuritide doleat, nunquam autem pulmones esse locum affectum Pleuritidis, sicuti Peripneumoniæ, cum de hac loquens Hippoc. expressè dicat, Peripneumoniam esse pulmonum affectum, non autem Pleuritidem, quam fieri dixit, cum pulmones alterum tantum latus contigerint, quasi Pleuritis nõ fiat, nisi affecto latere thoracis, quo dato, iam in illa latus erit locus affectus. Sed dicet C aliquis, idem etiam protulit de Peripneumonia, quod scilicet non fiat, nisi vtrumq; latus afficiatur, vt eadem ratione etiam in hac latera possint esse locus affectus: Dico, latera quidem affici, sed per participationem, meritò cuius aliquando Peripneumoniæ coniungitur, vel saltem subsequitur Pleuritis, vt omnes norunt. Causa autem cur per participationem afficiantur latera in Peripneumonia, est propinquitas, & cõtactus eorũdẽ cũ pulmonib. humore repletis, qui cũ latera cõtingant in Peripneumonia, vt rõne positus doloris distinguere Hipp. Pleuritidẽ à Peripneumonia, coactus fuit in hac meminisse laterum; hinc, ne aliquis in absonũ incideret, vt crederet ẽt Peripneumoniã esse morbũ lateralẽ, statim subdit, eã esse pulmonum morbum, quod cũ non expresserit de Pleuritide verba faciens, non est, quod colligatur in illa pulmones esse locũ affectũ. Sed instabit ille, vnde nã est, quod in Pleuritide meminit pulmonũ Hipp. Respondeo, vt id intelligatur, paulò altius petendũ esse exordium, ac di- D cendum, Pleuritidẽ, & Peripneumoniam, de quib. nunc agitur, esse affectus genitos per defluxionẽ à capite, & ob id per motum materiæ, in omni autẽ motu, terminis à quo, & ad quem, spatiũ, ac mobile sunt necessaria, Terminus à quo cõmunis vtriq; huic affectui caput ab Hippocrate in hoc loco constituitur, terminus ad quem in Peripneumonia pulmones, in Pleuritide latus, vt ex dictis liquet: Spatia verò sunt guttur, ac aspera arteria respectu Peripneumoniæ, illa duo, & pulmones simul sũt spatia respectu Pleuritidis, vt pulmones in hac proponãtur, nõ vt terminus ad quem, sed vt spatiũ, per quod humor à capite, tanquã mobile defluens transit, ac Pleuræ cõmunicatur, quo fit, vt necesse sit in generatione Pleuritidis pulmones reperiri, non tanquã terminum ad quẽ, & locum morbi, sed veluti spatium, & locum causę ipsius pleuritidis, ideo pulmonũ mentionẽ fecit Hippocrates vbi de tali Pleuritide loquitur; quod etiam alia ratione factũ ab ipso fuisse puto; nam sæpè vsu venit, quod affectus hi duo,

pleuritis

A pleuritis inquam, & peripneumonia non tantum inuicem transmutantur, sed etiam coniunguntur. Ideo Hippocrates volens id nobis indicare, visus est voluisse id accidere, vbi adeo copiosa a capite destillat materia, vt pulmonis repleat modo dicto: nam tunc pleuriti Peripneumonia annectitur, vbi verò non, fit pleuritis tantũ. Quidnam autem causæ sit, quod peripneumonia ex toto, pleuritis verò ex parte pulmonibus repletis fiat, dico id occurrere, quia si repleantur vndequaque, tunc facultas eorũ expultrix à copia humoris contractionem pulmonum impediente, ira lacessitur, vt materia in illis detenta à natura non regatur, inde putrescit, ac proinde inflammationem parit; si verò materia morbifica non ita fuerit copiosa, vt pulmones totos apprehendat, ac repleat, tunc expultrix adhuc valens, illam in latus exprimit, atque sic fit Pleuritis, vbi per latus non tantum pleuram, sed musculos etiam intercostales oportet audire, cum de Pleuritide ratione loci illegitima, ac spuria sermo sit institutus Hippocrati in textu illo 24. Quod verò ad textum 37. eiusdem libri dē Locis in homine, B spectat, vbi Pleuritidem siccam (quam sine sputis idem, & Hippocrates, & Galenus intelligunt) circumscribens, dicit, esse pulmonum exiccationem, & costis adhæsionē, ex quo pleuritidem necessario pulmonum esse morbum aliquis elicere posset; Dico, ex eo colligi solum, pulmones coafficí ad effectum lateris, seu pleuræ, & musculorum intercostalium, non autem primaria ratione laborare, quia quod sic afficitur, est vel pleura, vel aliqua intercostalis pars; pulmones igitur per participationem afficiuntur in Pleuritiede sicca, quodq; qua ratione contingat, sic declarare oportet. Primum quidem pulmones exiccantur, vt indicio est sitis aliquando inexplebilis, teste ibidē Hippocrate, quia retenta materia inflammationis in partibus thoracis, calor præter naturam, ac putredinalis, magis, ac magis augetur, qui adauctus, pulmonem alioquin sua natura siccum, adeò demum exicat, vt tandem præ impotentia reclinet, & pariter fiat C pulmonum costis adhæsio, vel quia ex retentione humidi, ob carentiam sputi, pleura, & pulmones simul veluti inuiscantur, deinde calore extraneo partium earum agente, absumuntur partes tenuiores excrementorum, quæ magis incrassata, & ad lentorem perducta, sunt in causa, vt partium prædictarum adhæsus fiat; Vel, quia sæpius ob putredinem in ijsdem partibus sit abrasio, quæ ob cicatricem communem inductam sanata, huiusmodi adhæsionis, cuius meminit Hippocrates textu 37. de Pleuritide sicca loquens, causa euadit. Quibus ita constitutis, iam satis apparet, inter Hippocratem & Galenum nullam esse discordiam. Sed restat adhuc, vt experientiæ propositæ satisfaciam, quam ego credo verissimam, multos nimirum Romæ dissectos te, ac alijs doctissimis viris præsentibus secundum pulmones tantum lesos fuisse, nulla obseruata noxa in menbrana pleura dicta; Cæterum, quod ij Pleuritidem veram, vt scribis, passi fuissent, non possum ad credendum adduci, neque enim indicia omnia poD terunt adesse vlla ratione, quæ pleuritidem existentem denontat, quorum præcipuum vt pulsus serratilis, & tensus, qui necessariò fit ratione menbranæ affectæ, vbi Pleuritide vera patientes detinentur, at neutiquam contingere potest, vbi pulmones tantum laborant, quando, ijs affectis, nulla penitus appareat huiusmodi duritiès; quæ sunt verba Galeni quinto Locor. affectorum, de Pleuritide, & Peripneumonia loquentis. Ex quibus omnibus Vir Excellentissime si aliquid dixero, quod tibi gratum fuerit, mihi quoque gratissimum extitisse putes, & reuera libenter aliorum opiniones circa locos iam dictos mihi visos difficillimos audirem; quamquam non ignorem, aliquem (& non immeritò) vt illas difficultates soluat, ne dicã subterfugiat, dicere posse, lib illum de Locis in homine, haud esse Hippocratis germanum, ob varias, ac diuersas contradictiones (apparentes tamen meo iudcio) tametsi ego auctoritate Celsi, qui librũ hũc veluti Hippocratis citat, ductus, arbitrer esse eiusdē Hippocratis germanũ. Vt cũq; tamē, interim tu valebis, meiq; sēper memor eris, in hoc n. certè cõpēsaberis

EIDEM.

A

EIDEM EXCELLENTISSIMO ORIO.

RESPONSIO XVI. *In qua determinatur, An Peticulæ Antiquioribus cognitæ fuerint.*

INter recentiores Medicos, ſicuti eam eſſe litem non me latet, qua diſputant, an maculæ, quæ in febribus peſtilentibus vt plurimum apparentes obſeruantur, Antiquioribus, præcipuè tamen Hippocr. & Gal. cognitæ fuerint, ita multos multa dicere, eaque inter ſe diuerſa, non ignoro; cum quibus tamen ego ſiin vel te iubente (Ori amantiſſime) breuibus aperiam, interim tu cum illis eſſe videris, qui cognitionem harum macularum Hippocrati non denegant, & quod hac in re vehementer placet, illud eſt, quod ad id aſtruendum peculiari quodam, eoque clariſſimo vteris Hipp. teſtimoniū (quod inferius adducam) cœteroſque communes, ac triuiales locos omiſſos facis, ex quibus nil certi (vt falsò autumant nonulli) colligi poteſt, quod ad propoſitum negocium attineat: Loci hi ſunt, ex primo nimirum Epidemiorū Commentario 2. textu 38. item & Commentario 3. textu 19. necnon 3. Epid. lib. Commentario 3. textu 51. petiti, ex quibus tanquam ijs, quos Galenus fuit commentatus, multi (& inter hos Maſſaria, Vir alioquin de quæſtionibus medicis optimè meritus) contendunt, etiam à Galeno Peticulas cognitas fuiſſe; Verum (pace ipſorum) adeo falluntur, loci namque prædicti, tantum abeſt, vt cognitionem Hippocrati, & Galeno Peticularum adſcribant, vt potius nulla ratione, ſi modo rationem inſequi velimus, ad huiuſmodi concluſionem inferendam faciant. Quantum etenim ad locos illos ex primo Epid. petitos attinet, in quorum alterò caſum Sileni narrat, de Papulis Hipp. loquitur, quæ vt ipſe habet, erant Varis ſimiles, qui tumores ſunt, quemadmodum etiā & in altero earundē Papularum mentionem facit, quarum efflorescentium proprium eſt cutim in tumorem eleuare, vt idcirco illas ſub genere tumorum reponere neceſſe ſit, quandoquidem extuberationem ſatis manifeſtam producunt, quod neutiquam de Peticulis noſtris affirmari poteſt, cum hæ ſimplices cutis defœdationes exiſtant, ad qualitatemqnæ mutatam potius reducantur. Cœterum auctoritatem ex 3. Epid. deſumptam ex qua non ſolum Hippocratē verum, & Galenum Peticulas cognouiſſe præſertim colligit Maſſaria, prosſus vanam eſſe, eiuſdem Galeni interpretatio docet: nam cum ibi Hippocrates de papulis verba faciat, Galenus interpretans, has duplicis generis eſſe poſſe conſtituit, quorum alterum cum craſſum, copioſumque ſit ab humoribus craſſis, atque copioſis ortum in tumorem pellem attolit, alterum verò cum tenue propter tenues humores, & acres, à quibus trahit originem, exulcerationes potius excitat, quæ duò an Peticulis noſtris conueniant, illud potiſſimum atteſtatur, quod hæ neque humidum quicquam in ſe continent, craſſum, & copioſum, quo poſſit Cutis eleuari, neque quid acre, qualitateque (vna excepta occulta) peccans in ſe habent, quo mediante cutim, vel ſubditam carnem excedere valeant, ſed potius efflorescentię quædam ſunt, punctorum ſpeciem referentes, cutiu à naturali, proprioque calore deuiantes; Ac aliud habeo ego aduerſus hoſce luculentiſſimum Hippocratis teſtimonium in eodem loco ex modo loquendi de ſumptum; ibi enim habet Papulæ magnæ, & herpetes multis magni; Quam magnitudinē nobis declarans ſecundus præceptor Galenus, dicit: aut quod multū occuparēt loci aut quod adiunctā malignā exulcerationē haberent; quæ duæ conditiones, vel ſeorſim, vel ſimul acceptæ, haud poſſunt Peticulis noſtris adaptari, nō prima, quoniā illæ magnitudinē puncti ab acu inducti, ſeu

B

C

D

morſum.

E morsum culicum non excedunt, hinc multum loci eis occupare denegatur; & quam quam malignitatẽ, non ob id exulcerationem (quæ secunda conditio Peticulis haud conueniens est) habent adiunctam, quæ ita se habere certo certius experientia demonstrat indies. Nec aliquis obijciat, Petriculas nostras ea ratione magnas dici posse, quia per vniuersum corporis ambitum efflorescunt, nam ibi Galenus de tumoribus, seu Papulis illis magnis magnitudine continua (vt sic loquar) & non diuisa, atque discreta loquebatur, vt videre est; Quod etiam ratio suadet; nam si magnum occuparent locum, vtique prout morbi magnitudo expostulat, natura exoneraretur, sicque per modum Crisis (quod vtinam contingeret) fierent, cum tamen id non vsu veniat non ergo magnum locum detinere valent, nec similiter exulcerare, quoniam ab humore acri non pendent, vt dictum est. Quibus tamen rationibus contra istos adductis non propterea Hippocratem & Galenum hasce maculas ignorasse credendum,
F neque enim hoc deproprijs præceptoribus iudicare conueniens est, sicuti neq; rationi consentaneum: Non quidem conueniens, quandoquidem omnium eorum, quæ in morbis accidebant diligentissimi erant Hippoc. Galenus scrutatores, omniaq; superuenientia ægrotantibus adamussim obseruabant; Nec pariter rationi consentaneũ nã & quis vnquã, & qua ratione poterit sibi, alijsque persuadere, temporibus illis Hipp. & Galeni pestilentibus febribus circum vagantibus, ijs quæ nostris etiam temporibus vagantur, simillimis omninò, atque secundum cætera omnia Symptomata ad vnguem respondentibus, Peticulas tantum delituisse: An forsan eruptio eorum, quæ noxia sunt ad cutim nouum quoddam genus est excretionis, nouumque monstrum à natura, vel morbo nouo cogente productũ? Sed statim dicet aliquis, eadẽ esse potest ratio & luis venereæ, quæ nostris temporibus incæpit, & harum macularum, quod statim pariter absolutè negandũ; & rõ negationis huismodi afferenda; nam lues illa
G morbus quidã est, ab alio non dependens, sed potius is, ad quẽ alia tũ morbi, tũ Symptomata subsequuntur, at peticulæ eius sunt conditionis, vt morbũ, febrẽ scilicet pestilentẽ, ac malignã comitentur, quod si lues etiã accidens esset, quod ad talẽ, vel alium morbũ sequeretur, qui tempore antiquiori vagatus fuisset, nulla ratione nouũ morbi genus (quoad Symptomata loquor quæ parit) dici posset, ac antiquis incognitũ. Et si aliquis adhuc litigiosè potius quã scientificæ instaret: Si Galen. & Hipp. hasce maculas cognouissent, aliqua de ipsis posteritati tradidissent in suis Operibus; Et Galen. præsertim vir alioqui copiosissimus, in libro Medicus inscripto, vbi cutis oẽs affectus recenset. Huic ita censerẽ respondendũ, quod ratio à parte negatiua desumpta, habet sibi denegatã conclusionẽ, & proinde apud omnes est receptũ, argumenta à parte negatiua nihil concludere; quãquã etiã & locum Hippocratis clarissimũ nemini cognitum, quòd viderim, vt tu etiã vir doctissimè obseruasti, in quo expressissimè harũ peti-
H cularũ mentionẽ facit, possim in mediũ adducere; locus autem est 7. Epid. tex 41. vbi in casu Phereclidæ habet: Octaua die apparuerunt, veluti culicũ morsus. Etsi alterũ obijcientẽ audiã, in dubio esse, vtrũ liber ille fuerit Hipp. Respondeo, non propterea antiquiori illi ætati denegandam esse nostrarũ peticularũ cognitionem, cum liber ille (cuiuscumque modo sit) paulo post Hippocratis dies, ne dicam tempore eiusdem conscriptus fuerit necesse sit; ex quo illud fateri consequens est, veluti necessarium, quòd quemadmodũ illi, qui librum præcitatum (dato interim, sed non concesso, quod non sit Hippocratis) conscripsit notæ fuerunt huiusmodi maculæ, ita & Hipp. quod si huic, certè etiam, & Galeno. Quam ob rem, si quis quærat, qua de causa factũ fuerit, vt nihil de peticulis hisce prædicti viri docuerint, dicerẽ ego, id propterea contigisse, quod nihil, vel parum admodum ad curationem morbi valeant, ad quem sequuntur, quòd si breuibus probauero, huic quæstioni à te mihi propositæ finem imponere iure potero. Sic igitur argumentor. Omne quod ad aliquem morbum curandum facit,

rationem habet, vel indicantis, vel prohibentis, sic in febre curanda sanguinis vitium A se habet, vt indicans venæ sectionem, vires imbecillæ, vt prohibentis illam rationem habent (quamquam etiam & respectu sui, propriam indicent, vel restaurationem, vel conseruationem) modo peticulę nequę, vt indicans esse possunt aliquod remedium principale in febre pestilenti, & maligna, neque vt prohibens, ergo nihil conducunt ad morbi curationem ad quem sequuntur. Maior illa i a apud omnes est in confesso, vt non requirat comprobationem. Minor verò sic patet, & primo, quod ad primam partem, quòd peticulæ nullum remedium principale in febre pestilenti morbo, quem vt plurimum comitantur, indicare possint; nam si aliquid indicarent, illud maximè vt motus ad cutim materiæ morbificæ adiuuaretur, sed hoc non suadent: nam quamquam motus ille fiat ad locum conferentem, non tamen à Natura Criticè operante procedit, sed Symptomaticè; & quamquam Aetius, & alij inunctionem ad id præscribant, dicerem ego, illam tunc temporis esse administrandam, vbi venæ sectione B administrata (si tamen vires concesserint) Natura potest adiuta veluti Criticè operari, residuumque noxiæ materiæ ad cutim transmittere; Vel etiam responderem, inunctionem illam Aetij facere ad meliorem tantum curationem. Hinc ad secundam partem minoris illius propositionis comprobandè me conuerto, qua probare teneor, peticulas neque rationem prohibentis aliquid principale induere posse pro curando proprio morbo. Et profecto si peticulæ aliquod remedium generosum prohiberent in febre sibi coexistente, maximè esset venæ sectio, quam prohiberi aliqui in hoc de re medica minimè meriti, autumant; quod tamen rationibus confutare sic aggredior. Nullum per accidens id, quod est per se ad alicuius morbi curationem potest impedire, sed motus ad cutim peticularum in febre pestilenti est quid merè per accidens, motum enim illum natura non per se, sed vi morbi coacta facit, ergo, sectionem venæ (viribus permittentibus) quod est remedium generosum per se ad curationem febris C pestilentis faciens, peticulæ non possunt impedire, atque hoc eo magis, vbi per talem venæ sectionem motus ille non cohibetur, immo eo potissimum iure roboratur, quò natura ponderosa sarcina, qua premebatur, aliqua ex parte exonerata, valentius supra residuum agit, illudque omninò ad cutim transmittit, quo tempore, vt dixi Aetij inunctionē maximè probo; quorum omnium illud etiam mihi certissimum esse potest argumentum, quod si huiusmodi ad cutim macularum eruptio naturæ ipsius est actio supra causam morbificam, ergo, quo talis causa minor fuerit, naturaque robustior, eo felicius, atq; securius operabitur, & id, quod irritata & Symptomaticè operans prius non valebat transmittere, deonerata postmodum, quam validius extra mittet. Adde, quod longè maior est vtilitas in venæ sectionæ, apparētibus etiam peticulis, ac dubiū sit, ne administrata possit detrimentum inferre; nam ex vsu illius seminariū venenosæ qualitatis, quę pręcipuè in febre peticulari consideranda est, breuiori tempore, subitò D quasi dixerim, longius à corde trahitur, & à corpore educitur, ex quo statim maximum ægrotanti iuuamentum resultat, nulla ratione reclamantibus peticulis; Vt ex his, cum nihil conducere possint ad curationem febris, quam sequuntur, vt ostendi, non mirum sit, si antiquiores illi nostri pręceptores Hippocrates & Galenus nihil de illis nobis dereliquerint, quod cum sit fundamentum eorum, qui dicunt ab Hipprocrate, & Galeno haud cognitas fuisse, placet his verbis euertere, quòd multa quis agnoscere potest, quorum nullam vnquam mentionem fecerit, si quidem non valet argumentari ratione desumpta à parte negatiua; Quæ omnia volui tibi scripsisse de hac quæstione certè curiosa, faxit modo Deus, vt hæc tuæ voluntati respondeant. Vale.

EIDEM

E

EIDEM ORIO EXCELLENTISSIMO.

RESPONSIO XVII. *De quibusdam difficultatibus propositis.*

Illud potissimum ab aliorum animalium natura nos longius abducit, quod ipsa tantum ea, quæ præsentia respiciunt, quando quidem solo sensu mouentur, nos verò præterita, & futura, veluti præsentia prospicimus, vtpotè, qui ratione valemus, qua sicuti Dei optimi maximi similiores reddimur, ita pariter penè innumerabilia consequimur bona, ferè innumera mala deuitamus, dum scilicet diligenter præterita animo voluentes, præsentiaque considerantes, futurorum (quantum humana patitur conditio) certiores facti, ad vtilia quæque nos paratiores reddimus, impedimenta si quæ sunt remouentes, ad inutilia verò atque incommoda deuitanda paratiores efficimus. Quæ non vulgari, sed singulari doctrina præditus Medicus præsertim experitur, hic enim imminentes morbos, ingrauescentia Symptomata præuidet, & prouidet, tamquam ille, qui præsagio inhæret, ex quo omnem propriæ arti dignitatem, omnem sibi gloriam comparat in dies, vt propterea non sit mirum, si Diuinus Hippocrates, si luculentissimus Galenus, cœtæris omnibus in hunc vsque diem meritissimè præferantur, hoc iure præcipuè, quod ipsi non minus ad exercendam Medicinæ partem prognosticatricè edocti, quam ad edocendam propensi, non solum sibi ipsis prospicientes, verum & aliorum vtilitati, ille tractatus prognosticos aureos composuerit, hic eorumdem Commentatores fuerit non tantum agressus, sed & libros de Diebus Decrotorijs, de pulsibus, at præsertim de eorundem præsagio, de Crisi, de præcognitione ad Posthumum conscripserit, in quibus ambo prædicendi facultatem declararunt, certisque sanctionibus constrinxerunt, quarum cognitione Medicus morborum euentum præcognoscere valet, quem tamen an certo consequi possit, propter varia Galeni, & Hippocratis loca inter sese pugnantia, satis controuersum videtur, vt vir Eccellentissimus de hac re meritò dubitaris. Primum enim ex vna parte Hippocratem libro de Veteri Medicina sic loquentem videre est; Etiam eum Medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat, certitudinem autem exactam rarò videre contingit. Et in Epidemicis obseruationibus multos præter spem sanatos Hippocratem obseruasse legere possumus. Galenum præterea primo de Diebus Decretorijs cap. 12. ita se habentem obseruare vnusquisque potest; Non dico tali speculatione (præsagiorum scilicet) fretum, numquam falli posse, sed maiori ex parte veritatem me assequi non probabili sermone, verum re ipsa ostendi, quod etiam 8. Methodi c. 3. fatetur, dicens; Ego verò nec in omnibus ægrotantibus fateor exactè me scire in primo die affectũ; quod hunc, multo minus (addo ego) euentũ affectus, vt de se patet; Deinde libro de Constitutione Artis, cap. 18. vt tu vir præstantissime adnotasti, scribit; Ridiculus esset, qui arbitraretur tale esse Medicorum præsagium, quale profitentur Vates, hi hominẽ liberandum autumant, nec adijciunt, si rectè omnia agantur. Ex quibus omnibus, cum manifestè colligatur, impossibile esse cum Medicum reperire, cui semper ad præfixum sibi præsagij finem peruenire licuerit, concludendum videtur, prædicendi facultatem adeò dubiam existere, vt sæpius etiam Galenus fuerit deceptus, sicuti fatetur in locis citatis, ac alijs ferè innumeris, quos hic adducere nimis longum esset. Ex altera verò parte, cum alibi sæpius, at præsertim libro de Præcognitione ad Posthumum, cap. 10. expresè profiteatur, se numquam errasse, ac propterea Vatis nomen sibi comparasse, sui, & Hippocratis quodammodo superius immemor, sibi pariter, & Hippocrati manifestè contradicit; ex quo etiam colligere possumus, prædicendi rationem indubiam, atque omninò

certam

certam esse; vt propterea reprehendendus quidem, non autem credendus, tamquam ille Galenus existat, qui & sibi contradicat, & se numquam errasse iactet, quod tamen impossibile videtur. Cœterum, non reprehensione, sed fide dignus, sicuti semper extitit Galenus noster, ita & nunc de prognostico verba faciens sit oportet, quod vtique apparebit si intimius sensum eorum, quæ supra dixit considerauerimus. Profectò artem Medicam ex ijs esse fateri oportet, quæ peculiari quadā ratione in coniectura, verum artificiosa, consistit, quæ quidem non tantum in dignoscendis, curandisq; morbis, sed etiam in prædicendis curationis euentibus locum habet. Cœterùm, hæc in proprijs principijs sita est, & jure quidem, quoniam nihil reperitur vnquam, cuius principia id ipsum efficentia, natura non contineat, quæ in arte Medica (quod ad prognosim spectat) à morbo, & viribus desumuntur, quemadmodum enim seminibus vis inest eorum, quæ postmodum ex ijs progiguntur, sic quoque in morbi supra naturam, vel naturæ dominio supra morbum consistit euentus, qui mox apparebit, morbi nimirum, vel vitæ solutio. Morbum ergo exactè, & vires pariter ægrotantis scirè tenetur Medicus, vbi quoque exactè quid sit euenturum velit prænunciare. Verum, vt in cæteris omnibus coniecturalibus facultatibus quamplurimos, ita & Medicum, non quidem propria culpa (virum enim vndique doctissimum, atque consumatissimum, quales Galenus, & Hippocrates erant, suppono) falli posse ex eo clarè deducitur, quod multa obstant sæpè sepius, quibus exitus alioquin proprijs indicijs habitus successurus impeditur; quemadmodum enim agricola, dum florem oleę videt, baccā quoque se visurum putat non sine ratione, fallitur tamen aliquando ob aeris iniurias subsequentes, ita Medicus prudens, exempli gratia, naturæ dominio supra morbum cognito, signis omnibus à tribus facultatibus petitis, facili spiratione, bonitate pulsus, somno haud laborioso, excretis omnibus secundum votum respondentibus, discursus illæsione, decubitu decenti, facie simillima tum sibi sano, tum alijs sanis, & proinde leui tolerantia animaduersis, ægrotantem sanandum maximo iure arbitratur, prædicit, decipitur tamen, tot namque sunt, ac tanta, quæ quod prædixerit, possunt impedire. animi accidentia quæque, erroresque, quicumque, vel exigui in alijs sex rebus non naturalibus, assidentes, pharmacopęus, quandoque Deus ipsę, natura sæpè rei Medicę fundamentum, quæ sicuti in conformandis corporibus ex necessitate deficientis, vel redundantis materiæ, & vitio facultatis formatricis, aliaue de causa præter naturam monstra parit, ita & eadem morborum medicatricem alicuius causæ morbificæ subitò irruentis occursu monstra parere posse, quis negabit in morborum medela? cum ex Galeno lib. Constit. Artis Med. cit De repentè possit superfluus quidam succus in corpore interius in partem aliquam vitæ necessariam defluere, possit etiam è contra ab aliqua principe parte ad ignobiliorem impelli, & subindè erit necesse, vt is, qui in principem partem fertur, extremum periculum, qui verò ab ea repellitur, repentinam inopintamque ægrotanti salutem præstet. Quarè cum hæc ita sint, si Galenus dicens se numquam errasse ea ratione intelligatur, vbi morbi natura optimè perspecta, viriū statu aduersus ipsam colluctantem intimius animaduerso, nullum eratum successerit, nullus succus internus derepentè in partem aliquam, vel nobilem, vel ignobilem confluxerit, nihilque demum de nouo aduenerit eorum, quæ possint prædictum euentum subuertere, non venit reprehendendus, nec quid fide indignum tantus vir pronunciauit (quandoquidem omnia nouit in Arte Medica) tunc enim neque Hippocrati libro de Veteri Medicina, & Epidemicis obseruationibus, neque sibi primo de Diebus Decretorijs cap. 12. 8. Methodi, 3. & lib. de Constitutione Artis superius adductis aduersabitur, in quibus ad ea tunc temporis, quæ possunt prædictum euentum omninò impedire, vel saltem euariare, respexerunt Hippocrates, & Galenus, vt non mirum, si ex illis meritò colligi possit, prognosticam facultatem adeò dubiā esse, vt quandoque

E fallere Medicum etiam exercitatissimum oporteat. Hæcque sufficiant dixisse de propositis. Qua rationem autem Medicus, tum morbi naturam, tum virium, & præsentium, & futurarum statum ad vnguem cognoscere possit (quamquam aliquo pacto ex dictis liqueat) con est præsentes loci declarare, nisi te diu tius detinere velim; Si tamen breuiter quomodo cognitio morbi, & virium ad prædictionem conferant; & quomodo etiam tempus euentus Medicus præscire possit breuiter scire cupis, non erit tibi à Galeno recedendum, qui libro Constit. Artis Medicæ capite citato, hæc habet. Nec ob id quisquam debet admirari, si quis robur vtriusque (morbi scilicet, & virium) rectè perpendens, victurum tandem deprehendat, cum videamus, quam plures gymnestas ex primis statim motionibus quibus contra se inuicem luctantes feruntur, victurum prænunciare, & sæpè ante partam victoriam quodque celerrimè aduersarius succumbet, hoc autem agunt, cum alterum altero non parum viderint F validiorem. Quibus vltimis verbis (vbi prius exemplo Gymnastarum, quomodo vires morbi, & virium cognitæ Medico ad euentum conferant docuisset) nos clarè docet, quo pacto tempus etiam euentus certo præfigere possimus, dummodo pariter aliquid non interturbet, sicuti sæpè contingit, ad quod forsan respiciens Galenus, supra hominem esse, numquam errare in fine Prognosticorum asseruit (quandoquidem tunc quæcumque quoquomodo occursura præuidentur) rarissimè autē solius artificis, qui proprijs regulis, certisque sanctionibus semper innititur, quæ tamen respectu diuersorum fallaces existunt. Tu interim vale, meque amare perge.

EXCELLENTISSIMO PAVLO CRASSO
G
Medico Corrigensi.

RESPONSIO XVIII. *In qua locus missionis sanguinis in mensium suppressione decernitur.*

QVamplures Medici eadem, quæ mali gubernatores in se admittere videntur, Diuinus inquit Hippocrates libro de Veteri Medicina; etenim, illi, cum in tranquillitate gubernantes deliquunt, non fiunt manifesti; cum verò deprehenderit ipsos ventus magnus, & tempestas, palam iã conspecti sunt omnibus hominibus, quòd ignorantia, & culpa erroris sui nauem perdiderunt; H sic sanè etiam mali, & plurimi Medici, vbi curant homines nihil graue patientes, etiamsi delinquant, non tamen fiunt manifesti idiotis hominibus; cum verò ipsis obtigerit magnus, fortis, & periculosus morbus, tunc eorumdem delicta, & ars omnibus in conspicuo sunt: neque enim longè absunt (vt idemmet Hippocrates sapienter subdit) singulorum pœnæ, & cruces, sed breui adsunt. A quorum Medicorum classe quàm tu longè recedas Vir excellentissime, non est vt ego fusius explicem; Si quidem in omnibus tractandis ægrotantibus is existis, qui tantum abest, vt delinquas, vt potius omnia ex consilio, prudentia, atque dexteritate ad vnguē præscribendo, summa cum tui laude, & patientium vtilitatem Medicinam profitearis, id quod etiam vnicuique facilè suadere potest tuus de Lolio peritissimus tractatus olim in lucem editus. Et quamquam difficultatem in præsenti, in Medica facultate exercenda consideratione non tantum indignam, verum scitu necessariam tecum existimo, mihi explicandam proponas, tamquam eam, quæ animum tuū vehementer

exagitat,

exagitat, non propterea ad credendum possum adduci, quòd ea tibi non sit vndequaque, tum cognita, tum explicata: Illud tamen mihi facillimè persuadeo, vt meam quoque circa illius explicationem (quæ tua humanitas est) sententiam vehementer exoptes, quam ideo hic breuibus aperire non subterfugiam. Ambigis igitur ex quonam loco sit mittendus sanguis in mensium suppressione, idque ob celebrem, ac diu agitatam controuersiam inter Galenum, & Aetium, nam hic lib. 16. 57. vult, vt mittatur sanguis à cubito, & à talo: ille verò de sectione venæ 11. 18. & 19. venā cubiti secandam prohibet, tamquam eam, quæ menses supprimat, atque etiam ea ratione, quà vterus sit infra thoracem, & propterea in poplite, & malleolis tantum in mensiū suppressione venam tundendam esse docet; id quod etiam tradit lib. de Trem. cap. 5. Hinc recentiores vt Aetium defenderent, vnaque Galeno conciliarent, multa dixerunt. Altimarus enim capite proprio, dixit Aetium maximam supponere plenitudinem copiosa indigentem euacuatione; Et idcirco prius venam cubiti secare, postmodum eā, quæ in talo existit. Galenus verò haud respiciens ad insignem plenitudinem, venam solum tali secat, & quando dicit venam cubiti menses supprimere: respondet pro Aetio Altimarus, hoc verum esse, si post eam non secaretur vena tali. Trincauellius & ipse, vt hanc litem dirimeret, docuit mensium suppressionem esse duplicem: aliā quam simplicem vocat: aliam, quam compositam dicit, iunctam scilicet plenitudini; quo constituto, subdit, in primo casu sufficere sectionem venæ tali: in secundo verò requiri primum sectionem venæ in brachio, deinde in talo, & proinde cum Galenus ad primum casum tantum respexerit, Aetius verò ad secundum, non sunt inter se discordes secundum Trincauellium: cui fauet Vallesius 2. Meth. 14. & Mercatus proprio Tractatu, qui statuunt ob sanguinem in toto redundantem, venam in brachio (oportet enim longè reuellere à parte affecta) ob sanguinem autem in vtero existentem, venam in talo esse secandam. Capiuaccius quoque, vt Aetium tueretur, & cum Galeno componeret, statuit in corpore mulieris, cui suppressi sunt menses, vtramque illam conuenire venæ sectionem, sed cum hac distinctione, vt illa in cubito fiat ob sanguinem quiescentem in toto supra iecur, quæ verò in talo, ob sanguinem, qui mouetur: Cuius viri sententia cum alijs pariter concidit, vt de se patet, quoniam & ipsa supponit illam plenitudinem, meritò cuius arbitrantur omnes, Aetium, & Galenū concordes fieri posse. Sed (vt ingenuè loquar) malè sentiunt, non solum, quia duplicem, eamque ita diuersam admittunt venæ sectionem, vt altera nimirum sit habenas trahere, altera verò calcaribus equum stimulare, verùm etiam, quia cum impossibile sit Galenum, & Aetium conciliare, ipsi tamen se conciliasse falsò putant, illam supponentes plenitudinem, in qua non leui digni sunt reprehensione, quando quidē Aetij mentem haud intellexerunt, sicuti vnusquisque cognoscere potest: nam Aetius de plenitudine præexistente mensiū retentioni, non autem de subsequente suppressos mēses, loquutus fuit; Duplex. n. est plenitudo; altera quæ fit ob alimentum sanguineum, & copiosū assumptum ab hepate calido, & humido, coadiuuantibus aere pariter calido, & humido otio, ac similibus; Altera verò, quæ ab aliqua consueta sanguinis euacuatione naturali suppressa, oritur, qualis ea est, quam præ manibus habemus, subsequentem mensès retentos, qui vbi excernuntur, euacuatio secundū naturæ leges à Gale. lib. de Symtom. differentijs 7. & 3. de Causis Symptom. 4. vocatur, oēs. n. sanguinis excretiones, quæcumque fuerint, hac vna per vterum excepta, sunt à toto genere præter naturam. Quæ cum prædicti auctores non obseruarint, nō mirum, si de secunda plenitudine Aetium interpretati fuerint, quæ menstrua subsequitur retēta, cuius tantū abest, vt Aetius verba fecerit (sicuti apud ipsum videre est) vt potius eius mentionē habuerit expressam, quæ fit ab alimento, & hepate calidis, atque humidis concurrente aere, otio, ac alijs, vt dictum est, & quæ menses retentos anticipat, in qua (si modo nullam adinuenire li-

E cet) omnis conciliandi Aetium cum Galeno ratio consisteret, si diceremus, illum ad præexistentem plenitudinem, & quæ veluti causa est retentionis mensium, ea nimirum ratione, qua vasa nimis replendo, distendendo, atque obstruendo fit, vt impetus, & motus sanguinis ad cœterum non fiat, sicque retineantur menses, respexisse, vbi primum in cubito, deinde in talo mulieribus menstruorũ retentione laborantibus venam esse secandam dixit; Hunc ex aduerso plenitudinem tantum, cuius mensium retentio causa existit, considerasse, vbi solum in talo, & partibus infernis sanguinem esse mittendum docuit. Sed reuera futilis admodum esset conciliatio, neque etenim vnquam Galenum licuit obseruare in mensium suppressione alterius loci mittendi sanguinem meminisse, quam tali, poplitis, malleolorum, saphenæ, & crurium, quę omnia vtero inferiora loca esse manifestè apparet: nã lib. de Sectione venæ cap. 11. nos docens quid faciendum, si menstrua supprimantur, dicit, primum nullo pacto euacuationẽ esse pro-

F rogandam, sed subitò malleolos esse scarificandos. quippè, qui scarificati superfluitati quandoque euacuandæ satis esse possunt, & mensium euacuationem prouocãt, sicuti etiã in malleolis, ac poplitibus venæ incisæ; subditque, suppressos menses omninò per crura euacuabis, siue venã secare oporteat, siue scarificare; Id quod etiam cap. 19. nos docuit, dicens, in mensium suppressione, semper in cruribus faciendam esse sanguinis missionem: nam vt habet in 18. capite, quæ ex cubito fiunt euacuationes inter cętera mala (si modo inopportunè administrentur) illud etiam habent adiunctum, vt nẽpè purgationes menstruas comprimant, sanguinem ad superiores partes corporis retrahendo, quòd omninò detestandum, ex quo ego & ratione opinionem Aetij confutare soleo: nam si in mensium suppressione scopus est Medici naturam iuuare, & impetum sanguini ad vterum præbere, venaque secta in brachio contraria penitus præstet, iam apparet ab ea esse desistendum, & sacrificationi, seu sectioni venarum infernarum esse

G omninò semper cum Galeno incumbendum, tamquam illis, quæ non solum mouent sanguinẽ ad vterum, sed etiam plenitudinem possunt euacuare, sicuti videre est apud Galenum, non tantum in locis præcitatis, sed adhuc etiam quarto de Sanit. tuenda, cap. 4. vbi scribit, crurium scarificationem soluere plenitudinem. Et 2. Aphor. 17. & de Curandi ratione per sanguinis missionem 11. supra citato, nonne habet crurium scarificationem idem prorsus valere, quod venæ sectio? quæ (vbicumq; modo fiat) an possit plenitudinem quamcumque tollere, nullus negabit, qui omnium venarum in corpore vnicum esse consensum sciat (& ob id euacuationem ab vniuerso animalium corpore fieri ex omni vena quamquam neque celeriter, neque similiter sicuti ex vena cubiti, Galenus docet 7. Acutor. 10.) & eo magis si largè sanguis detrahatur magna existente plenitudine; hinc, sicuti non recipiendus Aetius, vbi venam secandam in brachio suadet, ita omninò laudandus, vbi largam esse missionem sanguinis facien-

H dam dicit, & proindè soleo ego etiam ab vtroque crure, & ab vtroque pede sanguinem educere, tum per sectam venam, tum per crurium sacrificationem, per sectã quidem venam in nigrioribus fœminis, ob sanguinem crassiorem, & melancholicum, & eo magis, si venas magnas, & apparentes habebunt, quod gracilioribus contingit; Per crurium verò sacrificationem in mulieribus albidioribus. quæ eum sanguinem tenuiorem solent aceruare, qui adhibitis infernarum partium sacrificationibus, facilè ad vterum deducitur, quæ est eiusdem Galeni doctrina libro eodem de Sectione venæ capitibus 11. & 18. Ex quibus omnibus iam tibi patet Vir Excellentissime, quid ego sentiam in hac à te mihi difficultate proposita, sentiom cum Galeno, vt per partes infernas tantum semper omninò sanguis educatur in fœminis, quibus menses retinentur, quandoquidem sic (vt dictum est) sanguis ad vterum impellitur, omnisq; tandem plenitudo aufertur. Quam sententiam habuerunt Apollonius apud Oribasium, 7. Collect. Auicen. 4. primi, Doctrina 5. cap. 25. Excellentissimi Mercurialis, & Massaria in

proprijs

proprijs de mensiũ suppressione Tractatibus; Et quæ ab Altimaro, Trincauellio, Mal- A
fesio, Mercato, necnon Capiuaccio adferũtur pro Aetio de duplici sanguine, & quòd
à parte affecta sit reuellendum, nihil videntur facere ad conciliationem Aetij cum Ga
leno, quoniam iam quælibet plenitudo, & quilibet sanguis in mulieribus, quib. men-
strua retinentur per partes inferiores euacuari commodè potest, at ex aduerso, vena
secta in brachio, id habet mali secum, vt menses retrahat. A parte verò affecta semper
est reuellendum, dummodo secundum naturam non fiat per illam euacuatio eius ma-
teriæ, quæ alias reuelleretur, cum autem secundum naturã sanguis menstruus per vte-
rum euacuetur, ideo ab eo minimè retrahendus. Nec valet quod ab Altimaro adfer-
tur, videlicet quod secta vena in cubito, statim in talo secari debet, quoniam non sunt
facienda mala, vt inde veniant bona, sed semper oportet Medicum ita se gerere ad Ga
leni mentem, vt ad vterum sanguis concitetur, quocirca præstabit per partẽ infernam
sanguinem euacuare. Sed aliquis statim objiciet 10. Local. 2. Galenus de Ischiade lo- B.
quens, dicit, quòd prius à cubito, deinde à partibus infernis mittendus sit sanguis, er-
go & à simili debet Galenus idem concedere in mensium suppressione, ratione vteri,
qui est propinquus ischio. Amplius, idem Galenus in hæmorrhoidibus modo venæ
sectionem in cubito, modo in cruribus laudat, lib. de Venæ Sectione 19. ergo, & à pa
ri idem in mensium suppressione faciendũ esset. Ad primũ respondeo, non esse parem
rationem, quoniam in Ischiade secatur vena inferna, vt deriuetur materia, quã deriua
tionem non impedit sectio venæ in cubito, at in mensibus suppressis intendimus san-
guinem ad vterum attrahere, vt venæ aperiantur, talem autẽ attractionem, & apertio-
nem impedit sectio venæ cubiti, à qua ideò omninò debet Medicus abstinere: Ad se-
cundum respondeo, modo Galenum in hęmorrhoidibus venas in cruribus aperire, vt
ipsas prouocet, modo in cubitu, vt easdem cohibeat, si quidem vt idem Galen. habet
loco citato, quidam ab huiusmodi hæmorrhoidũ euacuatione liberari cupiunt, tam- C
quam ea, quæ omninò secundũ naturæ leges nõ existit, ex hac etenim sæpius homines
hydropicos, & cachecticos factos fuisse constat; & ideo cum ea, quæ sanguinis sit per
vterum euacuatio in mulieribus singulis mensibus continuo, secundum naturam fiat,
numquam Medicus ipsam debet cohibere, immò, si cohibita aliquando fuerit, statim
debet prouocare in cruribus, & partibus infernis semper sanguinem euocando. At-
que hæc tibi sufficiant scripsisse Vir Excellentissimæ, quæ ad præsentem de loco mit-
tendi sanguinis controuersiam attinent. Vale fœlixque viuito, iterum Vale.

EIDEM EXCELLENTISSIMO CRASSO. D

RESPONSIO XIX. *In qua de quibusdam difficultatibus propositis agitur.*

DVOBVS illis à te mihi nuper in tuis humanissimis litteris sapienter pro-
positis, breuiter satisfacere contendam, temporis .n. angustia præmor: nam
publicæ lectiones, priuatæque ægrotantium visitationes, me totũ requirunt.
Quocirca prius illa sic breuibus proponere oportet; Et primum Galenus
dum in 3. Aphor. Sectione Commento 26. Aphor. Hippocratem vult excusare, vt po
tè qui de lumbricorum speciebus verba faciens, latorum nullam fecerit mentionem:
maiori longè excusatione se ipsum egere demonstrat, & dignum, vt illi objiciatur:
Quandoque bonus dormitat Homerus, cum id euenisse dicat, quia non de omnibus

E agere passionibus, quæ mortalibus accidunt Hippocratis erat institutum, sed de ijs tantum, quæ singulis fiunt ætatibus, quod omninò futile, & absonum esse videtur, tũ quia Hippocrates in 4. de Morbis Vulg. circa finẽ, ex professo de latis lumbricis agit, tum quia cum latis vermibus homines corripiantur, sequitur, vt in aliqua ætate ijsdem corripi necesse sit, ac proinde de ipsis agere debuisset contra Galenum. Quapropter, alia tibi videtur esse excogitanda ratio, propter quam latorum nõ meminerit ibidem Hippocrates, vt etiam Galenus vindicetur à falsitate, tamquam ille nimirum, qui innuerit, Hippocratem de huiusmodi lumbricis latis non egisse. Secundò Galenus primo de Differentijs febrium, cap. 1. febres constituens respectu diuersarum cordis partium, alias Diarias, Putridas alias, & alias Hecticas, duos caloris gradus recenset, vnum sub incalescere, & alterum sub incaluisse positos, vult. n. spiritus in diarijs febribus sub incaluisse reponi, humores, & cordis partes solidas sub incalescere, quemadmodũ humores in putridis sub incaluisse, reliquas sub incalescere partes enumerat, sicq; de hecticis etiam determinat, dum solidas cordis partes sub vno tantum gradu caloris, nempè in calefacto esse ponit, reliquas in calefieri. Cœterum, cum 3. de Præsagitione ex cap. 2. duos caloris gradus partium solidarum sub incaluisse recenseat, vnicum verò sub incalescere, quærẽdum venit in primo caloris gradu, quænam febris, & cuiusnam generis sequatur, non diaria, non putrida, cũ illa spiritus calefactos, hæc humores corruptos comitetur, nec pariter hectica, quæ secundum caloris gradum sub incaluisse sequitur, vt idemmet Galenus eodem in loco habet, dicens: At si largius cordis substantia incaluerit, febris oritur quam Hecticam vocant; ex quo datur caloris gradus in corde, quem nulla sequitur febris, quod tamen absurdum, & impossibile videtur. Quibus ita constitutis, ad primum propositum me conuerto, & dico, haud esse necessarium diuersam à Galeno adinuenire rationem, propter quam Hippocrates 3. Aphor. G Sectione, Aphoris. 26. Vermium latorum non meminerit, sed bene necessarium esse attentè Galeni excusationem pro Hippocrate in Commento notare, quod vbi factum fuerit, omnem difficultatem penitus abire confido. Galenus itaque in Commẽto, partes Hippocratis sustinens (prout bonum decet Commentatorem) cuidam tacitè obiectioni, quam sic aliquis facere potuisset, Hippocrates hic de lumbricis latis nõ meminit, ergo est diminutus, respondet, ideo latorum non meminisse vermium, quoniã non erat eius institutum interim de omnibus agere passionibus, quæ mortalibus accidunt, sed de illis tantum, quæ in singulis ætatibus, vt plurimum fiunt, ac proinde cum latorum generatio rarior fiat, ideo iuxta proprium institutum eorundem hic mentionem non fecit Hippocrates, quos tamen cum necessariò in aliqua ætate contingere idem Hippocrates obseruasset, latius de illis agere voluit loco citato in libris de Morbis vulgaribus, in quibus recenset tum eas, quæ vt plurimum, tum eas, quæ rarò passiones H homines affligunt; atque sic nec futilis, nec absona est Galeni pro Hippocrates excusatio, & idem Galenus à quacumque falsitate sibi adscripta vindicatur. Sed si quæreres, qua de causa rarior est lumbricorum latorum generatio, ad mentem Galeni in Commento responderem, quoniam ij longissimi sunt, & sæpè per tota extendũtur intestina, hinc maiori, copiosiorique indigent materia pro sui generatione, quæ pariter longo satis tempore coaceruatur. Quod autem ad secundum propositorum spectat, Galeni doctrinam, primo de Differen. febrium, tũ eam, quæ triplex esse genus febris constituit, Ephemeram scilicet, ratione spirituum, Putridam, respectu humorũ, & tandem Hecticam, respectu partium cordis solidarum; tum eam, quam subdit de duobus gradibus caloris, vno subincaluisse, altero sub incalescere, recipio, neque ab hac eiusdem Galeni doctrina tradita 3. de Præsagitione ex pulsibus secundo, diuersa existit, quo loci quamquam duos caloris gradus sub incaluisse, alterum sub incalescere reponat in partibus solidis cordis, nõ ob id quærendum venit, quodnam genus febris constituat

stituat primus ille gradus, quoniam intra terminos sanitatis existit, & solum intemperiem quandam leuem cordis constituit non febrilem, sed quæ tantum aliqua ex parte facultatem cordis imbecillam reddat, vt ibidem Galenus habet expressè; Vel adhuc etiam responderem, gradum illum febrem Hecticam in fieri constituere, non autem in facto esse, Galenique testimonio eodem in loco confirmarem, vbi nimirum subdit: & si largius cor secundum substantiam incaluerit, & per ipsum totum calor febrilis permanauerit, febrem excitat, quam Hecticam vocant: nam de essentia cuiuscumque febris in facto esse, est, vt cor sit non quomodocumque, non intra latitudinem sanitatis in calefacto esse, sed extra, atque ea ratione, vt toti calorem communicarit, sicque lædantur animalis actiones, quo penè modum læduntur primo de Differentijs febr. citato, vbi Galenus spiritus, vel humores, aut etiam solida sub vno gradu incaluisse dixit, & quamquam tunc calorem secundum vnum tantum gradum incaluisse dicat, gradus tamen ille est extra latitudinem sanitatis, atque febrilis, modò iam dicto. Quibus ita sic habitis, iam à te Viro Excellentissimo mihi propositis difficultatibus satisfactum arbitror, restatque solum, vt me tibi commendem, tuque me, vt soles, amantissimè diligere prosequaris. Valeas, diu viuas mei memor.

POMPEIO ARLOTTO REGIENSI
Medico Excellentissimo.

RESPONSIO XX. *In qua decernitur, an Offa facilis, difficilisvè coctionis existat.*

ILLVD à me superioribus diebus postulasti Pompei Excellentissime, vt Offæ naturam explicarem, an scilicet difficulter, facileve coqueretur, mea sententia declararem; quod sanè iam effecissem, nisi pluribus in medicina, tum priuatim facienda, tum publicè profitenda, occupationibus totus detentus fuissem, quibus nunc aliquantisper subleuatus, rem tibi debitam aggredior, in qua si tuæ expectationi satisfecero, mihimetipsi satisfecisse videbor. Tu enim alter ego semper à me existimatus fuisti, ob eam, qua te vndequaque meritissimum prosequutus fui beneuolentiam, quæ re vera, nec verbis explicari, neque calamo ad sufficientiam vsque scribi posset.

Offam igitur eius esse cõditionis semper existimaui, vt difficilis coctionis notã apud me nunquã subierit, dummodo modum non excesserit, & naturam, compositionem, ac rectum vsum non neglexerimus. Si quæ autem, vel qui in hanc sententiam me deduxerint, aperiam (quandoquidem, & plures contrarium asserentes existũt) apparebit forsitan, non abs re, non maximo sine iure in eam fuisse deductum. Quapropter aliàs hãc rem mihi consideranti primo supponendũ occurrit ex omnium assensu, exerementosa magis, magis difficilè cõcoqui; Secundò offam ex rei natura nil aliud esse, nisi panẽ vino maceratum. Post quæ, an panis sic affectus calori naturali, in ventriculo reluctari diu, multumq; possit, animaduertere incœpi, qualitatibus tum panis, tum vini, seorsim prius animaduersis, mox eorundẽ ad inuicem mixtorum considerationem aggrediens. Quam ob rem si nos Hipp. Dioscor. & Gal. minimè fallunt, si nos natura nostra minimè deludit, panẽ eum esse cogimur affirmare, cuius vsum inter omnia, nobis quamquam assiduum (quod mirum est) tamquam tamen amicissimum semper amplectimur,

E cuius probæ præparationis esus in sanguinem vndequaque probatissimũ degenerat. Vt mirum non fuerit, si Galen 6. de Sanitate tuenda, cap. 7. panem solum inter alimenta nutrimentum simplicissimum suppeditare pronũciarit, quasi solus panis, omni prorsus careat excremento, quod etiam Diuinus Hippocrates libro de Dieta confirmauit, panem probè fermentatum, leuem asserens, & recedentem, hoc est, vt ipse ait, & nutritionis, & facilis coctionis. Quæ omnia, ita se habere, vnusquisque luce clarius agnoscet, si panem componẽtia cognoscet, triticum, nimirum salem, aquam, & fermentum. Triticum quidem tamquam id, quod præter propriam cum natura nostra familiaritatem (à consuetudine forsan contractam) infinitas alias ferè dotes in nostri gratiam exercet, quas ab Hippocrate loco citato. Dioscoride proprio capite, & à Galeno de aliment. facultate lib. 1. docemur, salem animaduertet, qui præter id, quod panem gustui gratum reddit, hoc etiam in eiusdem compositione præstat, vt in ventriculo F facultatis expultricis stimulus existat, quò debito solum temporis spatio ibidem moretur, vt propria siccitate humiditatem excrementitiam (si quam habet triticum) absumat. Deinde, aquam in pane eam esse videbit, quæ præter id, quod triticum, salem, & fermentum instar benignæ simul vnientis manus amplectitur, tritici viscositatem quandã excitat, qua panis nutritioni paratior redditus, eam in corporibus nostris carnem firmam, atque compactam generat, cuius meminit Galen. 2. de Alimentorum facultat. cap. 8. Sed & fermenti dotes animaduertat oportet, quibus præter id quod coctionem adiuuat, illud etiam facultatis obtinet, vt propria acciditate panis humiditatem excrementitiam, ipsi quandoque ex aqua accedentem, depascatur, sicq; ab excrementis panem magis expurgatum, faciliorem etiam reddit stomacho digerendum. Quod autem spectat ad vini commoda, quibus eò fruimur, multa dici possent, quandoquidem nulli ex alimentis præstantia cedit, primo etenim coctioni in ventriculo fa G uet proprio calore, humiditate, ne assatio fiat ibidem, prohibet; fluxibilitate chili descensum ad intestina facilem reddit, eadem traiitionem commodiorem ipsius à venis meseraicis præstat, eiusdem per easdem venas, ac ductus ad iecur deductionem adiuuat, sanguinis probi generationem coadiuuat, spiritus auget, robur visceribus indendo, eosdem recreat, calorem innatum roborat, quam citissimè nutrit, tamquam vehiculum alimentum per vniuersum corpus distribuit, somnum conciliat, flatus discutit, excrementa per varia, naturæ tamen conferentia, loca deducit, vt denique infinita penè commoda nobis veluti parturiat, quæ omnia Hippocratis adhuc, Dioscoridis, & Galeni testimonijs comprobari possent, nisi ad eum scriberentur, qui in prædictorum Auctorum doctrina satis expertus est. Cœterum, si illa, tum de pane, tum de vino ab inuicem disiunctis considerata, ita se habent, eadem, ad inuicem coniunctis (dum scilicet offam constituunt) euanescere necesse est, secundum eorum opinionem, qui eam H calori natiuo in stomacho diu rebellem affirmant. Verum, qua ratione id occurrat, nunquam ingenio consequi potui: nam cum omnis coctio difficilè sequatur, vel ob facultatis partis concoquentis languorem, vel ob rei concoquendæ resistentiã, quod ab excrementis ortum habet, quid profectò excrementi (calore naturali interim secundum naturam vigente) ex hac in vino maceratione, pani resultat, quod ventriculo difficultatem coctionis importet? nullum profectò, quod sanè à fortiori ex Galeno colligere possumus, qui tunc temporis panem ex vino 12. Metho. cap. 3. dari iubebat, vbi pulsus inæqualitas, imbecillitas, & paruitas obseruantur; quantum autem in hisce casibus à cibis concoctu difficilibus abstinendum sit, sæpissimè docuit, præsertim autem (vt tu etiam optimè Vir Excellentissime adnotasti) in primo ad Glauconem 14. capite, vbi antequam in syncope panem cum vino calente præscribat, hæc habet expressè. In eodem affectu cibos concoqui faciles, & ventriculo aptos exhibendos esse; Immediatè autem, vbi prædictum vinum cum pane proposuit, clarissimè subdit. Na

[S]i ijs, qui ita affecti sunt, amplius obtuleris, non modo syncopem patientur, verũ etiam penitus strangulabuntur. Quæ omnia an certo certius offam in serie ciborum coctione facilium reponant, iudicem vnumquemque constituo. Sed quod apud me hac in re maximum semper fuit argumentum, est, quod maiorem rationem adinuenire nequiui vnquam, propter quam vinum, & panis ante ingestionem commixta difficultatem coctionis inferant, quam tamen vbi seorsim ingeruntur, & postmodũ in ventriculo commiscentur, statim, efficere nequeunt, aliter quotidiè decoctionis difficultate conquereremur. Atq; ad huius rei vlteriorem confirmationem, non est despiciendus Galeni locus secundo de Compositione pharmaci secundum locos, cap. 1. vbi de capitis dolore ab ebrietate proueniente verba faciens, panem ex aqua cibum minimè calefacientem dicit, itẽ & boni succi; & proinde, cur non facilis coctionis? quo posito, quare panem ex vino consimilem esse negabimus? num quia vini caliditas obstat, quę potius coctionem iuuat? Eundem panem ex iure datum probæ, facilisque coctionis alimentum, & ægris, & sanis corporibus fatentur omnes, experientia docet; quid quæso, quomodo, & vnde qualitatis aduersæ coctionis ex vino sibi panis acquirit? nõne vinum ita familiare panis omnes corporis nostri partes experiuntur, vt ad eas eiusdem beneficio in sanguinem conuersus pro earum nutritione instar amicæ manus deducatur? His ita se habentibus, tecum mi Pompei, offam concoctu facilem iure arbitror, & quod ei difficultatis tribuitur, eiusdem modo, malæ naturæ, prauæ compositioni, ac malo vsui censeo tribuendum. Porrò naturæ, compositionis, vsus, & modi maxima est habẽda ratio. Panis etenim is sit oportet, qui, ex optimo tritico, farina non omninò à furfuribus expurgata (& maximè si sal abfuerit, quòd si aderit tunc purior farina esse poterit) fermento quantitate mediocri, qualitate satis acri, & quod plurimum fauet, aqua pura, nõ excrementitia, non terrestri confectus, bene tandem in furno coquatur. Vinum minimè recens, non admodum vetustum, non dulce, non austerum, non in caput effumans, sed nec aquosum, illud tamen (vt vnico verbo dicam) quod stomachale dicunt, seligatur oportet. Post quæ modus offæ non est negligendus duplex, præparationis. s. & quantitatis; præparationis modus in hoc consistit, vt panem non trituremus ita, vt veluti denuò in farinam redactus, vino superaffuso polentã potius conficiamus, viscositate quadam nimia excitata, quæ plurimum coctioni resistere valet, quod sanè (quãuis tacitè) pulcherrimè tamen, nos Gal. admonuit, vbi non offam, sed semper panem ex vino dari iubebat, vnde non est mirum, si in omnibus Gal. voluminibus semel tantum ex Erasistrati sententia offæ mentionem fieri obseruetur, qui modum offæ faciendæ docens, modum potius præparandi polentam tradit, vt videre est in libro, quem de Venæ sectione contra ipsum scripsit Gal. vt ex hoc panis in frusta sit tãtum dissecandus, post igni parum per approximandus, vt humiditas excrementitia, si quæ adest, magis euanescat, & vt aliqua siccitate, atque calore contractis, paratior ad vinum sibimet imbibendum reddatur, postmodum illico tantum vini est ipsi superaffundendum, quãtum absorbere possit, ne panis ex nimia vini superaffusione tandem liquatus prędictam incurrat viscositatem; Ac vbi vinum fuerit absumptum, offa est assumenda; & si quid vini fortè supersit abijciendum tamquam excrementitium, purior enim eiusdem pars partim pani communicata, partim in ambiens fuit resoluta; Verum & quantitatis modum obseruasse commodum erit, & coctioni perutile, cibus namque, potus, somnus, vigilia, omnia denique, si modum excesserint, mala, scribebat Hippoc. Vltimo tandem assumendi ordo à te propositus, non est negligendus, vt scilicet faciliora prius ingeri debeant, quod cum in offa non seruetur (in vltima enim mensa solet assumi) eiusdem coctio difficilis euadit. Et hæc sunt, quæ mihi quondam pro hac mea sententia, offam videlicet haud difficilè concoqui, satisfecere, quæ si vna tibi satisfacient, mihi pergratum erit. Vale, meque solito prosequaris amore.

E

FRANCISCO MASINIO Medico Regiensi Excellentissimo.

RESPONSIO XXI. *In qua cur in vertigine error imaginationis dignoscatur, non autem in melancholia, causa adfertur.*

QVA de causa læsionem imaginationis agnoscant vertiginosi, non autẽ melancholici, efflagitarunt à me tuæ nuper mihi redditæ litteræ, quibus antequam satisfaciam, vnum mihi obiter decernendum erit, alterum more Geometrico supponendum; Hoc quidem est, quod vbi imaginationis errorem patientes agnoscunt, oportet omninò eos à falsa imaginatione dissentire, queadmodũ è contra eidem assentiuntur, vbi falsam esse non cognoscunt; Illud vero est, an assensus hic, vel dissensus eiusdem imaginationis, seu potius ipsius intellectus munus existat, vt voluit Altimarus, a quo ego ea ratione dissentio, qua Theophilus ille vnicam tantum habuit imaginationem deprauatam, quod videlicet in angulo cubilis Tibicines adessent, referente Gal. lib. de Sympt. Dist. 7. cui tamen falsæ imaginationi assensus, quẽ Theophilus dedit (dixit etenim tunc eos esse eijciendos, & paulo post sanitati restitutus, quicquid singuli eorum, qui ipsum ægrotantem visitabant, vel dixissent, vel egissent narrabat) in intellectum referri nullo modo potest, hic.n. erat illæsus, vt vult Galenus ibidem, & ratio ex discursu bene habito suadet; Ex quibus ita se habentib. iam colligere est, quod vbi imaginationi causa præter naturam occurrit, qua falsa imaginari, falsoq; illis assentire cogantur, tunc necessariò proprium errorem admittit, ac imaginationum falsitatem non cognoscit; At ex aduerso, vbi imaginatio eo tantum nomine læditur, quo solum falsò operatur, sed nõ falsò assentitur, sibi proprius error, vel facilè innotescit; Hoc vertiginosis, illud melancholicis accidit; In quibus per se, & primariò facultas imaginatrix aberrat propter vitiatos spiritus ratione opacitatis, & obscuritatis, quibus falsas, varias, easdemq; timoris plenas imagines inferunt; Nam cum imahinationi, tamquam virtuti in corpore, phantasmata medijs spiritibus animalibus suppeditentur, quemadmodum vbi spiritus prædicti secundum naturam, copiesi nimirum, tenues, ac splendidissimi existent, phantasmatum quoq; secundum naturam causa erunt, ita è contra vbi à naturæ scopo secundum propriam essentiam, ratione obscuritatis, & opacitatis omninò deuiabunt, phantasmata mœsta sine causa suppeditabũt, eademque huiusmodi esse non agnoscet; nam si cognoscere deberet, id profectò fieret medijs iisdem spiritibus animalibus, secundum naturã sese habentibus, quod fieri non potest in melancholicis, eorum si quidem spiritus ab esse naturali prorsus distant, vt dictum est, sunt enim syluestres, & opaci, à materia, & ab agente præter naturã malancholicis, imaginationi suppeditati. Adde, quod in melancholia innumeræ, sæpè sæpius imagines, innumera phantasmata patientibus offeruntur, quibus tantum abest, vt facultas imaginatrix falsitatem imaginum, ac proprium errorem animaduertere valeat, vt potius innumeros, ac varios errores incurrat. In vertiginosis autem res secus se habet, nam in ijs secundariò, & per accidens imaginatio læditur, hinc proprius error facilè cognoscitur, quandoquidem spiritus animalis imaginationis proprium instrumentum secundum naturam copiosum vtique est, splendidum, ac tenuissimum, sed secundum motum tantum peccat, quatenus in ventriculis cerebri causa existit aliqua præter naturam, quæ in gyrum commota, secum quoq; secundariò spiritus animales agitat,

tat, & proindè fit, vt quamquam circumagi obiecta patientes sibi falsò imaginentur, A falsitatem tamen agnoscant, habent enim spiritus animales, quoad essentiã secundum naturam existentes, atq; idcirco quoad operationem illam, quæ dignotio dicitur, idoneos, quamquam per accidens in motu peccent, in motuq; secundum operationẽ aberrent, arbitrantur.n.ea, quæ manent obiecta, in gyrum commoueri. Nec est, quod aliquis obijciat etiam in vertigine spiritus opacos esse (vt argumento est visus obscuritas) & tunc temporis tamen etiam vertiginosos errorem imaginationis agnoscere; quod euenire non deberet, vt in melãcholicis si modo in spirituum opacitatem, & obscuritatem, causa cur ipsi falsam imaginationem nõ agnoscant, referenda venit (vt dictum est) quia respondetur, spiritus in vertiginosis (prout vertiginosi sunt) lædi per accidens modo dicto, & obscurum reddi visum interdum, non quia ijdem secundum se obscuri sint, vt in melancholica, sed quia ex agitatione illa in vẽtriculis cerebri, non solum in oculos non distribuuntur, prout deceret, verum etiam & lumen illud in- B ternum visioni necessarium ex Aristot. 2. de Anima offuscatur quodammodo, quin & ab eadem causa in vniuersum corpus irradiatio facultatis animalis prohibetur, hinc motus pariter eiusdem impeditur. Hæcque tibi sufficiant, ad præsens à te mihi propositum quæsitum attinentia. Vale, meque amare pergas, iterum Vale.

EIDEM EXCELLENTISSIMO VIRO.

RESPONSIO XXII. *in qua, cui nam parti primario debeatur Auditus discritur.* C

IN construendis organis, quibus actiones debentur omnes, quæ in nobis fiunt, ea diligentia natura vsa fuit, quam certè admirabilem esse patet ex eo, quòd non solum eam partem, cui primò debetur actio, verum & quamplures alias, quæ ad meliorem actionem, ad organi tutelam, & demum ad eiusdem ornamentũ attinent, mirificè construxit, sicuti luce clarius videre est in oculis ipsis, quib. cum videndi prouincia fuerit demandata, inter cœtera crystallinũ humorẽ, cui primum visus actio debetur, natura procreauit, partes deinde huic inseruientes effecit, eas inquã, quarũ aliæ oculũ capiti annectũt, aliæ proprium suggerunt alimentũ, aliquæ natiuum calorem fouent, nonnullæ spiritus animales deferunt, aliæ visorios reddunt, aliquę obiectorum species admittunt, aliæ externũ oculis occurrens lumen refringunt, reliquæ tandẽ oculos ipsos circumuoluunt, vt proindè natura de tunicis, venis, arterijs, humoribus, neruis, D musculis, ac alijs partibus in gratiã oculorum solicita valdè fuerit; Quam ad vnguẽ diligentiam in auribus itẽ obseruare licet, quas cũ ad audiẽdi functionem organa Deus, & natura constituerint, parte principe primum, partib. inseruientib. deinde donarũt. Cœterum, sicuti in oculis de humore crystallino nulla est inter auctores cõtrouersia, quin.s.ille pars ea sit, cui primum visio debetur, ita è contra, in auribus, quænam pars princeps, cui auditus debeatur, sit constituenda, nõ parum dissentiunt auctores; Nam alij partes aurium osseas; alij aerem auribus implantatum, alij tandem neruum ipsum ijsdem à quinta cerebri coniugatione communicatum, partem auditus principem existimant; Hinc non est mirum si tuæ (quas nunc accepi) litteræ te virum excellentissimum hac in re satis ancipitem declarent, à meq; illud requirant, vt quid ego sentiã ad te scribam. Quam ob rẽ, qui partes auris osseas auditus partẽ principẽ statuunt inter se adhuc dissentiunt, nam aliqui petrosum os dictum tantum, illam esse partẽ dicunt a

E ducti præsertim Galeni testimonio, in libro de Anatomia viuorum, proprio capite de aurium anatome, quo loci Galenus habet expresse: Et se habet illa pars ossis petrosi ea comparatione ad auditum, in qua se habet crystallinus humor ad visum; Quo constituto, statim inferunt petrosum illud os in aurium cauitate partem eam esse, in qua sensus auditus primo celebratur. Aliqui verò tria tantum ossicula Gal. haud cognita præcipuam partem auditus declarant, quorum formæ malleum, incudem, atque stapedem referunt (cuius opinionis Vesalius fuisse dicitur) eaque mouentur potissimum ratione: Corpora dura, densa, atque sicciora ad sonum edendum, ac deferendum (in quo sensus auditus propriè consistit) paratiora existunt, ac propterea ossicula illa, cum huius census existant, vt de se patet, partem audiendi principem constituunt. Qui verò aerem innatum præcipuum esse auditus fundamentum volunt, mouentur tum rationibus tum auctoritatibus, quandoquidem Galen. lib. de Instrumento F odoratus, capite secundo, & septimo de Placitis Hipp. & Platonis, capite quinto, nec non de vtilitate respirationis ferè circa medium, asserere visus est, aerem innatum pro parte principe in auditu deseruire, id quod etiam Aristoteles secundo de anima textu 85. asseruit his verbis; Vacuum autem rectè dicitur audiendi dominus, videtur enim vacuum aer esse. Quam sententiam adhuc rationibus comprobant: Nam cum sensus omnis agendo, patiendoque perficiatur, necessarium omninò est, vt agens, quale est ipsum actu, tale patiens (partem scilicet sensus principem) de potentia ad actum deducat, hinc cum agens in auditu sit sonus, quod pati debebit in aure, & primo sensum auditus efficere, sonum actu fieri oportebit, atqui actu sonum fieri, nulli parti in aurib. conuenit, præterquam vnico implantato aeri in aurium cauitate cochlea dicta, immobili existenti, ergo iure ille pars erit auditus princeps. Amplius, omnis sensatio passio quædam est perfectiua, quæ à simili agente omninò proficiscitur, ergò & sensatio etiã, G quæ fit in auribus perfectiua erit, à simili que omninò agente fiet, sed huiusmodi esse non poterit, vbi aer internus non erit primarium auditus instrumentum, ergo aerem internum primarium auditus instrumentum statuendum esse nullus negabit. Hinc Galenus locis præcitatis dicebat, cernendi instrumentum à natura lucidissimum factũ fuisse, vt quod lucem tantum, & splendorem sentire debebat; quod autem ad auditum attinet, aeri similem, quoniam ad sonos, qui vehuntur aere, recipiendos dicauerat, id quod ipse in nullam aliam rationem refert, nisi quatenus sensationes ex similium alteratione consistunt. Hinc Empedocles.

Conspicimus terram tellure, liquore liquorem?
Aere naturam Aeream, igne cernimus ignem.

Hinc etiam Aristoteles secundo de Anima, textu 82. vbi aerem auditui connaturalem esse docuisset, inferebat, non vbique animal audire, quoniam vbique non habet H aerem. Ex aduerso tamen quamplurimi, ijque grauissimi viri hasce de ossibus, & aere interno sententias parui facientes, arbitrantur ex rei veritate, Galeni etiam placitis inhærentes, partem principem primarium auditus instrumentũ, neruum esse à quinta coniugatione in aurium cochleam vsque deductũ, & expansum, cum quibus ego planè sentio; mihi enim longè melius philosophari videntur, tum vbi propriã astruunt opinionem, tum vbi prædictas impugnant, quod vt tibi quoque Vir Excellentissime clarius innotesceret, sicque quid hac in re sentiendum omninò sit, haud in posterum ambigeres, quæ nunc ad te scribo, pro huius sententiæ confirmatione diligenter considerares, vellem. Inter cœtera igitur in omni sensus instrumento partem aliquam, cui veluti principi sentatio debetur, esse necessariã, iam vnũ est publicè omnibus tum medicis, tum philosophis confessum, quod adhuc constat apud Galen. septimo Meth. capite secundo 6. de Locis affectis cap. 3. sicque in oculo crystallinus humor ad visionem

nem necessarius dicitur. Cœterum, pars hæc pluribus sit insignita conditionibus oportet; quarũ Prima est, vt debitam alteratione pati possit; Secunda, vt eandem dignoscat; Tertia vt similiaris existat; hinc demũ Quarta vt vita viuat, & proinde animata esse debet. Et primo alteratione pati posse necesse est. Quoniam sensus omnis passio quædam est, quæ (licet perfectiua) ab alteratione tamen seiuncta esse nequit. Alteratione secundò pars hæc dignoscat, oportet, quoniã non solũ alteratio, & obiecti receptio sensus existit, sed alterationis quoque, & receptionis obiecti dignotio; tertiò eadem similaris existat est necessariũ, nam sensus partibus simplicibus debetur ex Aristotele primo de Partibus animaliũ, primo, & ex Galeno 7. Meth. 6. de Locis affectis citatis, qui in omni organo particulã vnam vult esse similarem, quæ actionis organicæ causa sit princeps; alioquin adhuc quærendũ esset, cui nam parti simplici, tanquam principi, sentatio deberetur. Vltimò tandem, vita viuere, animataque esse debet, siquidem nihil vita destitutũ, nihil expers animæ, alicuius sensus potest esse instrumentũ, id quod de se patet, & ab Aristotele non semel traditur, præsertim in libris de Anima, ratio suadet, & apud omnes est in confesso. Quibus ita constitutis, statim apparet, non osseas aurium partes (quæcũque modo illæ sint) non aerem implantatum, sed proprie neruũ quintæ coniugationis dictum, secundũ parte eam, quæ in cochleã desinit primariã esse partem sensus auditus, propterea, quod neruum illum partem esse, quæ vita viuat, animata sit, alterari possit, alterationem dignoscere, similiaris existat, nullus in arte medica, vel parum exercitatus dubitabit: nam vita viuit quatenus animatus, animatus est, quatenus operatur, alteratur, qua principia passiua in sese retinet, alterationem percipit, qua facultatis animalis particeps redditur, similaris tandem dicitur, nam simplex existit, quibus omnibus nominibus iure partem auditus principem quis non constituet ad mentẽ etiam Galeni (qui huius sententiæ vna cũ clarissimorũ virorũ corona fautor est insignis, vt inferius apparebit) atque hoc eo magis, quoniã nulla alia pars in aure, cui audiendi munus principaliter conuenire possit, reperitur.

Non os (quodcumque illud sit) nam soni characterem admittere, admissumque dignoscere minimè potest, ob duritiem, & densitatem, quibus ideo ad hæc munia ineptum existit, quia sic affluxus facultatis animalis, quæ aptitudinem partis suscipientis præsupponit, omninò ipsi prohibetur.

Verum nec aer pars esse potest auditus princeps, siquidem hic nec vita viuit, & proinde inanimatus existit, propterea quod si vita, animaq; frueretur, tunc necessariò pars esset statuenda nostri corporis, vel organica, vel similiaris; non organica, ex pluribus etenim partibus similaribus haud constat, sed neque similaris erit, quia tunc, vel ex semine spermatica, vel ex sanguine carnosa consisteret, continuoque nutriretur medijs vasis alimentum deferentibus, quemadmodum & cæteræ corporis nostri partes nutriuntur, quod tamen falsum, & absonum esse, præter quam quod de se patet, ex hoc etiam plane liquet, quod si nutriretur, augeretur etiam, sicque sibi maiorem locũ, quem occuparet omninò requireret, & propterea ab auribus exiret, quo dato, iam quomodo secundum Aristotelem, secundo de Anima textu 83. immobilis erit?

Amplius, aer ille prorsus inanimatus est, si enim esset animatus, tunc ego subdo, vel anima sibi peculiari, vel anima totius. Non primum quia omne corpus animatum anima sibi peculiari, est organicum, vt ex definitione eiusdem animæ, 2. de Anima tradita, colligitur: Aerem autem illum haud organicum esse, paulò superius est constitutum: Non secundum, quod scilicet animæ totius particeps fiat, quoniam ea, quæ sibi continuata non sunt, non possunt ab vna, & eadẽ forma numero informari, cum numero distinguantur: sed aer ille, licet sit contiguus, non est tamen continuus partibus aurium, continetur enim in cauitate illa, cochlea dicta, tamquam in vasculo quodam, à quo sicuti & à reliquo animantis corpore discretus existit.

E Hinc nonnulli huius opinionis sectatores, vt scopulos hosce subterfugerunt, quædam sibi imaginati fuerunt, quæ sibi non satis constant.

Dixerunt namque primò, aerem illum spiritibus animalibus esse refertum, quibus pars princeps audiendi redditur, sed neque ideo organum auditus principale, neque pars animata erit aer ille; si quidem spiritus animales, qui tenuissimæ puri, & defæcati sanguinis particulæ sunt, anima destituti nullam partem possunt animatam reddere, quod ex eo deducitur, quoniam spiritus hi non anima, sed communissimum animæ instrumentum existunt, quod non nisi partibus alioquin prius viuentibus, ac animatis operationem potest impertiri.

Dixerunt secundò, aerem hunc continuò nutriri reliquijs, quæ ab alimento aliarum partium iam nutritarum in aere supersunt, quod prorsus vanum esse superius ostendi principijs etiam Aristotelicis inhærens.

F Dixerunt demum tertiò aerem illum non propriè dici aerem, sed analogicè, & ob similitudinem, quam habet cum aere in tenuitate, ac subtilitate, ac proinde verè esse corporis nostri partem: Quod cum arbitrariè dicant, & nimis gratis (nullam enim huius dicti rationem adferunt) futile admodũ existit, nam aer ille in auribus inclusis, eiusdẽ prorsus naturæ est cum elemento aeris, vt etiam Aristoteles fatetur 2. de Anima, textu 82. quo loci aerem hunc externũ cum interno auriũ continuari pronunciat.

Deinde, si illa pars dicitur aer ob tenuitatem, ac subtilitatem, ergo etiam spiritus animales, qui corpuscula quædam sunt quam tenuissima, hoc nomine vocari deberet, quod cum non fiat, dicendũ est potius analogiam, & similitudinem ex propria tenuitate, & subtilitate petitam, non esse causam huius denominationis, sed causam ex rei natura desumptam esse, quoniam aer ille innatus cum aeris elemento omninò conuenit, à quo, si vllo modo differt, quiete tantum, & puritate differt. Queadmodum ergo ele-

G mentaris iste animatus haud existit, ergo nec ille internus, ex quo statim pars esse princeps auditus minimè potest, quoniam sic inanimatus non potest esse subiectum vitalis potentiæ, alioquin anima eliceret operationem vitalem, vbi iam ipsa non resideret, quod quam sit absurdum, non est vt clarius proponam.

Ex quibus omnibus manifestè colligitur, dupliciter lapsos fuisse huius sententiæ fautores, Primò, vbi aerem internum partem esse principem auditus, contra rei veritatem ob rationes adductas constituerunt. Secundò, vbi vno, & eodem tempore hunc eundem aerem auditus esse medium tacitè, & ex consequio quodam denegarunt.

Nec est quod dicant aerem hunc simul esse posse medium, & organum: nam quomodo medium, & organum continuantur? Quomodo sunt eiusdem prorsus naturæ? Nonne obiectũ auditus, sonus inquam in aere tanquã in medio residens, à potentia, hoc est à facultate auditoria in parte animalis viuenti cõsistente omninò distinguitur?

H Medium igitur audiendi aer ille internus, internum erit, & ratione scilicet qua à corporum solidorum collisione percusso aere isto externo, sonus excitatur, quem recipiens aer innatus, neruo dilatato impertitur, qui tanquam pars, verè, & propriè princeps, & ad eius receptionem est aptus, & dignotionem.

Quæ opinio veritati magis consona apparebit, vbi rationibus, quæ contrarijs fauent opinionibus, & contra nostram facere videntur, breuiter occurrere; Et quoniam à principio ipsam ad mentem etiam Galeni tueri pollicitus fui, ideo auctoritatibus ipsius in contrarium adductis satisfaciam, Auctoritates Aristotelis interim prætermittens, qui etiam si aerem internum auditus partem principem esse voluerit, vt patet supra ex locis adductis, nostra tamen stabit opinio, dummodo rationibus ipsius, & argumentis contrafacientibus facilè responsum fuerit: Amicus enim Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas, cum præsertim à viro amicissimo in hac quæstione quid liberè sentiam à me requiratur.

Primum

Primum itaque ad Galenum 6. de Anatomia viuorũ citato, vbi apertis verbis os petrosum principale auditus instrumentum constituit, Respondeo, librum illum esse Galeni illegitimum, vel si Galeni etiam esse liber ille concederetur, Responderem adhuc, os petrosum proportione respondere crystallino humori in oculo, quatenus interior eiusdem pars propè foramen est, quod neruo expanso cooperitur, vt idemet Galenus habet paulò inferius in eodem capite, atque sic non ossi petroso, vt dictum fuit, sed neruo dilatato auditus primò debetur. A

Neque quicquam valet ratio, quam adducunt illius opinionis auctores, qui ossicula tria partem principalem dicunt, quod videlicet ossa tanquam corpora solida, atque sicciora sonum edere, atque deferre valeant: quoniam primum illa hæc in auribus præstare minimè possunt, nam eo motu in aure moueri non possunt, qui necessarius esset ad sonum tum edendum, tum deferendum; Quod tametsi concederetur, non propterea constituenda essent pars auditus princeps, quoniam ob causas dictas soni characterẽ ipsa suscipere, susceptumq; cognoscere nunquã possent, in quo propriè, & immediatè consistit auditus, non autẽ in soni delatione; & ratio est: quia etiã si strepitus, ac sonus fiant, qui tamen non sentiantur, vnquã auditum fieri nullus affirmabit. B

Quantum autem spectat ad auctoritates ex libro de instrumento odoratus, capite 2.7. de Placitis Hippocratis, & Platonis, capite 5. necnon ex libro de Vtilitate respirationis, cum Galenus audiendi instrumentum aereum dixit, intellexit semper aerem internum, internum esse medium, quod communi quadam ratione dici potest auditus instrumentum, sumendo pro quacumque parte auditui inseruientem, & famulante, quod forsitan etiam Galenus de nomenclaturis nullam rationem efficit, vt more Empedoclis illius loqueretur, qui nullius interea est auctoritatis, vt contra nostram sententiam facere possit.

Quod verò ad rationes attinet, quæ aerem internum audiendi dominum constituũt vbi dicitur sensum agendo, patiendoque perfici, omninò concedo: at vbi infertur, necessarium ideo esse, vt quale agens est actu (vt puta sonum in casu nostro) tale patiens (vt puta partem auditus principem) actu sonum fieri debere, distinguo, tale actu fieri realiter nego, tale actu fieri debere intentionaliter, vt benè dicunt, ingenuè fateor, sat enim est, vt pars sensus princeps patiatur, ac talis intentionaliter fiat, quale realiter, & à parte rei est obiectum, & agens Insuper concedo, quod quale est agens actu, tale debet fieri patiens, sed suo modo; idest, non quod fiat sonus, sed quod patiatur sonum intentionaliter nam si realiter sonus fieret, iam non esset pars auditus primaria, sed ipsummet obiectum auditus. Nam ecquis vnquam dixit, colorem verbi gratia viridem crystallinum humorem in viriditatem actu realiter commutare, ita, vt non amplius crystallinus, sed viridis euadat, nonne satis est, vt per simulacra per species colores humor crystallinus admittat, ea ratione, qua colores in speculo repræsentatur. sic & in aure sufficiet ad auditum, vt aer internus tãquam internum medium ab externo per corporũ collisionẽ sonoro reddito, soni characterẽ, & simulacrũ suscipiat susceptumque neruo expanso intentionaliter communicet, quod à neruo dignoscatur. C D

Tandem cum arguitur sensum omnem passionem esse perfectiuam, planè consentio, cum verò obijcitur, ergo omninò à simili agente passio hæc est inducenda, ergo sensus similis omninò agenti, atque obiecto sensum commouenti sit oportet, sic intelligendum esse censeo, vt sensus omnis ab agente sensorio haud contrario, sed proportionato fiat; hinc non est necessarium casu nostro, vt pars principalis auditus aerea sit, sed sufficit solum vt sonos, qui vehuntur aere connaturaliter, & perfectiuè pati possit id quod neruo conuenit in foraminibus auriũ dilatato, vt non semel dictũ fuit.

Quod verò non sit necesse, & partem sensus principem, & obiectum sensum mouens seu agens dixeris, simul omninò coincidere, ex eo liquet quod in aqua etiam

fit auditus

fit auditus, vt omnes concedunt, & tamen aqua, vt de se constat haud omninò similis est aeri illi implantato, quem solum medium internum, & connaturale partis principalis constituere oportet, non autē partē priencipē, vt ex dictis manifestè colligitur.

Quòd si demum auctoritatibus Galeni, & quamplurium clarissimorum virorum confirmare velim, quod spectat primū ad Galenū à 3, capite 1. libri de Symptomatū causis, mihi non est recedendum, quo loci Symptomata auditus aboliti, diminuti, & depreuati, seu dolentis, in læsionē facultatis auditoriæ, vel eiusdē principalis instrumenti, vel aliarū partiū eidē sub seruientiū referens, vbi de nerui læsione verba facit, sic planè loquitur. Eandē .n. habet rationē in auribus interna auditorij meatu extremitas, vbi dilatatū neruū attingit, quā habet humor crystalloides in oculis. Sic & libro de instrumēto odoratus, capite, 3. sensū principale instrumētū, veluti enumerans, primū quod spectat ad oculos de crystallino corpore mētionē faciens inquit. Hoc enim vt aliàs demonstrauimus præcipuū cernendi instrumentum est, deinde statim subdit: Auditus autē foramen, cuius interior terminus valdè exiguus est, qui neruum excipit Quod verò attinet ad alios clarissimos viros, hic ne longiorē quæstionē efficiā quam deceret eorū nomina, ac auctoritates transcribēdo, cōsultò prætermitto, poteris tamē tu vir Excellentissime illud obseruare, ꝙ quotquot hac de re medici clarissimi scripserunt, ferè omnes neruo dilatato in auribus principatum auditus adscribunt, & iure meritò, ob rationes adductas. Tu interim vale, & me, vt soles ama.

HIPPOLITO MASETTO MIRANDVLANO Medico Eccellentissimo.

RESPONSIO XXIII *Ex qua, quid sentiendum sit de natura menstrui colligitur, cuius occasione quamplura ad eiusdem naturam, ac essentiam attinentia declarantur.*

TAmetsi hoc tēpore negtiojs varijs medicis sim implicit', nihilo minus tibi, quē maximo prosequor amore, satifacere magnoperè exoptò, quocirca in tanta temporis angustia quid de quæsito ad menstruum sanguinem in mulieribus spectante sentiam, breuibus explicabo. Quæris igitur, an menstruum copia tantum, an etiam qualitate peccet, & ad id quærendum moueris ob varios, atque hos ipsos miros effectus, quos in corpore mulieris à menstruo produci, tum à varijs scriptoribus accepisti, tum inter medicinam faciendam obseruasti, qui citra omnium difficultatem non nisi in menstrui vitia secundum qualitatem referri possunt. Ego verò vt hanc difficultatem componam, totum prius id suppono, de menstruo nimirum secundum naturam, & quod naturæ leges minimè egreditur sermonem esse institutum; atque hoc qua raitone (intra tamen latitudinem sanitatis) peccet facilè liquebit, si prius naturam, ac essentiam illius explicauero, quam cum nō nisi vnica definitione, & hac ipsa causali assequi liceat, ideo hanc ipsam ex Hipp. Arist. & Galeno adducam in medium; solent enim definitiones exactæ, atque completæ omnium difficultatum occasionem, & ansam sub mouere. Menstruum igitur est excrementum sanguineum, ex alimonijs à calore fœminæ remisso genitum, & secundum naturam ob conseruationē tum indiuidui statis tēporibus excretum, tum speciei retentū. Cuius definitionis singulæ explicariparticulę debēt vt quod quæritur melius elucescat. Primum

itaque

Itaque illud verissimum est, hanc definitionem omnia quattuor genera causarum complecti; & primo formalem, cum dicitur esse excrementum sanguineum, est quidem excrementum, quoniam fœminæ minimè prodest, nec illa eo nutritur, teste Galeno lib. de Atra bile, est sanguineum, ad differentiam seminis, quod est alterum principium nostræ generationis; & quamquam ambo hæc principia sint excrementa, sunt tamen vtilia, ex Aristotele primo de generatione animalium, 19.4. de partibus animalium 10. & ex Galeno 14. de Vsu partium, 8. Nam conuenit inter omnes Medicos, dari excrementa hæc vtilia, quæ quidem superfluunt pro corporis humani nutritione, sed sunt vtilia propter aliquid aliud, vt suo loco notabimus; Verum menstruum, & semen differunt, quia menstruum est sanguis crudus, & impurus, semen verò est sanguis coctus, & in aliam naturam mutatus, vt propterea rationem sanguinis non amplius iure meritò retineat, quæ omnia gabentur ab Aristotele, & Galeno locis citatis, & ab eodem Aristotele etiam secundo de Generatione animaliū, tertio Porrò, nunc quæret aliquis, cuiusnam coctionis menstruum sit excrementum, cui responsum datum iri puto per id, quod excrementum duplex, aliud simpliciter, quod non solum inutile est, sed etiam vt tale secerni debet, atque duplex in qualibet coctione, tenue inquam, & crassum generatur; alterum verò secundum quid, at que vti vtile aliquando retinetur, qua ratione menstruum esse excrementum hepatis, venarumque immediatè, tertiæ verò coctionis mediatè existimo; ratio est: quoniam eiusdem rationis cum sanguine, qui in venis continetur, existit, vt ex colore rubeo illius, itemque ex loco in quo ipsum conseruatur, & per quem secernitur (sunt enim venæ vteri) manifestè colligitur; Accedit, quod si cohibeatur menstrui euacuatio, sanguis per alias partes erumpit, quod vbi accidit, neccessarium est sanguinem per partes illas prodeuntem, esse eiusdē naturæ cum eo, qui in venis totius continetur, ergo & menstruum, quod mediatè ad tertiam coctionem refertur, quia obiectum tertiæ coctionis sunt humiditates secundę, quæ per nouam coctionem longè diuersam formam, ac speciem à natura sanguinis acquirunt, quam prius habebant; Ex quibus facilè est intelligere, sanguinem hunc menstruum vtilem esse, est enim eiusdem rationis cum sanguine, qui est in venis: sed quomodo sit vtile, in declaratione finis illius declarabitur. Deinde, in definitione, cum dicitur ex alimonijs genitum, proponitur causa materialis menstrui, nam menstruum, ac sanguis, qui in corpore mulieris continetur, ex chylo, chylus verò ex alimentis generatur; verum ab hoc abrepta occasione præterea causa effeciens menstrui exprimitur, quando in eadem definitione additur à calore remisso fœminæ, hic enim calor in comparatione ad viri calorem remissus dicitur; cum igitur menstruum ab hoc calore generetur, non immeritò crudum supra à nobis est nominatum, calor enim remissus cruditatem, & hanc ipsam copiosam in corpore fœminæ facit: proinde patebit, quod mulier primum sub ratione quadā communi excrementa (vt in quolibet alio corpore fit) coaceruat, quoniam alimenta tota ab ipsa non concoquuntur, & assimilantur, sed supersunt partes superfluæ, quæ & à partibus attrahuntur, vel ad loca expurgationi excrementorum destinata transmittuntur, teste Galeno primo de Facult. naturalibus, 10. & primo de Sanit. tuenda, tertio. Deinde sub ratione propria eadem mulier, ob calorem videlicet remissum, copiosa coaceruat excrementa, quoniā impossibile est talem calorem totum alimentum coquere, & assimilare, vt non sit mirū, si in corpore fœminæ tātus sanguis generetur, qui veluti excrementitius superfluat: cui rationi & vita sedentaria, qua mulieres fruuntur, finisque menstrui plurimum fauet: nā sub otio, sicuti calor in dies magis hac magis torpescit, sic excrementa retinentur magis hinc omnis occasio sanguinē excremētitiū multiplicandi, quæ etiā à fine suscipitur, quando fœtus pro sui generatione, & nutritione plurima copia sanguinis menstrui indigeat: Est igitur causa efficiens principalis ipsius menstrui calor fœminæ

remissus,

E remissus, talem verò calorem in fœmina Galenus proposuit 14. de Vsu partium, 6. & 2. de Semine, quinto, & tertio de Causis pulsum, secundo, tandemque 7. Aphorismorum 43. Sed hic duo quæret aliquis; Primum, vndenam sit quod calor fœminæ, & non maris sit magis aptus ad menstrui generationem? Alterum, cur inter animalia mulier generet hoc excrementum? De primo statuo ad generandum sanguinem excrementitium, opus esse calore, non quidem dissipante, sed generante, talis autem est remissus, ideo à remisso calore generatur sanguis excrementitius, quippe intensus dissipat, absumitque, quocirca, cum calor mulieris sit remissus, vt ex Galeno statui, viri sit intensus, proinde ille est aptus, hic verò non ad generanda menstrua. Sed dicet ille, Hippocrates ad initium libri de Morbis Muliebribus dicit, fœminas esse viris calidiores, & Galenus 3. de Causis pulsuum citato, pulsus fœmineos frequentiores vocat. Respondent Capiuaccius, & Massarias, fœminas esse calidiores caliditate adscititia, quæ scilicet à sanguine mulieris copiosiori, & calidiori pendet, non autem à calore fœmineo, vt mulieres non ex propria natura, sed ex accidenti sint calidiores: nam mulier ex propria natura est frigidior cœteris partibus: quia si mulier biliosa in regione calida, vtens victu calido, comparetur viro pituitoso in regione frigida, vtenti victu frigido, procul dubio erit calidior mare, sed vt dicebam, cœteris partibus, est frigidior, & iure quidem, quoniam omnes operationes debiliores habet, atque plurimum sanguinis excrementitij congerere debet ob rationem supra dictam, quod non nisi ex frigiditate contingere potest; Accidit, quod secundum partes genitales, quæ intus continentur, videntur etiam frigidiores, vt colligitur 14. de Vsu partium, 6. & 2. de Semine, 5. nam idest opus frigiditatis natiuæ; Quare patet, mulierem esse calidiorem viro modo iam dicto. Sed dicet rursus ille, non video qua ratione sanguis fœminæ sit calidior; Dico esse calidiorem, quia est copiosus, nam sanguis ex propria natura calidus, si augeatur secundum copiam, augetur etiam, & illius qualitas; Vel dicendum, excrementa quandam nescio caliditatem sibi comparare præter naturam, quare & sanguinem menstruum. Quibus sic constitutis, patet, cur pulsus muliebres frequentiores dicantur à Galeno, nempe, ob maiorem caliditatem adscititiam; Alij verò respondent, textum Hippocratis mendosum esse, & propterea id ex sententia Diuini Senis, non esse recipiendum; & quamquam Galenus pulsus muliebres vocet frequentiorês, id absolutè non dicit, sed comparando mulierem biliosam ad virum pituitosum: Vterque modus dicendi placet, sed magis primus, quia sic veterem lectionem textus Hippocratis tuebimur. Verum, quidam & recentioribus contra Capiuaccium inuehitur, primum, quoniam pulsus frequentiores fiunt etiam à caliditate naturali, & non adscititia tantum; Præterea, si pulsus essent tales ob rationem dictam, ergo excreto menstruo, pulsus deponeret frequentiam, quod ab ipso falsum existimatur. Ad primum dicitur, ab vtraque caliditate sine dubio immutari pulsum, sed ab accidentali pulsus fœminæ redduntur frequentiores cœteris paribus facta scilicet comparatione inter marem, ac fœminam eiusdem naturæ, regionis, ac victus, & hoc est, quod nunc quæritur. Ad secundum dico, mulieres post profluuium mensium deponere frequentiam in pulsu aliqua ex parte, quæ tamen redit, coaceruato sanguine menstruo; Vel dicendum, pulsum illum fieri familiarem, ob consuetudinem mensalem, atque sic remanere post menstruum. Nec explicatio, quam vir ille adfert de pulsu, facit ad propositum, cum scilicet dicit, pulsus fœmineos esse frequentiores, quoniam cum propria natura sint parui, supplet frequentia, & celeritas, non inquam hoc facit ad propositum, quoniam Galenus proponit hanc frequentiam in pulsu alia ratione, vt supra explicatum fuit, non autem ob paruitatem. De secundo autem Problemate statuendum est cum Aristotele 6. de Historia animalium, 8. & 3. de Generatione animalium primo solum menstruari animalia prædita sanguine, & viuipara,

viuipara, & 6. de Historia animalium 18. addit, mulierem maximè omniū animalium A habere menstrua, deinde Vaccam, Asinam, Equam, quod quidem habet difficultatem, vt Aristoteles etiam ibidem dixerit, reperiri Philosophos, qui id negent, quibus ego subscribo, cùm certò sciam, solum mulieres menstruari, cuius causæ duæ, proponuntur ab Arist. septimo de Historia animalium, secūdo. Prima, quod in alijs animalibus excrementa in pilos, cornua, vrinas crassas, squamas, & similia mutantur, in muliere verò in nullum horum ergo necessariò purgatur. Secunda causa, Bruta vno genere victus vtuntur, exercentur, & laborant maximè, mulier largè viuit, varijs cibarijs vtitur, ac otiosa, & sedentaria est, ideo maximè purgatur. Postremò, in definitione causa finalis menstrui infertur, quæ est conseruatio indiuidui, & speciei illius, quatenus secundum naturam excernitur, ad quod Aristoteles, & Galenus respicientes in locis à principio citatis, menstruum vocarunt profluuium; huius verò quatenus retinetur, quorum vtrumque quomodo, & cur fiat, videre oportet. Exorsus igitur à postremo, dico, ob B speciei conseruationem secundum Aristotelem secundo de generatione animalium, quarto, vt in speciei humanæ propagationē suppeditetur causa materialis generationis ab ipsa fœmina, à viro enim suppeditatur semen, tanquam efficiens, secundum verò nostrum Galenum retinetur mēstruum pro speciei duratione, 14. de Vsu partium, & libro de Semine, non tantum vt conceptus fiat, sed etiam vt idem conceptus in vtero, & extra vterum nutriatur, nam ex quibus constamus, ex eisdem nutrimur: at in vtero fœtus nutritur menstruo non transmutato in aliā formam, ac speciem, sicuti extra vterum, cum nutriatur lacte, quod ex menstruo à facultate commutatrice mammarum generatur. Quantum verò ad conseruationem indiuidui, dico, quod fit, si menstruum suo tempore opportuno, quantitate, & qualitate decenti, & debito modo, ac loco excernatur, educitur igitur per vterum, cum prius ad hunc fluxerit. Verum cum fluxionum duo sint modi, attractio, & transmissio, postremus nunc habet locum. Rur- C sus, transmissio est expulsio, & proinde motus, ergo necessariò habet terminum à quo, & ad quem, expellens, spatium, & obiectum, quod expellitur, terminus à quo sunt Hepar, & genus venosum, itemque partes totius, quarum menstruum est quid, quod in illarum nutritione superfluit, hinc facultas expultrix stimulata, ipsum expellit extra corpus: terminus verò ad quem est vterus, qui tanquam pars imbecillima ex secundo de Semine 5. suscipit: spatium sunt venæ, ac arteriæ, prout ab Hepate, & à partibus totius oriuntur: Obiectum tandem est sanguis excrementitius, qui consideratur, vt stimulus facultatis expellentis, & vt superfluus secundum naturam expellendus; si primo modo, copia tantum irritat, ac stimulat, non autem qualitate, copia quidem, non tantum aggrauando partes totius, genus venosum, & Hepar, sed & ipsummet vterum, & cū in hisce locis non nisi longo tempore in ea copia, quæ sit infensa facultati expellenti colligi possit, hinc huiusmodi excretio non fit nisi ad longum tempus quia facultas D expultrix non nisi sensim, & quotidiè ad vterum expellit, tametsi postea ab vtero aceruatim expellat. Quòd autē qualitate non peccet, facilè est comprobare: quia vt dictum est, sanguis est eiusdē naturæ, ac ille, qui in venis corporis mulieris existit vtilis, & materia generationis, ac nutritionis. Cum igitur copia irritauerit, secundū naturæ leges sanguis prædictus excerni debet, aliàs morbi secundum vterum fierent, sicuti tumores ex 6. de locis affectis 5. & 5. Aphoris. 57. imò, & morbi secundum totum succederēt, vti febres, & hydrops, ex 4. de Præsag. ex puls. 9. & 6. Epid. Comm. 1. tex. 1. imò & secundum alias partes organicas morbi excitarentur, vti secundum cerebrum Epilepsiæ, tumores ex Hippoc. libro de natura humana, 31. & 5. Aphoris. 40. tertioq; Proretici, atque tandem secundū alias partes alij morbi, quando nulla pars nostri corporis reperiatur, quæ possit se tueri à labe menstrui retenti, est enim vera Pandora, & vberrima mater omnium malorum corpus humanum affligentium, à quibus tamen sunt

E tutæ mulieres, quando opportunè, & modestè menstrua producunt, teste Galeno secundo ad Glauconem & libro de Venæ sectione contra Erasistratum. Hoc autem menstruum non quotidie excernitur, aliàs nimis turpe, ac fœdum esset singulo die fęminas menstruo deturpari, inquinarique: Accedit & id, quod si ex Hippoc. libro de Genitura, ac muliebri natura, mulieres potissimum concipiunt, vbi menses incipiunt erumpere, vel quando desierunt, rationi consentaneum est, quod menses non fiant singulis diebus, sed singulo mense, aliàs nũquam conciperent ob menses continuo fluentes; Causa autem ob quam tunc mulieres solum concipiant, affertur à Gal. lib. de resectione vuluæ, & est, quod semen tunc magis hæret, ac retinetur, quia vterus apertis oris venarum, asperior redditus magis retinet, præterquamquod erumpentibus mensibus etiam maior copia materiæ suppeditatur, & illis finientibus vterus depuratur; Vtcumque igitur nullo modo quotidie menses erumpere debent secundum naturam,

F quod & postremò ex eo conuincitur, quoniam sanguis sua natura benignus non trahitur ab vtero, sed ad ipsum expellitur à toto, prius facultate expellente irritata, quæ cũ non irritari possit à qualitate, sed à copia, vt dixi, & hæc non nisi longo tempore (quæ sufficiat) colligi possit, propterea non quotidie, sed singulo mense menstrua prodeunt; præterquam quod etiam & id addendum, quod natura consueuit omnia statutis quibusdam interuallis exequi; Cum igitur singulo mense fiant mensales purgationes, sanguis, qui exit, quoniam copiosus, & crassus est, non nisi per Anastomasim venarum vteri exire potest, vt sententia Aristotelis, secundo de Generatione animalium quarto, qui per Diapedesim exire hunc sanguinem voluit, non sit recipienda, nisi per Diapedesim ipsum intellexisse Anastomasim affirmauerimus: Exit itaque menstruum modo dicto, ac secundum naturam, quoniam ex Galeno, libro de Differentijs Symptom. 7. & tertio de Causis Symptom. 4. omnes sanguinis excretiones, quæcumque fuerint, hac

G vna excepta, quæ fit per vterum, sunt à toto genere præternaturam. His hunc in modum de natura, ac quidditate menstrui sancitis, ac definitis, non est difficilè satisfacere quæsito à te (Vir doctissime) proposito, nempè, menstruum secundum naturam nullum penitus vitium habere penes qualitatem. Et si tu obijcias, mala, quæ ab ipso fieri à scriptoribus referuntur, non nisi à mala qualitate menstrui prodire, quia nimirum flores, & arbores corrumpit, ferrum rubigine inficit, canes ad rabiem perducit, hominem dementat, specula inquinat, syncopem, hystoricos affectus, ac plura alia mala parit, imò verò, experientia docet, quod si quis cum menstruosa coeat, sæuos morbos contrahit, & Auerroes tertio Collect. tertio lepram proponit, hinc legislatores Mulieris, cui menstrua fiant, concubitum vetare solent; & Heliodorus prohibet ne balneum menstruatæ aliquis ingrediatur. Primum dicerem ego, quod experientia quotidiana his repugnat, quando nostris temporibus ferè nullum ex his malis subse-

H quutum sit, quod visum fuerit, ex menstruo secundum naturæ leges affecto, sed esto etiam, quod aliqua ex illis malis accidant, non in omnibus fœminis hæc obseruatur, sed in quibusdam tantum, & in illis ipsis non amplius intra sanitatis latitudinem existentibus; nam reperiuntur mulieres, quæ sunt corpore vitioso, ac malè affecto, prauoque victu nutrito, quod prauis succis scatens, tempore menstruationis vna cũ menstruo succos illos ad vterum, tanquam cloacam, & sentinam omnium sordium, & corporis excrementorum (vt conuenit inter omnes Medicos) deponit: hinc mixtio mala, deterior, & deterrima, quæ affectus dictos malos, peiores, ac pessimos producit, malos quidem, vti est infectio speculi intra sanitatis latitudinẽ, quo in casu menstruum adhuc secundum naturam erit, ac per se, vt constat, minimè vitiosum secundum qualitatem, sed per accidens, ratione scilicet mixtionis. Et si obijceres, quod mulieres etiam citra corporis vitium, & bene affectæ speculum inficiunt, dico, id pariter fieri per accidens, quatenus vterus etiam in corpore benè affecto, tanquam locus quidam excre-

excrementorum in corpore mulierum eam conditionem natus est, vt semper aliquod A inquinamentum adferat. At peiores, pessimosq; effectus menstruum producit, non amplius intra campum sanitatis, sed naturæ leges egressum, quia penè ratione non modò qualitate, verum etiam & omnibus alijs modis peccare posse existimo, quinimmò, & veneni naturam acquirere vna cum Gal. 6. Locor. affect. 5. pro certo habeo, quandò in vtero præter naturam retentum, tum ob sui prauitatem minimè vtero amicum, à natura non regitur; tum quia ob longã detentionem prauitatem maiorem consequitur, semperq; in deterius labitur, præsertim quia sui præsentia calidum insitum eneruat, in corruptionem abit, ac proinde in naturam venenatam mutatur, vt non modo syncopem hystericam, sed innumera penè mala inferre possit. Hæc igitur est mea sententia de natura menstrui. Non ergo dicendum, vt aliqui dicunt, menstruum quidẽ ex propria natura esse benignum, sed propter moram, quam in vtero cõtrahit, malum euadere: neq; vt quidam alij, quod menstruum habeat partes bonas, vtiles, malas, ac inutiles, nã quan B tum ad primum attinet, menstruum præternaturam, quamdiu est in vtero, tamdiu conseruatur, quia est in proprio loco, nempè in venis vteri; quod si menstruum secundum naturam ibidem moretur, iam prauum sine dubio euadit, sed de hoc non est sermo. De secundo dico, hoc nihil valere, quia non tantum sanguis hic, sed etiam qui in venis, habet partes illas vtiles, & inutiles: remaneat igitur firma, & inconcussa mea sententia, quod menstruum secundum naturam non habet malam qualitatem per se, sed ex accidenti, aut ex conditione vteri, aut ex vitio corporis fœminæ, vbi verò vltra leges naturæ erit, non qualitate solum, sed omnibus alijs modis peccare, haud est dubitandum. Hæcque ea sunt, quæ de menstrui natura, ac alijs hanc ipsam concomitantibus tibi scripsisse volui; vtinam modo tibi satisfaciant. Vale.

C

IOANNI CONTIO LVCENSI MEDICO Præstantissimo.

RESPONSIO XXIV. *In qua de Hemorargia in communi absolutè tractatur.*

SI quis est affectus, qui operam medicam summoperè requirat, atque sibi non vulgarem medicum exposcat, is profectò est fluor sanguinis, à quacumque modò corporis nostri parte fiat, quando basis nostræ vitæ in vno sanguine sita sit, D vt admirari proinde non liceat, homines eo fluore detentos, vsque adeo expauescere, vt instar victimæ nuper mactatæ, ac iugulatæ, & se iugulari, atque mactari dubitent: propterea de tali fluore agere decreui, cum tibi vnicè dilecto (Ioannes Excellentissime) rem gratam facere certo sciam, id quod non semel mihi significasti: de eoq; generatim verba faciam, sic etenim quoque Francisco Mingonio Centano, & Carolo Barbarinio Bononiensi, Medicis singularibus, ac nostris amicissimis satisfactum erit. Quare quod ad nomen attinet, nunc per hemorargiam intelligo Symproma attinẽs ad excreta mutata, atque præter naturam, non solum à toto genere, sed etiam ratione copiæ, merito fluoris sanguinis ab vtero, ab hoc enim prodit, secundum naturam sãguis, qui tamen si secundum copiam excedat, iam fluit præter naturam, sed non à toto genere, quoniam ratione loci sanguis est prodiens secundum naturæ leges. Generatur autem sic, vbi vasis sanguinem continentibus, nempe venis, & arterijs occurrit aliqua

E causa præternaturam, merito cuius facultas illorum retentrix frustretur secundum proprium scopum (quia sic afficitur, vt sanguinem haud retinere possit) fit affectus Hæmorargia dictus. Definiatur igitur, quod sit excretum sanguinolentum mutatum, prodiens à frustratione facultatis retentricis vasorum sanguinem continentium. Forma est excretum sanguineum mutatum: Est quidem excretum sanguinolentum, ad differentiam aliorum excretorum, vbi per sanguinem tum venalem, tum arterialem intelligo, syncerum, necnon etiam mixtum cum alijs succis excrementitijs; additur mutatum, quod est idem dictu, ac præternaturam, ad differentiam fluoris Critici, & sanguinis ab vtero singulo mense exeuntis, qui fiunt secundum naturam, quamquam & hic aliquando euadat præternaturam, si non ratione loci, saltem ratione copiæ, qualitatis, modi, ac temporis; At cum ab alijs partibus prodit sanguis, ratione etiam loci præternaturam prodire dicitur, & ideo tunc

F est excretum à toto genere præternaturam; cum verò immoderatè ab vtero, simpliciter præternaturam, atque horum vtrumque interim sub hac definitione comprehendo. Subiectum, à quo egreditur, sunt venæ, & arteriæ, vasa, quæ sanguinem continent; non me latet etiam requiri & subiectum, per quod exit, vti nares, os, vterum, intestina, gulam, ac alias partes. Postremò, quoniam exiens mutatum est Symptoma secundarium, necessariò ab actione læsa alicuius facultatis dependet, à retentione inquam aberrante à proprio scopo, aberrat autem, quia non retinet id, quod alioquin retinere deberet. Sed iam videndæ sunt causæ huius læsæ actionis. Actio itaque læditur, vel læso organo, vel ex obiecto improportionato sibi oblato. Primum habet locum, quatenus vasa continentia sanguinem laborant aliquo morbo, propter quem facultas læditur, qui morbus ex 5. Meth. cap. 2. 3. de Symptom. causis, vltimo de Differentijs Symptom. pariter vltimo, est duplex, in mala compositione, & soluta

G vnitate: in mala compositione ex parte vitiatæ conformationis, & secundum viam, & secundum meatum, secundum meatum oritur morbus, qui Diapedesis dicitur, vbi scilicet tunicæ vasorum raresiunt, & sanguis resudat: secundum viam oritur morbus, qui Anastomasis dicitur, vbi scilicet orificia venarum aperiuntur, hos namque morbos pertinere ad malam compositionem scribitur à Galeno libro de Differentijs Morbor. At morbus in soluta vnitate vocatur Diæresis, seu Dissolutio, ac Diuisio, quæ triplex est, Incisio, Ruptio, & Abrasio, 5. Method. citato, & Abrasionem Græci, ex 5. Method. 6. Diaurosim dicunt. Quòd autem tot sint affectus lædentes facultatem retentricem, patet, quoniam tot è contra sunt status naturales vasorum, dum sanguinem continent, tunc enim sunt densa, habent ora clausa, ac integra existunt, ergo si sanguinem non retinent, præternaturam sunt affecta, vel quia raresiunt, ora reserantur, aut tandem scinduntur. Causas modo horum omnium morborum propositorum

H torum perquirere oportet, quæ omnes meo iudicio in habilitatem patientis, & efficaciam agentis referuntur. Quapropter, quoad Diapedesim, habilitas patientis est intemperies calida, & humida, propter quam raresiunt tunicæ uasorum: sed præter intemperiem dictam, tenuitas etiã conducit in ratione habilitatis patientis. Agẽs in Diapedesi est sanguis tenuis, & aquosus: In Anastomasi habilitas pass: pertinet ad intemperiem eandem calidã, & humidam (calidi n. est aperire) pertinet & ad laxitatem. Agens in Anastomasi duplex: Internum, & est sanguis copiosus iusto calidior cui accedit, & motus impetuosus expultricis, nã à copia, & qualitate expultrix irritata eo impetu interdum expellit, vt ora vasorum necessariò recludantur; Externum etiam, & est quicquid laxat, vt Balneũ aquę dulcis, fometũ, coitus immoderatus, & huiusmodi. In Diæresi quoad abrasionẽ, & incisionẽ habilitas refertur in tenuitatem, & mollitiẽ, hæc n. facilius, & promptius abradi, & incidi contingit; At quantum ad ruptionem, magis disposita sunt crassa, tensa, dura, & sicciora, saltem ex parte causarum internarum

agentium

agentium (cum mollia facilius ab externis rumpantur) causa agens in abrasione, A est succorum prauitas, quinto Method. 10. vnde bilis flaua, & atra, salsa pituita; sanguis acris, ac pus, huc referenda; Sanguis autem acris redditur, vel quia copiosus ichor à causa calefaciente genitus ei permiscetur, vel quia putrescit, quod postremum de omni alio humore etiam intelligere oportet, vt iure in pulmonibus secundum Auicen. à materia catharrali non quidem acri ex propria natura, sed propter putredinem excitetur vlcus; cuius abrasionis nulla causa externa assignatur. Incisio fit à telis acutis cæsim, & punctim ferientibus, sicuti ruptio ex parte causarum internarum fit à sanguine multo, vel multo flatu cum sanguine permixto, quo pertinet vox, ac tussis violenta; ex parte causarum externarum adest ictus, telum graue, & quælibet alia causarum impetu agens; A qua verò causa succi omnes commemorati gignantur non est, vt ad te scribā, Io. charissime, si quidem sanguinem aquosum à iecore frigidiori, bilem vtrāq; sanguinē acrem, sed citra putredinem à calore iecoris, humorem putridū ab extraneo B calore; pituitam salsam à capite calidiori, vel putredine, additis esculentis, & poculentis proportionatis, in ratione causæ materialis, fieri optimè nosti, sicuti & hos omnes vitiatos succos improportionatum esse obiectum, quo actio facultatis retentricis vasorum sanguinem retinentium frustretur, satis, superque dignoscis. Quocirca de differentijs agendum, quæ sumuntur à forma, à subiecto patiente, & à causa effectrice. Si à forma, vel consideratur, vt exiens, sanguinolentum tantum, vel etiam vt præternaturam. Si primum, vel est syncerum, vel mixtum cum alijs humoribus, vt præcipuè solet contingere in sputo sanguinis, Dysenteria, & mensium profluuio si vt præternaturam. Primò, occurrit substantia, vnde vel exit putridus, vel non. Secundò, copia, vnde copiosus, vel non copiosus exit. Tertiò, qualitas, vnde vel calidus, vel frigidus, vel huius, vel illius saporis, & odoris. Quartò, motus, vnde huius considerandus est modus, qui erit vel Criticus, vel Symptomaticus. Si à subiecto patiente C desumantur differentiæ, vel à loco, à quo subiecto principaliter exit, vnde vel prodit à vena, vel ab arteria, vel à loco, per quem, & tunc exit, aut per pulmones, pectus, palatum, guttur, os, nares, ventriculum, iecur, lienem, vterum, renes, vesicam, anum, aut per partes externas; Si autem à causa effectrice, vel exit propter malam compositionem, vel solutam vnitatem, & si propter compositionem vitiatam, vel propter morbum in meatu, & dicitur Diapedesis, vel propter morbm in via, & dicitur Anastomasis: si per solutam vnitatem, aut simplicem, quam vocant Diæresim simpliciter, & est incisio, vel ruptio, aut cum deperditione partis, vt in Diaurosi.

Malum hoc in genere facilè cognoscitur, pariter an sit purus vel mixtus, etiā patet; an verò putridus, liquet ex odore, ac sapore, de quo conqueritur æger; Quoad copiā, & qualitates, partim ex relatione patientis, partim ex visu innotescunt; si criticè, adest ægri tolerantia, & Symptomata quæ ante aderant euanescunt, præcessit coctio in vrinis, fitque in die critica. Si ab Arteria sanguis exeat, calidus admodum erit, tenuis, potius flauus, quam rubicundus, vel etiam floridus, atque cum impetu, & quasi saltu D quodam exiens, vt habetur ex libro de Atra bile, capite secundo. Si verò à vena, è contra; At si per nares exeat, iam cum à venis cerebri, & narium possit exire, profectò ab illis exit, vbi Symptomata propriè circa caput spectabūtur, fluxus non facilè cedet medicamentis, quoniam locus, à quo fit, satis est reconditus, si ab his, aderunt signa contraria propter contrarias causas: si per sputum excernatur, vel à partibus oris prodit, atque tunc simplici expuitione, vel per palatum ex capite, & tunc expuitur cum screatu frequenti, titillatio quædam in gutture sentitur, sanguis permiscetur spumæ, ipseq; minimè spumans est, ac, teste Aetio, præcessit plaga, & percussio, & alij affectus cerebri, vti dolor, vertigo, ebrietas; amplius, adfuerunt, & adsunt signa repletionis capitis, sicuti oculorum rubor, turgentia venarum capitis, eiusdem grauitas, & calor.

E Vel à pulmonibus à quibus eijcitur tussi, sine dolore, sanguisque floridus, feruens, copiosus, & spumosus redditur, cuius causa cum sanguine quasi substantia pulmonum excernitur. Vel à pectore, à quo reijcitur tussi, cum dolore: sanguisque est niger, grumosus, non feruens, non copiosus, præcessit noxa thoracis.

Sed notandum, quod etiam si à capitis venis descendat in pulmones, necessariò facit tussim, atque sine dolore eijcitur minimè spumosus, quare prout sine dolore, distinguitur à sanguine excreto à thorace, prout non est spumosus, ab eo, quod à pulmonibus foris educitur. Quibus omnibus & illud addendum, quod caput est malè affectum: si à capite in pulmones decumbat: si verò per alias partes exeat, caput erit illæsum. Et si quis, cur in descensu à capite, sanguis non sit spumosus obijciat, nam adest materia humida, vaporosa, aer inspiratus, motus descensus, adest etiam calor, accedit quod tussis inducit spumam, quibus omnibus nominibus sanguis à capite spu-
F mosus esse deberet; Respondetur, sanguinem spumosum, & mixtum cum spuma differre, ille intrinsecus, & extrinsecus est spumosus hic verò extrinsecus tantum (ideò ad dignoscendum debet baculo agitari) ex quo concedo, quod sanguis, qui à capite fluit, propter rationes adductas cum spuma existat, non autem spumosus intrinsecè, vt ille est, qui à pulmonibus peruenit. Cœterum, si à ventriculo sanguis educatur, vomitu educitur, pituita admiscetur, paucus exit, quoniam venæ ventriculi paruæ existunt. Si à iecore, & liene, copiosus per vomitum excernitur, ea tamen distinctione, vt qui à iecore floridus, qui à liene, sanguis nigricans prodeat; Adsuntque vitia horum membrorum; Si ab vtero suppressi sunt menses, sputumque superuenit tempore, quo soliti sunt fluere, & sanguis est varius, prout varia est materia menstrualis. At si sanguis prodeat per vterum Symptomaticè, ex Galeno 6. Loc. aff. 5. præter malam tolerantiam, succedit mutatio coloris, qui fędus fit, pedes in-
G tumescunt, læditur tum appetitus, tum coctio, & ex Hippoc. 2. de Morbis muliebr. sanguis rubeus, ac grumosus, ad differentiam profluuij muliebris, in quo interdum materia colore rubicundo est donata, excernitur, & si vitium sit in vtero, Symptomata non apparent in toto, quod si in toto, contrarium apparet. Quod autem à renibus sanguis educatur ab vrina sanguine copioso mixta colligitur: Si verò à vesica, paucus est sanguis, minimè vrinæ mixtus: Præterea, in hoc casu Symptomata ad vesicam spectantia fiunt, in illo ad renes. Si per annum ab intestinis, nullum adest Symptoma ad venas hemorrhoidales attinens, nisi aliquando tenesmus, dolorque persentitur in abdomine, sanguis excretus non est syncerus, paucus existit. 6. Locor. affect. 2. si ab intestinis superioribus, perfectè cum fęcibus permiscetur, ferè cum nulla pinguedine, clysteres non iuuant. At si per hemorrhoides, tensio, ac tumor illarum venarum, & quandoque apertio osculorum apparent, sanguis purus excernitur copiosus,
H primum nigricans, deinde rubeus, & vbi cum stercore secernitur, illi supernatat; Demum, si per partem externam prodeat, sensu ipso cognoscitur.

Cœterum, si sanguis fluat per Diapedesim, is erit paucus, serosus, tenuis, atque sine dolore exit sensim, & quasi guttatim per plures dies, præfuerunt, & adsunt causæ generantes hunc sanguinem, necnon causæ intemperantes vasa.

Sed si per Anastomasim, præcesserunt laxantia, obseruantur notæ sanguinis copiosi, & calidioris, sanguisq; egreditur sine dolore, sed copiosus, affatim, rubore affectus, qui aliquando acris, & calidus persentitur, ac tandem adest intemperies vasorum.

Si per Diæresim, cum dolore excernitur sanguis (nam partes adiacentes sentiunt) & primis diebus paucus, inde augetur, & maiori cum impetu prodit; At si per incisionem, præcessit illius causa, si per ruptionem, quamquam & copiosus, & affatim possit sanguis prodire, vt in Anastomasi, tamen in illa præcessit causa externa rumpens; Vel si fiat à causa interna, & à flatu mixto cum sanguine, adsunt signa flatuum:

Quòd

Quòd si fiat ruptio à copioso sanguine, vt etiam fit Anastomasis, in ruptione exit cum dolore non rubeus, sed nigricans potius: præterea, in ruptione vasorum, nunquam sanguis aeris persentitur, sicuti in Anastomasi. Si per Diaurosim, præter signa succorum prauorum redundantium in corpore, nonnunquam portio substantiæ membrorum cum sanguine excernitur, aliquando sanies exit. A

Quam ob rem, præsidia desumuntur à sanguine, causis, & virtute: A sanguine primum, qui exit, nam Symptoma est adeò vrgens, vt ad sese primariò trahat curationem, quare cum sanguis exeat, quia mouetur, & cum impetu, propterea ratione huius impetus retrahens indicatur.

Causæ sunt vel Anastomasis, & indicantur adstringentia, ac angustantia, vel Diapedesis, atque tunc densantibus vti oportet, Vel Diæresis, aut per ruptionem, & incisionem, quæ agglutinantia, & vnientia indicant aut per Diaurosim, qua non solum agglutinantia, sed sarcotica, ac renutrientia indicantur. B

Virtus ratione caloris, qui continuò dissipatur indicat remedium, tum reparans quod est deperditum, & propriè dicitur alimentale, tum prohibens talem dissipationem, & hoc dicitur concentrans, atque adstringens, per quod vnitur calor. Et ex his facilè sit intelligere, omnia remedia pro sanando fluore sanguinis ferè eandem habere vim, & facultatem, nempe refrigerantem, calefactoriam, & adstringentem.

Cœterum, vt his scopis occurramus, amouenda sunt impedimenta, quæ potissimum impediunt, quo minus adimpleantur scopi sanguinis fluentis, & causarum: impedimenta sanguinem respicientia duorum sunt generum, alia enim fouent, & augent cōtinuò transmissionem sanguinis ad locum apertum, & patentem; alia verò minantur tum attractionem, tum grauiora Symptomata: Quæ fouent transmissionem ad locum apertum, sunt, quæcunq; veluti obiecta improportionata facultatem expultricem irritant, vti succi sanguinei acres, qui attemperans, & refrigerans, putridi, qui eradicās, tenues, qui incrassans remedium expostulant. Quæ verò minantur attractionem, sunt dolor, calor, & causæ horum effectrices, sicuti tussis molesta, vox, & corporis agitatio, quæ quid indicent, de se constat. Sed ad sanguinem aliud etiam pertinet impedimentum, nempè grumus eiusdem, seu idem sanguis concretus in loco affecto, qui minatur grauissima Symptomata, propterea indicat discutiens, & dissipans. C

Impedimenta, quæ obstant scopis causarum, sunt causę morborum, qui fluxum sanguinis pariunt: quocirca sanguis serosus, in Diapedesi est euacuandus, vel per secessum, vel per vrinas ad renes delatus, per modum deriuationis; deinde cohibenda est illius generatio per iecoris calefactionem. Pariter sanguis qua copiosus in Anastomosi & ruptione, indicat minuens, quà verò acris, & calidus, attemperans, & refrigerans, ideò Iecur attemperare etiam oportet. At in Diaurosi, quæ à bile vtraque pendet, & pituita salsa, primum ratione copiæ horum humorum minuens indicatur, ratione qualitatis alterans in contrarium, ratione causæ generantis, membra sunt reducenda in statum naturalem. D

Quos fines assequi negocium est periculo plenum, nam vitium hoc est vehemens ratione essentiæ ex parte sui, & ex parte, qua causæ sunt eius actiuitatis, vt noceant indiuiduo, & speciei, indiuiduo quatenus minantur cachexiam, hydropem, & phtisim, speciei, quia si ab vtero prodit sanguis, conceptionem impediunt, præterea adiūgitur vehementia facultatis, quoniam in omni sanguinis fluore vires destitutæ proprio fundamento, resistere non possunt, quod manifestè colligitur ex imminutis vitæ functionibus, statu, habitu, & colore corporis, adeò præter naturam mutatis. Non negandum tamen (vt experientia docet) malum hoc etiam à natura sanari sine auxilio artis, sed periculum subest. Quod ad differentias formales, magis periculosum est, si sanguis syncerus exeat, nam tunc maior est recessus à statu naturali, & vires, deficiente sangui

E ne, non resistunt; At si vitia sanguinis considerentur, semper peius est malum, si putridus exeat, tunc enim dupliciter sanguis peccat, motu inquam, & substantia, atque ratione illius sistere, ratione huius euacuare teneretur Medicus, hinc contrariæ indicationes, quæ sicuti morbum curatu difficiliorem, ita periculosiorem reddunt. Sanguini putrido, quoad periculum succedit serosus, deinde acris, tandem copiosus, nam quo maior est recessus à statu naturali, atque quo magis sanguis alimentalis peior gignitur (vt virtus non resistat ob sanguinis prauitatem) eò malum est periculosius, & proinde in sanguine seroso non leue periculum subest, nam præterquam ipse haud est aptus nutritioni, iecur etiam refrigeratum admodum supponit, quod recessum satis insignem à statu naturæ demonstrat; Adhuc, & sanguis acris ad nutriendum est ineptus; Vltimò tandem, copiosus omnium minorem infert mali suspicionem, cum tamen ille à periculo non sit immunis, quoniam sanguis moderatus, non autem secun-F dum copiam excedens, in corpore nostro generari deberet.

Quo ad differentias materiales, grauius vtique est malum, si prodeat per partes internas, quia non ita cedit materijs medicis, grauius etiam, si ab arteria, quàm si à vena prodeat: nam difficilius sistitur, propter impetum sanguinis, præterea, magis vires succumbunt.

Quantum ad differentias ex causa effectrice petitas, statuo Diaurosim ex toto non sanari, quia deperdita est substantiæ spermaticæ portio, quinimmò, vbi vlcus est magnũ, est quoq; lethale. At ruptio & incisio difficilè, Anastomasis difficilius, Diapedesis autem facilè sanatur. Et quamquam ruptionem, & incisionem sanari posse scribatur 5. Meth. 14. hoc tamen intelligendum est cœteris paribus, quoniã Diapedesis facilius curatur, & ob id minus periculosa, supposito nimirum, quod ratione suæ causæ, quæ est sanguis serosus conueniat secundum vehementiam cum causis aliorum morborum.

G Pro curatione igitur primum se se offerunt materiæ chirurgicæ, inter quas priores sunt, quæ sanguinem immediatè respiciunt, ac ipsum euacuant, ideo sectio venæ, cucurbitulæ, & hyrudines proponuntur. Sectio venæ statim prima die ad vsum deducatur: nam in progressu, cum sermo sit de profluuio immoderato, potius adest penuria sanguinis, quàm redundantia; Verum perseuerante morbo, & viribus permittentibus, eadem venæ sectio repetatur, quo in casu, vt tutius agatur, laudarem, vt parum, & per vices sanguis detraheretur, sic enim sanguinis motus, & impetus vitiosus (quẽ primo compescere intendimus) emendaretur, atque virium maxima haberetur ratio, quam omninò præoculis habendam censeo. Quocirca, cum vires in Diapedesi non resistant, sanguis enim est paucus, & serosus: qui per vrinas erit euacuandus; Amplius, si Iecur refrigeratum existit, sectio venæ erit omittenda, quæ vbi conueniet, primum in brachio dextro, deinde in sinistro poterit administrari, secundum quòd oc-H casio postulabit. Notandum tamen in plethora primum saphenam, deinceps venam brachij nos posse secare. Cœterum, & cucurbitulæ scarificatæ per se primò, ac tamquam vicariæ sectionis venæ, vbi scilicet vires sectionem venæ non perferrent, hisce in casibus probantur; si primo modo, & vt reuellentes, apponantur partibus remotis, vt in fluore sanguinis ab vtero, scapulis; si vt deriuantes, sicut in narium hæmorargia, occipiti applicari debent. Quòd si vt vicariæ sectionis venæ vsurpentur, tunc partibus remotis, præcipuè infernis, erunt adhibendæ. Hyrudines & ipsæ, si vt remedium principale adhibeantur, eodem prorsus modo, atque cucurbitulæ veniunt in vsum, & ideo ratione reuulsionis in narium hæmorargia, apponantur venis ani; in profluuio mensium, venis narium; sicuti & in fluxu menstruorum ratione deriuationis venis ani, in fluxu narium post aures applicitæ iuuant; At, si vt substitutæ considerentur, apponantur tunc venis, quæ fuissent secandæ.

Subsequuntur materiæ, quæ sanguinẽ respiciunt, sed non euacuãt, vti sunt cucurbi-

culæ

[illegible]culæ non scarificatæ, frictiones, lotiones, ligaturæ, locusq; in his cucurbitulis idem erit A ac in sacrificatis, vnde ad reuellendum sanguinem ab vtero, non solum scapulis, & partibus supernis appositæ probantur, verum etiam & sub mammis, atque in omni situ ore iecori, lieni verò, vbi sanguis à nare sinistra prodit, apponi poterũt, quod pariter idem de frictionibus, ligaturis, & lotionibus intelligendum, sed præter has materias attrahentes, sunt & impellentes, ac intercipientes, inter quas laudo deligationem factam cum fascia, prius adductis oris vasorum, quæ deligatio arctior super locũ affectum laxior paulo supra versus originem vasorum, cor inquam, & iecur facienda erit. Verum reperiuntur etiam materiæ chirurgicæ, quę respiciunt sanguinem, nõ tamen ipsum reuellunt, deriuant, intercipiunt, aut impellunt, quia non ad sanguinem fluentem, sed ad iam fluxum diriguntur, huncq; solum detinent, atq; hæ pro maiori parte probantur in fluore à partibus externis. Prima igitur est, quando adducta cute, vel carne à partibus vicinis 5. Meth. 3. vel superpositis digitis, aut linamentis, & stuppis, ac loco à quo sanguis erumpit, compresso, sanguis retinetur. Secunda est deligatio cum fascia, prius adductis oris vasorum, deinde superpositis iisdem linamentis, & stuppis medicamento emplastico, sanguinemq; supprimente infectis, quæ deligatio arctior super locum affectum, vt dictum est, & laxior versus originem vasorum esse debet, teste Hippoc. lib. de alimentis circa medium, & Gal. 6. de placitis cap. 9. Tertia est laqueatio vasis, sub eo enim traijcitur acus filum lineum ducens, quo vas arctius adligatur, atque sic sanguis non amplius effunditur, sed si id agatur circa aliquod vas magnum, gangrenæ periculum imminet 7. de Anat. admin. 13. & 5. Metho. 4. est sectio per transuersum, vasis scilicet sanguinem fundentis: nam partes dissectæ retrahuntur, celanturque, ac à partibus adiacentibus tegitur sectio, teste Gal. 5. Meth. 8. de Anat. adm. 6. Quinta est vstio cum ferro candenti, quod conuenit præcipuè vbi profluuium sanguinis ab erosione habuit originem ex 5. Metho. sic enim inducta crusta sistitur sanguis.

Tandem sunt materiæ chirurgicæ, quæ non respiciunt sanguinem, sed alios succos, & ex consequio quodammodo ipsum sanguinem, & hæ sunt cauteria adhibita, tamquam materia remedij reuulsorij partibus distantibus, vstio syncipitis, vt materia euacuatoria probatur.

Medicamẽta quoque in fluore sanguinis sicuti & in alijs affectibus tum communia, tum priuata prosunt; communia recensendi hic non est locus, quandoquidem ea tantum, quæ peculiariter hæmorargiæ conueniunt, interim agere profiteor; quapropter priuata, & particularia solum attingam, quæ omnia diriguntur, vel ad sanguinem, vel ad impedimenta, nam medicamentorum, quæ ad causam, & caloris dissipationem inhibendam referuntur, non fit mentio, quoniam hæc cum illis, qui sanguinem sistunt, ac supprimunt, in vnum coeunt; Medicamẽta igitur sanguinis motum respicientia sunt, quæ vel sanguinem immobilem reddunt, vel retrò pellunt, ac motũ illius intercipiunt, D priora id faciunt crassefaciendo, vel crustam inducendo, crassefacientia verò alia cum lentore, alia sine, alia cum stupore crassefaciũt, & quæ cum lentore, emplastica dicta, vel sunt calida, vel frigida, & vtraque adstringentia, quæ sine lentore, omnia sunt frigida, & adstringunt; crassefacientia ergo calida, sunt thus, cortex illius, aloes, mastix, resina: crassefacientia frigida sine lentore, sunt aquæ medicatæ, aluminosæ, & ferreæ, grana summachiorum, granatorum siccatorum, cupulæ glandium, gallæ, & mora immatura, rosæ, cotonea, myrtus, malicorium, balaustiæ, mespilum, sorbũ, sandalus, corallus, cornu Cerui, semina acinorum vuæ, spodium, cortex pini, acacia, hypocistis, ac omnia acerba, quo aqua frigida referri potest: crassefacientia cum lentore, sunt sanguis Draconis in lacrymis, tragaganta, amilum, charabe, bolus Armena, terra sigillata, albumen oui, pedes vituli, farina triticea, plantago, & symphitum, ebur, suber, spongia, folia quercus, portulaca, lapis hematites, poligonium, bursa pastoris, solanũ, & huiusmodi.

Ex

E Ex quibus omnibus, quoad modum agendi, parantur variæ formulæ medicamentorum, nam linimenta, insessus, fotus, cataplasmata exterius adhibenda, boli, pulueres potiones, tum ex decoctò illorum, tum ex aquis stillatitijs per os assumenda; Et quæ crassefaciunt cum lentore, potissimum in Diaurosi, quæ verò sine lentore, in Anastomasi, & Diapedesi probantur. His addo & quædam alia tum interius, tum exterius administrata, sed cõposita, sicuti exterius lutum ex Bolo Armena, sanguine Draconis, crèta, exceptis aceto, ac oui albumine, gypsum etiam eodem modo probatur, vnguentum Comitissæ, de corticibus castanearum, sanguis draconis cum resina exceptus, & super petiam appositus, fotus ex posca, vel medicamentum Galeni 5. Methodi quod recipit partes duas thuris, vnam Aloes, albo oui, ac pilis leporinis exceptas.

Interius laudantur Syrupus de Ribes, de rosis siccis, de plantagine, de myrto, item, & trocisci de Charabe, de terra sigillata sine opio, de spodio. Horum autem omnium F dosis, sicuti & reliquorum, si per os exhibeantur, modo maior, modo minor erit, prout affectus præter naturam est maioris, vel minoris actiuitatis, & quæ sub forma potus exhibentur, actu frigida sint.

Quoad vbi agendum, si interius, iam per os sunt assumenda, si exterius, in fluore ex naribus, fronti, temporibus, ac ceruici, in sputo sanguinis, thoraci, in dysenteria, abdomini; in profluuio mensium, lumbis, & pubi sunt adhibenda remedia, quemadmodum ac alijs diuersis partibus, prout ab vna, vel ab altera parte sanguinis prodit.

Medicamenta crassefacientia cum stupore, sunt Syrupus, & conseruæ Nimpheæ, Syrupus de papauere, saccharum violatum cum seminibus iusquiani albi, trocisci de terra sigillata cum opio, Philonium Persicum, trocisci de seminibus Galeni, theriaca recens, ac alia huic census. Medicamenta, quæ impellunt sanguinem, ac simul intercipiunt, sunt, quæ paulo supra locum fluoris apponuntur, inter quę probatur defen- G sorium communiter dictum, ac affusio aquæ frigidæ; nam meritò huius non solum à loco fluxus auertitur sanguis, sed ab omnibus partibus externis ad internas.

Medicamenta crustam inducentia, seu escarotica, & caustica dicta, exterius tantum adhibentur, quæ cum varia esse possint, propono ego oleum sulphuris cum melle, oleũ calcanti cum succo porri, nam hæc adhiberi possunt tum instillata, tum iniecta catere; huc pertinent calcytis, & mysi, hæc etenim etsi escarotica sint, tamen meritò facultatis adstrictoriæ, qua pollent, diu crustam detinent.

Subsequuntur medicamenta impedimenta respicientia, inter quę primum occrrunt grumos sanguinis discutientia; in quem vsum ex 10. de Simplic. intus coagulum leporis assumitur, succus calamenti, posca, & oxymel, ex 5. Meth. 8. bibita conueniunt, quinimò in hunc finem veteres Medici vulnera aceto perfundebant, vt Hippoc. lib. de Vulneribus.

H Secundò, occurrunt medicamenta quæ prauos humores ratione copiæ euacuant; nam quæ ratione acredinis attemperant, tenuitatis incrassant, inter quæ nulla alia proponuntur, nisi quæ superius tradita sunt. Si igitur acris sit humor vt biliosus, & copia peccauerit, educendus medicamento ex Rhabarbaro, ac tamarindis, in forma boli, vel in forma potus parato decocto ex semine plantaginis, portulacę, acetosæ, myrobolanis citrinis, in aqua calybeata, cui adijcitur Rhabarbarum, & fit medicamentum accomodatum, atque huic in decocto, priori verò sub forma boli, electuariũ lenitiuum adijcietur, si atra bilis peccauerit, sicuti si ichor sanguinis, Syrupus rosatus solutiuus, diaprunis lenitiuus maximè cõueniunt; quo peracto, ad alterationẽ iecoris serum calybeatum cum succo acetosæ, & plantaginis, aqua medicata frigida; ac potissimum in Diaurosi summopere conuenit; sicuti, & exterius laudatur perfusio iecoris cum succo cicorij, plantaginis, cum aceto, & sandalis.

At si humor impediẽs sit serosus, Diureticis educatur, vt decocto Aspargiri, citrach origani,

origani, fœniculi, cicerum rubeorum, ante quod deuoretur bolus factus ex therebintina cum puluere Rubeæ tinctorum. Postea iecur calefaciendum, & roborandum cyphoide, trociscis de Eupatorio, de absynthio, de Rhabarbaro, magnis antidotis, & medicamento Sassafras parato.

Victusque conueniens seligatur, quocirca aer ad frigidũ vergat, cibus sit inuiscans, potus vini granatorum, & cydoniorum, cum aqua calybeata, quiescat patiens, non multũ loquatur, non agitet corpus, & pars à qua sanguis prodit, sublimis collocetur. Quoad animi passiones, vitentur omnes præter timorem, qui ex periculo incuti debet, proderit enim ea ratione, qua sic sanguis ad intimas partes reuocabitur. Hæcque tibi sufficiant Ioannes amantissimè, quæ spectant ad Hæmorargiam in communi; vtinam modo satisfecerim; vt cumque tamen Valeas, meque diligas, te summopere diligentẽ.

EXCELLENTISSIMO CAESARI ROSETTO Medico Foroliuiensi.

RESPONSIO XXV. Pro solutione quarundam contradictionum in Galeni libro de Ptisana contingentium.

CVM maxima semper extiterit tui in me humanitas, non mirum idcirco, si te mei vndequaque amantissimum quoque fuerim expertus, quod mihi nimium fauentis fortunæ genus quanti ego faciam, illud solum attestari commodè poterit, quòd me tibi semper morem gerentem in rebus medicis, ac alijs quibuscumque tu vicissim experieris, modo sese mihi occasio obtulerit, propterea vt nuper ad me missis tuis litteris satisfaciam, dubitationes in ijsdem mihi propositas soluendas libenter aggredior, non quòd earum solutionem ignorare te dubitem, sed quòd illis mea sententia solutis, me tibi rem gratam fecisse certo sciam. Dubitationes ergo quemadmodum ex libello Galeni de Ptisana petuntur, ita ex eodem solui posse, haud hæreo. Quarum prima satis apparens est in dictis Galeni contradictio, capite enim quinto citati Operis, de Ptisana loquens, concludit multis nominibus (vt videre est ibidem) febribus acutis præsertim conuenire, quemadmodum etiam ratio ipsa ad mentem Hippocratis postulare videtur, siquidem victum humidum febrientibus conuenientem fatetur Medicus vnusquisque. At ex aduerso, capite vltimo, habet Galenus, cum febris infestat, illam propinare minimè expedit, siue cum dolore, siue citra dolorem ea existat; Ecce nunc negat Ptisanam, cum tamen prius febribus conuenire affirmauit.

Altera verò Dubitatio similiter extat in verbis Galeni: nam vbi capite quinto, Ptisanam non solum corporis sordem abstergere, verum, & pituitosum humorem in ventriculo existentem quadantenus expurgare dixit, nihilominus ijs denegandum capite vltimo docet, qui ventriculum habent excrementosis humoribus refertum, quasi fuimet superius immemor contraria pronunciet.

Vltima tandem difficultas (seu Dubitatio dixeris) ex Galeni præcepto de Ptisana deducitur in principio capitis vltimi, quod est: Neque enim illis est administranda, qui cum periculo laborant; Ratio verò dubitationis est: quoniam qui iecoris instam-

E inflammatione Peripneumonia, Angina, ac talibus affectibus detinentur, cum periculo laborant, vt de se patet, illis tamen Ptisanam conuenire ad communem omnium sententiam, haud est dubitandum.

Quibus omnibus difficultatibus, vno, vel altero iacto fundamento ex eodem libello petito, occurrere poteris facilè Vir excellentissime, quorum primum est ex fine quinti capitis excerptum, quod nimirum facilimæ sit coctionis, suas omnes qualitates habeat Ptisana imbecilimas, & ob id in vniuersum corpus facilimè digeratur.

Alterum est, ex capite vltimo, quòd scilicet vbi multa adest plenitudo, aut humorũ crassities, Ptisana non debet vsurpari: Cuius præcepti Galenus statim, vel etiam ex Hippocratis testimonio rationem reddens, subdit, Periculosum enim est, ne subito, & confertim corpus repleat; & paulo inferius, porrecta tunc Ptisana, mortis causa effecta est, plenitudinem fortè maiorem tum reddens. Quibus ita se habentibus, iam vnamquamque dubitationem singulatim soluere non est difficilè.

F Et quod spectat ad primam, dicerem ad mentem Galeni, qui dum febribus conuenire Ptisanam dicit, ipsum ad indicans respexisse, febres enim cum sint morbi calidi, & sicci, victum humectantem, & refrigerantem sibi requirunt, qualis quidem Ptisana est: capite verò penultimò, dum eam damnat Galenus, ipsum respexisse ad prohibentia, quæ sunt plenitudo, & cacochimia vigentes potissimum in febrium principio, ideo etiam tunc temporis præsertim Ptisanam prohibet, ac propterea dicit: vbi febris infestat, non tamen per totum febrium decursum vsum Ptisanæ damnat, vt colligere est ex modo loquendi eiusdem Galeni eodem in capite, habet enim. Cum laboranti opus fuerit Clysteri ad expurganda excrementa, venæ sectione, aut purgationibus eguerit, tunc Ptisanam prohibeas, quasi dicat, post venæ sectionem, & purgationem, quæ plenitudinem, & cacochimiam minunt, ptisanam administrare erit opportunum, docet enim eo in loco Galenus, quantitatem, tempus, modum, cœteraq; omnia ad rectum vsum ptisanæ spectantia.

G Quod verò ad secundam Dubitationem attinet, eodem ferè modò solui potest, vbi enim ventriculus copiosis admodum excrementis, crassis, viscidis, & multum infarctis tunicis scateat, cum ptisana omnes qualitates habeat imbecillimas, vt supra tetigi in primo fundamento, non est mirum, si tunc temporis ipsam deneget; quod pariter innotescit ex modò loquendi Galeni, vbi ptisanã quadantenus, & non plurimum abstergere posse pronunciauit; hinc, non miror, si Galenus in ventriculo pleniori excrementorum copia referto ptisanam reprobet, tamquam illam, quæ non valet tantã humorum colluuiem, & infarctum abstergere: inter agens enim & patiens debita proportio requiritur; Vbi verò ventriculus adeò excrementis non abundat, eam iure laudat, tunc etenim illa commodè potest abstergere.

H Vltima demum difficultas sic soluenda venit, quod scilicet ijs, qui cum periculo laborant ob plenitudinem, est prohibenda, ac proindè in illis euitanda, qui Pleuritide sicca, hoc est sine sputo, laborant, atque similibus affectibus, in quibus tamen post plenitudinis diminutionem concedi ptisana potest, quo tempore Galenus concedit, & omnes ad mentem eiusdem tunc temporis concedere deberent, sic etenim illud Hippocratis deuitarent corpora impura quanto plus nutries, tanto magis lædes. Et hec sint satis pro solutione propositarum difficultatum ad te scripsisse Vir excellentissime.

Vale.

EIDEM

EIDEM EXCELLENTISSIMO VIRO.

RESPONSIO XXVI. *Pro quodam Adolescente. Scirrum illegitimum Iecoris, febremque tertianam notham patiente.*

LVes Venerea adeo constitutioni caloris natiui humani omnium vitalium actionum veri opificis infensa est, vt varijs modis eam corrumpendo, corpus etiam humanum ad varios, ac ferè innumeros præparet morbos; Hinc à Viris doctissimis vera Pandora, & vberrima mater omnium præter naturam affectuum nuncupatur; non est igitur mirum, Cæsar Doctissime, si Illustris, & nobilis adolescens, & decem & nouem annos natus, temperamenti partim biliosi, & partim sanguinei, de cuius aduersa valetudine ad me scribis, prius à lue prædicta tactus, & dolore musculorum thoracis cum difficili spiratione, & dolore grauante ventriculum, cum vomitu, tum pituitæ, tum alimenti laborauerit, nunc verò tumore scirroso hepatis, quod ferè semper ab illa lue violatur, laboret, sicuti potest persuaderi ex duritie percepta in Hypochondrio dextro cum sensu ponderis, ita, vt & positus, & species doloris iecur affectum indicent, solum enim iecur inter alia, quæ in Hypochondrio dextro viscera latitant, dolorem grauantem ex Galeno patitur; Ingrauescit autem, ac manifestius fit pondus illud inter respirandum, quoniam in inspiratione Diaphargma ad circumferentiam motum sursum trahit iecur, quod sic tumore affectum, veluti pensile redditum magis grauitat. Verumtamen tumorem hunc, qui ante plures dies fundare radices cœpit, nunc aliquam notam putredinis acquisiuisse, ita vt veluti inflammatorius euaserit, potest demonstrari ex eo, quod vrinæ valde crassæ fuerint exeretæ; præterea, ex febre cum genarum robedine, vbi illa ad statum secundum proprias accessiones properauerit, quibus, & patientis temperamentum facilè accensibile est addendũ. Sed, an febris illa sit per se, vel per accidens, meritò hæsitari potest. Ego autem, vt ingenuè fatear, in ea sum sententia, vt non tantum Symptoma, verum etiam quia typũ seruat (quotidiè enim inuadit cum lento rigore) morbus existat; Erit igitur meo iudicio de genere putridarum, vt rigor, ac vrinæ mutatio docent, & de genere tertianarum multiplicium, quoniam rigor est perpetuus comes harum febrium, quotidieque Illustrem, ac nobilem patientem exercet; tandemque in coordinatione spuriarum reponenda, sicuti victus prægressus pituitosus, tempus anni præsens hyemale, capitis grauitas, satis apertè demonstrant, quando hæc sint pituitæ cum bile mixtæ apertissima indicia.

Quorum affectuum generatio breuiter est perquirenda. Scirus igitur, vt talis, quia est tumor præter naturam à toto genere, necessariò à materia copia, & qualitate peccante, & in parenchimate iecoris recepta, ortum habet; quam quidem materiam nullam aliam esse, nisi pituitam ipsam crassam, satis manifestè demonstrat vomitus ille, à quo diebus superioribus, patiens fuit afflictatus, cum etenim in ipso pituita fuerit excreta, non ex toto, quod remansit propagatum per venas meseraicas, per portam ad iecur peruenit, vbi cum præ copia contineri à venis non potuerit, in substantiam iecoris decubuit, ibiq; à medicamentis frigidis, & adstringentibus, occasione gonorheæ sanandæ assumptis, concretioné nactus, scirrũ prædictũ suscitauit, cui, & colluuies extremé torũ, tabusq; Gallicanus, quæ p gonorrhæam excernebantur, non parũ fauerũt.

Sed

E Sed vnde nam fiat, vt nunc tumor hic aliquam caliditatem sibi comparauerit, non est difficilè captu ei, qui nouerit, medicamenta prædicta potuisse insignes, & contumaces obstructiones in iecore parere, quibus in dies magis ac magis auctis, magis, ac magis prohibitus est transpiratus, à quo data occasione ipsi putredini, insignis etiam feruor fuit excitatus, ad quem pariter conducere potuit virus illud Syphillide, propria natura calidum, ex vsu adstringentium retentum, ac immediatè in ipsum hepar recurrens.

De febre verò statuo, eam sicuti & quamlibet aliam putridam à vapore exusto & acri, cordi communicato, ex propria minera suam habere generationem, quæ minera est biliosa, & pituitosa, emittitque vapores illos ob putredinem acquisitam à prohibito transpiratu in venis iecoris, & circumsitis ob obstructionem tum à sanguinis multitudine (vt indicat partiale temperamentum sanguineum nobilissimi patientis) tum à crassitie, & lentore humorum, vt ex dictis liquet; & quamquam putredo hæc fiat in F venis, nihilominus accedit rigor, quoniam materia non solum cordi, verum etiam & partibus ipsis sentientibus vapores illo acres impartitur, qui vbi per illas discurrunt, leuem illum rigorem excitant.

Quibus ita sese habentibus, quoniam iam morbus ad decimum quartum diem peruenit, & vrinæ tenuiores, ac minus rubræ sunt factæ, ego sum huius sententiæ, vt ratione tumoris ac febris sit refrigerandũ, & humectandum, modestè tamẽ, ratione materię tumoris atque febris sit euacuandum, eradicandum, attenuandum, & detergendum verum quoniam vires à primordio istius morbi, vsque ad præsentem diem satis languidæ, & lacessitæ extiterunt, eas quoque recuperare, & resarcire oportet.

Sed vt verum fatear, mihi videor videræ, opera hæc ad bonam frugem, & fælicem successum minimè à Medico perduci posse, quoniam sub hisce malis, quæ ex se sunt vehementia, partes principes, ac totum corpus vexant, difficileque à facultate regitiua G tolerantur, viribus etiam valentibus, egri periclitantur, & aliquando perduntur, ergo multo magis viribus ipsis confractis, quales, vt dictum est, sunt nostri patientis, dubitandũ erit de salute; Nihilominus, quoniam (vti docebat Soranus) miseri patientes (quamuis desperati) non sunt deserendi, quoniam decet Medicum Christianum ægros quoscumque consolari, ac vitam illorum, quantum licet, producere, ea promam remedia, quę mihi ad id videtur accomodata, quæ vt fortunata sint D.O.M. pręcabor.

Quantum igitur ad fontem Chirurgicum attinet, si vires permitterent, ego nullo modo abhorrerem ab vsu hyrudinum venis podicis applicatarum, vt sanguinis extraheretur ad binas, vel ternas vncias, credo enim à principio, venam sectam fuisse, quia quamquam vires fuerint debiles, cum tamen patiens ad hanc vsque diem cum illis viribus superuixerit, non eum fuisse earumdem languorem arbitror, qui potuerit aliquam venæ sectionem, saltem modestam, omninò prohibere.

H De Medicamentis ita decerno, vt postquam humores sine dubio aliquam præparatione, sicuti ex vrinarũ mutatione constat, adepti sunt deturbẽtur quãprimum, viribus concedentibus, aliquo pharmaco placido, tum per aluum, tum per vrinas, per aluum quidem eo medicamento, quod paratur ex Rhabarbaro, & Agarico trociscato infusis, adiecto Syrupo. rof. solutiuo. Per vrinas verò oxymellite longo facto ex decocto simplicium modestè calefacientium, agrimonij videlicet, capillorum Vener. citrac, radicis Apij rec. liquiritiæ, & huiusmodi aliorum, adiecto etiam succo cicorij depurato, quinimò, mitescente feruore in hepate, non recederem ab vsu trociscorum de Eupatorio, de Rhabarbaro, insuperbito, per modum Apozematis, iusculo pulli, decoctionis Agrimonij, radicis cicorij. & cicerum rubeorum; Nec mirum tibi videatur, Rosette excellentissime, quod & diuretica, & deiectoria proponam, quoniam præter id, quod affecto iecore secundum gibbam partem tantum copiosa excrementorum m colluuie, ex Gal. in calce 8. Meth. licet vtrisque vti; in casu nostro iecur & secundũm gibbam

gibbam, & secundum cauam afficitur, illam quidem ob læsionem inter spirandum A
perceptam, hanc verò ob vomitum, ventriculi proprium Syptoma. Quare si res ipsa admittet, te etiam, atque etiam hortor, vt à diureticis repetas aliquando illud deiectoriorum. Et dum his omnibus vteris, exterius ipsi Hypochondrio dextro aliqua medicaméta adhibere poteris, inter quæ illud, quod sub forma perfusionis ex succo cicorij & modico succi absyntij concreti cum aceto adhibetur, mihi quamplurimum arridet, & eò magis, si ab ipso totum hypochondrium oleo Nardino, & Rosato completo illiniatur. Cæterum, quoniam vires ipsæ medicamentis etiam interdum recreantur, idcirco tantillum confectionis Alchermes cum saccharo rosaceo castigatæ, adiecto puluere Alicornu mihi non displicet pluries exhibitum, in quem vsum probo & fotū partibus pulsantibus, & scroto adhibitum ex vino Cretico, aqua, & aceto rosatis, adiecto modico croci factum, & vbi hisce medicamentis non dabitur locus, tibi confugiendum erit ad viuendi rationem multam, & paucam, multam quoad nutritionē, B
paucam verò quoad quantitatem discretam, idcirco ego probarem, vt singulis quinq; horis ferculum aliquod cum vitello oui in iure paratum exhiberetur cum aliqua portione carnis caponis, maximè autem Phasiani, quinimmò & non nihil vini flaui subodori adijcerem. Ptisana etiam cum carne parata videtur esse maximè conueniens, cui ad arcendam putredinem semina citri mundata, & contusa adderentur, & à cibo tantillum vini census dicti, cum aqua auri non denegarem; quinimmò & frustum panis in eodem vino maceratum concederem. Quòd si vires non vsque adeo prostratæ erunt, tibi licebit vsitatam viuendi rationem in hisce malis à te cognitam instituere; Et si res eò perueniet vt adhuc medicinæ supersit locus, pro tollendis, aut saltem plurimum emendandis morbis illis, qui non ita subitam requirunt medicationem, sed Medico inducias præstant, hac in re, si ad me scripseris, meam quoque sententiam ad te scribam. Modo hæc sunt ea omnia quæ ita ex tempore in visitandis ægris totus C
occupatus in casu valdè ancipiti, & periculo pleno scribere potui, faxit Deus, vt nō sint à me tibi frustra proposita, quando dubitare meritò possim ex tuis ad me scriptis, ægrum iam animam egisse. Tu interim valeas, & me amare pergas.

EIDEM EXCELLENTISSIMO VIRO.

RESPONSIO XXVII. *Pro eodem nobili viro patiente.*

DVo ni fallor à me petis in casu eius nobilis patientis, de quo superioribus diebus tecum per litteras sermonem habui Rosette excellentissime. Quorū D
primum illud est, an olim præsente febre ob focum in iecore, & partibus circum sitis succensum, intus potuerint conuenire tum decotum ligno Sassafras refertum, tum catapotia ex bdelio, stirace, & ammoniaco, extra verò emplastrum, quod de meliloto vocant, regioni eiusdem iecoris appositum; Alterum verò est, quid mihi in posterum pro integra salute illustris patientis videatur agendum.

Circa primum, vt libere, & pro veritate loquar, sentio eo tempore, quo febris insæuiebat, medicamenta illa, neque interius assumpta, neque exterius admota vllo modò conuenire potuisse, tamquam ea, quæ proprio feruore, atque caliditate febrilē sæuitiem intendere poterant, quod contigisse, euentus tunc temporis comprobauit, nec pro confirmatione huius meæ sententiæ in indagnandis alijs rationibus immorabor, quando iam dicta satis, superque sufficiant, hanc tamen non subticebo, quod præter febrilem calorem accrescere, vt à nemine in dubium reuocabitur, cum sint calida

E vltra secundum gradum, & ob id attenuantia, & fundentia, poterant etiam humores ipsos, causam febris, per genus venosum transfundere, atque sic febrem longè maiore grauiorisque generis excitare.

Circa secundum, supposito prius, quod noster patiens nunc sit liber omninò à periculo mortis, & quod solum scirro illegitimo iecoris secundum partem gibbam ob rationes à te adductas laboret; Supposito secundò, quod scirus hic à materia pituitosa, crassa, & lenta pendeat; & ob id necessarium sit hanc ipsam attenuare detegere, atque resoluere, supposito tertiò, quod totius iam habita fuerit pronidentia, mihi consentaneum videtur, vt post illius oxymellis assumptionem, in cuius vsu nunc occupatur, denuò repetatur purgatorium, quod sit Agarico refertum, deinde verò Iusculum Galli iunioris medicatum cum simplicibus à te propositis, ac modico Chinæ etiam, atque etiam probo, & eo magis, si in vsu illius per plures dies prosequatur patiens, F atque ante syr. matutinum, bolum ex trociscis pariter à te propositis de Alab. vel de Eupat. adiecto modico ammoniaci deuoret. Post quæ, aere clementiori reddito, medicamentum aliquod Calybeatum pluries assumptum summis laudibus extollo, quæ omnia eo magis conductura spero, si fonticulus de more in parte domestica femoris dextri excitetur. Sed cum hæc omnia peraguntur, topicis etiam medicamentis est insistendum, idcirco per plures dies fotu humido cum spongia ex decocto camomelli, anethi, fænugreci, sem. lini, meliloti, radicum alteæ, absynthij; rosarum, eupatorij, & Nardi à fotu verò linimento ex oleo amygdalino dulci, & rosato completo cum speciebus emplestri de meliloto parato omninò vterer; deinde ad fortiora deuenirem, in quorum serie primum occurrit stillicidium factum ex oleo amygdalnino dulci, absynthino, & Nardino, in progressu in dictis oleis decotis, & ebullitis radicibus peucedani & cucumeris agestris: deinceps ceratum ex Esipo, vel de meliloto, tandenque diachi- G lon gummatum cum portione cerati sacri. Quibus omnibus addenda postmodum est ea viuendi ratio, quæ tibi optimè cognita est. Atque hæc sunt, quæ mihi oportuna videntur pro integra valetudine patientis propositi, quæ vtinam succedat, quemadmodũ illi enixè precor. Tu verò semper me tui amantissimũ amare pergas, & valeas.

MATTHEO BVRATTO BONONIENSI Causidico Excellentissimo.

H *RESPONSIO XXVIII. In qua status Morbosus propriæ vxoris declaratur.*

PER litteras (Vir ingeniosissime) mihi indicasti, quòd statum morbosum vxoris tuæ libenter pernosceres, & eum ipsum à me scribi, ac litteris exarari vehementer exoptares; id quod mihi faciendum eo libentius proposui, quod res de vxore tibi charissima agatur, ac tibi viro omni ferè rerum cognitione ornato, & cui ego me plurimum debere fateor, morem gerere deceat. Vt igitur rem ipsam aggrediar, mala omnia, à quibus nobilis tua coniux immaniter vexatur, in capita redacta, & communia, & propria esse decerno; inter quæ, sicuti illa ad totum, ita hæc ad partem aliquam peculiarem ac determinatam corporis attinet. Quæ ad totum in vnicam febrem plurium vitiorum originem, ac parentem, referantur oportet, quam putridam calor aliquo modo acris, pulsus secundum contractionem, & respiratio secundum expirationem velociores, vrinæ mutatio insignis, sitis non contemnenda

ferè

ferè perenis, ac alia similia attestantur; Et putridam quotidianam esse calor fumosus, A tardè, ac inequaliter motus, vomitus, & vrinæ succo crudo, ac pituitoso referta, causæ prægressæ, præsentesque, nempè tempus anni hyemale, vita sedentaria, imminutus valde omnium viscerum calor, & sexus ipse, omnia generationi pituitosi humoris destinata demonstrant. Eandemque febrem (etsi continuò affligat) non tamen verè; sed potius per subingressum paroxismorum continuam esse, ab extremorum ferè imperceptibili refrigeratione, oscitatione, pandiculationeque in vespera superuenientibus, ego colligo, quamquam etiam sciam, hæc omnia, veluti inæqualitatem referentiā, febri continuæ veræ inesse. Cœterum, an huic febri Hectica febris adiuncta sit, dubitatur: Sed si cæcutio, si sensus me decipiunt, ingenium, & iudicium deficit, remediaque haud calleo, fieri quoque potest, vt hectica febris adiungantur, quoniam nec à cibo incalescentia vndequaque, & exactè adhuc est explorata, nulla durities in pulsu obseruatur, cutis non arida, sed subalbicans, ac subtimida deprehenditur, tandemque B ferè nulla ex causis febrem hecticam inducentibus à scriptoribus propositis præcessit. Nec obstat, quod diu febre putrida laborauerit: nam cum febris hæc in insignem humorum pituitosorum, atque crudorum copiam inciderit, facilè credi possunt, vt humiditates substantificas non attigerit, quibus rationibus persuasus hecticam febrem abesse sentio. Atqui nec Philippi passionem, quæ præcipuè senes apprehendit, nec Hippocratis tabem dorsalem, nuper nuptorum proprium affectum subesse puto, vt de se liquet. Quòd si aliquis contrarium affirmare contenderit, illud ad summum dabo, quòd si hectica subsit, hæc ipsa in primo gradu, qui ex Galeno febri putridæ annexus, difficilis maximè cognitionis existit, constituatur oportet. Iam ergo ad mala propria, & particularia vocata me conuerto, quorum aliqua veluti connaturalia, alia verò pluribus hinc mensibus acquisita constituo. Priora penè duo sunt, melancholia flatulenta, sub qua imaginatio in cerebro deprauatur, & destillatio subsalsa decumbens tum C ad asperam arteriam, ac pulmones, meritò cuius raucedo, ac tussis excitantur, tum ad palatum, cuius causa ptyelismus, copiosa scilicet frequensque expuitio suboritur. Et sicuti illa præter mærorem, ac mæstitiam, præter somnia turbata, ex symptomatibus ad imum ventrem perceptis, ita hæc ex simplici patientis relatu, & sensu ipso innotescit. At mala posteriora, quæ nobilem feminam male habent, ni fallor, sunt purgamenta alba, hæmorargia vteri per interualla, dolor ventriculi partem superiorem apprehendens interpolatus, ac tandem iecoris vitium cachexia, seu malus habitus vocatum, Menses albi, Hæmorargia, sicuti & dolor ventriculi de se patent, solum enim de parte affecta in dolore illo obseruo, nempè, ex positu doloris ad regionem pomigranati secundum partem anteriorem, & ad duodecimam vertebrā circa partem posteriorem facilè esse intelligere ei, qui Anatomen nouit, partem superiorem ventriculi (vt quæ ibidem propriam habeat sedem) laborare; quòd verò de malo habitu fidem facit, est totius, & faciei potissimum subtumescentia cum fœdo colore. D

Hæc itaque sunt mala omnia Illustris tuæ coniugis, pro quorum cognitione exacta remanet (Vir excellentissime) vt eorundem generatio afferatur. Et quamquam illud apud omnes Medicos sit receptum, plura mala in vno corpore ægrotante simul coeuntia aliquando sibi inuicem, aliquando vnum aliorum esse causam, interdum verò omnium vnam communem existere occasionem, ego rem hanc paulo diligentius perpendens, in eam venio circa præsentem casum opinionem, vt mala nimirum omnia iam dicta in vnicam caloris natiui cladem, ruinā, ac paupertatem, tamquam in cām principalē referantur; Cum etenim depauperato calore natiuo, necessariò coctiones triplices, quæ in corpore fiunt, peruertantur, alimenti inepti, succique crudi copiosi generationi perbellè occasio datur, qui quidem succus in capite, & ventriculo genitus, ꝑ venasq; chyli, & Hypochondriorū distributus, nō modo venas eas obstruit, sed et ob

E obstructiones, calorem præter naturam nanciscitur, ac tandem putrescit, febremque accendit, hinc sanguis ibidem contentus veluti exustus fumos in cerebrum, & cor ipsum emittit, & proinde symptomata melancholica inducit; Pariter idem succus in hepate receptus, nec aliquam naturæ gratiam adeptus, vna cum sanguine pituitoso, serosoque à iecoris refrigeratione producto permiscetur, & ad corporis habitum, vterque ~~omnium~~ excrementorum cloacam amandatur, quo vbi peruenit, ibi quidem non assimilatus, malum habitum, hic verò tum secretus à sanguine purgamenta alba, tum vna cum sanguine persistens ora venarum relaxando, ac media forsam acredine ex aliqua putredine orta, irritando hæmorargiam parit, quam quidem hæmorargiam secundum interualla redire, in copiam, quæ sensim colligitur ad stimulandam facultatē expultricem idoneam refero. Rursus, succi eiusdem copiosioris in ventriculo producti, & non ex toto expulsi, quod remanet in flatus à calore debili resolutum, ventriculum plus iusto extendit, & dolorem eiusdem excitat; Tandem prædictus succus in cerebri coctione ob eius caloris natiui iacturam genitus, atque transmissus ad palatum ptyelismum, ad principiū asperæ arteriæ raucedinem, ad pulmones tussim efficit; nec obstat, quod redoleat salsedinem, & propterea non pendeat à defectu; caloris, quando salsedo sit opus caloris excedentis, quoniam hoc verum est de calore præter naturam, quò plurimum nobilis fœmina detinetur, non autem secundum naturam, quò plurimum nobilis fœmina detinetur, non autem secundum naturam, qui in illa magnoperè deficit. Atque hæc sunt, quę mihi dicenda erant, tum de idea, ac specie, tum de generatione, ac modo generationis malorum, à quibus vehementer tua dilectissima coniux solicitatur; ex quibus, quod à me quærebas, status scilicet ipsius morbosus erit tibi facilè cognitus. An verò hac in re aliquid aliud in tui gratiam agere, ac moliri possim, etiam, atque etiam perpendas exopto, nam in omnibus ero tibi semper paratissimus. Tu verò interim procuratoriæ palestrę vnicè splendor, bene vale, meq; diligere perge.

MARCO ANTONIO ASPINO FOROLIVIENSI
Medico Peritissimo.

RESPONSIO XXIX. *Ad quasdam Difficultates propositas.*

H

ILlud Aristotelis, de vnoquoque dubitare non esse inutile, in tuis nuper ad me missis litteris, attentè legisse demonstrans Aspine charissime, quandoquidem occasione illorum, quæ à me scripta fuerunt in gratiam valetudinis Illustris Maserij conciuis tui, tribus dubitationibus detineri adeò scribis, vt circa illarū dissolutioné, quid sentiā vehementer cupias (vt in quis) edoceri, quod libenter facio.

Dubitas itaque circa lactis vsum, & calybis exhibitionem, necnon Aquarianarum thermarum vsum pro embroca; quæ omnia à me proposita fuere singularia præsidia pro salute patientis dicti lac quidem minimè conuenire posse autumas, ob flatus, qui circa Hipochondria obseruantur; hinc Hippocratis auctoritatem adducis, qui 67. Apho. quintæ Sectionis, lac dare caput dolentibus, & quibus Hypochondria murmurant, malum esse dixit; quod etiam ex Galeno 3. de Alimentorum facultat. de lactè loquente, confirmas; Illud etiam addis, quod Hippocrates 2. de Morbis mulieribus,

lac, &

lac, & serum Lienosis prohibet, vt propterea, cũ nobilis Maserius (vt scribis) aliqua A ratione Lienosus existat, nullo pacto lac propositum ipsi prodesse possit, hæc contra lactis vsum.

Quæ ad calybem spectant, sunt huiusmodi. Aquas thermales assumptas iure improbas esse in morbo melancholico, propter nimiã exiccandi facultatem, qua pollent, optimè statutum est, quod si hoc verum, qua ratione calybis vsus in substantia, tamquã eius, qui multum valet exiccare, poterit esse conueniens?

Id autem, quod ad thermas attinet Aquarianas, pro capitis aliquali humiditate redundantis exiccatione propositas, est, quod apud Sauonarolam, & Baccium in vsu pro embroca non videris, quasi administrandi modum, non autem administrationem timeas.

Hæc sunt, ni fallor, ea, quæ tibi non leuem faciunt difficultatem, quorum omnium solutionem facilius assequeris, si prius scopos in hisce materijs seligendis, quos habui B tibi clarius ob oculos ponam.

Corpora Melancholica ea esse non debes ex Aristotele ad calcem septimi libri Ethicorum, necnon ex Galeno 3. de Locis affect. cap. 7. ignorare, quæ continua indigent humectatione, & hac eadem substantifica, quando hæc in ipsis propter exiccationem, ac totius corporis maciem interdum adeo modica est, vt nisi medicamento, & victu conuenientibus restauretur, periculum immineat, ne tota absumatur, & eo magis ob iecoris æstum, & circum sitarum partium phlogosim in melancholicis Hypochondriacis, qui quidem feruor continuò ventriculi humidum substantificum depascens, at præsertim hora coctionis in ipsum distilans, est in causa, quod hac malè habita, cruditates, & proinde flatuum in Hypochondrijs minera, generentur; calor autem ille in hepate, & circum sitis partibus accenditur, detinetur, & augetur indies, vbi obstructiones fiunt, fouentur, & crescunt. Quæ omnia, an ita se habeant, testatur Galenus loco C præcitato. An verò in patiente nostro sint, luce meridiana clarius existit, & ideo ego, vt illis occurrerem, maciei inquam vniuersi corporis, & calori hepatis nimis naturæ limites excedenti, lac omni iure præscipserim, vt obstructiones reserarem, calybem laudarim, & demum, vt caput nimia humiditate excrementitia redundans exiccarem Aquarianas thermas maximè conuenire dixerim ad embrocæ modum.

Neque propterea reprehendendus lactis vsus ob flatus illos, vt scribis, quoniam tãtum abest, vt lac in nostro casu possit noxam ea ratione inferre, vt potius iecur attemperando, & reliquarum partium feruorem compescendo, flatibus eo modo quo diximus ob nimium calorem genitis, occasionem auferre valeat; Interim tamen, ne lac ipsum materia flatuum esset, illud lactis genus, quod capræ est, consultò selegi, in quo parum frigiditatis existit, & id ob continuam veluti febrem, qua capræ detinentur, ex qua morsum ipsius arbustis lethalem dicunt Naturales. Præterea, & in hunc finem D illud admonui, vt scilicet species aromatici rosati lacti immiscerentur. Nec valet quod contra hoc dicis, species nimirum istas sufficiens esse nequaquã posse corrigens, hoc etenim gratis accipitur: nam sufficientissimum est corrigens, & eo magis in tali lactè non valde frigido, vt dictum est. Neque pariter obstas, dicens, species illas admixtas esse accidens, quod lactis substantiam haud potest immutare: nam species aromatici rosati in lacte, non accidens, sed pars medicamenti, quemadmodum omne corrigens medicamenti compositi pars, & non accidens existit.

Quam ob rem, neque cõtra Hippocratis, & Galeni auctoritates mihi fecisse videor; Hippochrates enim quinta Aphorismorum Sectione de lacte non medicato est intelligendus; cui rei certissimum nobis præstat argumentum ipse Galenus in Com. qui serum lactis sale, & melle conditum maximo non sine fructu patientibos flatulentis se exhibuisse scribit, Galenus verò 3. de Alimentorum facult. de lacte, non vt medi-

E camento, sed vt cibo fuit loquutus. Quòd autem Hippoc. 2. de Morbis mulieribus, Lienosis, hoc est scirrosis (vt ego interpretor) lac, & serum prohibeat, nihil contra me facit, patientem ènim dictum haud Lienosum obseruaui, quamuis lienis obstructiones aliquas haberet.

Cœterum, nec pariter calybis vsus propter exiccationem redarguendus, vt aquarũ thermalium, nam prætérquam, quod aquæ istę magis exiccant, ventriculũ etiam offendunt, quod calybs nequaquam efficit, sed magis è contra, obstructiones aperit, quod præcipuè in hoc morbo intenditur, adeoque hoc experientia mihi confirmauit, vt proprium melancholiæ Hypochondriacæ, veluti Alexipharmacum calybem dicere non dubitem, quoniam mihi illius continuus vsus semper fœlicem patientibus sortitus est finem, & iure si quidem, quoniam in referandis obstructionibus, in quibus vnicus melancholiæ cardo consistit, nulli medicamento cedit, nam hic temperatus veluti in actis F tuis existit, & in hoc affectu ab aperientibus propriè obstructiones calidis in tertio gradu abstinere ob Phlogosim Medicus tenetur, hinc 3. Locorum affect. 7. Galenus ex Dioclis sententia, melancholicos Hypochondriacos iuuari à frigidis docet; In passiuis verò quamquam Calybs ad siccitatem vergat, nihilo minus cum longè maius inferat iuuamentum aperiendo, quam nocumentum exiccando, (vt experientia compertum est) laudandus existit in Hypochondriacis, & eo magis, vbi siccitas illa percommodè corrigi potest ex admixtione, puta conseruæ boraginis, vt ego soleo, quod neutiquam in aquis thermalibus efficere possumus, quin semper magis offendant; à qua calybis etiam siccitate vt penitus Illustris Maserius tutus esset, imperaui, vt ante cænam ptisanam assumeret.

Vsus tandem Embrocæ factæ ex Aquarianis tehrmis, non est improbandus, quamuis Sauonarola, & Baccius illas ad Embrocandum (vt si loquar) non proponant; G Argumentum enim à parte negatiua desumptum, vt nosti Vir Excellentissime, non concludit, nam satis mihi est, per indicationes ex methodo procedere in curandis morbis, vt proinde cum patientem, de quo agitur, caput nimis humidum habentem cognouerim, aquas illas in exiccatione valentes, in caliditate verò moderatas, ipsi conuenientes iure docuerim. Quæ omnia breuiter sic volui dixisse, vt tuis dubitationibus, ac scrupulis in mea consultatione habitis, in tui quoque gratiam occurrerem; In reliquis postmodum, quòd tibi satisfecerim vehementer gaudeo, sicuti semper gaudebo, vbi ex occasione mea opera vti non dedignaberis.

IOANNI FERRARINO SAXOLENSI H Medico Doctissimo.

RESPONSIO XXX. In qua pro quodam ventriculi, & intestini Coli dolore, necnon Cœliaca passione detento, sermo habetur.

EA diligentia, & solertia in tractando casu egregij patientis mihi à te propositi vsus fuisti, Ferrarine amantissime, vt nihil prorsus habeam, quod addam, nihilo minus, vt tibi morem geram, qui mihi semper charissimus fuisti discipulus, aliquid & ipse dicam.

Primum igitur patientem hunc dolore tum ventriculi, tum intestini coli secundum partem sinistram versus lienem tentari, positus doloris potissimum indicat, sed & cæliaca affectione detineri excretio alui frequens, liquida, & cineritia attestantur;

quorum

quorum omnium malorum generationem refero ego in caloris natiui labem, ex nimia sanguinis euacuatione per sectam venam contractam: Calor etenim natiuus ventriculi languens, insignem copiam humorum crudorum producit, quorum altera portio in ventriculo retenta, altera verò ad intestinum colum transmissa, & vtraquè ab eodem calore in spiritum flatulentum resoluta, distendendo, & soluendo hic, & ibi continuũ, dolorem parit, qui potissimum noctu exacerbatur, quoniã eo tempore calor retractus maiorem habet actionem in humores prædictos, maioremque copiam flatuum, & pro inde etiam dolorem vehementiorẽ excitat; ad quam flatuum copiam etiam in ascensu per incessum respiratio, diaphragmate sursum pulso, augetur, & patiens anhelosus euadit. Cœterùm, quoniam vbi succi aliqui præter naturam diu in aliquo loco retinentur, intemperiem sibi cognatam pariunt, pro certo habendum, succos illos crudos in ventriculo egregij Viri detentos, ibidem intemperiem humidam excitasse, quæ in dies magis, ac magis à destillatione capitis, à qua solicitatur, aucta, facultatem retentricem ita labefactauit, vt à proprio scopo aberrare cogatur, sicque alteratrici etiam data est occasio, vt pro maiori parte in proprio munere deficiat, at quod tandem Cęliaca subsecuta est affectio. Quibus constitutis, iam in vnicam caloris natiui reparationem dirigenda est ratio, prius tamen euacuata, ac retracta materia, & intemperie capitis, ventriculi, ac intestinorum per calefacientia, & siccantia sublata; Interim tamen dolor Anodynis erit demulcieudus.

Ad quos scopos peruenire erit prouincia satis difficilis, quoniam mala hæc sunt progressa, atque sub ipsis plures afficiuntur partes; Ne igitur grauiora mala superueniant, ad curationem præsentium est festinandum.

Et quod ad materias Chirurgicas attinet, vt ingenuè fatear, nulla mihi videtur adesse opportunitas mittendi sanguinem, laudo tamen, vt suo tempore ad flatuum discussionem partibus dolentibus apponantur cucurbitulæ cum multa flamma; Atque alijs non conferentibus, vesicantia regioni intestini coli adhibeantur, & cauterium in femore dextero de more excitetur, & quod in brachio sinistro est infixum conseruetur.

Quoad medicamenta, in ea essem sententia, vt attenuatis, & detersis humoribus, oxymelle simplici, melle rof. colato, & syrupo de betonica, exhiberentur pilulæ masticinæ, vel detribus cum Rhabarbaro, quæ etiam per interualla vsurpari possent; ab his tamen nunc statim deuenirem ad vsum aquæ Tettuccianæ, per tres, vel quattuor dies exhibitæ, mox medicamentum à te excogitatum de iure columbini in cuius ventre, sassafras, china, & absyntium ponticum potissimum sint incocta, mihi summopere arridet, & eo magis, si ante syrupum, pilula ex puluere prædictorum medicamentorũ deuoretur, quo tempore, si flatus infestarent, in vespera vsum aquæ stillaticiæ cinamomi, vel olei anisorum, aut fœniculorum chimici probarem; Post hæc Diacitonium cum pipere albo, diatrion pipereon, theriacam, atque hora sommi, grana aliquot mastici cis assumpta, & ventriculo ceratum ex mastice cum aromatibus adhibitum, oleumque masticinum chimicę paratum eidem ventriculo, ac toti abdomini illitum magnopere laudo. Vrgente dolore omnibus theriacam mediæ ætatis, atquæ embrocam ex oleo anethino, ac masticino præfero. A quibus omnibus ni sanetur, ad vsum thermarum calidarum per plures dies nunc quidem sub forma stillicidij supra ventriculi regionẽ, posthac autem tempore oportuno sub forma potus administrandarum est deueniendũ.

Victus congruus à te instituetur, illud tamen semper ob oculos habeas, vt nullus in eo committatur error, vt ideo necesse sit, patientem à piscibus, oleribus omnibus, fructibus, cibisque alijs humidioribus abstinere, quòd si pyris, & cydonijs aliquando vti voluerit, conspergi poterunt pulueres coriandorum, qui ex Auicenna cibum retinent in ventriculo, quinimmò vt puluis coctillis ex pane biscotto, & coriandris ipsis

E cum tunica interna ventriculorum gallinarum præparata, modico Sacchari, & cariophyllorum paratus omnibus suis cibis inspergatur, etiam, atque etiam hortor. A vinis etiam generosioribus abstineat, quæ calorem alioqui debilem ferire, & proindè non bene coqui solent, quod autem bibetur, saltem in prima mensa, sit ex absynthio pontico, vel mastice facticium; Hæcque sunt quæ habui tibi proponere in præsenti casu; Tu verò valebis, meqce amabis.

ANOTNIO TONELLO A CARTOCETO Medico in Academia Maceratensi Excellentissimo.

F

RESPONSIO XXXI. In qua præter id, quod An Clyster ex Diacatolicone. & Syrop. ros. sol. mulieri quarto mense grauidæ febre tertiana cum dolore capitis insigni detentæ conuenire potuisse; illud etiam quomodo videlicet sint tractandæ prægnantes, vbi morbo corripiuntur, breuiter declaratur.

SI quid vnquam in Medicina facienda Medico difficile negocium reddit, illud profectò est, vbi grauida mulier difficili, & graui morbo correpta sibi curanda offertur; Cuius quàm maximæ difficultatis (vt interim causas prætermittam) G luculentissimum exhibent testimonium variæ inter scribentes Auctores opiniones, variæ inter Medicinam practicè exercentes curandi rationes, vt propterea nullo pacto miratus fuerim, quando ex tuis eruditissimis litteris intellexerim, inter te (Tonelle doctissime) ac alium Excellentissimum virum curantes mulierem quarto mense grauidam, aliquid dissidij subortum fuisse, occasione clysteris à te præscripti ad reuellendum maximum vaporum raptum in caput horum causa adeo dolens, vbi delirare interdum patiens cogeretur. Clyster hic fuit.

℞. *Diacatolici onc. vi.*
Syropi rof. sol. cnc. ij.
Olei communis drag. iij.
H *Vitell. ouorum numero* I.
Salis communi onc. I.
M. & cum decocto com. q. s. f. Clyster.

Quem ille Excellentissimus toto pectore renuit; quibus verò rationibus, cum ad me minimè scripseris, has omninò, vel similes (vt interim ipsius partes agam) fuisse, imaginari cogor, omnes illi vnico fundamento inhærentes, quod ex eius vsu abortus suscitari de facili potuisset; quando quidem ea, quæ possunt prægnantis corpus diuersi modè fatigare, diuersisque motibus impellere, valent etiam & abortum vel facilè prouocare, ac propterea cum huius census visus esset clyster iam præscriptus, maximè quoq; suspectus in proposito casu habitus fuit, si quidem hic, vt secum trahat humores, & fœces, vterum sine dubio commouet, ac tenesmum parere, fluxumque alui quoquo pacto

pacto potest inducere, quæ omnia an in fœmina vtero gerente abortum possint efficere, testatus est (præter experientiam) apertissimè diuinus Hippocrates pluribus in locis, & præsertim 34. quintæ sectionis, Aphoris. necnon 70. septimæ particulę. Quod autem mox dicta pericula ab vsu clysteris illius imminerent, eiusdem forma, operatio & locus operationis manifestè declarant: nam primum ex ijs constat, quæ à longinquis partibus humores noxios petere solent, & proinde corpus varijs motibus agitare. Præterea, in illis locis has obit operationes, quæ vtero proximiora sunt, in intestinis videlicet, at in recto præcipuè, cui inter exeundum non leuem præmitum, illi qui in tenesmo occurrit non absimilem suscitare potest, à quo motus, agitatio, vis, & dolor vtero infertur ob viciniam, & consensum, adde quod proprium tenesmum, alui fluorem ea ratione valet inducere, qua facultatem expultricem irritat, quæ sic interdum irritata omnē corporis cacochymiam per secessum solet expurgare, ac exinde mulier vtero gerens ob vehementes, & continuas ad egerendum exurrectiones, grauibus doloribus, & fortibus motibus percita, abortum incurrit, & hæc sunt ea omnia (& forsā longè plura) quibus Excellentissimus, ille persuasus clysteris vsum interdixit.

Ex aduerso tamen (si modo liberè meam hac in re sententiam aperire debeo) arbitror ego, clysterem illum in illo casu maximè conuenire potuisse, sicuti recta ratio, ac medendi methodus persuadent, ipsius enim indicans præsens erat, nullum verò prohibens aderat, quæ duo vbi explicatius, breuibus tamen percurrero; an rectè sentiam, apparebit.

Porrò in Illustri illa fœmina febre tertiana laborante, maximus erat vaporū raptus in caput, cui eiusdem capitis dolor, atque delirium quandoque attestabantur, ergo aliquo præsidio reuellente hosce vapores, omninò indigebat, & eò præsertim, quia non solum in partem principem noxa ferebatur, sed etiam princeps facultas, vt dictum est, patiebatur interdum. Verum, quoniam quicumque sit ille vapor, propriam ex qua eleuatur, mineram supponit, quæ in patiente nostra bilis potissimum erat admodum copiosa (bilem genus febris, copiam ingens vaporum adscensus in cerebrū demonstrabat) idcirco sui pariter diminutionem quoquo pacto requirebat, quam eò commodius præstabat clyster ille, quò harum febrium focus, vt plurimum, venæ sunt meseraicæ, à quibos præcipuè clysteres attrahunt, ergo iure propositum fuerat, & vtinam propinatus fuisset; At de hucusque dictis nullus forsan dubitabit. Verùm quid de prohibentibus, & præsertim de abortus periculo ijs modis, atque rationibus paulo superius recensitis imminente? Cœterum nec abortus suspicio habenda erat, quod vt statim innotescat, vnicum illum Hippocratis Aphorismum primum quartæ sectionis in mentem reuocare oportet, vbi veluti litem hanc ipse dirimens, mulieres vtero gerentes medicandas, esse à quarto vsque ad mensem septimum decernit, cuius rei rationem reddens Galenus in Commentario inquit, tunc enim temporis mulier potest vehementiores motus sustinere sine fœtus offensione, qui eam habet cum vtero proportionem, quam fructus cum arboribus: nam cum ij in sui prima generatione debilioribus pediculis arbori connectantur, non est mirum, si facilè decidant, vbi tunc vehementior ventus ipsos agitarit: mox verò aucti difficilem habent ab arbore diuulsionem, sicuti rursus, cum perfecti sunt, propria spontè cadunt; sic & conceptus se habet, in primis quidem diebus de facili perditur, sic & quando iam perfectus existit, tempore verò intermedio, cum ligamentis detineatur in vtero robustioribus, difficulter admodum, etiam si mater secundum corpus, aut animum vehementer commoueatur, aliquid patitur. Quibus ita constitutis, iam facillimum est iuxta Galeni, & Hippocratis sanctiones obiectis difficultatibus occurrere.

Et primo quidem falsum est, Clysterem illum ex illis esse, quæ possint tantopere corpus, & vterum agitare; Quæ autem ob eiusdem formam, operationem, & locum

 opera-

E operationis objiciebantur, pariter non sibi constant: nam enema illud ex illis non conficitur, quæ humores è longinquis partibus euacuent; Electuarium enim Diacatolicon inter lenientia ferè medicamenta benedicta iure connumeratur, vt facilè est neganti comprobare, discurrendo per ea, quæ eiusdem compositionem ingrediuntur, quorum cum potissimum sit Rhabarbarum, huius causa facultatem insignem partes roborandi scriptores tribuunt Diacatolico, quod præterea in exigua admodum dosi clysterem illum ingrediebatur, vt nulla ratione id solutionis genus timendum fuisset, ad quod premitus, tenesmus, alui fluxus, vteri motus, agitatio, & dolor (abortus causæ potissimæ) fieri, debuissent, etiam si Syrupus rosatus adesset solutiuus, qui in soluendo vel exignas habet vires, vt de se patet; Quòd si etiam agitationem aliquam efficere potuisset, non propterea successisset abortus, cum mulier nostra quarto mense grauida existeret, quo tempore ex Hippocrate, Galeno, & ratione, supra citatis, & F adductis, fœminam vtero gerentem vehementiores motus absque conceptus periculo pati posse, comprobaui. Quinimmò, cum Hippocrates, & Galenus suis temporibus fortioribus longè medicamentis patientes expurgarent (valentiora enim tantum nouerant, puta Helleborum, Colocijntidem, scammonium, aliaque huius census) quibus tamen grauidæ mulieres non incurrebant abortum; non video causam, cur nobis, qui clementiora, & benedicta adhuc cognoscimus, & vsurpamus, vsus eorundem puta Rhabar. mannæ, confectionis Diacatolici timorem facere debeat; Quibus potius crederem ego (necessitate cogente, vt infra clarius apparebit) & antè, & post quartum mensem tutò medicum vti posse: Nam præter quamquod placidè tantum noxios humores euacuant, ac partes roborant, melius est remedium paulo anceps exhibere, quam nullum, & cum maximo vitæ discrimine patientes deserere; Atque vbi præsertim pars princeps manifestè læditur, & intense, vt in casu proposito occur-G rebat, in quo si Excellentissimus ille syrupi rosſ. sol. onc. ij. & tantundem mannę præscripsit assumendum, non video cur dubitarit, vel simile medicamentum per anum inijcere: Non ne forsan illa eadem pericula, & longè maiora ab vsu assumptionis illius potus imminebant? Vomitus nimirum, qui maximè metuendus erat, tanquam is, qui sicuti passio est ventriculo satis molesta, ita & vtero, cum quo eam habet ventriculus affinitatem, quam experiuntur fœminæ passionibus Hystericis detentæ; Ex quibus, ni fallor satis apparet illius clysteris vsum nulla ratione in illa nobili fœmina virum illum Excellentissimum modo detestari potuisse.

Et quoniam adhuc in tuis litteris illud efflagitasti, vt quomodo, mea sententia, tractandæ sint morbosæ pręgnantes ad te scriberem, tibi breuibus hanc rem sic expedio.

In morbis prægnantium tria præcipuè animaduersione digna occurrunt, eaque ab vsu trium præsidiorum in arte Medica maximè valentium petita; quorum alterum est H venæ sectio; alterum pharmaci exhibitio, (sub quo etiam Clysterium vsum intelligo) tertium demum est victus ratio.

Profectò, circa venæ sectionem nō temerè sese Medicus gerere debet, in qua etiam si in vtero gerentibus morbosis conuenire cognouerit, ob vitium sanguinis (quod indicans est huius præsidij) religiosus tamen admodum, & cautus esse debet administranda, hac ratione, vt primis mensibus copiosè, tūc enim temporis pauco fœtus eget alimento, medijs parcius, quoniam liberalius est nutriendus; Vltimis demum parcissime sanguinem educat, quoniam in illis copiosiori adhuc sāguine indiget pro sui sufficienti nutritione, at præsertim, si virtus, corporis habitus, temperamentum, tempus, cœli status, venæ sectionem prohibeant, attendat oportet; sic etenim neque contra Hippoc. Aphorism. 30. sectionis operabitur, quo loci solum Medicos commonet, ne temerè in hac venæ sectione procedant, & vnà matrem, ac fœtum periclitantes (vti solent in acutis morbis maximè periclitari) ab imminenti morte vindicabit.

De

De pharmacis autem exhibendis, quamquam quid ego sentiam, ex dictis elici possit, dico tamen, in illis tum eligendis, tum præscribendis Hippocratis Aphorismum illum, Mulierem quarto mense grauidam vsque ad septimum tutò purgari posse, memoria esse habendum, necessitate tamen cogente, quæ triplex esse potest. A

Prima, vbi materia in partem aliquam principem tendit.

Secunda, vbi ad loca purgationis inclinat.

Tertia, tandem, vbi turget, & huc, atque illuc concitata periculum graue imminet, quo parens, & fętus perdi possint. Quæ vbi cognouerit Medicus, etiam antè, & post quartum mensem ab vsu alicuius medicamenti, quod tamen facultatem aliquam habeat roborandi, meo iudicio desistere minimè debet.

Sed illud interim animaduertatur, necesse est, quod magis, minusue à quarto mense grauida Muliere deflectente, magis etiam, & minus validis medicamentis, tum quo ad Dosim, tum quoad selectum, vti poterit; quo in casu, sicuti vsum Rhabarbari, tamarindorum, myrobalanorum omnium, confectionis Diacatolici, ac aliorũ huius census non transcenderem, ita neq; à Syrupo rosato sol. melle ros. soluente, ac manna recederem, quibus selectis, modò potus formam, modò boli seligere tenetur medicus, ne vomitus concitetur, sunt enim aliquæ, quæ si bolum, aliquæ è contra, quæ, si potum assumant, statim vomitum incurrant, qui vt pestis in hisce casibus propter rationem superius adductam, est deuitandus. De Clysterium vsu vnum tantum summoperè considerandum noto, quod est aliquarum mulierum innata quædam proprietas, qua fit, vt nulla ratione clysteres absque graui corporis agitatione perferre possint, ac propterea num hæc naturalis conditio subsit, explorabit Medicus, antequam Clysteres iniici iubeat, in quibus ideò semper quid intestina, tanquam partes vtero proximiores, roborans aderit, ac Vtero amicum. B

Quod ad victus rationẽ spectat, Gal. Com. Aph. 32. 5. sect. pre oculis habeatur, quo ne longiori inedia fętus in vtero necetur, alimẽti defectu, Medicos instruit, quasi quod liberaliori victu in regendis grauidis vti debeamus, quàm in alijs ægrotãtibus eodem etiam morbo detentis, non solum enim ratio mulieris, verum & fętus est habenda. C

Restaret etiam, vt qua ratione abortum præsidia medica facere possint, adnotarem, nisi ex superius dictis contra illius clysteris vsum satis, superque constaret. Hæcque sunt ea omnia, quæ tuis litteris, Vir Excellentissime, per plures ante dies debebantur, quæ certè prius etiam ad te scripsissem, nisi grauissimis occupationibus detentus, in hunc vsque diem protrahere fuissem coactus. Vale.

EXCELLENTISS. CÆSARI ROSETTO Foroliuiensi Medico Excellentissimo. D

RESPONSIO XXXII. *Pro Illustri Fabricio Marchesio suo concive, Hectica primi gradus laborante.*

EA est lassitudinum spontè vexantium conditio, vt tu etiam, Vir Doctissime, ex Hippocrate adnotasti, vt quò longiores, atq; maiores, eò etiam plura nõ solum diuturniora, verum breuia, periculo tamen iuncta, atq; hæc ipsa quandoq; delitescentia, quandoq; reuiuiscentia mala producãt. Quod accidisse Illustri Fabritio ex tuis litteris facilè ob earum elegantiam, certeque ob earundem doctrinam

conijcere

E coijcere potui, quando quidem, ab illis lassitudinibus in febrem putridam incidit, eandemque tertianam continuam notham, ac maioris (vt dicunt) famæ propter bilis cum pituita miscellam, quam sicuti talem esse probè, ex leui quadam horripilatione potius, quàm rigore, ex vrinis crudis, subalbidis, ac pulsu inæquali, & frequentiori dignouisti, ita etiam eam fuisse proportionatam, quoniam quotidiè inualescebat, optimè fuisti arbitratus. Hinc cum fomitem huius febris in hyppochondrijs ob eorundem tensionem, ac dolorem interdum cognoueris, bene factum est, vt vena secta, ea, quæ ratione febris refrigerare, & humectare, quæ ratione materiæ obstruentis, ac tumorem ob tensionem aliqua ratione facientis, attenuare, detergere, ac eradicare, quæ ratione doloris illum demulcire potuerint, ad vsum deduxeris, quorum omnium rationalem vsum exitus approbauit propterea, quod ex illorum administratione Hippochondria mollia reddita fuere, dolor euanuit, febris cessauit, & patiens

F surrexit incolumis; Et quamquam postmodum præter omnem expectationem (vt dicis) dolore quodam insigni circa eadem Hippochondria, & vmbilicum fuerit correptus, non propterea miror ego, ob rationem superius adductam, qui dolor quoniam ob flautum ingentem copiam nascebatur (referebat enim Patiens tum infernè, tum supernè flatibus emissis dolore aliquo pacto leuari) merito ex medicamentis flatum discutientibus omni iure à te præscriptis fuit liberatus; Verum febris aliqua superstitit, tumorque paruus digitis quidem renitens, non tamen dolens in musculis thoracis inferioribus vtrinque circa sternum apparuit: Quare summa cum ratione medicamenta tumorem emollientia, ac discutientia fuere, te sic iubente, administrata, maximo cum fructu, hæc enim tumorem dissiparunt omninò. Cœterum, ratione febris continuo affliggentis; quamquam non insigniter, singulo mane ius pulli medicatum simplicibus omni ex parte accommodatis patiens vtebatur, hepatique tanquā proprio

G fomitis febris loco debita localia admonebantur, atq; tunc temporis cum aluus biliosa, tenuia, copiosa, & fœtida, spontè reddere cœpisset, viresq; omninò languidæ fierent, vrinæ turbarentur, pauorque, anxietas, ac mala tolerantia, Aegrum affligerent, non immeritò febrem hanc esse malignam fuisti suspicatus; Inde ex methodo sibi omnes morbos curanti illud in mentem occurrit, vt malignitati etiam adiunctæ proprijs Alexipharmacis occurreres, tum interius assumptis, tum exterius applicitis. Et quamuis à prædictis malis nunc immunis sit patiens, non abs re tecum suspicor, in febrem hecticam ferè incidisse, tum propter ipsius ad hanc veluti naturalem propensionem, quoniam, vt refers, temperamenti melancholici, & biliosi, habitusque gracilis existit, tum propter anni tempus, in quo sumus, aerem scilicet calidum, & siccum; Verum addo ego, causæ præcesserunt, quæ humidum substantificum (& proinde caloris naturalis pabulum dissipando) vel facili negocio febrem hecticam inducere potuerunt, quas

H omnes causas iterum recensere frustrà esset tempus conterere. Quapropter, constituto, febrem hanc hecticam esse, ex eo, quod causæ eam potentes parere præcesserint, febris tibi similis existat, & calor post admotam manum admodum acris obseruetur, Vrinæ verò cum pauco sedimento flauescentes, vrinis sanorum similes excernantur; ipse quoque eam esse in primo gradu existimo, quoniam pulsus quoquomodo adhuc validus extat, vires sunt satis consistentes, à ciboque patiens non incalescit, & benè se habet ad oblata, quæ omnia sicuti rectè discurrenti primum febris hecticæ gradum attestantur, ita etiam summo iudicio ea, quæ humectare substantificè, & refrigerare valent à te fuisse interim præscripta suadent.

Cœterum, quoniam (quæ tua humanitas est) illud à me petis, vt quid agendum sit vir in posterum ad te scribam, & præcipuè quid sentiam circà lactis assumptionem, ac balnei aquæ dulcis vsum, tibi potius obtemperans patefaciam, quamquam hæc omnia à te sicuti & alia secundum rationem vsurpata optimè cognosci possint.

Quo-

Quocirca, nulli dubium est, ijsdem indicationibus insistendum esse à te pariter ex- A
cogitatis, vt scilicet calor febrilis refrigerantibus, & humectantibus compescatur,
dummodo tamen, & humiditas rorida totius, quæ incipit absumi, præsidijs alimen-
talibus reparetur, & si aliquando occurrent impedimenta aliqua, vti sunt corporis
excrementa, quæ retinentur interdum, hæc blandè erunt euacuanda.

Quos assequi scopos non erit impossibile, quando febris hæc hectica sit ad fores, mi
nimè autem in habitu, sed occurrit non nihil difficultatis, cum ex tot, tantisque præ-
gressis, & his ipsis grauibus malis cum mala tolerantia affligentibus (vt nosti) vires
totius regitiuæ sine dubio insignem labem contraxerint. Et quamquam à Galeno, &
omnibus alijs Medicis sit decantatum, febrem hanc esse facilis curationis, & difficilis
cognitionis (id, quod ab ipso de hectica coniuncta cum putrida dictum fuit) supple-
re tamen oportet, cœteris paribus, quia præter rationem dictam, & anni tempus ca-
lidum, ac siccum, patientisque propensio dicta ad talem morbum, difficilem hanc me- B
dicationem reddunt. Quocirca præsidijs à te ea dexteritate; & diligentia, qua so-
les, ad vsum deductis, & deducendis, difficultas hæc coadiuuante etiam ætate incli-
nanti imminuetur forsan.

Omnia igitur (vt tu etiam prudenter cogitasti) præsidia sumantur oportet à fon-
te pharmateutico, & dietetico.

Si à fonte pharmateutico, hæc tum interna, tum externa esse possunt & in serie prio
rum mihi maximè arridet iusculum illud paruæ pullæ, quo per plures vtatur dies, post
hoc cogitandum est de lacte à te proposito, qaod etiam, atq; etiam laudo, ea tamen ra-
tione, vt humanum omnibus præferatur; curabis ideo, vt iuuencula bene habita, &
carnosa nuper fœta, alimentis probis nutrita, eligatur, & ab eius vberibus lac ab Illu-
stri patiente sugatur, & vbi lac istud habere minimè licebit (quod tamen pro salute il-
lius omni cura tentandum) Asininum primum, deinde caprinum substituatur, de mo- C
reque cum modico sacchari, atque calidum actu quattuor horis ante prandium à no-
bili ægro tante toto tempore insomni assumatur. Huc etiam refero, si placet, Destilla-
tum Caponis recentioris benè carnosi, exenterati, & diluti aqua 4. sem. maiorum fri-
gidorum, in cuius ventre prius sint incocta eadem 4. semina, papauer album, endiuia,
lactuca, flores violarum, hordeum mundum, amilum, & similia; Cui destillato si succus
cucurbitæ prius pasta obductæ, deinde in furno coctæ adderetur, medicamentum val-
dè accommodatum pararetur. Verum & medicamenta minimè alimentosa nō displi-
cent, qualia essent in hoc casu serum lactis depuratum cum succo endiuiæ, atq; lactu-
cæ alternatim exhibitum, Conserua etiam cicoracea, violaceaq; quotidie ante men-
sam vsurpata probatur. Exterius verò pro toto corpore iniunctio cum oleo amigda-
lino dulci, & violaceo in posca dilutis, aut cum vnguento (quod maximè probo) pro
spina dorsi vocato, itemque & balneum aquæ dulcis à te propositum singulo vesperè D
administratum maximè conueniunt. Et si euacuantibus aliquando tibi videtur opus,
præter clysteres molles, ac renutrientes à te etiam excogitatos, à iusculo pulli cum
puluere tartari albi, aut etiam modico mannæ medicato, & assumpto nō abhorrerem:
Et vtinam in hoc casu conseruam meam illam rosarum cum manna conditarum, qua
Illustris Maserius conciuis tuus, ni fallor, iugiter vtitur, haberes, hac enim citra ali-
quam omnino noxam excrementa alui detenta deponuntur.

Remedia ex fonte Dietetico petita, melius tibi cognita sunt, quàm ego possim exco
gitare, atque proponere; Certum enim est, cibum debere esse augentem, optimi suc-
ci, facilis coctionis, & distributionis, tandemque refrigerantem, & humectantem; Id-
circo oua recentia, carnes optimas, & laudatas, contusa, & succos ex ijsdem carnibus
parata, præ cęteris verò ptisanam cum carne factam, esse præstantissima non dubito:
& eo magis si condiantur lacte sem. melonum, & amyg. recentium, lactuca, endiuia,

bora-

boragine, cucurbita, & plerisque alijs similibus, fructus etiam alij horarij parcè, & ad gustandum tantum non sunt denegandi, testudines quoque nemorales, & caudæ cancrorum optimè præparatæ non displicent: Et quamquam vinum non videatur vndequaque tutum in hac febre, nihilominus quia patiens, veluti morbis confectus tractatur, & qui non tantum remedia, sed etiam medicum ipsum auersatur, concedatur oligophoron, ac tenue, eaqu[illegible]tione, vt dixisti dilutum; Quæ omnia (si modo tibi placebunt) faxit Deus, vt patienti exhibita, desideratum ipsi fructum impertiantur, quemadmodum enixè rogo, ac precor. Quod reliquum est, me amare perge, quod mihi pergratum erit. Vale.

FVLVIO ANGELINO CAESENATI MEDICO Excellentissimo.

RESPONSIO XXXIII. Pro viro Dolore Ventriculi, Hypochondriorum, macie totius, febre vaga, ac alijs affectibus laborante.

TVAM, Vir Doctissime, in dicendo eruditionem, & in medendo dexteritatem omnibus cognitam, mecum ipse iam diu animo reuoluens, quo possem meum in te animum argumento tibi significare, non semel cogitaui, vt & in maximo te à me honore haberi, ac plurimi fieri intelligeres, tandem per litteras tuas occasione egregij patientis ad me missas excitatus, id scias velim quod sicuti propter animi tui insignes virtutes te mirum in modum obseruo, ita meam in omnibus operam qualemcumque, tanquam meæ in te obseruantiæ pignus tibi voueo, ac dedico.

Et quod de Nobilis Viri aduersa valetudine doctè admodum scribis, id totum, & ipse confirmo, vt si quid dicam disertissimæ epistolę tuę acceptum referatur oporteat. Inopiam igitur, & paupertatem caloris natiui in eo obseruari facilè & ego ad credendum adducor, quando vniuersus ipsius corporis status penè euersus, in tanta malorum à quibus affligitur, congerie, ac diuturnitate, conspiciatur. Cum enim calor prædictus sit organum facultatis gubernatricis corporis humani, vt Galenus fuerit ausus eandem facultatem gubernantem nostra corpora vocare, nemini dubium esse debet, calore eodem detrimentum non vnicum perpesso, labem sibi insignem patientem comparasse, & proinde corpus ipsius in ruinam præceps veluti lapsum fuisse. Coeterum, cum calor in corpore humano ob frigoris occursum, caloris accessum, prohibitum transpiratum, & pabuli defectum corrumpatur, ac dissipetur, hunc ferè omnibus hisce modis violari suspicor, primum ob frigus tum in ventriculo cui attestatur fames quædam minimè naturalis, nam ventriculus frigidus plus appetit, quàm concoquat, tum in toto corpore, nam humor quidam vitreus in ventriculo, ratione prædictæ frigiditatis continuò genitus, eiusdem frigiditatẽ magis fouet, & per totum propagatus, qualitatem caloris valdè remittit. Ob pabuli verò indigentiã, in ventriculo morbi diuturnitate cõfracto, in toto, quia vitiato ventriculo, qui Rex totius corporis à Quinto Sereno dicitur, aut alimentum non suppeditari toti, aut si sic, impurũ, ac valdè inquinatum imperriri pro certo habendũ. Ad hæc calor imminuitur in casu nostro ob caloris accessum, & prohibitum transpiratum in hepate ob calorem nõ modo à primo semine connatum, sed etiã medijs cõtumacibus obstructionib. in illo, ac venis

meseraicis

meseraicis excitatum, calor enim hic natiuo veluti magnus ignis paruo iunctus, pabulum subripit, & proinde ipsum consumit, donec hebetatus coctiones amplius perficere nequeat, cui feruori attestantur temperamentum aliqua ex parte biliosum, corporisque habitus siccus. A

Quibus ita se habentibus, non est difficile mala quælibet, de quibus conqueritur patiens in sua referre principia, Ventriculus etenim maximè refrigeratus, maximum etiam pituitæ vitreæ prouentum generat, quæ ad intestina præcipuè crassa, tanquam ob amplitudinem, & cauernulas magis ad recipiendum aptas perueniens, non tantum ob frigiditatem innatam, verum etiam ob flatus, in quos ipsa calore debili rarefacta resoluitur veluti lancinans, dolores eos à te Hyppochondriacos vocatos, qui potissimum à cibo insæuiunt, & à clysteribus aliquo modo domantur, parit; Rursus, eadem materia per venas meseraicas primum, successiuè verò per venas iecoris delata, insignes, easq; penè irremediabiles obstructiones producit, quæ transpiratũ prohibendo, aliquando putredini occasionẽ prębẽt, hinc febriculę illius vagæ occasio; Rursusq; eædem obstructiones iecoris calorem fouendo, ipsum ad generationem humoris atri disponunt, à quo tumorem illum in mamma dextera ortum habuisse, non est quod aliquis dubitet, quando tumor ille sit durus, ac fortè cancrosus, qui propriè ab humore atro fieri solet. Tandem calore ventriculi, omnium ferè membrorum vitiato, labem toti communicari necessarium est, hinc marcor totius insolitus. B

Quocirca, hisce omnibus ex ratione, & rerum natura constitutis, nemo est, qui non intelligat, Medico curanti in vnicam caloris natiui reparationem incumbendum esse, quam assequi licebit, si intemperamenta ventriculi, & iecoris corrigantur, obstructiones reserentur, humidum substantificum restituatur, ac tumor firmetur, ne augeatur, expiandum tamen prius corpus à cacochymia pituitosa, & melancholica, atque dum hæc peraguntur dolor quoque anodinis demulciendus erit. C

Ad quos peruenire scopos perarduum, ne dicam impossibile fore existimo, quando plura vitia simul iuncta, valdè sint progressa, & causæ valenter agant, vt & Philippi senium, vlcus mammæ cachoete, ac etiam ipsamet mors ferè immineat, atque hoc eo magis, quoniam totum afficitur, ac in tanto malorum cumulo, vires succumbunt, nec illa facilè tolerant: Nihilominus, tua in ægris tractandis diligentia, Vir Excell id spei pollicetur vt (nisi prudentia, ac obsequentia patientis desint) si non sanetur, præseruetur saltem, & ad meliorem, ac optabiliorem vitæ statum deducatur, quem sicuti & ipse à D.O.M. enixè, atque ex corde precor, ita & auxiliorum materias quas vtiles, ac valdè accommodatas in tanta temporis angustia, puto, proponere non grauabor.

Exorsus itaq; à Chirurgicis, nullã ferè earũ opportunã esse mihi videor videre, nisi quod doloribus. imminutis, & spe meliori concepta, à fonticulo de more inusto in dextro crure ad aliquod menses gestato non abhorrerẽ; In crure quidem, quoniam in femore fonticulus excitatus sæpè materiam transmissam, totã non euacuat, hinc portio, quæ remanet, in articulũ delapsa potest aliud hydræ caput efformare; Ad aliquot tantum menses gestato ob maciem; quamquam sciam Galen. in fœmina emaciata venam secuisse, & sanguinem vitæ thesaurum, ac totius alimentum detraxisse. Cucurbitulæ etiam cum multa flamma Ab domini affixæ pro flatibus discutiendis vtiles existunt. D

Pharmaca diriguntur ad materiam, ad viscera, ad maciem, & ad dolorem, quæ ad materiam, alia sunt vniuersalia, alia particularia: In genere vniuersalium sunt lenientia, præparantia, ac purgantia, quæ omnia à te iam vsurpata fuisse certò scio, propterea nil ad do, nisi quod forsan non erit inutile, si sæpè aliquod purgatorium, placidum tamen per interualla offeratur, nam à vehementib. ob caloris, ac eius pabuli defectum, vt tu etiam sapienter sentis, abstinere oportet; ideo præter syrupum de polypodio magistralem cum melle rosato soluente, aut etiam cum Agarici trociscati infuso, vel

ipsummet,

E ipsummet Agaricum Trociscatum cum mastice vsurpatum, mirum in modum laudo confectionem ex fisticis factam cum saccharo liquato in vino decoctionis polypodij, Cartami, Epitimi, adiecto puluere radicis mechiocani, ac tantillo cinnanomi; Extractum quoque cartami, radicis mechiocani prædicta, & polypodij non improbantur. Verum tamen de aqua Tertucciana, quam scio sub classe purgantium à te proponi, Vir Excellentiss me, illud constituo, quod quia insigni facultate siccandi polleat, videatur valdè suspecta, quando Aristot. ad calcem septimi Ethicorum, & Galen. 3. Loco affect. affirmauerint, melancholicos humectandos esse, hac tamen mea sententia non obstante, Tu, qui omnia salutaria huic ægro nouisti, poteris etiam an huiusmodi aqua conueniat, nec ne, absolutè decernere. De medicamentis verò insensibiliter euacuantibus ita ego decerno, vt quamprimum ius galli bimuli, vel columbi turrialis, si possit haberi; sin minus domestici cum China tantillo sassafras, betonica, capillo Veneris, agrimonio, citrac, cicorio, boragine, cuscuta, sisymbrio F aquatico, radice apij, & liquiritiæ, passulis, seminibusque carminantibus paretur, & de more exhibeatur, theriaca etiam mediæ ætatis (quam serenam Andromachus vocat, & quam calorem natiuum recreare Auicenna tradidit) mihi summoperè per interualla exhibita probatur; Sed & pro particulari euacuatione materiæ in intestinis puluis ossium auellanarum syluestrium ex iure Caponis, vel coagulum leporis ex vino, vel marrubium ex mulso datum optimè faciunt; quò pertinet & sal absynthi chimi cum ex conserua boraginis propinatum; & in hoc casu vrgente necessitate oleum calcanti, aut Elixir vitæ ex amygdalato datum, nullo modo improbarem. Exterius autem, tum embrocationes factæ partibus dolentibus ex oleis resoluentibus tibi cognitis, tum panes magni cum puluere seminum carminantium, cum nuce muscata, & mace parati, nuper è clibano extracti, ac discissi, sicuti & sacculi ex auena torrefacta ibidem appliciti, mihi non displicent. Pro tumore verò Mammæ Medi- G camentum, quod ex plumbo vsto, vel Cerusa, lytargirio, vel pompholige, succo semper viui, solani, ac tabaci, adiecto oleo rosa. completo in mortario plumbeo agitatis à me maximè commendatur. Pro visceribus, ac primum pro iecore attemperando, nil præstantius succo cicorij bibito, & cum aceto, atque speciebus cirati sandalini adhibito excogitari potest, præcipuè si illius, ac meseraciarum obstructiones calybe potabili Magni Ducis, prout decet ad plures dies (si nil prohibebit) assumpto, prius auferantur. Pro stomacho præter theriacam iam dictam deuoratam, extra stillicidium ex oleo amygdalino quarta parte vini cum nuce Muscata, mace, laudano, bezoino, mastice, polio montano, & calamo aromatico ad ignem in balneo mariæ confecto, & expresso. sicuti & lana illota, coccio infectorio infecta, & super ventriculum gestata, proficua esse solent. Ad maciem, si obstructiones reserari pro maiori parte, ad dolores imminui, & ferè aboleri obseruatum erit, mel album despumatum H ad onc. 1. per plures dies datum, & lac humanum ab vberibus fœminæ bene habitæ cum puluere saccari suctum, sicuti & balneum aquæ dulcis mihi summoperè arridet. Pro dolore leniendo Oleum amygdalinum vtrumque potatum, balneum verò ex oleo communi vsurpatum, item & embrocæ ex oleo camomelino, anethinoque mirificè conferunt.

Verum, quoniam omnia remedia ferè irrita, & vana esse experientia, & ratio docent, nisi viuendi ratio accommodata iniungatur, idcirco eam laudo, quam scio à te prudenter institutam fuisse, vt circa hanc omninò mihi tacendum sit; non tamen vt me vicissim amare velis, subticebo.

Vale.

EXCELL.

A

EXCELLENTISSIMO MEDICO OCTAVIANO Caluo Imolensi.

RESPONSIO XXXIIII. *Pro quodam suo ciue Doloribus Articulorum affecto.*

TAMETSI casus egregij patientis, de quò ad me diligentissime scribis, Vir Excellentissime, & quoad dignotionem, & quoad curationem à te fuerit pertractatus nihilominus quia tu per literas, ac vna ægrotantis consanguinei à B me petis vt meam quoque sententiam circa illum vobis aperiam, quin dicam, quid sentiam efficere non possum.

Primum igitur nobilem hunc virum tentatum fuisse à doloribus ferè omnium articulorum, nunc verò secundum Articulos supernos maximè torqueri, de se satis constat: Quorum dolorum, vti & quorumlibet aliorum generatio procul dubio in obiectum improportionatum organi tactus partium sententiam Symmetriam corrũpens, est referenda, tale autem obiectum est sensibile excellens, tum proprium, vt intemperies, tum commune, vt soluta vnitas; Intemperies quidem calida in casu nostro nam vt refers, patiens de sensu caloris fidem facit, & maximum persentit iuuamentum ex lacte administrato, ac adhibito; soluta verò vnitas intemperiem pendet à materia & tendente, non tantum periostia ossium, verum etiam ligamenta articulorum, & replente cauitates eorumdem, merito cuius facta compressione partium neruosarum, C ac tendinum, soluitur continuum, ac proinde dolor excitatur. Materia autem hæc cum sanguis, & pituita esse possit, nunc esse pituitam colligo, non tantum ex vita anteacta patientis, ad vnitæ pituitæ generationem apta, sed etiam ex præsenti tempore anni, nempè hyemis fine pituitæ maximè feraci, necnon ex eo, quod in vespera, ac noctu dolores augescunt, quibus & coloris rubri atque cuiusuis alterius absentia superadditur. Verùm, pituitam hanc cum insipidam, frigidamque ob rationes adductas, tum verò salsam, & acrem esse vehementia doloris, ac partis feruor demõstrant, quando, & dolorem à causa frigida pendentem posse veluti inflammationem partis inferre ob tractum spiritus & caloris certo sciam. Cœterum, succos prædictos ibi colligi per transmissionem ex vnica ætate vegeta, sub qua mala hæc, & potissimum in primis insultibus ob congestionem vix fiunt, facilè colligo: cuius terminus à quo, ratione insipidæ ventriculus, ratione verò salsæ pituitæ, cerebrum existit. Quorum succorum vtrumque in hisce visceribus gigni, non est quod quis dubitet, quando hæc ipsa succi pituitosi maximè effectricia sint in patiente nostro: Ventriculus quidem, D ob intemperiem frigidam, vel saltem ob errata insignia in victu perpetrata; Et cerebrum, ob calidam eiusdem intemperiem, aut saltem ob errorem aliquem externum, nempè vapores feruidos, vel succos acres in caput elatos, sicuti ex sputi sapore subdulci, & acri facilè intelligitur. Terminus autem ad quem fuerunt articuli ferè omnes, nunc verò maximè superni, ac humerales, qui laborant, quos quidem Articulos non tantum imbecillitate natiua, & forsan hæreditaria ex Patre, qui aliquando hoc morbo laborauit, sed etiam ex acquisita tempore suæ adolescentiæ occasione natationum in aquis fluuialibus ferè continuarum, ad suscipiendum aptos fuisse redditos, haud hæsito, spatia interea, per quæ deferuntur succi prædicti à ventriculo sunt vasa, à capite sunt spacia inania, nam manifestè ad scapulas, & ceruicem patiens materiæ descensum,

E descensum, persentit, quibus & viarum amplitudinem addo. Tandem mouens principale, est facultatis expultricis partium mittentium robur, cui tanquam vehiculum addendus ichor acris in iecore genitus, ac vtrique pituitæ permixtus. Vt ex his liqueat, studium Medicum curantis, eò dirigendum, vt materia fluens retrahatur, fluxa euacuetur, dolor leniatur, & ne reuiuiscat malum, danda est opera per alterantia caput, ventriculum, & iecur, sic enim nouorum succorum generatio prohibebitur.

Quas intentiones assequi non erit impossibile, quoniam malum adhuc altas non iecit radices, non est inquam in habitu, & nunc inclinat, & quamquam patientis parens eodem morbo laborauerit, semel tamen id ei contigit. Prouincia tamen hæc erit satis ardua, atque difficilis, saltem quo ad præseruationem, quoniam malū est satis progressum, causę ipsum inducētes peruicaces sunt, plura viscera laborant, difficilis etiam (vt audio) fuit, estque tolerantia, & patiens valde in victus ratione intemperans F existit, vt hisce argumentis ad credendum facilè adducar, non nisi ad longum tempus, & non nisi cum difficultate posse tum restitui, tum præseruari, & eo magis, quoniam instat tempus vernum, sub quo vitia hæc maximè insæuire solent. Quia tamen diligentiæ à te adhibendæ maximè fido, spero etiam futurum, vt difficultas hęc imminuatur, qua spe fretus, per materias præsidiorum discurram.

Si igitur Chirurgicam specto, quia iam tu venam secasti, cauteria in artubus excitasti, mihi non videor videre aliquam alteram materiam chirurgicam illi vsui posse, nisi (ferociente morbo) apertionem venarum podicis per hyrudines, & cauterium in ceruice infixum, ac ad tres menses gestatum.

De medicamentis statuo, quod post totius habitam à te prouidentiam, quam primum ad decoctum guaiaci, ac salsæ cum cicoraceis castigatum, adiectis etiam simplicibus artitricis, modestè tamen deuenias, ea ratione, vt sudores blandè moueantur, G & in vsu illius ad 40. dies prosequaris, Quòd si febris reclamabit, prius succo cicorij bibito eam auferre curabis; Pariter, si vires confractæ id genus remedij prohibebunt, earum reparationi insistens, poteris bolum ex therebintina Cypria lota in aqua betonicæ, pulueribus iuæ artriticæ, confectionis ex tribus sandalis adiectis, paratum, vel Antidotum magnam mediæ ætatis exhibere. Tandemque ad decoctum, tanquam ad sacram anchoram confugere. Post hæc, sub cœlo calidiori, tum succum cicorij ex sero lactis assumptum, vel thermas Lucenses, aut Porrectanas nostras veteres bibitas, tum embrocam capiti in qualitatibus actiuis temperatam, in passiuis valdè exiccantem, laudarem, quo circa si patiens adeat loca illa, in quibus aquæ illæ spontè nascuntur, poterit etiam stillicidij beneficio frui, de quo inter nos suo tempore erit sermo. Verùm, vt materia fluxa discutiatur, lotiones factas ex vrina, ex aqua solita, vel thermis Tettuccianis omnibus præfero, quo & salis oleum chimicum cum oleo masticino H castigatum, item quod ex cera citrina pariter chimicè paratur, ac linimentum ex therebintina cum mastiche, & sale vsto referri possunt, huc quoque pertinet ceratum ex palma vocatum, adiecta portione aliqua cerati sacri, & dum dolores vrgent, præter Medicamenta à te vsurpata, furfuribus calefactis sapa, aqua, & aceto exceptis, vel omentis veruecum, aut etiam porcorum in oleis tibi cognitis in hunc finem calefactis, vel cataplasmate (quod mirum in modum laudo) ex pulpa Cassiæ, & passularum, vitellis ouorum, farina hordei, puluere lumbricorum terrestrium, cum oleo rosa. completo, & camomelino exceptis, vti poteris; quinimmo vrgente necessitate, vt ad Philonium Romanum, ac Antidotum magnam recentem, per os data deuenires non improbarem, nam præter id, quòd mirificè dolorem sedabunt, id etiam commodi patienti præstabunt, quod somnum inducendo, vigilias, de quibus maximè conqueritur, arcebunt.

Victus, qui nunc meo iudicio opportunus videtur, erit, vt Patiens detineatur in aere

aere temperato, vt vescatur Ptisana, ouis recentibus pane ex iure, & alijs similibus bonis cibis, vt abstineat à vino, & loco illius vinum granatorum aqua calibeata dilutum bibat; Tempore autem decocti carnibus assiis, & ouis nutriatur, secundumque decoctum bibat in mensa. Præterea laudo, vt aluus sæpius irritetur Clysteribus acriusculis, & vigiliæ inhibeantur soporiferis aliquot medicamentis alimentosis, tibi cognitis, inter quæ amygdalatum, adiectis seminibus papaueris albi, in aqua lactucæ liquatum, mihi etiam atque etiam arridet. Posthac, vt aufugiat immanitatem huius mali, debet cauere ab omnibus aeris tum calidioris, tum frigidioris iniurijs, debet abstinere ab omni repletione, crapula, & vini immoderato potu, vt maximè illi conducturum sit, si aliquando incœnatus cubitum eat; Ab edulijs item omnibus crassis, & viscidis, atq; in caput effumantibus, adhuc & à vinis generosis, pariterque crassis; Quocirca, maximè mihi placeret, vt ipse vteretur vino quidem paucifero, subrubro, aliquando verò, & ad mouendas vrinas albo, vtroque tamen medicato, potissimũ hyeme, cum guaiaco, & sandalis albis. Accipe itaque hæc pauca, quæ de aduersa valetudine egregij viri in tanta temporis angustia, ac visitandorũ egrorum eccupatione detentus ad te scribo. In dies autem si aliquid noui occurrerit, ego litteris tuis monitus, meam sententiam ad te scribam, & in nulla re, quæ ad sanitatem illius conducat, vnquam deero.

Quæ autem mihi opportuna videntur pro salute tuæ nobilis coniugis, hæc erunt, & videlicet spongia madefacta in decocto radicum alteæ, liliorum alborum, & cucumeris agrestis locum affectum singulo die foueas, & à fotu ceratum ex palma adiecta aliqua portione cerati Diachelonis gummati adhibeas, & successum ab vsu horum medicamentorum mihi significes, vt, si opus fuerit, de alijs mihi cogitare liceat. Tu verò benè vale, & me amare perge, quando & te à me amari certò cognoscis. Vale.

EXCELLENTISSIMO GVIDONI MONTICELLIO Medico Bononiensi.

RESPONSIO XXXV. *Pro quadam nobili Vestali, Mammæ Carcinomate detenta.*

Postquam vir Excell. me cogis, quid sentiam de casu nobilis vestalis ad te scribere, quin tibi inseruiam facere non possum, Rem itaque aggrediar, vbi tamen prius scieris, quæ dicturus sum, simplicem esse confirmationem eorum, quæ à te, ac alijs doctissimis viris hoc in casu sapienter admodum proposita fuerunt: circa quem ego tria tantum mihi enodanda, ac expendenda propono.

Primum, quinam sit reuera affectus ille, quo nobilis hæc Monialis detinetur, quoniam res hæc apud me aliquam difficultatem habet: Alterum erit, An affectus sit curabilis, vel præseruabilis. Tertium, & postremum, quibus vti liceat, vt religiosam hanc mulierem Medicus consoletur.

Circa igitur primum, si specto præterita, & præsentia, affirmare cogor, vlcus mãmmæ illius sinistræ, redolere ideã Carcinomatis; si verò presentia animaduerto, longè abesse à simili affectu tale vlcus, mihi videtur. Quãtũ itaq; ad primũ spectat, posteaquã à quinq; annis vsque ad hanc diem, tumor durus in parte superiori mãmę sinistræ, inęqualis, dolẽs, & aliquo modo lucidus, ac venosus (vt obseruasse tu vir Excell. fassus es)

extubera

E extuberauit, quæ omnia characterismum Carcinomatis constituunt, proculdubio malum hoc Carcinoma erit constituendum; quod etiam ex præsentibus confirmare licet; Nam egregia vestalis, cum agat annum tertium quinquagesimũ (qui ætatem ad hunc morbũ maximè pronã reddit) & mamma valdè etiam eidem subijci, solita laboret, ac in vlcere quædam ad interiora retractio obseruetur, non video cur malum hoc cancrũ constituere Medicus non cogatur. Ex altera vero parte, quoniã Vlcus ibidem ante quinque menses excitatum, materiam ichorosam, albam ferè semper, minimque nigricantem, sine fœtore, emittit, ideo Cancer (vt vnicuique satis compertũ esse confido) minimè hic locum habere videbitur.

Vt ergo veritatem hanc dignoscerem, in memoriam ego reuocarem id, quod libro de Differentijs Morborum, ac alibi de tumoribus tradidit Galenus, Alios scilicet legitimos, quia à simplici humore fiant, alios verò, spurios esse, quia à materia mixta F producantur; Quo constituto, dico ob rationes adductas, vlcus de quo agitur, cancerosum esse, sed spurium valde quoniam fit à minera non syncera, sed mixta ex atra bile & pituita tenui, quod argumentum pro negatiua parte adductum suadere, vel facilè potest; Sic itaque habita Idea, ac specie morbi, ad hanc constituentia. & modum constitutionis descendo, & statuo (vt prætactum fuit) quod sicuti hoc vlcusculum ouale excitatum fuit ab atra bile feruida, mixta tamen cum pituita tenui, & aquosa, ita etiam & nunc ab eisdem humoribus fouetur, & vtinam indies magis, ac magis non augeatur propter facultatem erodendi, qua ater humor pollet, & ab hac minera mixta labijs vlceris imbibita, & impacta tumorẽ paruũ circum situm pendere, nõ est quod aliquis dubitet. Modus verò, quo vitium propositum ex eadem minera sit constitutum facilè innotescet, si id prius in medium adducatur, quòd tumores omnes, & vlcera illis annexa fiunt, vel per fluxionem, vel per congestionem, vel vtroque modo, noster autem G meritò humoris atriferuidi fit per fluxionem, meritò pituitæ non solum per fluxionem, verum etiam per congestionem, quia cum mamma illa diu laborauerit, rationi consentaneum est, vt imbecillitatẽ contraxerit, cuius gratia excrementa aliqua cruda coaceruet: Atqui fluxionis terminus à quo, si ad atrum humorem referatur, est iecur feruidum, quod nimio vini meraci vsu incrementum insigne suscepit. Verum, quoniam ex Gal. libro de Atra bile, cap. 3. humor ater, & feruidus generatur, vel ex flaua bile, quem muscæ aufugiunt, vel ex melancholia naturali, puto ego ob ætatem inclinationis & ob mali etiam remissionem humorem hunc atrum non à bile, sed à melancholia factum fuisse, & eo magis in hanc sententiam ducor, quòd video corpus huius nobilis religiosæ scatere succo pituitoso, cuius prouentus est maximus in corporibus in quib. humor melancholicus naturalis redundat, quando humor hic sua frigiditate, & siccitate reluctans coctioni, quæ in ventriculo fit, si in causa, vt copiosus humor crudus, ac H pituitosus gignatur, quasi quod à posteriori res ipsa certior reddatur. Quod si idem terminus à quo ad pituitam ipsam transferatur, iam hic ipse constituendus est ventriculus frigidus, & humidus, ob vitam sedentariam, quam omnes fœminæ, præcipuè verò moniales ducere solent, qui coagentibus etiam erroribus externis, maximè pituitæ ferax redditur. Cœterum, etsi terminum à quo communem tum atri humori, tum pituitæ statuere velim, vterum dicam, per quem cum ante plures annos diminute admodum purgaretur egregia vestalis, vt & tu vir Excellentissime adnotasti, & accidentia tempore menstrui, nempè, capitis dolor, grauitas eiusdem, ac similia demonstrabãt, factum est, vt sanguis pituitosus, atque ater, qui alioquin per vterũ excerni debuisset, ad mammam fluxerit, quæ ad recipiendum magis disposita ob naturalem etiam quandam dispositionem (audio enim nostræ patientis sororẽ hoc eodem affectu laborasse) ac hæreditariam magis quoque ad hunc patiendum affectum prona erat.

Sed quod ad secundum propositorũ attinet, statuo malum hoc incurabile prorsus esse,

esse, nihilo minus preseruabile; est quidem incurabile, sicuti experientia, & ratio ex A peruicacia, & pertinacia humoris petita docent, sicuti & docuit Gal. 6. Aphor. 38. est tamen præseruabile, nam perseruationem, præter prudentiam, & obsequentiam patientis, natura eiusdem calida, & humida, habitusq; què plenus meritò humiditatis redundantis pollicentur, plurimum tamen difficultatis Medico obuiam ibit, quoniam ætas apta generationi huius morbi, sicuti & progressus eiusdẽ mali à pluribus annis, & quòd peius est, hæreditaria illa dispositio, vt dictũ est, difficultatẽ non leuẽ pariunt.

Quibus autem remedijs, quod ad vltimum ex propositis pertinet, breuibus aperio, decernens, totam præseruandi rationem in tollenda omni occasine humorem atrum gignendi repositam esse, vt idcircò necessum sit iecur feruidum refrigerare; Verum, quoniam id obtinere aliquando non licet, ideo danda est opera, vt continuo cacochimia genita euacuantibus adimatur, quæ etiam gratia comitis, ac vehiculi illius, pituitę scilicet, agenda essent, nempe ventriculus calefaciendus, & exiccandus, aut saltem pituita, quæ iugiter gignitur, euacuanda, quamquam putem ego temperato iecore, & B abstinente nobili vestali ab erratis externis, ferè absque opera medica ventriculum facilè corrigi posse. His igitur peractis, firmandum erit vlcus & prouidendum ne augeatur per siccantia citra morsum, sic enim, vt dicebat Galenus, lenietur morbus. Verũ quia hæc omnia Medicus minimè assequi poterit, nisi copia sanguinis in toto redundans tanquã impedimẽtũ inexistens remoueatur, ꝓpterea sanguis erit euacuãdus.

Deuenienti igitur ad curationem ex fonte chirurgico plures materiæ mihi sunt seligendæ, inter quas præcipuè est venæ sectio, quæ potissimum in hoc Verè futuro proximo primum in cubito dextero, deinde in sinistro adhibita, probatur, quinimò, & eo tempore, quo menses erumpere solent, si vena tali secaretur, non quidem ad menses euocandos, nam ætas, reclamat, sed ad subtrahendum vlceri fomentum ex vtero, maximè prodesse posset, & quæ in brachio, meo iudicio, singulo Vere erit repetenda. Ad hec C hyrudines podici applicatæ, præsertim in Autumno summoperè vtiles futuras existimo, ea tamen diligentia (qua in curandis tuis ægris inuigilare soles) adhibita, vt sanguis crassus, & fœculentus educatur. Fonticuli etiam in vtroque crure excitati, erunt maximi, vsus, quos magis probo in curibus atque infra genu, ne ipsis supra genu excitatis, materia fluens, quæ copiosa in corpore vsque adeo repleto, erit, nõ tota per vlcus excitatum euacuata in articulis genuũ recipiatur, & sic aliquod malum insigne ibidẽ suscitet: Et in progressu etiam fonticulus alter in brachio lateris affecti inustus mihi non improbaretur; Ad hunc locum etiam refero frictiones, deligationes, lauationes cum calida, & ventosationes siccas extremorum. Pharmaca redigo in vniuersalia, & particularia: in genere illorum pro lenienti syrupum de polypodio magistralem, cum melle rosato soluente, & modico mannæ propter ichores; Pro præparanti, decoctum cicoreaceorum, boraginis, lupulorum, fumariæ, cum syrupis accomodatis; Pro pur- D ganti, infusum hellebori nigri, & agarici trocifcati cum syrupo de polypodio, etiam, atque etiam laudo; quinimmò, mihi maximè arrideret, si denuò præparatis humoribꝰ modo dicto, aut simili, repeteretur purgatio cum catapotijs de Helleboro, de lapide lazuli, Armeno, ac similibus; & quoniam humor hic atrabilaris (vt etiam docebat Aristoteles ad calcem septimi libri Ethicorum) continuo indiget irritamento, ego maximè hortor nostram patientem, vt familiariter aliquo pharmaco deiectorio vtatur; quapropter & syrupus de polypodio dictus, & infusum epitimi, myrobalanorum Indorum, atque chebulorum ex sero, item puluis Hellebori nigri præparati, & succo rosarum ter aspersi, ac in vmbra exiccati, ex ouo sorbili ad scrup. 1. datus, & vinum ex sena medicatum in prima mensa aliquot interuallis bibitum, mihi summoperè arrident. Verum tamen, & insensibiliter euacuantia ratione humiditatis in toto corpore redundantis ad hunc locum referenda videntur; in quorum serie primum decoctum Chinę

E cum simplicibus accomodatis medicatum, paratum vel in aquis cicoraceorum, & hepaticæ, vel iure (quod magis probo) Viperarum; Secundo, Electuarium ex carne viperarum cocta ad modum Galeni, conserua boraginis, betonicæ, & florum cicorij paratum; Postremò verò theariacam non recentem, etiam, atque etiam approbo. Quibus peractis ad particularia est descendendum, Gratia igitur iecoris, tum serum lactis caprinum, cum succo boraginis, & cicorij lac præcipuæ asininum, ac caprinum, tum Thermæ Lucenses, aut etiam Porrectanę vetere assumpta, mirum in modum placent. Nec siccitas Thermarum ab earum vsu me reuocat, quia etiam si contra morbum melancholicum, & ob id siccum interim mihi sit agendum, nihilominus insignis humiditas excrementitia, vt ex dictis liquet, adiungitur, & corpus, quod tractatur, minimè ex carne, & gracile secundum totum obseruatur. Nec pariter à lactis vsu me abducit Ventriculus huiusce egregiæ Vestalis, quando sciam, illum imbecillum ob iecoris F feruorem redditum esse, vt propterea vbi iecori prospectum fuerit, ventriculo etiam sit consultum. Præter quam quod etiam lacti tantillum specierum aromatici rosati sine mosco, & ambra cum Saccharo immisceri poterit; quinimmò caprinum lac absq; alicuius calefacientis admixtione (excepto tamen saccharo ad inhibendum coagulationem) tuto dari potest. Præterea, irrigatio Hipochondrij dextri, cum succis violaceorum, cum aceto, & puluere Sandalorum adhibito, item & ab irrigatione illitus ex vnguento sandalino, & infrigidante Galeni, in Posca dilutis mihi probantur, sicuti & balneum aquæ dulcis, quod ad seriem medicamentorũ totum insensibiliter euacuantium reuocari quoque poterit. Quod si medicamenta particularia ad locum affectum dirigantur, iam occurrunt medicamenta topica, quorum alia à qualitate manifesta, alia verò ex proprietate substantiæ operantur. In genere priorum ego omnibus antepono medicamentum Galeni ex succo solani, & plumbo vsto simul in mortario plumbeo G agitatis, paratum, quod eò præstantius erit si addatur oleum rosatum completum, succus virgę aureæ, aut etiam tabacci omnibus pariter in mortario dicto conductis. Quę verò secreta qualitate agunt, possunt esse interna, & externa; interna, vti lac, in quo cancri fluuiales sint incocti; Externa, vti sunt primum puluis buffonis cum fermento ex furno in olla vitreata siccati. Secundò, folia lilij contrita, & apposita; Tertiò, puluis senectæ viperæ inspersus; Quartò, linimentum ex puluere cancrorum fluuiatilium, ac tutia præparatum cum pinguedine Gallinæ exceptis; Quintò, aqua stillaticia stercoris bubuli, mense Maij collecti, postremò cinis Antimonij.

Victum iam à te Viro doctissimo, vsque adeo exactè, & accomodatum propositum esse confido, vt ferè nihil habeam, quod proponam, non possum auté non summoperè probare, vt bonis cibis vescatur, quibus si immisceantur olera accomodata, vti sunt borago, præcipuè verò lupulus, tanto magis proderunt; Vinum quoque siue H Aureatum, siue cum radicibus buglossi, & cicorij medicatum, mihi maximè arridet, & eo magis, si diluatur sub aere calido aqua Lucensi in præsenti casu, sicuti & quampluribus similibus numquam satis laudata, vel Ficoncellesi nostra de Castro S. Petri dicta, sub aere postea frigido cum aqua decoctionis radicis chinæ electæ. Atque hæc sunt, quæ circa præsentem casum te iubente dicere potui, quæ si tibi placuerint, maximè letabor, cum ei, cui plurimum debeo, hac in re satisfecero.

Vale.

A

EXCELLENTISSIMO PAVLO CRASSO Medico Corrigensi.

RESPONSIO XXXVI. *Pro quadam nobili fœmina vteri profluuio detenta.*

ADEO doctè, atque exactè casum nobilis fœminę (Vir Excellentissime) pertractasti, vt nil, quod addam, vt efflagitas, omninò supersit; ne tamen latum vnguem (vti soleo) ab eorum voluntate recedam, quibus plurimum debere cognosco, tui potius vestigia insequens, quid & ipse circa illum sentiam in medium breuiter afferre, te efflagitante, non recusabo.

B

Nobilem itaque patientem à te mihi propositam solicitari Muliebri profluuio, indicio est continua ab vtero excretio materiæ cuiusdam tenuioris subalbidæ; Coeterùm, cum tale vitium de genere illorum Symptomatum existat (vt ipse tecum sentio) quæ opera dicuntur, atque aliquam operationem læsam necessario supponunt, & cum in genere excretorum contineatur, in actionem læsam tum retentricis, tum expultricis facultatis erit referendum, quas facultates cum lædi, vel ad organi læsionem, vel ad vitiosi obiecti præsentiam contingat, vtrumque in casu nostro locum habere, ex eo luce clarius innotescit, quòd delapsa materia pituitosa tenuiori, ac veluti serosa in vterum, ad longum tempus potuit vel facilè intemperiem humidam in eo concitare, ac proindè retentricem facultatem secundum propriam etiam essentiam impedire; At, eadem materia multis nominibus naturæ infensa, atque facultati expultrici oblata, potuit eandem ad sui expulsionem suscitare, primum copia, deinde qualitate occasione alicuius putredinis, vel iecoris feruore sibi communicata, tandem motu, quia à toto in vterum transmissa decumbit; transmissa quidem, quoniam vterus nactus intemperiem frigidam, & humidam, vt dictum est, imbecillius admodum redditus, maximè ad suscipiendum aptus euasit, quamquã & sua natura sit veluti sentina omnium recrementorum, quæ in corpore fœminarum gignuntur, quibus etiam & illud forsan addendum, vterum scilicet in hac patiente paulò laxiorem à natura constitutum fuisse; quando ex relatis colligere liceat, ipsam sub earum mulierum numero reponi, quas Albidas dicunt, præterquam quod & in dies laxior vterus ab vsu Veneris fieri solet, ad quod respiciens Hippocrates iure maximo, vitium, de quo nunc agitur, nuptis, & non virginibus proprium, & peculiare dixit. Cuius interim vitij generationis causæ in casu nostro sunt inquirendæ, quas (vt breuibus agam) in agentes, & materiales refero; Illas primum intemperiem frigidam, & humidam ventriculi toti corpori humorem crudum suppeditantem, secundo calidam iecoris, materiam dictam fundentem, & attenuantem; amplius, vitiosum, ichorosumque sanguinem gignentem esse constituo, has verò, nempè materiales causas, omnia alimenta apta generationi prædictorum succorum (quibus forsan nostra patiens vsa fuit) fuisse non dubito.

C

D

Atque sic ab hisce causis non solum fluori iam dicto perbellè suppeditatur occasio, verum etiam & sterilitas ex consequio in patiente nostra occasionem sibi nanciscitur: Nam etsi semen in vterum ipsius recipiatur, non tamen ibidem (prout ad conceptionem deceret) retineri diu potest, ob eius humiditatem, ac lubricitatem à dictis succis excrementitijs illatas, quibus facilè ab vtero semine effluente, nobilem fœminam sterilem fieri contingit.

E Quam obrem, vniuersa medendi ratio in hoc malo, eo dirigenda erit, vt humor iam genitus in toto redundans, euacuetur; deinde, per ablationē intemperierū iecoris, & vētriculi, noua eiusdē generatio, aut omninò inhibeatur, aut saltē ab vtero retrahatur; interim tamen vterus calefaciendus, siccandus, roborandus, & adstringendus erit.

Quas intentiones expleri posse non diffido, quamuis plura mala, & hæc quidem contraria complicentur, non paruus conspiciatur à statu naturali recessus in patiente. & membra principalia, quæ in consensum trahant totum corpus, eo morbi genere laborent, quod temporis tractu, vlcera, vteri tumores, hydropem ipsam, ac alias ferè innumeras affectiones inferre soleat; quibus omnibus quamquam negocium medicū operosum, non tamen impossibile redditur, quoniam in virium robore, ætate iuuenili, patientis obsequentia, multum fidere oportet, & eo magis, quoniam malum hoc adhuc hecticum haud existit, vt bona spe fretus, debeat quam primum Medicus ad materias

F medicas deuenire.

Et quantum ad Chirurgicam attinet, nullam occasionem sanguinis mittendi nunc præsentem video, futuro tamen Vere, euentandi gratia iecur alioquin feruidum, si vena iecoraria dicta, tunderetur, non improbarem: Cauteria autem in brachio, & crure dextero secundum partem domesticam interim excitata summopere probantur, sicuti & supernarum partium continuæ frictiones.

De medicamentis ita decerno, vt primum lenita aluo, melle rosa. solut. & manna, præparentur humores ex iure decoctionis cicorij, agrimonij, betonicæ, sisimbrij aquatici, melissæ, & artemisiæ, additis melle rosato simplici, syrupo de succo betonicæ, & de succo cicorij, postmodum deturbentur infuso Agarici, Rhabarbari, & Senæ cum melle rosato solu. pariter, & manna; Qua prima purgatione peracta, de secunda erit cogitaudum. Pro præparandis igitur humoribus, tunc temporis non recederem à

G decocto Betonicæ, agrimonij, & artemisiæ, quibus adhuc adderem ea, quæ magis vrinas mouent, & quæ fluxum humorum sistunt, ideo radix petroselini, asparagi, sicuti & folia scolopendrij, atque cuscutæ admiscerem, admixtis adhuc syrupis de rosis siccis, & de cicorea composito. Pro purgatorio probarem medicamentum factum ex Rhabarbaro in substantia, Diaphenicone, ac electuario Diacatolico. A quibus thermarum Tettucij & Aquarij potus meo iudicio maximè proficuus esset. Chinæ decoctū non possum non laudare, mihi tamen magis arridet, quod paratur ex Guaiaco, sandalis rubris, in fine decoctionis additis folijs cicorij, plantaginis, seminibus melonum, & coriandis præparatis; maneque ante syrupum vellem vt assumeret parum conseruæ, quæ ex conserua rosarum, puluere corallorum, ac extracto guaiaci conficitur, moxque suadere studeret. Atqui feruor iecoris attemperandus perfusione, & succo cicorij, plantaginis, aceto, & puluere Sandalorum, ventriculus autem frigidus

H & humidus stillicidio cum oleis stomaticis calidis erit corrigendus tandemque vtero proprijs medicamentis prospiciendum, atque ideo inter cætera probo electuarium de scoria ferri Rasis, probo & rotulas factas ex summachij, lingua serpentina, cornu cerui vsto, acacia, seminibus agni casti, cannabis, coriandris pręparatis, rosis, sandalis rubris, & coagulo leporino cum saccharo dissoluto in vino cidoniorum ac in formam rotularum exceptis, electuarium etiam, quod fit ex Aromatico rosato sine Mosco, & Ambra, Diatragaganto frigido, ac trociscis de carabè maximopere conuenit. Tria etiam, vel quattuor grana masticis deglutita, maximi vsus censentur, si post assumatur haustus vini nigri stiptici, in quo lamina calibis fuerit extincta. Amplius, vteri ablutio, vel fotus eiusdem per spongiam ex dicto decocto guaiaci, vel ex vino nigro austero, decoctionis scoriæ ferri præparatæ oportuna, & efficacia esse poterunt, sicuti suffumigium cum emboto factum ex aceto decotionis corticum pinearum, in quo pluries marchesita ignita fuerit extincta; Pessarium item ex rosis, mirto, sandalis, & ligno aloes,

aqua rosacea exceptis, cum coto vtero inditum erit opportunum; postremò insessus A ex aquis thermalibus prædictis, ea tamen ratione, vt ex vna parte Tettucij, ac tribus Aquarij conficiatur, plurimum conducet.

His demum omnibus compar victus ratio est iniungenda; ideo inter cætera probatur carnes venationis, auicularum, pulli, vtili, ac hœdi, quæ magis assæ, quam elixæ conueniunt, quod si elixæ sint offerendæ, in aqua calybeata cum pedibus vituli, aut caponis incoqui debent, oua etiam sorbilia cum puluere corallorum rubeor, assumpta erunt ex vsu proficuo. Pro potu vinum pauciferum esse debet, & subadstringens, siue modo album, siue nigrum fuerit, quod si in ipso lamina ferrea, seu aurea candens prius extinguentur, aut etiam si cum sandalis, coriandris, & mastiche medicabitur, efficatius quoque in gratiam patientis efficietur; semina melonum, item cydonea, vel pyra acerba, saccharo condita, & in vltima mensa accepta, commendantur; Aluus mollis erit semper seruāda, pane potissimum ex tota farina, sale, anisis, & passulis confecto, ac in prima mensa comesto, somnus moderatus existat oportet, fastusque vtero B parumper eleuato; Præstabit etiam raro virum adire, tempore autem medicationis ab ipso omninò abstineat nostra patiens necesse est, omniaque animi accidentia molesta sunt aufugienda, sic namque spero, nobilem mulierem in pristinam valetudinem restitui posse, quam ipsi concedere Deus maximus ne dedignetur. Tu interim propriæ valetudinis rationem habeas, & me tui amantissimum plurimum diligas.

PAVLO ANTONIO CECCOLO ARIMINENSI C
Medico Præclarissimo.

RESPONSIO XXXVII Pro fratre vlceribus vtriusque Corneæ, & Phlictena secundum sinistram laborante.

NON tantum qua ratione affectibus oculorum, quibus tuus amantissimus frater misere detinetur, mea sententia mederi possis; verumetiam causam, cur sub illis ipse non doluerit, à me requiris in tuis omni prorsus numero (vt dicunt) ab solutis litteris, quibus vt statim morem geram (vti debeo) constituo prius, hos affectus nullos alios esse, nisi vlcera vtriusq; D Corneæ, necnon Phlictenam secundum sinistram, quorum existentiam sicuti sensus ipse confirmat, ita non est, vt interim admiremur, si quidem hi ophtalmiam, quam non semel tuus Reuerendus admodum frater passus fuit, vt plurimum subsequi solent. Cœterùm quoniam vlcera Corneæ partes obsident vel penitiores, ac intimas, vel quæ in conspicuo, & externæ sunt, cum à clarissimo Viro referatur in superficie malum spectari, dubio procul ad partes exteriores eadem vlcera attinebunt secundum oculi nigrum, quando visio vsque ade læsa sit, vt vix obiecta quæ sibi proportionata occurrunt, patiens cernere possit, quare & affectus hic verè erit, qui ab Auicenna Alchali vocatur.

Cur autem sub hisce malis non doluerit, credo contigisse, quoniam succus pituitosus immixtus alijs calidioribus, & acrioribus succis contemperationem quandam impertitur, vt exinde necesse sit, aut nullum, aut exiguum saltem dolorem sub-

E sequi, id quod etiam nunc (quamuis subsit causa doloris, vnitatis nempè solutio) est in causa meo iudicio, quod Reuerendus admodum patiens non doleat; Immisceri verò pituitam, vel eius ichorem, indicio est certissimo, excretum simile ab oculis, ac cerebri temperamentum frigidum, & humidum, item pustula illa, quæ ex huiusmodi ichore nonnunquam solet oriri. Sed & cur interea dolorem non sentiat, hæc non immeritò causa esse potest, quoniam à calore inflammatorio, humorum partibus tenuioribus dissipatis, quæ supersunt crassitudinis necessariò participes poros obstruunt, qui irradiationi facultatis sensitricis debentur, atque sic partem insensilem fieri contingit; Ad hæc pars vbi diu à morbo tractatur, lacessitur ita, atque secundum proprium, natiuumque statum peruertitur, vt quasi victa, & non vincens in proprias operationes exire non amplius valeat. Atqui pustulam seu vesiculam illam, quæ sensim in cornea sinistra creuit,

F nullo modo sub earum genere ponendam esse censeo, quæ in prolapsu vuæ cerni solent, quoniam tunc corneam exesam esse non superficie tenus, sed secundum totam altitudinem necessarium esset, cui accedit, quod sicuti in eodem vuæ prolapsu visio ex toto aufertur, ita nullo pacto restituitur, quæ in patiente nostro Dei beneficio haud obseruantur. Sed an postula hæc corneæ partes externas, vel profundiores obsideat, ex relatis non satis constat, quoniam tamen visio aliqua remanet erit mea sententia superficialis, ac de numero earum, quæ nigræ apparent, sic enim Aetius, & Auicenna docent. Verum enim verò, cum prædicta vitia non careant proprijs, principijs, quæ non parum conferunt ad curationem, propterea hæc ipsa sunt mihi perquirenda; Vlcerum igitur causam proximam, & immediatam esse puto abradentem, & erodentem humorem non solum secundum propriam naturam, quia nimirum bileosus existat (vti liquet ex tempera-

G mentò iecoris feruidiori) verumetiam ratione putredinis, quam succus pituitosus à capite ad humidum intemperato in oculos fluxus nanscisciur; quamquam etiam & succi huius aliquam partem à putredine immunem seruari, fateri oporteat, quando nullus ferè dolor suboriatur. Verum à miscella prædictorum succorum pro aliqua tantum parte postulam illam fieri haud hæsito, ea tamen ratione, vt cacochimia hæc inter corneæ corticem, & corticem resideat; & sicuti mala hæc ab eadem causa proxima pendent, ita pariter in remota tum interna, tum externa conueniunt: interna enim feruidus est iecoris calor, ac cerebri frigida, & humida intemperies, meritò quarum intemperierum, humores excrementitij geniti, partim ad oculos forsan à natura imbecillos transmittuntur, partim verò attrahuntur, si non ratione doloris, saltem ratione caloris, cum referatur, adnatam vtriusque oculi tunicam omnis inflammationis non esse expertem.

H Causæ externæ cum colligentes, & mouentes fuerint, illæ in errata secundũ alimentorũ vsum, hæc verò in vitiosum, ac inopportunum motum corporis erunt referendę.

Vt ergo hisce malis, quantum fieri potest occurras, vir Clarissime, tibi onus impendet, meritò vlceris detergere, siccareque, ac tandem agglutinare; meritò pustulæ insensibiliter per modum resolutionis, atque siccationis euacuare continuam generationem excrementorum per alterationem partium affectarum arcere, vel saltem illa alio conuertere, habita tamen prius totius prouidentia.

Quos consequi fines vix possibile cognosco, scio siquidem, mala hæc non esse contemnenda, nam quantum ad vlcus attinet, quia sub ipso seminalis portio est deperdita perfectè reparari non poterit, vt propterea sit substituenda cicatrix; Amplius, in vlcere (quod & de pustula intelligendum) afficitur cornea, quæ inter partes visioni famulantes plurimum præstat, tandem ab vtrisque malis maiora imminent, nam meritò vlceris, non solũ ob cicatricem, amissa corneæ diaphaneitate, insigniter læditur visio,

verum-

verumetiam ipso ad intimas partes perueniente (quod Deus auertat) Cornea disrumpitur, vuea procidit, & visio penitus aufertur, quæ ruina & à Pustula quoque imminet. Verumtamen quoniam agendum est cum eo patiente, qui prudens nil eit omissurus, quod pro sui salute facere possit, & vitia prædicta sunt in partibus externis causęque morbificæ non intensè agunt, quia dolor abest, spero futurum, vt si non sanetur ex toto, in meliorem saltem statum sine dubio traducatur, aut ad minimum à peiori præcaueatur. A

Quibus autem materijs medicis, breuiter mihi interea decernendum; & ideò quoad Chirurgiam, si tibi videbitur excellentissime vir, denuo sectionem venæ esse posse ex vsu, non erit meo iudicio non repetenda, nullo tamen modo desistendum ab hyrudinum appositione occipitio primum, temporibus deinde, ac demum venis narium; Cauterium in vertice (nam in ceruice setaceum habet) & crure dextero non improbandum, & vesicantia occipitio adhibita non contemnenda; Reliqua verò, vti Cucurbitulas scapulis, ac dorso applicitas, item frictiones, vincula dolorifica, atque lotiones artuum tamquam vsitatissima subticeo. B

Medicamenta sic administranda censeo, primum enim de nouo lenita aluo cum manna, melleque rosato soluente, præparatisque humoribus ex decocto cicorij, hepaticæ, betonicæ, boraginis, eufragiæ, chelidoniæ, adiectis syrupis appropriatis, eosdem deturbarem infuso Rhabarbari, Agarici, & Senæ cum manna, ac post aliquot dies denuò ijsdem præparantibus præmissis, vterer pilulis cochijs, atque ocularibus, quæ si in nostro patiente per aliquot interualla repeterentur, summoperè laudarem. His peractis, deuenirem ad salsæ, & Chinæ decoctum modico guaiaci medicatum, vna cum simplicibus ocularibus, & cicoreacis per quadraginta dies de more exhibitum, quod magis, ac magis proderit, si antè primum syrupum deuoret pilulam ex trociscis de vipera, extracto guaiaci, & pulueribus ocularibus efformatam, atque etiam si sudare semel in die Reuerendus admodum tuus frater studuerit. Masticatoria quoque ex mastiche, puluere eufragiæ, seminibus fœniculi, rutæ, ac pulpa passularum cum cera, quemadmodum & gargarismata parata ex decocto eorundem simplicium, cum melle rosa & syrupo rosa. solutiuis non improbo. Exterius etiam pro toto corpore balneum aquæ dulcis maximi vsus existimarem. Pro oculis verò seligenda sunt medicamenta placidiora: nam experientia comprobatum est, quod quanto magis oculi medicamentis etiam mitioribus tractantur, tanto magis exasperantur, sicuti admonebat etiam Auicenna. C

Ideo pro phlictena primum non recederem ab vsu sanguinis columbini actu calentis, & ex ala detracti, atque paulatim ad aquam, quę stillat ab ouis induratis, repletisq; saccharo fino secundum foueam lutei, sicuti & ad aquam mellis cum aqua rosarum deuenirem, quibus non conferentibus, fel ipsius lucij, vel perdicis cum lacte muliebri experirer, in quem vsum etiam medicamentum mihi familiare non parum arridet, & est aqua stillatitia ex mica panis nuper è clibano extracta, statim in mulsa macerata, deinde modico puluere calcanti aspersa, sanguineq; demum columbino irrigata. Pro vlceris detersione laudo primum mel, vel saccharum cum aqua fœniculi, deinde tum Syef Rasis de thure, tum Galeni quarto Medicamen. secundũ locos, capite 7. Collyrium ex vino, croco, sale, cadmia melle, ac alijs ibi propositis. Pro siccatione verò & cicatrice inducenda, pararem Collyrium ex aloe, tutia præparata, plumbo vsto cum aqua rosata, & oculari exceptis; quo pertinet etiam Syef Rasis de plumbo. D

Atque his omnibus adderem comparem victus rationem, & propterea vellem, vt patiens omnem aeris inclementiam, ac iniuriam aufugeret, ab alimentis acribus, salsis, aromatibus, caseo, lacticinijs, & cibis farina subactis abstineret, vesceretur que carnibus animalium exercitatorum, auium paruarum in montibus degentium,

E ouis, & ad gustandum tantum piscibus interdum intra saxa, aquasque claras degentibus, proderitque plurimum, si tum cibaria condiantur puluere ex herbis, & seminibus ocularibus cum saccharo parato, tum post omnem cibum assumatur aliquid conseruę cydoniorum, vinum album, tenue, mediocris ætatis, pauciferum, & ocularibus simplicibus alteratum, concedatur, dormiat moderatè, capite humili, non à meridie, nec statim à cibo, exerceat corpus ieiuno ventriculo, vel illud saltem fricetur; Sit læto animo, ac aluum secedentem habere studeat pilulis de aloe, vel etiam clysteribus, vbi de more spontè non secesserit. Quæ omnia tuis litteris in gratiam valetudinis tui amantissimi fratris debebantur, faxit modo Deus vt suo fine ne frustrentur. Tu tamen interea valeas, meaque opera vti ex occasione ne dedigneris in posterum.

F

FEDERICO PIANELLÆ, ET CAROLO Barbarinio Medicis Bononiensibus admodum excellentibus, & discipulis amantissimis.

RESPONSIO XXXVIII. *In qua, num qui pus expuunt, necessariò prius sanguinem expuerint, necnon quænam sit idea febris, quæ Pltisim comitatur, breuiter explicatur.*

G DVO elapsis diebus mecum de rebus Medicis inter loquendum præsertim mihi proposuistis, vt vobis explicarem, tamquam ea, quæ non leuem in sese retinent difficultatem; Ambo ad phtisim vel (vt verius loquar) ad purulentum sputum attinent; primum siquidem est, an qui tussiendo pus expuũt, necessariò prius expuere sanguinem cogantur; Alterum, quænam sit idea febris illius, quæ phtisim purisque sputum comitatur. De quibus cum ratione sanè dubitastis: nam quantum ad Primum attinet, vos mecum in praxi pluries in eos patientes incidistis, qui pus ipsum absque cruore cum tussi reiectarunt, & Symptomatibus ferè omnibus ipsius Phtisis correpti, phtisici tandem perierunt, cui tamen euidentiæ repugnat Hippocrates 7. Aphor. 15. vbi scribit: sputo puris sputum sanguinis anteire; repugnare & ratio, quia esto etiam, quod sanguis puri non præcesserit, rationi esset consentaneum, quod saltem eo tempore, quo pus expuitur, & sanguis quoque simul H expueretur, quoniam illud erodendi facultate pollet, pulmonesque valde venosi, & laxi existũt, vt proinde à vasorũ diaurosi intacti seruari vix posse iure vobis videantur.

Circa secundum ideam nempè febris Phtisicorum Galenus idem, varius visus fuit, nam 7. Aphor. 16. febrem hanc paruam vocat, quæ secundum ipsum nulla alia est nisi Hectica; At 1. Aphor. 12. inquiens febrem sub tabe quotidie, & ad noctem præcipuè accessiones habere, non amplius de genere hecticarum (vt quæ vniformes ab accessionibus immunes existant) sed ex coordinatione putridarum eam constituit, & exinde vos quoque circa rem hanc varios, ac ambigentes reddit.

Vt propterea hæc duo (sicuti pollicitus fui) nunc paucissimis (prout mea fert sententia) à natura Phtisis exorsus vobis explicare susceperim. Phtisis igitur à Galeno septimo Aphor. 16. definitur, quod sit malus habitus, & summa totius corporis extenuatio, cum febre hectica, ac alijs Symptomatibus, ob vlcera pulmonum insanabilia, ita, vt præexistente vlcere in pulmone, tamquam phtisis causa, necessarium sit,

& malum

& malum corporis habitum, seu emaciationem, ac febrem hecticam suboriri, illum- A
quidem, quoniam corde fonte caloris laborante, necessariò calor naturalis, qui est omnium operationum ad vitam conferentium verus opifex, lacessitur, & deficit, deficiente autem calore, corpus contabescere, & malè affici necessarium est, vnde qui sic laborant, teste Gal. lib. de Causis morbor. 7. faciem habent Hippocraticam, in ipsis namque nares acutæ, tempora collapsa, oculique concaui conspicuuntur, suboritur etiam hectica ab vlcere pulmonis, non alia certè ratione, nisi ea, quam omnes proponunt, ob communicantiam scilicet materiæ putridæ, quæ cum statim ob propinquitatem cor adeat, substantiam eiusdem solidam ponit in calefacto esse, atque sic febris hectica succenditur, ita, vt febris hæc non accendatur, nisi vlcus in pulmonibus præfuerit, ad mentem Galeni loco citato, & 4. Locor. affec. 8. Ex quibus Phtisis essentiam constituentia patent, accepta Phtisi interim pro eo affectu, qui peculiariter à Græcis, maximè verò ab Atheniensibus, Ptoen appellatur, est enim malus habitus ob vlcus pulmonum, cum tamen Phtisis ab omnibus ferè recentioribus accipiatur pro vlcere tantum pulmonis, à quo Phtoen, tamquam effectus à sua causa subsequitur. B

Quibus autem notis huius Phtisis existentia deprehendatur, non est difficilè cognitu. Et Primum cum adsit vlcus in pulmonibus, necessarium est, vt pus per tussim eijciatur, verum non semper sanguinis sputum præcedere, ita, vt huius occasione puris generationi occasio detur, facilè est intelligere ei, qui nouit, pus in pulmonibus, ac thorace non generari solum ob sanguinem à vasis quomodocumq; affectis egressum, sed quandoque etiam ob destillationem à capite per asperam arteriam in pulmones, ac thoracem delapsam, de qua loquens Hippocrates 7. Aphor. 38. inquiebat, destillationes in ventrem superiorem, quem Galenus in Commentario, thoracem, definit, intra 20. dies suppurari, ex quo Galenus in Commentario pariter 3. Aphor. eiusdem libri, monebat, suppurationem hanc impropriè talem esse, quia in ea non fit verum pus, sed quid simile puri; & iure quidem, quoniam verum, & exquisitum pus ab inflammatione proficiscitur, quocirca cum sputo ipsius sanguinis succedat inflammatio, vt omnes norunt, hinc occasione inflammationis pus genitum erit verum, & exquisitum, quod supponit sanguinis sputum. At puris sputum ex distillatione ortum à sputo sanguinis minimè suboriri potest. C

Generatur autem pus istud occasione destillationis non solum ob facultatem alteratricem partium thoracis à proprio scopo aberrantem propter intemperiem à destillatione sibijpsis impartitam, verum etiam ob conditionem causæ morbificæ, eiusdem destillationis inquam: nam cum huius materia sit excrementitia, & non cedat alteratrici, & ob id in alimentum verti non possit, necessariò ab eadem facultate partim vincente, partimque victa, in pus nothum commutatur, hinc quædam species phtisis nothæ, nam exquisita fit à sputo sanguinis media inflammatione suborto, & ab inflammatione legitimè genito, spuria verò (vt dictum est) citra sputum sanguinis à destillatione in pus spurium conuersa, suboritur. Sed & ab hac destillatione suppurata phtisim spuriam fieri posse confirmo ex ipso Hippocrate 5. Aphor. Sectione, Aphor. 15. vbi scribit, quod Empij qui occasione pleuritidis suppuratæ conualuerũt, nisi spatio quadraginta dierum à die disruptionis pus collectum expuerint, phtisici fiunt, ex qua Hippocratis sententia, sicuti colligitur ob pus occasione pleuritidis suppuratæ genitum, deinde retentum, phtisim fieri, ita à pari possum ego inferre, phtisim ex destillatione suppurata, ac retenta posse suboriri: Vtcumque tamen, phtisis vti dixi, est, tum legitima, tum spuria. D

An verò sub destillationis suppuratione necesse sit sanguinem expui ob eam rationem, quòd pus facilè exedit, quia acre est, dicerem prius, quod si diligenter sputa hęc

pu-

E purulenta, vbi occurrunt, obseruentur, cruore aliquo, & veluti venulis quibusdam sanguineis esse referta: Sed estò adhuc, quod nullus adsit cruor, id profectò accidit, quoniam sanguis statim à venis excesis egressus, in pus & ipse mutatur, quod videmus etiam ijs, qui exquisitè ob sputum sanguinis phtisici fiunt, euenire: nam facto vlcere in pulmonibus, vix vnquam aliquid sanguinis expuunt, tametsi ex Galeno pulmonis quoque substantiam excernant.

Vel dicerem, quod in thoracem destillatio delapsa suppuratur in cauitatibus, non autem in substantia partium illius, hinc vasa non exeduntur; Quòd si instaretis, etiam si pus in cauitatibus, & non in parenchimate partium existat, necessè tandem esse ob illius acredinem vasa corrodi, responderem, quod pus illud cum sit illegitimum, non non valdè acre est, & eo magis quoniam à materia continuo à capite destillante attem peratur. Verum aliquos reperiri phtisicos ob spiritualium affectuum, qui nil sangui-nis expuere, non solum hisce rationibus adductis, sed & Gal. testimonio 4. Loco. af-fect. vltimo comprobari potest, ibi enim plures affectu simili laborantes absque cruo-ris alicuius excreatu perditos se vidisse testatur.

Redeo igitur, & dico, quod Phtisis primum sputo puris præfinitur; Secundò, præ-ter sputum huius census, sibi febrem hecticam ob rationem superius adductam adsi-scit, quod tum de spuria, tum de exquisita phtisi intelligere oportet, quoniam in vtra-que pariter causa allata concurrit. Cœterum, febrem hanc non puram, ac simpli-cem, sed mixtæ esse naturæ, vt etiam febris putridæ pituitosæ naturam sapiat, pos-sum demonstrare ex Galen. loco citato penè recondito, nimirum 1. Aphnr. 12. vbi scribit febrem tabis ob suppurationem in pulmonibus quotidiè, ac præcipuè ad no-ctem habere accessiones, quod non de hectica, quæ vniformis, sed de putrida est intel-ligendum, vt ex hoc colligere liceat phtisicos non tantum hectica: sed etiam putrida G febribus, laborare.

Vel dicendum, febrem hecticam duplicem esse, aliam quidem per se, quæ verè mor bus dicitur, estque vniformis, non sentitur ab ægro, in ea calor per vnam, vel alteram horam à cibo dubio procul augetur, & al ijs similibus notis à Galen. circumscribitur; Aliam verò per accidens, & veluti Symptematicam, quæ cadit à conditionibus he-cticæ per se, ac proinde accessiones, & pro sui causa putredinem habere potest, quæ propriè in physicis non modo legitimis, verum etiam spurijs obseruatur: Ratio inde patet, quia phtisici legitimi, qui ob destillationem acrem, & malignam laborant, pa-riter & illegitimi, qui sui mali occasionem habent à destillatione materiæ pituitosæ descensum à capite in partes spirituales continuò patiuntur, quæ materia cum maxi-mè ad noctē quotidiè moueatur, necessariò sequitur, vt febris illorum quotidiè etiam & ad noctem habeat accessiones, quam febrem Fernelius vir ingeniosissimus, & in ar-H te medica nunquam satis laudandus, lib. 4. de Febribus, cap. 16. nobis sub nomine hecticæ symptomaticæ proposuit.

Vtcumque tamen sit, phtisici omnes febre hectica præfiniuntur, postremò secun-dum totum contabescunt, nam quamuis alimentum assumant, ob defectum tamen ca-loris natiui coctionum omnium opificis, illud minimè probè consiciunt, ac propterea emaciantur, & hæc forsan fuit causa cur Diuinus Hippocr. 5. Aphor. 12. & 14. dixe-rit superueniente alui profluuio lethale. Galen. in Comment. Aphor. 12. dicebat, hoc fieri ex virium imbecillitate, quæ non tantum cibum non concoquunt, sed nec etiam aliquid aliud boni efficiunt.

Quibus de essentia, & existentia Phtisis ita se habentibus, facilè est respondere quę-sitis iam propositis. Primum igitur dico, quod in phtisi exquisita necesse est, sputum sanguinis sputo puris anteire, vt voluit Hippocrates: at in spuria illud non est neces-sarium, vti experientia docet; Et quamquam materia purulenta mordeat, acris existat,

atque

atque ob id erodens, vt eo tempore saltem, quo pus expuitur necessaria videatur; & A sanguinem simul reijci debere: Respondeo, vel non nihil ipsius aliquando vna cum pure excerni: vel si non, id contingere, aut quia sanguis statim à venis egressus in pus degenerat, aut quia vasa non exeduntur ob rationem superius dictam.

Quod ad alterum quæsitum attinet, respondetur, febrem phtisicorum esse partim hecticam, partim putridam, vel (si tota hectica) non verè talem esse, sed Symptomaticam, quam omnes dotes febris hecticæ per se, in se habere non est necessarium; ideo Galenus hac in re varius haud est habendus, etiamsi ad varia respexerit, vt ex dictis constat.

Atque hæc sunt, quæ mihi pro declaratione eorum, quæ à vobis proposita fuere, opportuna visa sunt, in quibus si alicui vestrum satisfecero, mihimet satisfecisse animus erit, quando & ipse iam diu de illis dubitauerim. Valete, & mei memores diù fœlices viuite. B

GVIDONI MONTICELLO BONONIENSI Medico Excellentissimo.

RESPONSIO XXXIX. In qua disputatio quædam olim in publica Anatomica Administratione à me cum viro præclarissimo habita narratur.

A ME petis exixè, vt disputationem, quam ante aliquot annos occasione publicæ Anatomicæ administrationis de aqua in perycardio cum viro præclarissimo habui, tibi Montic. Excellentissime, communicem, quam sicuti libenter aggredior, ita eam, notam quæstionis, vt dicunt, de nominibus, (quam tantopere Galeni nostri aures abhortent) vel facilè subire primum scias velim, quo nomine tametsi negligenda esset, eam tamen interim in tui gratiam repetere ac repetitam censura perillust. Ioan. Alberti Vrbani Parmensis Medici celeberrimi exornare volui. C

Cum itaque in publica Anatome sermo esset de aqua in perycardio existēte, & sententia esset proposita, quod aqua illa non in sanis corporibus, sed in ægris, & cadaueribus tantum reperitur: Ego honoris Academiæ, & vtilitatis nobilium addiscentium rationem habens, sententiam hanc vnico Galeni locupletissimo testimonio à nullo, quem viderim in huius rei gratiam cognito, & adducto impugnare aggressus fui. D

Locus est in 5. de Locis affe. cap. 2. vbi de cordis palpitatione loquens Galenus dicit aliquando eam fieri ab aqua in perycardio ad tantam multitudinem aucta, vt cor non possit attolli, cui auctoritati innixus sic argumentabar.

Aqua in pesycardio ita aucta, vt cordis motum impediat, est causa palpitationis; ergo aqua illa ante affectum hunc, palpitationem vocatum ibi præerat. Consequentia deducebatur à me per Aristotelem in primo de generatione, & corruptione, vbi loquens de augmentatione inter alia illius attributa, hoc etiam recenset, quòd illud propriè augetur, quod præexistit.

Cum ecce vir grauissimus, cui hæc dubitatio minimè placuit, id criminis ei tribuit, vt nempè Galeni locus fideliter, & prout decet à me non fuerit adductus, quoniam Galenus non vtitur dictione illa auctionis, sed dicit aquam accumulari, aggregari in tantam multitudinem, vt cor non possit attolli.

E Cuius rei causa, quamquam litem de nominibus subortam fuisse perpenderem, nihilominus quia decet Medicum philosophum, quem ego profiteor, proprias sustinere partes, coactus fui demonstrare, me ad mentem Gal. haud falsò locum illum adduxisse; Atque sic meam dubitationem rursus vrgere, sicuti hic ipse, ac omnes alij viri doctissimi nouerunt, nam ex Aristotele sic insistebam, motus ad quantitatem est augmentatio, sed Galenus per aggregationē ad tantam multitudinem aquæ illius, quam ibi proponit, nil aliud certò nobis designat, nisi motum ad quantitatem, ergo per aggregationem nobis auctionem repræsentat.

Minor (nam maior de se constat) ex eo conuincitur, quia nisi aggregatio ad multitudinem importaret quantitatem, ergo aliquod aliud prædicamentum, quod tamen nullus sanæ mentis admittet.

Nec obstat, quod multitudo dicat quantitatem discretam (quod verè, & simpliciter loquendo verum est) quoniam multitudo applicata corpori, nō autem vnitatibus (quarum vnio est multitudo) profectò quantitatem continuam, ad quam augmentatio est motus, significabit.

F

Neque rursus obstat, esto quod nunc de quantitate continua loquatur Gal. non tamen propterea de vera augmentatione (cuius est attributum illud allatum) loquitur; Quoniam omnibus sub eodem genere contentis non inconuenit, attributa saltem aliqua vni propria, & alteri conuenire, & maximè in casu nostro, in quo æquè, & bene illud præexistere verificatur, tum de vera augmentatione, quæ generationem includit, tum de illa, quæ fit per additamentum.

Atque sic ex his tibi, Vir Excellentissime, ac omnibus quibuscumque satis perspectum fore confido, locum Galeni bona fide medica à me fuisse citatum.

Quantum verò postea ad illud attinet, an aqua illa sit etiam in corporibus sanis viuentibus (quia hoc pariter à me petis) breuibus explico, & statuo, aquam hanc in viuentibus omnibus tum sanis, tum ægris reperiri, cum hac tamen distinctione, quod parcius in sanis, copiosius in ægris colligatur, atque hoc auctoritate, sensu, & ratione confirmo.

G

Auctoritate Hippocratis in libello de Corde, dum ait adest in ipsa tunica humor modicus, veluti vrina, & videatur cor in vesica diuersari.

Sed & Galenus loco à me citato ob rationem adductam, id etiam velle visus fuit, quod ferè omnes Anatomici fatentur, in viuentibus inquam & sanis humorem hunc aquosum in pericardio contineri, inter quos auctoritatem magni Vesalij lib. 6. cap. 8. magni facio.

Euidentia quoque ex omnium penè sententia idem confirmat: nam quotquot animalia viua secta fuere, aquam hanc in perycardio habuerunt, cuius rei oculata fides fidem fecit: imò in aliquibus, quos vi legum carnifex interfecerat Bononiæ, ac Patauij, hanc aquam Vesalius vidit, ex quo necessarium esse concludit, aliquam aquam in perycardio seruari.

H

Verum etiam ratione ex fine petita hoc idem confirmatur: nam cor in continuo versans motu, calidissimum est viscus, ergo vt sanum viuat, & veluti non torresiat, non dicam madore, quo plures aliæ membranæ, vt oculorum palpebræ, membranæ cerebri secundum internam superficiem gaudent, sed aqua ipsa ad maiorem humectationem, ac refrigerationem indiget (& hæc est ratio, propter quam inter cæteras Marasmi causas ego defectum huius aquæ reponam) hunc vsum Diuinus nouit Hippocrates lib. de Corde citato.

Quæcumque autem sint huius aquæ generationis principia, siue nimirum dicas generari ex vaporibus à corde eleuatis, ac frigiditate membranarum concretis, siue ex sero à vasorum quattuor tunicis exudante, siue ex portione potus per latera asperæ

arteriæ

arteriæ in pulmones, & ab his in pericardij cauitatem illabente (vt censuit Hipp. loco præcitato) omnibus assentior. A

Neque contra Hippoc. illud est, quod potus in pulmones ferri non possit, quoniam ex 8. de Placitis, multus, & affatim quidem ad pulmones non descendit, sicuti paucus, ac sensim, atque sic tussis non excitatur, vox non intercipitur, ac spiratio minimè difficilis euadit. Sed hæc obiter, satis tibi sit Monticelli Excell. nouisse difficultatem eo tempore agitatam, ac Galen. locum à me bene, & apposite in medium adductum fuisse, quod exactius intelliges, si subscriptam Excell. Vrbani Viri, vndequaque doctissimi, & mihi amicissimi censuram perleges. Vale.

PERILLVSTRIS IOANNIS ALBERTI Vrbani Medici Parmensis præclarissimi, in præhabitam disputationem Censura. B

ANTEQVAM corpus ægrotet prius præcedunt dispositiones alterantes ad ægritudinem, ita vt motus à sano ad ægrum fiat in tempore. Huius suppositi veritas non solum rationi, sed etiam Galeni auctoritati innititur. Rationi quidem quia quæcumque causa non est apta morbum producere, statim eadem posita, sed debet sensim alterare, donec eius qualitate, & virtute adeo corpus alteretur, vt exinde eius operationes lædantur; Quod per quam clarè Galeni auctoritas attestatur 2. de Diebus Decretorijs cap. 2. vbi scriptum legitur: Morborum initia, non ex ratione quapiam, sed ex ipsa euidentia capienda, cum primum ęger ipse manifestè sensit morbum sic inuadentem, vt præsentem quempiam Medicum de hoc consulere desiderarit. Ex qua Galeni doctrina, luce clarius conspicitur, dispositiones quidem morbificas præcedere, sensimque augeri, attamen nondum dicitur ægrotare, nisi quando tunc manifestè ęger sentit morbum, & tunc morbi erit initium: imò verò, qui morbi videntur statim, & subito insurgere, ij etiam habent præcedentem morbificam dispositionem, prout apud Galenum legere est 3. de Morb. vulgar. Commentario 3. tex. 75. qui admiratur, quòd Phrenitis ita subito inuadat incommodè valentes, subiungit (quod meo confert proposito) non ita tamen credendum est, quod sicuti ipsorum generatio subita est, ita causa ipsorum sit genita, sed in talibus morbis id euenit, quod euenire consueuit morsis à cane rabido, in quibus vis venefica sensim per temporis spatium vires acquirit, vt tandem eas in animantis perniciem exarare valeat. C

Quare iam ex his satis firmum esse scio, morbum non fieri in istanti, sed in tempore causari. Hoc idem in casu palpitationis habere locum non dubito, nam relictis quamplurimis palpitationis causis, de ea quę ab aqua in perycardio existente fit, agendum est, de qua id censeo, aquæ copiam aliquam prius generari, & ibi existere, quæ tamen non erit sufficiens palpitationem exciare; Ratio huius à verbis Galen. 5. de Locis affectis, cap. 2. desumitur, vbi legitur palpitationem fieri ex aqua in perycardio non existente solum, sed etiam impediente cor attolli, ergo illa aqua, quæ non impediet talem motum, non erit sufficiens palpitationem facere. Vt igitur palpitatio fiat, debet aqua in dicto loco indies aggregari, donec impediatur motus ille, & hoc necessarium est, quia non potest in instanti in perycardio infundi, sed debet primo incipere generari, deinde augeri, donec cordis actionem lædat. D

Hac posita veritate, eaq; persuasus, nullam vim fascio, siue legam [aucto humore,] siue

E siue legam [tantam humoris multitudinem cumulari :] siquidem æquè, pari fide, tutaque Galeni doctrina eiusdem mens exprimitur, quandoquidem illis verbis tantam humoris multitudinem cumulari, significatur (si diligenter hæc rimari volumus) Aquam posse contineri in perycardio absque hoc, quòd faciat palpitationem: Vt verò faciat palpitationem, debet eo vsque eius multitudo cumulari, & augeri, quousque impediat cordis motum proprium, ergo siue dicamus aucto humore, donec impediat cordis motum siue dicamus multitudinem humoris cumulari, donec impediat eiusdem cordis motum, nihil referre censeo. Si enim hæc aqua paulatim generari incipit, quid prohibet æquè, & bene nos dicere auctam illam aquam ad motus impedimentum, causare palpitationem? Si autem aqua illa subitò tota infunderetur (quod tamen à veritate alienum est) vtique faterer commodius nos legere tantam humoris multitudinem cumulari, quam aucto humore, quia hæc verba (aucto humo-F re) innuunt motum factum à pauca aqua ad multam, qui sanè nullus motus esset, si tota aqua scilicet in perycardio exurgeret.

His accedit (quod rem forte clariorem reddet) speculari hanc vocem (humoris multitudinem.) Nam, quid est multitudo? certè si attendamus quantitatem discretam, multitudo est vnio plurium vnitatum, & in casu nostro est vnio plurium portionum humoris, hæc autem vnio plurium portionum humoris, quid aliud est, quàm humoris auctio? Quare, multitudinem humoris cumulari, perinde est, ac si dicam humorem augeri: Si attendamus quantitatem continuam, multitudinem humoris cumulari, quid aliud est, quam humorem augeri? Verùm, quòd nunc per multitudinem quantitatem continuam attendere debeamus, ipsamet humoris natura, quæ vna, & continua est, terminis solis perycardij circumscripta ostendit. Pro quantitate etiam continua exprimenda nomen discretæ quantitatis vsurpauit Galenus: nam scimus di-G scretam quantitatem se ad ea extendere, quæ proprijs terminis, proprijsque circumscriptionibus definita sunt, quæque inuicem distincta numerando faciunt multitudinem, huius autem naturæ nullus vnquam existimabit esse aquam illam, quia illa vna, & continua est, ideo ad significandum continuum, vsus est voce discreta. Cęterùm, si etiam nunc quantitatem discretam multitudinem sihnificare dicamus, nõne ad multitudinem discretorum vtimur, perquam eleganter hac voce auctionis? Dicimus.n. granorum numerum per nouam, & continuam additionem augeri; pariter in quantitate continua (quæ hic verè locum habet) non minus eleganter, quamcumque factam accessionem exprimimus, dicentes augeri. Quare, non dubitò, hanc vocem auctionis esse communem vtrique quantitati: propterea perquam optima, & fida lectio erit, dicere, aucto humore. Sed quid plura? Ipsemet Galen. non renuit hanc vocem, si verba eius diligenter speculemur nam inquit: Neque enim mirum videri H debet tantam humoris multitudinem cumulari aliquando, &c. quasi velit dicere Galen. non est mirum, paucam aquam generari in perycardio, sed fortè aliquibus videbitur mirum, tantam copiam posse vnquam cumulari, quæ impediat motum; Huic respondet Galenus, neque enim mirum videri debet, & quæ sequuntur.

Ex quo discursu, nonne innuit aquam augeri ex parua ad tantam, quæ posset parere admirationem, cum tamen hoc non sit mirandum, dicat Galenus. Quod si ex pauca fit multa, quid prohibet dicere illam augeri; Amplius, illa vox (cumulari) quid aliud sonare potest, quàm humorem continuò per additionem augeri, idem enim sunt prorsus, idemque omninò sonant, dicere enim augetur humor, est idem, ac si dicam per alia verba, multitudo humoris cumulatur, & è contra, dicere multitudinem humoris cumulari, est, ac si dicam humorem augeri; è contrario sensu, dicere humorem non augeri, est dicere multitudinem humoris nõ cumulari, & è contra, multitudinem humoris non cumulari, est idem cum hoc, humorem non augeri. Quare, nescio quomodo

modo quis verè possit hæc distinguere, licet quoad verba distincta sint, litem tamen de A nominibus abhorent Galen. aures. Imò verò nisi viderer manus impuras meas in mensa tot probatissimorum virorum, qui infiniti præcessere, imponere velle, ego mallem potius legere aucto humore, quam tantam humoris multitudinem, non quod non sint vndequaque idem, sed quia clarius, & explicitè magis Galen. scopus exprimitur, siquidem per hanc vocem (augeri) siuè (aucto humore) duo clarè dicimus, & tertium subinteligimus. Primum, si aliquid augeri debet, illud præexistere debet, quia auctio fit alicui actu existenti. Secundum est, aliquid rei augendæ extrinsecus superuenire debet. Tertium, quod subintelligimus, est modus, quo cumulatur hæc aqua, nam non fit subitò, ita, vt effundatur tamquam ex vase in perycardio, sed fit in tẽpore per additionem sensim, ac tempore factam, quæ tria in generatione, & aggregatione aquæ in perycardio, perquam dilucidè conspiciuntur, quæ eadem, licet illa vox (cumulari) quæ significat aliquid esse in via, & in fieri explicet, non tamen tam clarè, & B dilucidè possunt hæc intelligere omnes, & cognoscere, quam si exprimantur per vocem augeri, est enim dictionis huius significatio ferè nulli incognita, sciunt ferè omnes, si augetur res, illam debere esse aliquid, illique debere aliquid accedere, tandem intercedente tempore fieri. Ac de quæstione de nominibus, hæc plusquam satis esse sciò.

BERNARDINO CABASSIO CARPENSI
Medico Præstantissimo.

RESPONSIO XXXX. In qua de Vermibus, necnon de acu deglutita per quinque annos in corpore retenta, ac tandem per vrinam excretis in puero quodam Hebræo sermo habetur. C

VERMES per vrinas eiectos viri in arte Medica clarissimi, vti præter Gentilem, Fernelius, Hollerius, Vidus Vidius, Aloysius Mundella, Dodoneus, & quamplures alij inter medendum, obseruarunt, pariter, & acum non modo capitatam, sed etiam sutoriam materia lapidea circumcirca oblinitam per eandem prorsus regionem excretam non tantum Langius, ac Paræus, sed & Alexander Benedictus monimentis fide dignis tradiderunt, id quod Andereas Ceratus Parmensis Medicus præstantissimus ac mei amicissimus, anno 1589. Venetijs D obseruasse nuper mihi narrauit. Quas quidem euidentias, tu quoque Cabassi amantissime superioribus diebus in puero quodam Hebræo obseruasti (vt scribis) qui cum acum capitatam deglutitam quinque annos in corpore detinuisset, primo, & secundo anno doloribus partium vrinalium correptus, arenulas, lapillos, vnaque vermes longos, rotundos, cum vrina simul eiecit, subsequentibus verò annis difficultate vrinæ ferè semper molestatus, lapillos itidem, & arenulas, tandemque acum dictam eminxit, à quibus occasione aquæ Villensis assumptæ Lumbricum rotundum ad longitudinem octo, vel decem digitorum transuersorum excreuit. Quæ omnia tametsi pluries, vt dixi viri de re Medica meritissimi obseruauerint, insignem tamen habent difficultatem.

Nam quantũ ad vermes attinet, cum renes, & vesica continuò vrina, quæ ex Ruffo Ephesio, & omnibus Medicinæ scriptoribus est humiditas vitrosa, veluti abstergan-

E tur, non videtur qua ratione in illis vermes possint generari, quoniam tantum abest; vt ex humiditate illa serosa generentur, quin potius geniti interficiantur. Ex altera autem parte, si loca illa sint pręter naturam affecta, mucosa materia, eademque putrefacta conspurcata, concurratque debitum agens generationis vermium, non video cur non dicam tantum in illis locis, sed omnibus etiam alijs (modo causæ generantes simul coeant) vermes non possint generari.

De acu verò (vbi degultita fuit) est difficultas, per quam viam ad partes vrinæ transmissioni inseruientes peruenire, atque tandem per illas excerni potuerit: nam si vias conspicuas, & patentes animaduerto, duo tantum occurrunt excretionis modi, ambo tamen dubij, ac incerti.

Primum est, vt per Meseraicas ad iecur, in iecore verò per venas cauæ ad venas simæ partis minimè iunctas ex Gal. 4. de Vsu partium, 3. tandemque per emulgentes, renes, & vretera ad vesicam peruenerit, qui transitus & propter venarum meseraicarum propriam angustiam, & propter vasorum Hepatis iam dictam disiunctionē, nedum imaginabilis videtur.

F Secundus modus ille est, qui à te (Vir excellentissime) propositus fuit, quod nempè ad intestina descendens Acus eadem, atque corpus vesicæ perforauerit, sicque illam ingressus, vna cum vrina fuerit eductus. Qui modus excretionis, historia à Dodoneo in suis Obseruationibus cap. 20. proposita confirmari potest, quo loci mulierem proponit, quæ cum ante decem annos acum deglutijsset, tandem ventriculo terebrato acus foras prosilijt, verumtamen cum subdat ipse, vehementissimos cruciatus tum præcessisse, tum comitatos fuisse, & in casu à te proposito puer ille acum reddiderit citra dolorem, modus hic non videtur vndequaque recipiendus, & quamquam ego ex vna parte in illius confirmationem ante plures annos curauerim mulierem quandam

G Bononiensem familiæ de Sauijs (quæ honorificè artem pharmacopæiam iamdiu exercuit) cui cum suppurata fuerit inflammatio in vtero, disrupto abscessu, pus partim per vesicam, partim circa pubem facto foramine excretum fuit, nihilominus ex altera parte, quoniā interim insignibus doloribus fuit hæc patiens afflictata contra modum à te propositum facere videor.

Quapropter, si postremo loco ad vias ipsi naturæ reconditas, & cœcas, vt dicunt, animum conuerto, casus etiam hic plenus est difficultatibus, quarum vna est, quòd in intinere quantumuis recondito, ac abscondito, vix fieri potest, quin sensus aliquis demprehendatur; Altera quod sic eijcitur, immune ab omni inquinamento esse solet; In casu autem proposito nullius sensus mentio facta fuit, & acus materia lapidea circumsepta est educta. Quibus illud addendum, quòd esto, acus per cęcos ductus ad vesicam vsque deuenerit, quomodo sine doloribus saltem aliquibus eādem vesicam

H ingressus fnit, ibidem detentus, ac demum emissus?

Quocirca, hac in re valde dubius extiti, vt propterea lubens, quid excellentissimus Io. Albertus Vrbanus, Parmensis, vir de re Medica omni ex parte meritissimus, sentiret, per litteras interrogauerim, cuius responsum etiam hic vna cum tuis litteris subscribi curaui, atque sic ego tacens, potius circa propositum casum opiniones, ac sanctiones vestras confirmo. Quod reliquum verò est, sicuti me intensè admodum amare cœpisti; ita pergeres Vellem.

EXCEL-

A

EXCELLENTISSIMI BERNARDINI CABASII CARPENSIS Medici Discursus, in quo Casus prædictus de acus deglutione, ac post de eiusdem, & lumbricorum missione, vna cum vrina, breuiter describitur, & propria circa locos transitus acus ad vesicam vsque sententia proponitur.

PVER quidam Hebræus septem, vel octo annorum, habitu gracili, & viuido ingenio præditus, Acum capitatam duorum digitorum transuersorum longitudinem excedentem, ludo cuidam, quo acus in Arundula positas ore sibi inuicem pueri tunc temporis infigere solebant, indulgens, deglutiuit, Primo, & altero anno (quinque enim annos acus intra corpus delituit) renum, & vesicæ dolores passus fuit, arenulas, lapidos, & lumbricos longos, rotundos, & viuos minxit. A primo, & altero anno nullum postea minxit lumbricum, sed ferè semper vrinæ difficultate affectus fuit, arenulas sæpè, & lapillos paruos mingendo. Parentes & ipsius pueri familiares nihil de acu scientes, sæpè, ac sæpius illum medicis curandum tradiderunt. Post vniuersales purgationes plura exhibita fuere præsidia ad frangendos lapides, ad renes, & vias vrinæ mundificandas, & refrigerandas. Annos elapso 1604. mense Februarij magna vrinæ difficultate captus, & ferè suppressione, vrinam maximo conatu excernere tentans, acum iam in fine foraminis glandis acumine suo apparentem è virga sibi puer extraxit, huic adhærebat vndique, & præsertim circa eius medium, materia quædam gypsea, & lapidea in satis multa quantitate, cineritio colore prædita, & figuram magnæ oliuæ nucleum repræsentantem habens. Hic tunc aderat medicus quidam Hebręus Ferrariensis, filius illius Moyses Alatini & vir quidem in hac arte nunquam satis laudatus.

B

C

Ambo itaque iudicauimus acum per Meseraicas venas ad hepar, ab ipsa per renes & Vreteres ad vesicam perueniSse, exemplo illarum mulierum, quas referunt Langius Forestus, & alij, & quia magna instare videbatur suspicio, de renis per quem permeauerat acus, exulceratione, propterea consultum fuit, vt ineunte Vere, aquas thermales præmissis præmittendis biberet puer, Tettucianam prius per biduum Villensem posterius de more per multos dies sumpsit. A Villensi primis diebus arenulas; & lapillum crocei coloris eductum fuisse obseruatum est, post primos dies, cępit aqua secum ducere materiam fœtentem, & nigri coloris, ac tandem vltimo die eduxit lumbricum rotundum ad longitudinem octo, vel decem digitorum transuersorum adscendētem, & viuum absque vllo dorsi, & renum dolore.

His à me visis, & obseruatis, in eam deueni sententiam, vt ab acu factum fuerit foramen ab intestinis ad vesicam, per quod materia illa fœtens, & lumbricus ad eādem vesicam peruenire potuerit, Induci enim amplius non possum, vt credam, materiam illam, & lumbricum genitū fuisse, vel in renibus, vel in vesica, cum nullus ante vtriusq; exitum, vt dixi præcesserit lumborum dolor grauis, sed absque vlla molestia vna cum aqua thermali simul exierint.

D

Sed nec per venas Meseraicas ad hepar perueniSse acum, & ab ipso per renes ad vesicam credere possum, constat enim per Galenum, 4. de vsu partium capite 13. venas cauæ hepatis non coniungi ad simam hepatis. Qui fieri igitur possit, vt acus per illas permeans venas cauæ hepatis egressa fuerit, & gibbæ ingressa, capere non possum. Si quidem puto necesse esse, vt acus tota prius egressa fuerit venam cauæ hepatis per quam iter ei contigerit, & postea ingressa fuerit venam gibbæ, vel ita curuata fuerit acus, cum ad finem lobi peruenerit, vt potuerit antequā tota egressa fuerit venā cauę,

E ingredi venam gibbæ, quod quidem impossibile esse mihi videtur; Quinimmo, puto venas hepatis tenuissimas tunicas habentes, & carnem eius parenchymam ab acus duritie dilaniatas, & exulceratas fuisse.

Præterea, Galenus primo de alimentorum facultatibus capite 12. sermonem habēs de massa, inquit, farinam à tota substantia furfurea puram in ventriculo citius, & magis alterari, & concoqui, in corpusque distribui, & promptius nutrire, & quæ tota corporibus alendis assimiletur, quod autem in ipsa furfuraceum, ac durum, vt extrinsecus in aqua dissolui non cernitur, eadem ratione, nec in ventriculo quidem madefactum, sed totum, vt sumptum fuerat, indiuiduum, & inconfectum permanere, nec posse probè concoqui, & distribui, propterea, quod venarum orificijs, quæ ad ventriculum, & ad intestina pertinent nihil prorsus congruit, neque illabitur, qui fieri potest, vt acus illis illapsa fuerit?

F Si quis verò quæreret in quo nam intestino, & in quanam eius parte, & in qua parte etiam vesicæ facta fuerit ab acu perforatio.

Respondetur factam fuisse vel in intestino Ileo, & in eius parte, qua ad os pubis descendens fundum vesicæ pertingere potest, in quo quidem vesicæ fundo, pro comperto habetur factam fuisse perforationem; Vel possumus etiam dicere, factam fuisse perforationem in intestino colo, & in illius parte, vbi sub vesica ossi sacri, & cocygis stratum, fundum vesicæ saltem in parte posteriori tangere potest.

Quo stante, asseritur nec vrinam, nec thermales aquas potuisse à vesica ad intestina retrogredi, nam cum graues sint, & omne graue tendat deorsum, & perforatio illa esset in parte superiori vesicæ, fieri non potuit, vt per illam ad intestina retrogressæ fuerint; Recta autem ratione euenisse potuit, vt ab intestinis ad vesicam materia illa fœcolenta, & lumbricus peruenerint, cum perforatio intestini inferius, vesicæ verò

G superius respiceret.

Nec etiam mihi obstare videtur, si quis obijceret, dum perforatio fiebat ab acu, necessarium fuisse puerum dolorem ingentem persensisse; nam respondetur, solutionem continui, quæ sensim fit, nullum parere dolorem, & partem acus capitatā facilè potuisse tractu temporis permeare per foramen à parte eiusdem acus mucronata factum: Nam quotidie videmus, etiam pilas plumbeas ab instrumentis bellicis intra aliquam corporis partem immissas, & retentas, & per aliam partem spatio temporis à natura expulsas.

Ad illud verò argumentum, cui maximè quis insisteret vulnera tenuium intestinorum, & vesicæ penetrantia, qualis fuisset perforatio nostra, insanabilia, & lethalia esse.

Dicimus perforationem istam, ita sensim factam fuisse, vt nullam vim intulerit naturæ, neque sensationem, & quasi connaturalem fuisse, & propterea non fuisse connu-

H merandam inter illas discisiones, de quibus intelligunt Hippocrates, & Galenus, Aphor. 18. & 19.

Atque hæ sunt potissimę rationes, quibus ipse inductus fui, vt omninò crediderim in intestinis, & vesica huius pueri ab acu factam fuisse perforationem, & per illam ad vessicam peruenisse.

Quid verò contigerit postea de puero, post potationem aquarum thermalium, per aliquod temporis curriculum bene se habuit, sed ei tandem superuenit tumor satis magnus in scroto, qui ad suppurationem, & citò ad apertionem venit, & per eius foramen vrinam excreuit puer tamdiu, quamdiu foramen illud apertum permansit, sed tandem conualuit, & nunc per meatum vrinarium vrinam excernendo optimè se habet.

A

IN PRAEDICTO CASV QVID SENSERIT CLARISSIMVS Ioannes Albertus Vrbanus Medicus Parmensis.

IN habito casu tria veniunt consideranda. Primum quod per vrinam vermes longi, & rotundi, & viui exierint in primo & secundo anno post acus deglutionem. Secundum, quod acum deglutiuerit, & per vrinam reddiderit puer. Tertium per quam viam acus exierit.

Quoad primum, existente materia disposita, & proportionato agente vermes in pluribus nostri corporis partibus generari posse satis constare potest; nam vt scriptũ legimus (nec ratio aliqua aduersatur) & in capite, & in auribus, dentibus, pulmonibus, intestinis, sub cute, & vt aliqui censent, ex mente Galeni 3. Aphor. 26. etiam in ventriculo (sed falsò hoc Galeno loco citato attribuunt, vt lectio ipsa facilè ostendit) Prætera, Aphor. 92. ibidem Galenus tres species vermium constituit, & vnicuique tribuit locum suæ generationis, nulla facta mentione de ventriculo, tanquam de loco generationis, sed quidem tanquam de loco receptionis mentio fit eiusdem, ita, vt in ventriculo non generentur, prout etiam sensit Philosophus 4. Meteor. Non negarem tamen, interdum in corpore multum lapso à sanitate quandoque generari in stomacho vermes, licet raro, & in omnibus nostri corporis partibus, præterquam in vitalibus cui opinioni non contradicit; Nicolus Sermone 5. tractatu 8. capite 53. & etiam in renibus generari fatetur Gentilis, qui scribit, Perusinum ex familia de Balionibus, passum esse febrem quotidianam cum dolore renum per octo menses, & in conualescentia emisisse vermes latos, & paruos cum vrina, & dolorem cessasse.

B

C

Ab hoc etiam fortasè accepit Eustachius capite proprio, qui scribit vermes paruos in renibus generari. Sed non modo hos in renibus generari, sed longè monstruosiora emissa fuisse scribit Ambrosius Paræus lib. 19. capite 3. dicens Ludouicum Duretum, virum doctrinæ, & fidei plenissimum, post longum, & difficilem morbum, excreuisse animal viuum colore rubeum, simile millepèdi, cuius imaginem describit in propria pagina. Similiter idem Auctor refert, Comitem Carolum de Mansfeldo qui tandem obijt militiæ præfectus in Pannonia inferiori ætate nostra febre graui, & quotidiana laborantem, per vrinarum meatum illuiem excreuisse, cuius similiter formam describit. Quare cum huiusmodi animalia generari feratur a fide dignis, minus videtur dubitandum vermes generari posse in renibus ex eadem materia, eodem efficiente, & cœteris conditionibus ad vermes requisitis præsentibus, proindè ac generantur in intestinis, & cœteris quibusdam partibus nostri corporis.

D

Quoad secundum, constat apud complures, acum aliàs quoque fuisse deglutitam, ac tandem emissam, nam legi quendam Alcinarianum, qui cum longo tempore esset valetudinarius, nec eum aliqui curare potuissent, cum aciculam deuorasset, & aliqua remedia fuissent adhibita, quæ vias lubricas facerent, vt descenderet, Aciculam deuoratam postea minxisse, quod Langius libro secundo epistolarum epistola 40. euenisse scribit in iuuencula; & Alexander Veronensis, libro secondo Anath. capite 9. scribit, mulierem Venetam acum crinalem, qua cirri capillorum intorquentur, quattuor digitorum longitudine, quam obdormiscens in ore detentam deglutiuerat, decimo tandem mense eminxisse, Vt iam ex his non amplius sit dubitandum acum deglutitam posse emingi.

Quoad tertium, duplicem posse esse viam non sum dubius, vnam quidem apertam, & conspicuam, alteram verò cœcam, & occultam, viam apertam dico esse ductus

E communes, & eosdem, per quos chilus excrementaque serosa à stomacho ad Hepar, ab hoc ad cauam venam, ab hac ad emulgentes, ab his ad renes, & vesicã, & denique à vesica ad meatum communem ducuntur.

Quòd si in hoc transitu videatur facere difficultatem angustia vasorum, & orificiorum eorumdem obliquitas, profectò si hæc diligenter consideremus, & quæ indies eueniunt animaduertamus, nullam esse difficultatem conspiciemus. In primis enim angustia vasorum hunc transitum non prohibet, quia nulla est vena adeo exillis, quæ non dilatari possit, non dicam solum ad transitum acus, sed etiam longè ad maiorem magnitudinem, sunt enim substantiæ maximè dilatabiles. Amplius, nec ratione orificiorum, quippe quæ non sunt rectè posita, vt apparet in venis mesenterij, quarum orificia, quæ ad intestina pertingunt, & terminantur, non directè sibi inuicem occurrunt, prout etiam constat in vreterum ductibus, qui non directè, sed obliquè pene-
F trant vtramque tunicam vesicæ, per quos tamen videmus arenulas etiam grandiores, calculosque ipsos longè acu maiores, asperioresque ad vesicam peruenire, non obstantibus illis meatibus obliquis, qui nisi vesica extensa nimis fuerit, non sunt negaturi transitum, non dicam acui, sed neque maioribus etiam Acu.

Illud quidem, quod potest maiorem facere difficultatem, est, renum structura, hæc enim licet faciat difficultatem in exeundo, & laboriosè res permeare renes permittat, & faciat dolorem aliquem, vel saltem stimuletur natura, quo stimulo nedum serositas humorum, sed aliqua excrementa simul ad renes trahuntur, quæ retenta diutius, in arenulas concrescunt, & ob quam difficultatem transitus renum præter totum spatiũ, quod est à ventriculo ad renes, illud etiam continget, quòd non nisi per multum temporis interuallum acus mingatur diutius in renibus detenta post deglutionem, & ob id etiam vltra biennium acus est excreta.

G Per hanc autem viam acum pertransisse argumentum illud est, quòd exiuerit inducta materia gypsea, & lapidea, quam & in renibus primo exordia sumpsisse, & adhuc aliqua addita menta in vesica accepisse, rationi est consonum. Et hoc simile est ei, quod fertur ab Ambrosio Paræo libro 24. de monstris, & prodigijs scribente capite 19. vbi legitur Alexandrum Benedictum narasse, Virginem Venetijs acu deglutisse, quam breui post cum vrina reddidit calculosa materia circum viscosos humores collecta, & coagmentata obductam, quam sanè non dubito per eandem viam permeasse quam & hæc nostra.

Pariter ab eodem scribitur loco citato, calculum magnitudinis nucis iuglandis extractum fuisse, in cuius medio acus, quo sutores fuere solent inexistebat, hic tamen lapis prima rudimenta accepit in renibus, quare nihil amplius dubitandum, acum per renes transitum seruasse ad vesicam, in quo nostra maior consistit difficultas.

H Præter manifestum viam nec existimauerim apud naturam esse aliquo modo difficile per vias ocultas nobis, non acum tantum, sed longè difficiliora ducere, longè enim difficiliora quandoque tentat natura, vt nihil sibi fuerit per vrinam transferre acum sine transitu per renes, saluo egrotante, vt aliquorum experientia nobis constare potest.

Scribit prædictus Ambrosius, loco citato, mulierem deglutisse acum æneam, & sine vllo dolore per annum acum retinuisse, hoc anno peracto ingentes dolores circa ventrem adorti sunt, quibus multa fuere adhibita remedia absque aliquo leuamine per binos annos, tandem per exiguum ad vmbilicum foramen prodijt acus. Ab eodem etiam fertur, adolescentem deglutisse ramusculum graminis, qui interger postea per intercostale spatium magno cum vitæ adolescentis periculo erupit, eò autem penetrare non potuit, nisi substantia pulmonis, & membranæ costas subcingentis, & intercostalium musculorum prorupta fuerit.

Adhuc

Adhuc pastor quidam deglutiuit gladium semipedem longum cum corneo marrubio, idque semestre cum magnis doloribus in dies marcescens, tandem oborto sub inguine abscessu, cum magna copia puris fœtidi erupit, & extractum est. Amplius, visæ sunt mulieres non paucæ grauidæ, quæ fœtum in vtero mortuum frustatim sic excreuerunt, vt ossa, rupto ad vmbelicum exitu, manarent, carnes verò veluti in pus colliquefactæ per vteri ceruicem, & anum defluxerint ipsis superstitibus. Amplius mulier, dum equo Rus veheretur, acus in dexteram natem, adeo altè infixa est, vt nulla arte, nullaque industria indè euelli potuerit, tandem post quatriduum per dexterũ inguen extracta est penè iam rubiginosa. Quidam sclopeto fuit vulneratus inter vmbilicum, & illa, & plumbea glans non potuit extrahi, tandem glandem restituit per anum, ac inter tres hebdomadas planè conualuit. Alter vulneratus in dorso, missili telo magnitudinis duorum digitorum intus remanente extrahi nunquam potuit, denique secundo mense ferrum per anum prodijt, & hæc, & similia, & maiora aliquando visa fuere, quæ nisi à fide dignis scriptis mandata fuissent, vix adduci possemus, vt crederemus, at credimus, vt virum decet qui naturæ arcana, in operationibus sagacitatem, & in omnibus mirandum artificium videt, & ab alijs obseruatum legit. Quę sanè, nec Hippocratem, nec Galenum latuerunt; Hippocratem quidem 7. Aphor. 54. dicentem, Quibus inter ventriculum, & septum transuersum pituita reposita est, & dolorem adfert, non habens exitum, neq; ad alterum ventrem, ijs per renes ad vesicam pituita versa, soluitur morbus.

Galenum verò, qui in Commentario dixit, possibile esse dictum Hippocratis, cum sciamus, quod viam semper materibus inuenire naturam Hippocrates opinatur, quãdo validæ fuerint, etiamsi quàm maximè sint quodammodo crassæ, & per angũsta foramina debeant permeare, quia & per ossa fieri (inquit) abscessus.

Videmus autem, & humorem illum, qui est inter thoracem, atque pulmonem in suppuratis exigua cum tussi, nonnunquam verò & per cutem sanam existentem excidere sanguinem ex ossibus, quæ fracta occaluerunt.

Non igitur, neque in ea, de qua nunc Hippocrates dicit pituita, impossibile prorsus opportet arbitrari ad vrinæ vias fieri transumptionem, verum & hoc agi à natura contingit paulatim pituitam extenuante, quemadmodum pus in suppuratis. Videmus etiam aquam in abdomine existentem ad intestinam copiosam minimo ferè tempore duci, & infinita alia, quæ naturæ sunt familiaria, nobis tamen admirationem pariunt inexplicandam, nisi sciremus opus naturæ esse occultum, & per totum corpus facere transpirationem, per quam excernuntur superfluitates, & corpus in varijs morbis expurgare, nisi etiam sciremus, facultatem naturæ superare humani intellectus captũ 15. de vsu partium, cap. 6. in fine.

Nunc ego præ manibus habeo religiosum Cartusiensem, qui fistula affectus est in dorso, sub scapulis, cuius orificium externum quandoque clauditur, & materia, quæ per illud educi consueuerat, cum tussi expuitur.

Vt ex his, & alijs quam pluribus mirum non sit, si acus nostra per vias occultas etiam ad vesicam peruenire potuerit, licet existimem hanc per patentes, & communes vias à natura fuisse eductam.

Ex quibus quid in casu proposito sentiam, credo satis appareat.

E

AD EXCELLENTISSIMVM IOANNEM CONTIVM MEDICVM Lucensem Iulius Cæsar Claudinus.

INterea dum meas hasce Consultationes,& Consilia Medica præmanibus habebam, vt in lucem darem (vir Excellentissime) dum tu rationibus pulcherrimis, quas in gratiam & nobilissimi Equitis, & cuiusdam Rustici con scripseras (hunc ab impraegnatione propriæ filiæ, illum à deuirginatione quadam apud nostros Bononienses Iudices defendebas) vt ego subscriberem, si modo sentirem, efflagitasti. Tecum sensi, subscripsi rationibus,illudque vicissim à te interim efflagitaui, vt scilicet eas vna cum meis Responsionibus in lucem dari permitteres. Concessisti, rem gratam tunc fui consecutus, nunc gratissimam, vbi in lucem dedi. Scio F etenim, illas tanquam scitu curiosas, non tantum omnibus Medicinæ studiosis, sed etiam alijs quibuscunque quam maximam animi delectationem inter legendum esse allaturas, atque hòc eo magis, quoniam ipsas non solum à te pulchrè excogitatas, ex rei natura adinuentas, verum & perpulchro ordine digestas reperient: Placuit autem tibi nomine Perillustris, & Excellentissimi Iuris Vtriusque Doctoris Bernardini tui Patroni amantissimi, meique amicissimi (quod eius humanitas est) illustrare, id quod etiam mihi vehementer probatur, sic namque cum tanto viro sunt illustriores. Tu verò, quod reliquum est, me amare pergas, bene valeas, diuque viuas; hoc si quidem pacto & diu viuent ij, ac bene valebunt, qui plurimum tua opera medica vti non dedignabuntur.

G PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO I.V.D. BERNARDINO Bernardinio Patritio Lucensi, Patrono suo amantissimo.

Ioannes Contius S. D.

ET quandoque (vir Excellentissime) Medicus cum Iurisperitis, prout occasio medica requirit, standum enim est peritis in Arte; hinc ego dum Bononiæ in Aedibus celeberimi Claudini commorarer, apud quem, vt nosti, id muneris excercebã, vt onus medicũ & in innumeris ferè visendis ægrotis, & in copiosè scribendo sibi grauissimum leuius, quantum per me fieri poterat (poterat verò minimũ) redderetur, quin bis apud iudices Prouinciam susceperim efficere non potui, H quinimmò libenter suscepi, tum, vt quendam rusticum ab adscripto sibi falso crimine impraegnationis filiæ, à quo mors eidem imminebat ignominiosa, ex conscientia defenderem, tum vt Nobilissimum Equitem Hierosolymitanum à desloratione, quam ipsi Iuuencula quædam, quibusdam in iudicio obstetricum Nugis denunciatis, ascribebat, iure meritò vindicarem; Rationes autem, quibus vtrumque defenderim, tamquam scitu curiosas, & eas forsan, quæ cœteris etiam in hisce casibus ad iustitiam fauere possunt, vbi voluerit hic vna cum suis Responsionibus Excellentissimus Claudinus typis excudere, placuit mihi (debebam enim) tui nomine, Vir præclarissime, ac perillustris, insignire, quod mei in te animi grati argumentum quamuis perexiguum, non tamen vt spero, despicies, vbi propriam humanitatem omnibus perspectam, mihi pluries cognitam, & expertam sequeris; Valeas diu fœlix, tuique Contij haud immemor.

QVOD

A

QVOD VIR SEPTVAGENARIVS, RVSTICVS, CONTINVO ob rusticos labores defessus, miserrimè viuens, gonorrhæam patiens, pluribus ab hinc annis cum vxore alioquin fecunda absque liberis cubans, (cum tamen prius prolem vtriusque sexus numerosam habuerit) filiam vtero gerentem efficere nequiuerit, & quæ masculum peperit, vt ipsi falsò adscribitur.

QVAMPLVRIMAE requiruntur ex parte viri, eæque secundum naturam vndequaque se habentes conditiones, pro generatione, quæ cum præcipuè in optimi, & absolutè elaborati seminis essentia sita sit, partium omniũ ad ipsius elaborationem conducentium naturalem constitutionem primò supponit, hæc materiam aptam, & idoneam requirit, quæ haberi minimè potest, nisi proprium corporis temperamentum (quod etiam conuenientem ætatem expostulat) illam partibus genitalibus suppeditet, quæ omnia nondum sufficiunt, verum & adhuc rectus eiaculans semen modus (qui sine colis conuenienti erectione succedere nequit) est ad prolem, generationemve dixeris, quam necessarius. B

Profectò seminis absoluti natura, atque fœcunditas in sanguinis copiam, eamque potissimum abundantiam spirituum, quibus debet esse refertum semen, est referenda, qua motus iure Galenus, in sextum de Morbis vulg. Diuini Hippocratis Commentario 3. semen meram spirituum excretionem esse dixit, sequutus dubio procul eundem Hippocratem in libello de genitura, ubi semen quid robustissimum affirmauit, quod à Veneris usu paucula adeo re emissa imbecilles multum reddimur, quod nulla alia ratione contingere potest, nisi qua succedit pro exigua seminis emissione spirituum in eo contentorum non leuis dissipatio. Id autem semini sanguis præstat, vt ipsius ueluti materia existat, at spiritus eiusdem forma, & in utero efficaciter ad prolem operari. Hac spirituum copia, hac sanguinis abundantia, & proinde fœcundo semine hi præcipuè scatent ex Galeno 5. Aphor. 63. qui temperamentum calidum habent, & humidum; & merito quidem; etenim ratione caliditatis, spiritus, ratione humiditatis, sanguis pro semine generando suppeditatur, à qua calida, & humida corporis temperie, qui magis recedunt, magis quoque semen, vt de se patet, retinent ineptum generationi, & ad prolem infœcundum; Atqui recedit vnusquisque vel quia diuersam ab illa sit nactus à primordio complexionem, vel quia adhuc ipsam sortitus, ingruente morbo, vel aduentante tempore ob senectutem torpescit, & à caliditate, humoreq; alimentali in frigiditatem, ac siccitatem vitæ inimicas, gradum non tantum speciei infœcundum, sed & insalubrem sibi facit, morbi, at senectutis maxime ineuitabiles conditiones, quibus aut ineptus pro spermate sanguis, & spiritus generantur, aut quicquid boni sanguinis gignitur, totum consumitur in singulis nutriendis partibus, & quicquid spiritus procreatur, de vitæ conseruatione solicitum, in sui principium, Cor inquam, aggregatur, parum de semine in speciei propagationem, ob sui exiguitatem, rationem potens habere. Verum & spirituum copia, sanguinisq; suppeditata, semen infœcundum etiam redditur, nisi spermatica instrumenta omnin ò secũdũ naturam sint constituta, omne si quidem morbi genus pati possunt, solutionẽ continuitatis, malam compositionem, & vt plurimum intemperiem, ex quibus facilè fit, vt vel semen inficiatur, vel affectis vasis, & cole alioquin à natura conuenienti (mediocris videlicet magnitudinis) quãdoq; incõmoda succedat in vterum seminis eiaculatio, cuius quanta C D

E ta sit ratio habenda pro conceptione, nullus dubitabit, qui Galenum attentè legerit multis in locis, in lib. de Semine, at præsertim in lib. 15. de Vsu partium, vbi de vsu tensionis pudendi verba facit.

Quæ cum ita sint, vt non esse minimè possunt, videre erit in proposito mihi casu, an vir propositus potuerit tum coire, tum coeundo generare; ac sanè, vt ingenuè fatear, si prædicta respiciam, & dicenda, non solum ipsum generationi aptum, ob quam apud vos Perillustres iudices, & Excellentissimi reus est mortis, verum neque coitui fuisse, habendum arbitror, nam præterquam quod tantum scelus de proprio parente in filiam non est piè præsumendum, vt etiam vestris legibus iure optimo sancitum est, id nulla ratione contingere potuit ob ipsius impotentiam tum naturalem, tum adscititiam, illa seminis fœcunditatem, hæc & coitum impediebat, illa si non ex temperamento, ex ætate saltem semini, at fœcundo præsertim contraria, hæc ex gonorrhæa, F quam ipse tunc temporis, sicuti & antea per plures dies, quò filia concepit, quò peperit, patiebatur, innotescit.

Ex ætate quidem naturalis impotentia deprehenditur, cum iam ille septuagesimum annum (nisi adhuc plus accedat) nactus fuerit, quibus propriè senium insistit, si diuino credimus Hippocrati, vt certè tenemur, in libro primo de dieta Hominis vitam quadruplici ætate distinguenti, quod senium illud est vitæ tempus, sub quo nerui omnes, arteriæ, venæ, instrumentorum omnium tunicæ aridæ, siccæque existunt, secundo de temperamentis, capite secundo, vt merito Aristoteles non semel in libello de senectute, hanc ætatem marcescenti stirpi assimilarit ob siccitatem, ob frigiditatem verò eam statuerit loco citato Galenus, in qua nulla fit vel exigua in ventriculo coctio, minima celebratur in iocinore sanguificatio, imbecilla redditur sanguinis partibus attractio, & nutritio, in qua sensus omnes, motus pariter, læsionem patiuntur manife- G stam, ac denique omnia male habent, ruuntque testes imprimis, & partes genitales, vt vnusquisque senum experitur, atque omnibus ita est in confesso, vt in adagium veluti transierit, nam si sanguis, & spiritus non pereunt, profecto languescunt ita, vt ibidem Galenus habet, vt seminis nec forma, nec materia esse possint idonea; Hac itaque senectute detentus propositus vir, impotens fuisse ad prolem huiusmodi est iure existimandus, & eo magis, quoniam in ipso recta victus ratio, alimenta scilicet boni succi, facilis coctionis, vinum meracum, animi quies, tranquillitas, & corporis, atque alia melioris vitæ commoda ætatis imbecillitatem numquam compensarũt, quod in senibus facultosis obseruatur (rarò tamen accidit) nam quod ætatis robur imbecillum, calor nimirum natiuus præstare non potest, cibus euchimus vel ab exiguo calore ex sui natura, atque conditione aptus natus vel facilè alterari, præstat, sanguinem scilicet & spiritum, tum pro indiuidui conseruatione, tum pro speciei perpetuitate, H quæ cum in viro proposito defecerint, tantum abest, vt potuerit filium procreare, & robustum, vti refertur, vt potius fuerit impossibile, ob ipsius vitæ sortem, rusticam videlicet, ob assiduos, eosdemque rusticos multiplices labores, ob paupertatem demum, quibus illa comedendo, quæ poterat exigui nutrimenti, si quæ maioris appetẽs non habebat, illud exercebat viuendi genus, quod vix ad sui sustentaculum sufficeret, non ad veneris, & erga filiam appetitum. Sed quod ipsum inter cœtera impotentem declarat, indissolubile est, ac certissimum argumentum eiusdem cum propria vxore alioquin fœcunda multis ab hinc annis concubitus continuus, absq; liberis tamen cum ipse prius potens prolem vtriusque sexus numerosam habuisset; propterea ab eodem propriæ filiæ partus prouenire minimè potuit, quà vir annum ferè septuagesimum primum attingens, qua idem infimæ conditionis, laboriosus inquam, & cõtinuò defessus, sed nõ continuò aptis cibo, somnoque restauratus, ex quibus omnibus ipsius impotentia naturalis, ni fallor apparet superabundè, quæ, per se sola fuisset sibi generationis

nerationis impedimento, vt etiam ob vxore comprobaui, etiamsi adhuc ab adscititia haud fuisset adiuta, idest à gonorrhæa, cuius cum immediata causa, vt sensit Galenus sexto de Sympto. causis vltimo, omnesq; Medici recipiunt, imbecillitas constituatur facultatis retentricis vasorum spermaticorum, maximè semini fœcundo contrariatur, idq; vel ex eo confirmari potest, quòd natura vasis genitalibus, vt videre ex Anatome est, tortuositates, & circumplexus peculiares indidit, vt sic maiori facta seminis retentione, maiori etiam elaboratione perficeretur, ex Gal. 14. de Vsu partium 10. potiori namque ratione agens vnumquodque sibi subiectum passum absoluit, quod longiores in ipsum agendo trahit inducias. Cœterum, cum retentricis facultatis imbecillæ multiplex esse possit causa, vel enim ob intemperiem vasorũ ipsa laborat, vel eorumdem malam compositionem, vel ob vitium seminis in quantitate, & qualitate tum occulta, tum per se nota in casu nostro hæc omnia ferè coire pro certo habeo. Et primo quidem facultatem lædi ob intemperiem frigidam, & humidam statuo ob ætatem, qua fit, vt vasa relaxata, nimisque aperta vltra naturæ leges compositionem patiantur, ex qua semen alioquin ex se frigidum, & crudum, ob cordis, & hepatis frigiditatem, ad fluxionem paratam vndequaque sibi viam adinueniat, quasi quod proprio descendat pondere, ac fluxibilitate transcurrat. De qualitate occulta illud sit satis, quod Vir Excellentissimus Flaminius Rota id in sua fide de gonorrhæa habet expressum, quod si Vir ille cum aliqua coiuisset, hanc infecisset.

Quæ omnia an valuerint seminis fœcunditatem obtundere, & coitum impedire ob colis pariter affectionem, vt ex eodem Excellentissimo Rota ibidem colligere est, nemo sanæ mentis in dubium, ne dicam negationem reuocabit. Et quod intẽperiem, frigiditatem scilicet, atque vasorum humiditatem, eorundemque amplitudinem atque seminis cruditatem, ex dictis ita conijcere licet, vt de illis nil interim mihi sit dicendum diffusius, nil enim, vt de se notum est, conceptioni contrarium magis quam frigiditas. Qua ratione autem vasorum reclusio generationi contrarietur, scire qui voluerit, 63. Aphor. 5. sectionis adeat, quo loci de semine secundum naturam ad conceptionem loquens Galenus in Commento, ait, eiaculatur verò semen vasorum seminalium intensione compressum, non spiritus occursu propulsum; Modo vbi vasa nimis laxa sunt, semen comprimere sufficienter ad eiaculationem recta in vterum nequeunt, sed potius eijdem sua sponte exeundi perbellè præbent occasionem, hinc generatio prohibetur, quemadmodum in nostro accidit patiente gonorrhęam, in qua nemine discrepante, partes genitales, vasa spermatica morbosa sunt, at ex Hippocrate in libello de genitura habetur, à partibus debilibus debile prodire semen, sicuti in libro de Sacro morbo, semen sanum à partibus bene valentibus, morbosum ab ægrotis proficisci, ergo à partibus genitalibus gonorrhæa laborantibus semen morbosum prodibit, quòd autem tale est infœcundum est.

Sed vt paucis omnia ad hanc rem spectantia vobis, iudices excellentissimi, comprehendam, sic incedo; Debet semen fœcundum, Galeno præceptore, ac duce, libro secundo de Semine his gaudere conditionibus, copia, crasitie, lentore, ac tandem albedine, & iure optimo; copiosum debet esse ratione sanguinis, at præsertim spiritus, vt totam vteri cauitatem oblinire valeat, & facultatem eiusdem conceptricem in operationem deducere, crassum, idest optimè concoctum, lentum, hoc est non ex se fluxile, sed quod vasorum tensione compressum eiaculetur, & demum albicans, albedo siquidem illa summæ testium in ipsum elaborationis existit indicium, quæ omnia an adfuerint, vel abfuerint res ipsa superius explicata vos edocet; copiam senectus denegabat, crassitiem cruditas impediebat, lentorem fluxibilitas à cruditate semini proueniens prohibebat, ac denique albedinem vasorum spermaticorum amplitudo, ac testium per consensum affectio similis interdicebat, sicuti ex dictis constat explicatius.

Hæc

E Hæc à priori sufficiant attulisse, quæ possint prædictum virum ac accusatione impraegnationis filiæ vindicare, quod si etiam à posteriori id ipsum confirmari velitis, à partu inquam, satis commodè possum; Masculum etenim huius viri filia peperit, ac robustum admodum, quæ duo seminis virilis robur, & prædominium supra fœmineum arguunt, vt passim à scriptoribus habetur, ab omnibus Medicis recipitur, ac Hippoc. habet, & Galenus hic in suis de Semine libris, ille in libello de Genitura; An verò semen, de quo sermo est habitus, fuerit, esseve potuerit huius census, vosmetipsi iudices æqua lance quæ à me scripta fuerunt librantes, decernere poteritis, Vt necessario sit concludendum, proprium parentem nulla ratione tantum sceleris commisisse, vt rem cum filia habuerit, quod si ipsa peperit, partumque masculum habuit, habuit certe alicuius alterius opera; Ex quo ille haud quamquam huius ignominiosæ mortis reus à vobis iudicibus iustissimis haberi, constituique potest.

F

Quòd virginitas, defloratio, deflorationisque tempus certis notis haberi nequeat.

EO quarundam fœminarum malitia deuenit interdum, vt quemadmodum iam defloratæ omnem curam exercent, quà Virgines appareant, sicque nondum expertum virum decipiant, ita quandoque omnes neruos intendant, vt adhuc vel Virgines existentes Virgineo flore destitutæ possint apparere, vel si re vera violatæ existant, mox violatæ censeri velint, cum tamen à defloratione maius longe spatium temporis, quàm referant, intercesserit. Et porro sicuti à sacro Medicinæ fonte, non religiosè forsan multa sibi parant ad ementiendum Virginitatem, ita & ad eandem ac suis limitibus minimè recedentem Medicis indicijs obscurandam, aliquo sibi G proposito fine, ijs circa muliebres partes vti possunt, quæ sæpissimè sunt in causa, vt vndequaque periti Medici, ne dicam imperitæ obstetrices, nullis, nisi nugis innixæ ea ratione decipiantur, vt & eas, quas non deberent, defloratas affirment, & eas, quæ deflorationem multis ab hinc mensibus (annis dici poterat) passæ fuerunt, hanc non subijsse, vel paulo ante subijsse deponant, atque hoc eo magis, quoniam malitiosis mulierum artibus natura ipsa fauere potest; Quæ omnia an ita se habeant, præterquam quod in dies probat euentus, ex nunc à me dicendis etiam vobis, excellentissimi iudices, innotescet.

Virginitatem, hoc est fœminæ abstinentiam à (congressu virili, eo inquam, quem conceptio subsequi potest, in quadã naturali labiorum vteri constrictione, ac symphisi consistere scribunt nonnulli, quod ex Galeno, meo iudicio, libello de Viuorum anatomia, capite de vtero, desumunt, asserente, in prima defloratione, collum matricis H dilatari; quam tamen dilatationem, si semel, ac pluries fœmina subierit, medicamentis adstringentibus emendari posse, nemo nisi facultatis Medicæ ignarus hæsitabit. Vlterius eandem virginitatem ex venarum congerie collo vteri inhærentium deprehendi posse sentiunt aliqui, quod pari ratione superius ex Galeno comprobant, habente in primo congressu præter dilatationem propositam, quasdam exiguas venulas os pudendi circumtexentes disrumpi, sicque sanguinem fluere, atque hoc illud erat adeò celebre apud Hebræos, & in Sacris Scripturis habetur, deflorationis argumentũ, sed mea sententia fallax adeò, nam ijs venis etiam apparentibus, adhuc esse potest culpata Virginitas, contingit.n.aliquando, vt hæ venæ in primo coitu non discindantur, sanguinemque non emittant, vbi scilicet earum cumulus fuerit exiguus, pudendum fœminæ amplum satis, & virile paruum; sed & ex membrana hymen dicta in partib. vteri, Virginitatẽ astrui posse autumant alij, quod tamen Virgioitatis indicium

haud

haud certum censeri debet: nã præter id, quod locum determinatum (vbi hæc membrana reperiatur) sicuti ex Anatomicis illustriores tradunt, in vtero sibi semper non adscribit, contingere quoq; potest, quod foramine ipsius amplo consistente, semini ex paruo veretro egredienti, non prohibeatur ingressus in vterum, satis aliquando os per amplum habentem, quemadmodum & exeunti menstruo datur, hinc Medicorũ, & obstetricum primum vel facilè in ea pronuncianda virgine, quæ alioquin deuirginata est periculum constat: Natura.n.& artibus deflorationem occultari posse, demonstraui. A

Quod autem & secundum pari ratione vel facilè incurrere valeant, vt eas inquam fœminas culpatas existiment, quæ inculpatæ reuera sunt (animi peruersitatem, vt puta ad arripiendam sibi ab aliquo dotem, excipiendo) certo certius apparebit, vbi primum signa omnia, quæ violationi attestari posse passim scribitur, nihil certi concludere declarauero. Profectò, colli vteri dilatatio, Venarum circumsitarum disruptio, sanguinis ab eisdem emanatio, primam deflorationem secundum aliquos Galenum secutos loco prius adnotato, concomitantur, & reuera, sed non ita, vt eadem subsequi ad falsam quandam, & apparentem violationem, vitreo, ligneo, vel ferreo aliquo instrumento formam quandoque penis sustinente, sibimet ab ipsis mulieribus inductam minimè possit. Adde quod mulier eius esse potest conditionis, vt & naturaliter os ceruicis vteri vastum habeat, & eousque dilatatum, vt membro virili sic redditum falsò videri queat. Et quod spectat ad venas, natura etiam fieri potest, vt illæ non adsistant, illarum namque haud est perpetua generatio, etenim facultas generatrix interdum luxurians, potius quam vtilitati, vsui, & fini alicui prospiciens, illas producit. Membranæ Hymen discissionem quidam deflorationis certissimum arbitrantur argumentum (cuius existentia quamuis in omnibus non obseruetur, & iure, siquidem vsus nullius est causa, sed potius, quantum ego existimo, ex necessitate materiæ ibidem fieri in vtero contingit) in ijs tamen, quibus inest, vel sponte disrumpi, vel adhuc digitis proprijs, vel copioso admodum, & acri menstruorum confluxu discindi potest, huc accedit, quod membrana huiusmodi ita secundum sui naturale foramen valet esse constituta, vt ipsa pro discissa forsitan habeatur: Atqui & vrinæ perturbationem, & crassitiem, violatam mulierem demonstrare autumat quidam, quemadmodum & sine sub strepitu acutissimo, ac spatij longitudine eiusdem vrinæ minctionem, At hæc, causas alias infinitas adscribere sibi posse quis Medicus negabit? Tandemq; iudices excellentissimi, omnia alia (si quæ sunt tantæ probabilitatis tentamina pro defloratione deprehendenda) easdem, vel similes patiuntur difficultates ex rei natura, & artificiosa fœminarum malitie petitas, quibus ipsa contingentia potius, quàm semper necessaria redduntur, ex quo fit, quod & Medici, & obstetrices fallantur non semel, in deponenda vobis mulierum vera deuirginatione. B C

Quam si certò assequi nequeunt, multo magis eis denegari quis non uidet certũ, ac præcisum uiolationis tempus? Nam qua obsecro ratione ipsis illud certo innotescet? Num forsan dicent recentem deflorationem ex partibus colli uteri, & pudendi ueluti laxis, atq; disruptis cognoscemus, progressam ex ijsdem ueluti induratis distinguemus, ac denique consumatam ex ipsismet ueluti callo obductis deprehendemus? Cum hæc ea sint, quæ aliundè, quàm à uirili membro prouenire possint, disruptio à digitis proprijs, seu alijs instrumentis ut dictum superius est, quibus consueuit, ut plurimum fœmina sibi furorem uterinum demulcere, laxatio ab illarum partium humida intemperie, uel ex menstruorum confluxione, durities à siccitate, & deniq; callus à cicatrice ibidem ulceris occasione nata. Vt ex his omnibus tutam uirginitatem, indubiam deflorationem, certum deflorationis tempus astruere tum Medicis, tum mulieribus obstetricibus nisi diuino spiritu suffultis fuerit denegatum; Quod uobis iudicibus excellentissimis, ac perillustribus ex occasione declarare mihi erat in animo. D

ADMO-

E

ADMODVM EXCELLENTI MEDICO Domino Ioan. Baptistæ Franchinio.

Iulius Cæsar Claudinus. Salutem.

RESPONSIO XLI. *In qua quædam pro Illustrissimo Comite Carpineo in consultatione proposita denuo perpenduntur.*

F

RATIONES quæ te (Vir admodum Excellens) ad credendum Illustrissimum Comitem Carpineum tum hypochondriaca melancholia, cum tensione, ac duritie viscerum naturalium, præcipue vtrinque existentium, tum destillatione in nucham, lumbos dorsi, ventriculum, ac venas detineri impulerunt, illæ eædem (vti tu ex voce, & coram nouisti) me in eandem traxerunt sententiam. Nam solitudinis amor, fixio, & pertinacia in imaginationibus, flatuum copia, imi ventris rugitus, ptyalismus assiduus, ac alia similia ad imum ventrem spectantia cum pauore & mæstitia, quæ flatulentam melancholiam attestantur, quemadmodum & morbi capitis prægressi, in somnum, & somni propensio, ac assiduitas per plures horas, pituitæ per aluum cũ egestionibus excretio, ptyalismus perennis (quem ex primo Prorrhet. 12. secundum Galenum vitio non modo ventriculi, sed etiam capitis fieri constat) motus catarrhales ad dorsum, & alias partes patienti Illustrissimo Comiti, & capitis à qualibet leui aeris ad calidum, frigidum, & humidum mutatione, alteratio, certissimum de vnica destillatione à capite in partes subiectas fidem faciunt, quorum malorum generatio procul dubio in caloris natiui penuriam referatur oportet, cui calori deficientem plura attestantur, & primum tum medicamentorum purgantium exiccantium, tum veneris pabulum calori subtrahentium vsus nimius. Secundo occursus frigoris, non modo in capite, sed etiam in ventriculo vti destillatio insipida, errata in victus ratione perpetrata, refrigerante, nempè potus nimis gelidæ, frequentes natationes, & huiusmodi alia docent. Tertio obstructiones viscerum in hypochondrijs existentium calorem natiuum strangulantes, & ex hypochondriorum tensione, ac duritie perceptæ. Postremo occursus caloris immoderati in hepate, qui ob obstructionibus auctus calorem natiuum valdè absumere potuit, & hoc tempore etiam potest.

G

H

Cum igitur calor natiuus sine dubio omnibus hisce modis fuerit imminutus, qui verò præternaturam, auctus, mirum alicui minimè videri debet, si Comes Illustrissimus in mala prædicta inciderit, & primum quidem in affectum melancholicum, quoniam phlogosi in venis hypochondriorum ex illo calore extraneo suborta, sanguinis exustioni, atque in caput & cor effumationi, proindèque affectui melancholico data est occasio. Ad quod non parum & curarum varietas, assiduitasque & iecoris feruor naturalis conduxit, cui affectui tensiones illæ, ac durities non modo ob obstructiones, verùm etiam ob materiam crassam, & lentam in parenchymate viscerum receptam, annectuntur. Pari quoque ratione primum ob calorem eundem imminutum, deindè capitis refrigerationem ortum destillationem illam habuisse, & nunc habere, indiesque (sicuti etiam tu Vir Doctissime sentis,) à fumis eleuatis ex visceribus naturalibus foueri, & augeri haud diffido quibus tamen omnibus capitis vitiata tum figura-

penes

penes latitudinem, tum compositio penes pororum apertionem (vt etiam si caput hoc A tempore refrigeratum sit à calore lædatur) fauet, nam vt apud omnes constat, caput nimis latum, & porosum, illicò, & facilè impletur, proindèque destillationum maximum adfert prouentum, & quamquam caput hoc à primo sui ortu calidum, siccum, & ob id caluum fuerit, nihilominus ob causas externas facilè ad frigidum & humidum potuit transmutari.

An verò mala hæc ita sese habeant, vt vnum fuerit causa alterius, an verò causam separatam habuerint, & nunc sibi inuicem, (vti etiam tu dubitas,) sint causa, perindè ac illa, quæ per circulum fiunt, ego censeo, vt etiam aliàs constitui, (si bene recordor,) primum natam fuisse destillationem, quæ nonnihil occasionis hypochondriaco affectui ob ventriculi mutationem à statu naturæ dedit, sed hoc tempore, vtrumque illorum malorum suam & hanc ipsam separatam causam habere vt ex dictis liquet non dubito, nihilominus vnum fouere aliud, minimè negabo. B

Quid sit agendum, pluries fuit sancitum. Certum est autem nunc oportere omnes neruos contendere, vt caput euacuetur, hypochondriorum obstructiones aperiantur, materiaque ibidem impacta emolliatur, discutiaturque, fluens retrahatur, tandemque calor natiuus reparetur, & membra in contrarium alterentur.

Ad quos scopos non nisi insigni difficultate ob multas, potissimum verò ob eam rationem quod mala sunt penè confirmata, & repugnantes habent indicationes, peruenire licebit, & quod magis, ac magis difficultatem auget, sunt tumores, illi, qui vtinam curationem impossibilem non reddant, sic tamen agendum, vt Illustrissimus Comes patronus charissimus quantum fieri potest subleuetur, ac à maioribus ruinis, & malis præseruetur, quod materijs remediorum tum hoc tempore, tum Autumno sequenti faciendis, & vsurpandis, assequi licebit.

Nunc igitur in serie chirurgicarum materierum nulla mihi videtur opportuna, C posthac verò, nimirum Autumno futuro, venas ani hyrudinibus aperire expediet, & vbi setaceum, quod in ceruice gestat, sanandum erit, cauteria in brachio sinistro & femore dextro excitanda, aut si excitata conseruanda erunt.

Pharmaca pariter quæ nunc administranda sunt illa eadem, de quibus ad Ceccolum Excellentissimum scripsi & quibus Illustrissimus Comes vt audio, vtitur, nimirum medicamentum illud ex excremento calybis, quod post euaporationem vini pluries calybeati in vase remanet, ammoniaco, & trociscis de eupatorio, oxymel illud ex arte paratum, fotus atque hypochondriorum illitio, in quorum vsu, vt per viginti dies pergat, opto, moxque ad capitis embrocam est deueniendum, cuius materiam nullam aliam probo, nisi illam, quæ à me in reditu è Sacratissima Lauretana Virgine proposita fuit. Paratur autem ex decocto betonicæ, camomel. aneth. Verben. cariophyll. salis communis, foliorum senæ, aluminis, rosarum rubearum. myr. oliuæ, gallarum, D nucum cupressi, & malicorij in aqua Lucensi parato. Quam embrocam per mensem semel autem in die, ieiuno ventriculo, vt tu nosti adhibendam esse puto, cuius modus administrationis indicatus est Comiti Fabio, qui instrumenta idonea pro ea conficienda curauit, secumq; illa portabit. Ego verò, vt ingenuè fatear, putarem prius antequam Illustrissimus Comes duciæ submittatur, conducturum, si mel. rosl. sol. de succis pro illo parato purgaretur, caputq; aliquo errhino placido euacuaretur, quibus peractis, vt ab omni medicamento abstineret, etiam, atque etiam optarem. Adueniante autem Autumno gratia illorum tumorum summoperè laudarem, vt chalybe fuso Magni Ducis Hetruriæ, vel substantia illius præparata cum Ammoniaco, & conserua boraginis exhiberetur, iusq; Galli iunioris cum china, ligno visci quercini, liquiritia, sandalis & passulis medicatum per modum apozematis daretur hypochondriaq; eodem tempore stillicidio primum ex oleis lenientibus, in progressu verò ex resoluen-

E resoluentibus subijceretur, à stillicidioque ceratum ex oleo seminum lini ad spissitudinem cocto, cum gummi ammoniaco, adiectis trociscis de eupatorio, & de capparibus superdaretur. De victu verò ferè nil habeo, quod tibi significem, cum sciam Illustrissimum Comitem exactissimam viuendi rationem seruare, solum de aluo lubricanda id in memoriam reuocabo, ut aliquando illa mea infusione rosarum cum succis parata ad unc. j. cum brodio ante mensam utatur. Tuæ autem erant partes uir doctissime, Illustrissimum Comitem oblata occasione consolari, animum illi addere, & hortari, ut aliquando horum malorum obliuiscatur, remediaque Medica assidua aufugiat, & bene speret, ne ex nimio usu medicamentorũ, ac animi angore mala in dies magis, ac magis ingrauescant, De mei uerò erga te animi propensione solita illud certò scias uelim te plurimum à me amari, quod te aliàs nouisse haud dubito, & officia mea, quæ coram obtuli, me hisce literis etiam denuò, & libenter polliceri, bene F uale, & me ama ut soles, Sexto Kalendas Iulij Bononiæ.

ILLVSTRI ATQVE ADMODVM EXCELLENTI Medico D. Augustino Pasculo Patrono charissimo.

Iulius Cæsar Claudinus. S. D.

RESPONSIONES XLII. *In qua de vitiata mictione cum suspicione lapidis vesicæ agitur.*

G

DVM superioribus diebus ex Sacratissima Lauretana ęde rediens te Cesenę alloquerer, tuam beneuolentiam, animique in me propensionem noui, quę cum ab Illustri D. Virgilino Virgillineo hic Bononię tuo nomine mihi adhuc significata, ac confirmata fuerit, non dubitaui tibi omnia mea officia litteris polliceri, quæ coram detulisse constat, id uerò eò libentius iam facio, ut scias in posterum te mea, uti opera liberè posse. Ipse uerò sic agam, vt semper (quantum per me fieri licebit) tibi morem geram.

De aduersa igitur Nobilis Mulieris ualetudine, quam mihi eruditè, & exactè litteris exarasti, ita sentio, tametsi urinæ illa excretio tum solito per noctem, ac diem frequentior, tum dolorifica, ac guttatim facta, qua egregia corripitur fęmina sit perpetuus lithiasis uesicæ comes, nihilominus unam esse potissimam rationem, nimirum H quod inter mingendum urina non supprimatur, quæ à lapide uesicæ animum meum abducit, scias uelim, cui & id accedit, quod in uesicæ lapide sicuti non est necesse, dolorem circa loca uesicæ perceptum ad regionem renum ascendere, ità necessariò pondus in imo uentris percipiatur oportet, ac partes illæ ob pruritum scalptu indigeant; imo mulieres ob breuem, & latum urinæ ductum rarissimè laborant, ut propterea ipse arbitrer, incommoda, quæ egregia mulier in reddenda urina persentit, non lapidis uesicæ, sed alterius causæ hoc tempore esse partus.

Quam quidem causam non in læsam aliquam facultatem, sed in purum errorem externum, nimirum urinæ acrimoniam refero, hac enim una partes ad uesicam attinentes, imo uerò, & renes, uasaque uretera abhinc per quinque menses uellicantur, abraduntur que, & proindè etiam dolent, renumq; dolori intemperies calida anno elapso occasione motus concitati, & intempestiui, necnon tertianæ febris subsecutæ concepta

concepta non parum fauet, quando duo sint potissimum obiecta tactus improportionata, intemperies nimirum, & soluta vnitas, quæ sensum deprauant. A

Ad hæc ab eadē acrimonia expultrix vesicæ stimulata retentricē eiusdem violando vrinam guttatim præcipuè quo tempore dolores vigent, expellit, quæ vitia circuitus quosdam habent, quoniā vrinæ acrimonia aliquando maior, aliquando minor existit.

Solet autem vrina acris vel propria natura, vel ob admixtionem materiæ similis euadere, nunc ob admixtionem pituitæ salsæ vrinam acrem, & mordentem factam fuisse multæ suadent rationes. Prima quoniam vrina albescit, mucumque viscidum deponit; prærerea, nobilis mulier in ætate inclinanti est constituta, agit enim tertium, & quadragesimum ætatis suæ annum sub qua ætate homines hoc malo immaniter ob vnam pituitam salsam tractari nullus est, qui neget; Ad hæc temperamentum illius à prædominio pituitosum est, vt his rationibus adductus ipse vrinam ob pituitam salsā immixtam putem morsum nancisci, pituitamque eandem in hepate feruidiori humiditatem serosam salsam gignente, & hanc ipsam pituitæ crassæ, & crudæ à ventriculo suppeditatæ permiscente localem habere generationem de se constat, feruori autem illi non modo subdominium bilis in tota temperamenti constitutione (vti refertur à viro doctissimo) sed etiam aliqua labes ex lue venerea à proprio viro per contagiū acquisita ante aliquot annos (est enim luces hæc excrementum putridum, & calidū) attestantur, imò & sitis illa, qua cruciatur insignis, aluusque adstricta ferè semper, vnius iecoris feruidi certissima solent esse indicia. B

Nec mirum quod in expellendis magna vi fæcibus dolor ad vesicam excitetur, augeatur quæ, quia vna cum Sphincteri musculo simul musculus colli vesicæ compatitur, materiaque acris à fundo vesicæ in musculum hunc magno impetu propellitur, qui cum aliquam vnitatis solutionem semper sustineat, mirum non est, si accedente noua materia vellicante, doleat, ac crucietur. C

Cœterum & huius mictionis vitiatæ causam coadiuuantem arenulas illas albicantes sua aspredine mordentes constituimus, quæ etiam si ex Hippocrate 4. Aphor. 79. supponant vesicæ lapidem, nihilominus præter id quod Galenus in Commento tradit, nimirum Aphorismum esse mancum, quoniam non tantum vesicæ lapidem, sed etiam renum; arenulæ demonstrare possunt existimo ego sententiam Hipp. non tanquam verā vniuersaliter accipiendam esse, quoniam sæpius arenulæ minguntur absq; lapidis præexistentia, vt arenulæ proponantur tanquam signa lapidis separabilia, quoniam tamen arenularum prouentus maximè ad lapidem disponit, ideo D. Senex ad hoc respiciens, vsus est arenulis ad denotandum lapidem, ita vt sententia illa in eo sensu sit vera, quod vbi in vesica, ac renibus est lapis, necessariò arenulę in vrinis minguntur, non tamen è contra. Verum etsi nunc lapidem abesse existimem, nihilominus valde suspicandum, ne breui (adsunt enim ferè, vt tu etiam vir doctissimè statuisti illius causæ) suboriatur, quod præcipuè accidet, si stillicidium vrinæ, ac huius frequentata excretio ob acredinem sublatam finietur, tunc enim retenta materia cruda, crassa, & in renibus, & in vesica, potissimum verò in renibus ob ætatem inclinantem secundum Galenū quæ expultricis renum languorem, & vasorum quandā augustiam à siccitate in ductam adferre solet, calculus facilè fieri potest, vtcumque autem sit D. O. M. faxit, ne in hanc incidat calamitatem, inquam vbi inciderit, præter alia, (vt tu scis) candela immissa in meatum vrinarium de eadem nobis fidem faciet. D

Nunc igitur tibi ib id incumbendum, vt vrinæ acrimonia demulceatur, arenulæ detergantur, pituita salsa à renibus retrahatur, euacueturque, & alteratis in contrariū visceribus generantibus illa, eorumque generationi famulantibus, omnis occasio illa generandi submoueatur, sic enim à lapide vesicæ (qui vtinam hoc tempore non adsit) nobilem fœminam præseruabis.

E Ad quos scopos an peruenire possis, nec ne non ita liquet, illud autem certissimum est, vitia hæc (vti etiam tu scribis) vbi altas, & potissimum in ætate declinanti radices iecerint, quod vix curantur, & eò magis si fœminas, vt quæ ratione temperaméti frigidi minus hisce malis sunt obnoxiæ, apprehendiderint, quinimò si luis illius aliquod in visceribus esset vestigium, de quo non leuis esse non potest suspicio, eò magis prouincia difficultatem habebit, accedit quod lythiasis renum, & vesicæ morbus ferè incurabilis imminet; Sperandum tamen mala præsentia imminui, ac futura præcaueri posse, si egregia mulier remedia admittet, quæ tu peritus in arte præscribes.

Ego verò de illis ita decerno, vt sanguis ex venis anni per hyrudines mittatur, cauterium in femore dextro secundum partem domesticam de more excitetur, partes supernæ assiduè fricentur, deligentur, ac ventosentur, vt aluus melle viol. sol. & manna, vel casia, & Diasebesten lenitiuo leniatur, humores decocto betonicæ, cicorij, sonchi, F borraginis, seminum melonum, radicum maluarum, & liquiritiæ cum syrupis proprijs coquantur, & attemperentur, Humoresque præparati trociscis de violis, sine scamonio, vel infuso agarici trociscati, adiecto Diapruno lenitiuo, & melle violato solutiuo educantur, sæpiusque, & aliquot internallis aluus Modico casiæ, cum Diasebesten, vel Diapruno lenitiuis irritetur, sic enim vrinæ ardor placabitur, aluus mollis seruabitur, & sitis demulcebitur. Mox euacuationi insensibili per decoctum Chinæ, & salsæ, cum santalis, liquiritia, fructibus Sebesten, passulis, equiseto, sem. Alchachengi, & coriandris præparatis plures dies assumptum studendum est, A quo iecur, & renes feruida in contrariam qualitatem per serum Capræ cum succo endiuię syluestris, vel per thermas Lucenses, quas magis probo suo tempore bibitas, ac per lauacrum totius de aqua dulci tepida paratum sunt alteranda.

Pro vrinæ attemperatione aquam stillatitiam fabarum viridium, & maluarum cum G iuleb violato aliquoties bibitam, serum capræ destillatum, in quo prius radices altheæ, ac trocisci de Alcachengi fuerint immacerati, lacque asinæ, pascuis accommodatis nutritæ, superaspersosque puluere sacchari, & trociscorum Alchachengi ad plures dies assumpta, sicuti, & balneum aquæ dulcis propositum, etiam atque etiam laudo, & his non conferentibus, modicum Philonij Romani, vel theriacæ recétioris offerre non vererer.

His conueniens viuendi ratio est adiungenda, vescatur igitur nobilis mulier bonis, & attemperantibus cibis, in quorum serie ptysana, succus farris, amygdalatum ex amygdalis recentibus, lac seminum melonum, & cucurbitæ cum tantillo aliquando seminis papaueris albi omnibus præferuntur, fercula ex cucurbita, melones, alijquè fructus horarij subdulces parcè, sicuti, & olera attemperantia, vti lactuca, endiuia, atriplex, spinachia, cicorium, potius cocta, quàm cruda concedantur, bibat vinum H album, tenue, oligophorum vel decocto chinæ, aut aqua fabarum viridium, & maluarum stillatitia dilutum, Aluum sibi lubricam non modo vsu casiæ iem dicto, sed etiam prunis Damascenis maturis, cum manna trita sub sole conditis, & ante pastum commansis, atq; clysteribus emollientibus seruabit. Hæc in gratiam salutis nobilis mulieris, vt tibi satisfacerem proposui, remanet vt me amare pergans, & Deo concedente bene valeas.

EXCELLENTISSIMO CAESARI Rosetto Medico Foroliuiensi præstantissimo.

RESPONSIO XLVIII. *In qua de natura, & recta cauterij administratione agitur.*

QVO tempore (mi Rosette amantissime) litteris te valdè cupidum meæ sententiæ de loco cauteriorum, quæ in præcauendis, & curandis morbis sunt adhibenda, esse mihi significasti, illo eodem tempore præ manibus meas responsiones, & Consultationes Medicas quo indicem super illas conficerem habebam, sicque curaui vt dilucida compendiosaque tractatio de cauterijs vna excuderetur, quod mira quidem cum voluptate assecutus fui, in illa igitur non tantū locum inurendi, sed etiam naturam eorundem cum indicantibus, coindicantibus, & prohibentibus proprijs, imò verò & alia præter locum, quæ ad rectum eorundem vsum faciunt obseruabis, faxit D. O. M. vt in re quam iamdiu priuatim in gratiam studiosorum tractaui, tibi, cui inseruire vehementer exopto satisfaciam.

B

In pertractandis igitur cauterijs primum naturam, ac facultatem eorum cum proprijs indicantibus, coindicantibus, & prohibentibus, deinde rectam illorum administrationem explicabo, nunquam enim aliquis rectum alicuius materiæ vsum nosset, nisi prius naturam, & vires illius cognoscat, verum vt rem comodius aggrediar ante omnia nomen cauterij distinguendum est.

C

Dico igitur ipsum pressius, & latius vsurpari, pressius quidem pro materia Medica ignea, & caustica, qua corporis humani pars aliqua vritur, quomodo Gal. 5. Simpl. 27. & 10. Simpl. cap. de sero lactis, cauterium sumpsit; latius autem nomen cauterij assumitur pro vlcere à materia caustica in aliqua corporis nostri parte, vti effectu à sua causa derelicto, de quo Gal. 5. Simpl. decimoquinto loquutus est, nunc igitur cauterij nomine vlcus in corpore excitatū designamus, & de hoc loquimur, tametsi, & materia caustica ab hac tractatione non sit excludenda, & quamquam cauterium hac ratione sit vlcus, & ob id morbus in soluta vnitate, nihilominus interim non vt morbus, sed tanquā materia medica iuuans, & quicquid hominem lædit euacuans consideratur.

Cœterum cum vlcera varia sint, nunc per vlcus paruum, rotundum, ac totā cutim peruadens, & ob id cauum circumscribimus cauterium ipsum, tanquam id, quod citra noxam aliquam diu apertum seruari, ac gestari potest, qua ratione tum vesicans, tum inustionem à præsenti tractatu reijcio, quæ tametsi cauteria in latiori significatu dici possint, nihilominus quia sunt vlcera plana, diu emanantia, minimè asseruari possunt. De cauterio igitur pressius pro vlcere nimirum cauo, quod ad longum tempus maximo cum fructu gestatur mihi est sermo.

D

Verum quoniam indicantia cum suis annexis nunquam aliquis pernoscet, nisi prius vires, & nisi prius cauterij naturam calleat, ad naturam cauterij deueniens, dico eam facile hac definitione patefieri posse, nimirum quod cauterium sit vlcus rotundū parua circumferentia circumscriptum, cauum, in extima corporis humani parte à materia medica ignea caustica excitatum, vt materia morbifica, præcipuè verò fluida, quæ sensim in corpore gignitur, colligiturque, sensim etiam euacuetur.

In hac igitur definitione gratia formæ dicitur vlcus rotundum, parua circumferētia circumscriptum, & cauum, vlcus quidem, quia vt noxium euacuetur, cutis vnitas, quæ alias impedit est scindenda. Vlcus autem hoc debet esse rotundum, tum ut

E æqualiter per ipsum materia euacuetur, tum vt diu apertum asseruetur, præterea parua circumferenta circumscribitur, quia sic citra noxam aliquam gestatur, verum tamen quoniam cauteria non tantum vt euacuent, sed etiam vt ad longum tempus id agant, caua esse debent, qua nimirum non modo cutim totam, imò verò & subiectam carnem aliquando peruadunt, ideò ad differentiam vesicantis, & inustionis, quæ sunt vlcera plana, cauterium vlcus cauum dicitur, de vesicanti quidem non est dubium, quoniam sub illo cuticula tantum in bullas extenditur, sicuti nec de inustione superficiaria, quæ aliquando adeo profundè adhibetur, vt carnem immò & ossa veluti peruadat. Est igitur cauterium vlcus, verum & ambustionem dici posse puto, vlcus quidem formaliter, ambustionem verò effectiuè.

Deinde in definitione prædicta gratia subiecti quod continui diuisionem patitur, & sustinet, additur in extima corporis humani parte, quæ nulla alia est, nisi cutis, & F summa quidem cum ratione quoniam cauteria non alia de causa fonticuli, & emissaria dicuntur, nisi quia assiduè aliquid perfundunt & emittunt; quod non accideret si in intimis essent partibus, præterea si cauteria aperta seruari debent, necessariò cuti sunt affigenda, hinc si in parte aliqua intima ferro, auro, & argento candenti cauteriũ inuratur, vti in ore, naribus, fistulisque potius inustio quam cauterium dici debet.

Verum duo hic non sunt subticenda, primum cutim sub cauterio non secundum superficiem tantum, sed secundũ se totam scindi & aperiri vt partes subiectæ aliquando etiam attingantur ad differentiam vesicantis, & vstionis, quę cutis superficiem tantum absumunt & attingunt. Alterum quod pars illa pro cauterio inurendo cutacea seligatur, quæ tuto, & commodè scindi, & aperiri potest, tuto quidem aperitur in ignobilibus partibus, commodè verò in ijs quarum causa motus artificiosi non impediunt, & quæ minus incommodæ sunt patienti qua ab eo commodè tractantur, sub-G indeque nullus percipitur dolor.

Dictum autem est in parte corporis humani, quoniam nobis de cauterijs gratia salutis hominis, non autem bestiarum, de quarum cauterijs in Medic. Veteriana agitur, est sermo.

Proponitur & causa efficiens cauterij, quando dicitur, à materia medica, ignea, caustica, hac enim tanquam instrumento pro excitandis cauterijs utitur Medicus, ubi per materiam medicam igneam intelligere quicquid habet facultatem calefaciendi tum actu, tum potestate debemus; Verum non quodcumque tale huc spectat, sed quod simul vrit, propterea additur à medica materia caustica, & cum vstionis duo sint gradus, unus perfectus, sub quo res combustibilis incineratur, ac perfecta ustio habetur, alter sub quo res vstibilis non incineratur, sed ad carbonem, qui aliquam humiditatem iniunctam habet permutatur, vnde vstio imperfecta, nunc de materia H deurenti penes secundum gradum est sermo, sub quo gradu non fit incineratio, atque cutis, tanquam ustilibis non ad carbonem, sed ad quid carboni simile nempè æscaram perducitur.

Verum ut quæ nam sit hæc materia intelligatur, nimirum quæ æscaram inducit paulo altius petere exordium, & dicere oportet, quod materia ignea caustica duplex est, nempe ignis actualis, & uirtualis, actualis per ea quæ actu ignita, & cãdentia exurunt, siue solida, siue liquida, siue mediæ sint consistentiæ adhibetur.

Solida & dura sumuntur à metallis, plantis, & animalibus, si à metallis, & patiens sit nobilis, locusque inurendus præstantia excellet, cum Auicenna argentum, & aurum ignita erunt materiæ accomodatę pro parandis cauterijs, etsi maiorem impressionem cum Albumasare optemus à ferro non erit recedendum; immò uerò & æs ad usum perduci poterit ex Aristotele in Problematibus, si summa siccatione opus habebimus.

Ex

Ex plantis sunt primum radices gentianæ, aristolochiæ rotundæ, Centaurij, & Asphodeli. Secundò bacilli buxei, querni, vitiginei ac laurei. Tertiò nuclei oliuæ, hæc enim alterò extremo ignita & veluti in carbonem accensum permutata vrunt, & cauterium excitant. Hippocrates in Libro de Affect. internis ad inurendum hæpar meminit fungorum, quorum Aurelianus in tractatu de hydrope, Paulus lib. 6. cap. 49. & Aetius lib. 7. cap. 89. meminere: quos quidem fungos nullos alios esse & ipse existimo quàm eos, ex quibus esca vlgo vocata, & qua ignis silice excussus accenditur.

Tandem ex animalibus est stercus caprinum, quo ignito Dioscor. & alij procauterio inurendo vsi sunt.

Quæ verò liquida idem præstant sunt aqua simplex actu calens aqua saponis aqua fortis, oleum, mel, butyrum, adeps, ac tandem sulphur, & plumbum igne calefacta, & liquata, quæ antequam partibus corporis affundantur requirunt vt loca vicina prius muniantur, quare locus comburendus circumscribi debet circulo ex argilla, vel farina aqua subacta, vel glutine parato ex mastiche, thure, sarcocolla, oui albo exceptis; nec existimandum hæc deurentia actu liquida fuisse nouum inuentum, quando Hipp. loco cit. fuxis buxeis in feruenti oleo intinctis magnum hepar inurerit.

Deurentia mediæ consistentiæ sunt veluti linum crudum, seu stuppa lini ignita, quod genus medicamenti alicubi proponit Hippocrates ad coxendicum, & podagricum dolorem, huius census est lana ignita, immo verò & tela aranea, quà stilo obuoluta, & igne accensa, pensiles verrucæ facilè euelluntur.

Ignis autem potentialis per medicamenta actu frigida, potestate verò calidissima, quæ à Latinis caustica, à Græcis æscarotcia nuncupata sunt adhibetur, quorum natura vt recte intelligatur scire oportet quod medicamenta calefacientia atque ignea duplicem constituunt seriem, quoniam alia citra partium nostri corporis corruptionem, alia verò cum illarum corruptione agunt, priora calfaciunt, attrahunt, & dissipant, quæ attrahunt communiter picationes, & dropaces, quæ dissipant discutientia, ac Synapismi, seu rubificantia vocantur, posteriora omnia Deurentia sunt, & quadruplicem formant classem; in prima sunt inflammātia, quæ quoniam non tantum ruborem sed etiam ampullas in cuti excitant vesicantia dicuntur, hæc enim cutim, ac superficiem tantum corporis vrunt, ex alto tamen succum acrem, qui cuticulam in bullas extendit trahunt, propterea calida tum in tertio gradu, tum paulo vltra ac tenuioris substantiæ existunt, de acredine autem succi attracti est difficultas an sit acquisita, an naturalis humori, ego puto partim acquisitam esse à medicamento applicito, partim naturalem, ita vt medicamentum igneum attrahens necessariò attrahat humorem acrē non solum quia illi est similis, sed etiam quia hic ob sui tenuitatem, qua semper pollet facilius trahitur. Huius igitur ordinis sunt ex plantis ramunculus, flamula Iouis, tapsia, iberis, tilimalus, alium, synapi, & scilla: ex animalibus stercus columbarum syluestrium, & caprarum, ventres cantaridum: Ex mineralibus calx viua, sed cum hac distinctione vt quæ vehementiora modestè, & cum imbecillium corrigentiumque mixtione vsurpentur, aliàs non vesicantia, sed exurentia crustifica euaderent, posset igitur describi vesicans hunc in modum.

℞. *Cantaridum præparatur. drag. vj.*
fermenti acris onc. ʃ.
synapi drag. ij.
caricarum numero iiij.
sem. ameos drag. i.

E

M. & cum aceto scyllino fiat past.: In cuius medicamenti compositione basis sunt Cantarides, adiuuans sunt semina Synapi, acetum scyllinum, & aliquo modo fermemtum sua acredine, corrigens acredinem & morsum sunt tum fermentum, tum caricæ, ratione emplasticitatis, ac corrigens proprietatem substantiæ, quam aduersus vesicam Cantarides habent, sunt semina ammeos.

In secunda classe sunt septica, non quæcumquæ sed tantum illa ueris septicis imbecilliora, quæ à Galeno quinto simpl. 15. Catheretica, hoc est detractoria, deradentiaque, seu abradentia uocantur, hæc enim calidiora, & maiori ui urendi, ac exulcerandi uesicantibus prædita sunt; non tamen cum partium crassitie, ut aliqui credunt, sed tenuitate potius quoniam quæ cutem, & alia corpora solidiora, uti carnem putrem detrahunt, uim suam altius proferre debent, quam quæ cutim corrumpunt, ut propterea tenuis substantiæ sint oportet; in hoc ordine ex Galeno est flos petrę Asiæ, nos verò seligimus ex plantis, asphodeli, ueratri, & gentianæ radices, ac hermodactilum, ex metalis alumen vstum, saquammam, ac æruginem æris, æs vstum, cinerem antimonij, præcipitatum ex hydrargirio, quæ omnia vt citius in actum perducantur in puluerem subtilissimum sunt redigenda, qua ratione etiam minus molesta sunt. Verum nisi aliquod obest in hac serie composita magis laudo, vti vnguentum Apostolicum Damascenum, & Aegyptiacum, aquam stillatitiam ex nitro, alumine, & calcanto, oleum calcanti, ac sulphuris cum succo plantaginis, & aqua rof. castigatum, trociscos apud Galenum Andronis Poliydæ, Musæ, & Passionis.

G Ad tertiam classẽ spectant vera septica paulo calidiora cathericis, & ob id deurentia, sed parum vehementer cum partium tenuitate maiori ob altiorem penetrationem ac morsum, doloremque exiguum, aut nullum inducentia, quæ à Latinis putrefacientia dicuntur, sed satis impropriè, quia putrefactio propriè fit à calido & humido, hancque fætor consequitur, at septica de quibus agitur sunt calida, & sicca, ac tenuis substantiæ, vnde tum carnes, & alias partes colliquando, tum natiuum calorem corrumpendo partes ipsas instar carnis putrescentis, & cadauerosæ laxæ inquam humidissimæ & decolores nullo illato dolore, nulla quæ crusta excitata relinquuntur, & hæc omnia agunt non tantum calore exurente, sed etiam qualitate deleteria naturæ humanæ inimica. Sunt igitur ex metalis arseuicum, crysocolla, Sandaraca Græcorum & risagal, ex plantis aconitum, dryopteris, ptyocampe. Sed rarò & ferè nunquam his simplicibus vtimur, inter composita autem mihi duo probantur, primum

H Recipit Arsenici crystalini, vel citrini, salis niri añ. libram j. terantur misceanturq; & mixta imponantur in bocia vitrea contra bociam, nimis stipatis, quæ superius habeat foramen in suo summo, deinde igni lento tandiu apponatur quousque omnis humor sit egressus; quod gladij superficie cognoscetur, tunc apertis vasis accipiatur illius mixturæ quod candidum ad lib. j. tantundem salis armoniaci, & triturentur, sublimentur toties, donec in fondo vasis solum relinquantur arsenicum quod repositum in vase vitreo locetur in loco humido vbi in oleum permutabitur; Alterum medicamentum quod ad idem conducit, ac carnem etiam cancerosam duram aufert.

℞. Arsenici crystallini citrini añ. *drag. ſ.*
Risagalli drag. iij.
æruginis æris drag. ij.

Opij

A

opij scrup. ij.
axungiæ purcinæ q. s.

M. & f. vnguentum.

Tandem medicamenta quartæ classis calidissima sunt, nam non tantum quartum gradum sed etiam vltimam mansionem illius attingunt, præterea sunt crassæ, & adstringentis substantiæ hinc vehementer vrunt carnes, ac alias partes, & proinde crustam vt ignis quam Græci æscaram vocant relinquunt, nam consumpto humore, partibusque terreis relictis, pars vsta induratur, & quasi in carbonem vt in lignis combustis conuertitur; Præterea quoniam terreæ & crassæ substantiæ sunt, non penetrant, hinc ob difficilem penetrationem, ac insignem & pertinacem calorem, maximum & fixum excitant dolorem, ac si loco infixa esset stipes, vt non sit mirum si excellenter vrentia ac caustica, Græce verò æscarotica ob æscaram inductã vocentur. B

Cuius census sunt metallica quædam simplciia, nimirũ mysi, calcitis, calcanthum, calx viua, & fex vini vsta; sunt & composita, inter quæ vsitatum & tutum paratur sic, accipiuntur partes duæ cineris, & vna calcis viuæ, superaffunditur aqua, deinde facta maceratione permittitur vt aqua stillet, cuius vsus est ad conficiendum saponem hinc aqua saponis & capitellum dicitur: huius igitur aquæ primum stillantis s. q. coquatur ad ignem lentum quousque condensetur, continuò eam baculo agitando, eique inspissatæ addatur parum butyri, deinde permittatur refrigerari, ac densari, post in vase nitreo bene obturato, ne liquescat reponantur pro cauterijs conficiendis; Aliqui vtuntur aqua forti, ol. sulphuris, vel calcantis, cum stylo, aliqui capitello addunt modicum olei calcanthini, aliqui parant sic medicamentum. ℞. aquæ saponis lib. s. orizæ, tritici decorticati añ drag. s. macerentur in vase vitreo obturato quousque grana illa disrumpantur & substantia mucosa exeat, quæ singula die est agitanda, deinde vas diligenter obturandum ac medicamentum seruandum pro vsu dicto vbi per aqua saponis vel vulgarem superius propositam, vel eam quæ ex sale petræ, alumine & calcitide destillatis paratur intelligere possumus. C

Verum ad seriem æscaroticarum tum catheretica calidiora, ac quartum gradum caliditatis attigentia, vel etiam mitiora; tum septica pariter incinerata referre possumus; Vtcumque autem sit æscatorica medicamenta sunt materia medica caustica, quæ in definitione cauterij tamquam causa illius effectus proponitur.

Tandem in eadem definitione causa finalis exprimitur, cum dicitur vt materia morbifica, & quæ sequuntur; nec mirum alicui videatur cauterij quod est vlcus & proinde morbus ac præter naturam affectus assignari causam finalem quoniam nunc, vsurpatur vt materia medica iuuans, non vt morbus. D

Cœterum cũ materia hæc morbifica quæ per cauteriũ euacuatur possit esse vapor vel minera; vtramque intelligo, sed præcipuè mineram fluidam, quod autem per cauterium vapor excernatur omnes fatentur, & experientia docet mala ex uaporibus orta sæpe cauterijs compesci, & emendari, quod manifestissimè in morbis ex uapore à iecore & utero ortis obseruare licet, nam inusto cauterio in femoribus uapor, ascendens ad caput retrahitur, sicuti inusto cauterio in syncipite, uapor qui iam caput occupauit resoluitur, sicque ægri maximum leuamem persentiunt, & sæpe curantur ac præseruantur; affirmandum tamen materiam humoralem & liquidam, præcipuè imo uerò semper euacuari quod euidentia ipsa apertissimè demonstrat.

 Cœte-

E Cœterum cum materia hæc humoralis sit morbifica, & in corpore generetur colligaturque, necessariò alicuius coctionis erit excrementum, non ergo alimentum nisi sanguis aliquando prodeat. Cuius igitur coctionis sit decernere non erit difficile, si prius illud fuerit constitutum, nempè per cauteria præcipuè ac ferè semper ichores tanquā tenuiores & ob id fluxiliores, raro uerò humores excrementitios excerni, cum igitur ichores sint excrementa tenuia tertiæ coctionis, ideo quod maximè ac ferè assiduè per cauteria exit excrementum tenue tertiæ coctionis erit, tametsi excrementum hoc tenue primæ & secundæ conctionis constitui quoque possit excrementum, ea nimirum ratione, qua ab his præcedentibus coctionibus originatur, vt harum duarum coctionum secundum originem, tertiæ verò secundum perfectionem excrementum tenue dici possit, vel priorum duarum materialiter, tertiæ formaliter.

Nec obstat ichores esse excrementum secundum naturam, quia hoc simpliciter pro F latum est falsissimum, nam si per ichores serum intelligamus, proculdubio sunt secundum naturam, si verò ichores considerentur, prout à sero distinguntur, semper sunt præter naturam, generantur enim à calore extraneo agente in portionem sanguinis tenuiorem, & crudiorem, & dato etiam quod ichores essent secundum naturam simpliciter, nihilominus quia à causa aliqua morbifica aliquando ita in propria substantia copia, qualitate, motu & quiete afficiuntur vt limites naturæ egrediantur, propterea hac ratione corpus humanum lædere possunt hinc euacuatione auferri debent, quæ commode, & maiori cum fructu per cauteria fit, quod ea conuincitur ratione, quoniam natura vbi rectè operatur, suos impetus ad cutim & alias partes imbecillas expurgationi excrementorum destinatas facit, hinc Hipp. 6. Aph. 25. Si Erisipelas ab intra ad extra erumpat, dicebat bonum esse nam partium corporis humani natura non sine maximo ministerio alias robustas, vti principales & his immediate inseruien-G tes, alias verò imbecillas efformauit, non alia de causa, nisi vt robustæ à colluuie excrementorum sese exoberantes illas propellerent ad imbecillas inter quas teste Galen. lib. de Dfi. Sympt. & de Causis Morb. 6. est. cutis quæ excrementa tutius suscipit, atque ea à natura euacuari sensibiliter vel insensibiliter permittit, sicque partes principales bene temperatæ ac symetræ seruantur, & pro inde sanitas conseruatur, ac morbus præcauetur, quod tamen accidit si excrementa non excesserint modum naturæ, alias cutis, & aliæ partes excrementa suscipientes si non suffecerint ad illorum expurgationem iam sanitas minimè conseruari, morbusque nec curari nec præcaueri poterit, quo in casu Medici auxilio opus est, quare tunc ad naturæ imitationem, Medicus illius minister excrementa superflua ad cutim deducet, atque excitato vlcere euacuabit, sic enim membris principalibus ac hisce inseruientibus & ministrantibus ab omni excremento expiatis sanitas conseruabitur, morbus submouebitur, & præ-H seruabitur, ad quem modum Gal. lib. de Theriaca ac Pisonem cap. 16. & 5. loc. 9. ad canis rabidi venenum & ad dolorem dentium ex fluxione vlcera laudabit, pariter 6. loc. cap. 1. ex sententia Archigenis Galenus. in distensione ventriculi à flatibus iussit spongias aceto acerimo imbutas brachijs & pedibus apponi, quousque fiant phlictenæ, & primo libro de Humoribus (vti etiam passim Rabbi Moyses in suis Aphorismis perhibet) si humor ad caput & ventrem mouetur dicit Gal. pedibus & manibus medicinæ mordentes applicentur. Oribas. quoq; sexto Collect. capite decimonono inter reuellentia venenū, ac prauos humores à partibus nobilioribus ꝓponit medicamēta acria artubus apposita. Præterea scriptores Medici qui plusquā ducentis annis ante nos vixerunt, cauterij vesicantibus vsi sunt, vti licet videre apud Iacobum de partibus in suis Commentarijs ad Auicennā, qui in febribus pestilētibus summis laudibus vesicantia extollit; sed quid plura? nonne ipse Hipp. Dioscorides, Aurelianus, Paulus & Aetius vt supra dictū est, cauterijs vsi fuerunt, & in hunc finem vt materia morbifica

in corpore existens euacuetur, quam quidem materiam esse excrementum ex dictis satis liquet, & excrementum tum vaporem, tum mineram esse, ac mineram ferè semper, præcipueque esse ichorem; non negandum tamen aliquando cum ichoribus humores excrementitios imo & ipsummet sanguinem, succumque alimentalem prodire. A

Dicitur verò quod hæc materia quæ per cauteria educitur generatur, & colligitur, quoniam sicuti dantur membra generantia excrementa, ita tebrefacta sunt, alia à natura expurgationi illorum excrementorum destinata, quæ nisi suo fungatur munere, excrementa illa colliguntur in corpore, ac proinde mala plura sæpius corpori humano suboriuntur, quæ vt Medicus amoueat, præcaueatque affigit cauteria, vt per hęc excrementa tum genita, tum collecta à corpore educantur e.g. si renes non exactè serum attraxerint ob sui imbecillitatem, necessario serum præternaturam in corpore colligitur, quod nisi cauterio aliquo euacuetur, hydropi spurio, ac alijs malis occasio dabitur.

B

Additur quod excrementa per cauteria sensim euacuantur, ad differentiam inustionis, quæ subito fit in cancro, sphacelo, gangrena, & alijs affectibus in parte aliqua contractis; vt mala hæc absumantur, dissipentur, anihilenturque, & quod nocet subito auferatur nec contactu inficiat, & ego noui nobilem quandam mulierem quæ diu à dolore contumaci in crure sinistro supra talum secundum partem domesticam, vexata fuit, & terna inustione adhibita restituta fuit, cum tamen antea omnia alia remedia sine fructu vsurpata fuerint. Præterea vir, cui digitus medius manus dextræ secundum apicem correptus tuberculo quodam, ac tumore paruo est, tumorque in abscessum mutatus, abscessusque disruptus in vlcus cachoete migrauit, vnquam potuit sanari nisi igne adhibito; ad hæc dicitur materiam sensim per cauteria euacuari ad differentiam vstionis pariter quæ in steomoma melicetide, atheromateque adhibetur vt folliculus subito adsumatur.

C

Atqui circa hanc definitionem duo occurrunt, quæ explicatione opus habent, primum quid Paulus libro quarto capite septimo intellexerit per cauterium frigidum, causa dubitandi ex eo pendet quod cauterium effectiuè sit ambustio; Alterum est, an sectione, & non vstione tantum excitari possit cauterium; De primo statuo per cauterium frigidum intellexisse Paulum, cauterium igne potentiali factum, qui quoniam frigidus est actu, propterea cauterium ab eo factum frigidum vocauit; Et si quis obijceret quod libro sexto cap. 58. & 87. cauterium frigidum tanquam à ranunculo diuersum (qui ranunculus est in serie causticorum potentialium, & quæ frigida sunt actu (proponit) dico quod aliud genus cauterij frigidi proponit quod fit nempe ferro non admodum candenti; quod etiam nouit in libello de visu, ac hemorroidibus Hippocrates, vel dicere possumus per cauterium frigidum Paulum intellexisse illud quod materiam excrementitiam calidam euacuat, hoc enim per accidens, educta nimirum materia calida refrigerat. D

De secundo propositorum ita sentio cauterium posse quidem incisione fieri, sed cum maiori periculo, nam sectio sanguinis profusionem, longioremque doloris sensum adferre solet, ac cauterium ab illa inductum vix diu apertum asseruari potest, contra verò si fiat vstione, sanguinis fluxus potius cohibetur, sensus doloris vix durat, vlcusque diu seruatur apertum, ad quod respiciens Celsus dicebat quod igne diuulsum est minus celeriter coit; cui & id accedit quod ab inustione vlcus orbiculare excitatur, quod sua natura vix sanatur.

Dum igitur iam pateat vnicuique cauterij natura & facultas, non erit difficilè indicantia cauterium assignare, ac coindicantia, & prohibentia inuenire; Quantum igitur ad indicantia attinet dico, quod cum cauterij, vti materiæ medicæ iuuantis finis proximus sit materiam corpus humanum lædentē, vel quæ lædere potest euacuare,

E procul dubio cauterium erit materia remedij euacuatorij, ergo necessario indicatur, ab eodem à quo remedium euacuatorium; Sed remedium indicatur à materia morbifica corpus lædente, ergo & cauterium, illud enim tantum est discriminis, quod materia illa morbifica & lædens corpus simpliciter considerata indicat remedium euacuatorium, at qua eadem materia morbifica sensim, & iugiter euacuari debet, quoniam pariter paulatim, ac assiduè generatur, ac colligitur, aliaque materia medica media non potest modo dicto euacuari, iam cauterium indicat, cuius causa cauterium erit materia remedij præseruatorij quoniam ad causam morbificam refertur, non autem curatorij, & vitalis, nisi per accidens, & ratione finis remoti, per accidens quidem, & secundaria ratione; Qua educta materia morbifica morbus qui fouebatur ab illa tollitur, ac vires non amplius ab eadem materia vexatæ in dies fortiores euadunt: ratione verò finis remoti, qui est proximus Methodi medendi, quoniam talis finis est sanitatis reparatio, seu morbi sublatio quæ vires quoque robustas F supponit, & in gratiam unius reparationis sanitatis in eadem Methodo omnia, & proinde iam ablationem molitur medicus.

Cœterum quoniam remedium euacuatorium est nimis genericum, oportet hoc ipsum coarctare; dico igitur quod cum remedium hoc euacuatorium ad cutim (vt de se patet) referatur, & cutis sui continuitate impediat euacuationem, iam hoc remedium euacuatorium erit aperiens, seu cutim scindens, cuius materia erit maximè ignis, quia discisa per ignem cutis, talis diu seruatur, & proinde perennem emanationem adfert, vt etiam supra constitui.

Verum quoniam materia quæ per cutim discisam sensibiliter euacuatur est cuiusque generis, præcipuè tamen morbifica, & excrementitia tenuis, vel crassa, crassaq; in sordes, & pilos abit, iam quæ cauterium indicat erit tenuis, ac ichorosa, & vaporosa, est autem morbifica, quia lædit corpus, vel lædere potest, tum quoniam G à natura nec ab arte expellitur, sed retinetur, & retenta lædit primum substantia ratione putredinis, secundo copia, tertio qualitate tum manifesta, prima, & secunda, tum occulta & venenata, quarto motu & quiete: materia igitur excrementitia lædens corpus hiscemodis, quoniam aliquando nec natura, nec ab arte expurgatur, necessario indicat remedium aliquod, quod eam expurget sensim, & assiduè, per cutim; cuius remedij materia aptior, & accommodatior cauterio non potest excogitari, nam per ipsum, veluti per emissarium iugiter, & paulatim fit excrementi expurgatio vt supra dixi. Cęterum materiæ excrementitiæ in corpore existentis duplex est modus, nam vel est impacta, vel fluxilis, illa medicamentum discutiens, & non cauterium indicat, igitur fluxilis, & quæ in spacijs inanibus, vel in capillaribus venis, quæ spatijs illis sunt propinquæ atque materiam excrementitiam in spatia illa H euomunt existit, cauterio euacuatur.

Ex quibus ni fallor duo facile innotescunt, vnum corpora illa maxime opus habere cauterijs, quæ materia excrementitia fluxili redundant, ea tamen ratione, vt materia hæc nec per poros cutis insensibiliter, nec per instrumenta destinata expurgationi illius sensibiliter, sufficienter expurgari possit, abundant autem hac materia excrementitia corpora, vel quia vitio capitis, ventriculi, iecoris, ac partium ipsarum viuẽtium, ac facultate nutritiua refertarum generatur, vel quia vitio viarum & instrumẽtorum, ac receptaculorum materiæ excrementitiæ, eadem materia non euacuatur, sed colligitur, ac retinetur, vitium autem membrorum generantium ad imbecillitatem intemperiemque natiuam, vel adscititiam, sed inemendabilem pertinet, quod præcipuè his qui intemperanter viuunt, vel morbo aliquo hæreditario torqueri solent accidit; at vitium membrorum colligentium non modò ad imbecillitatem, ac intemperiem, sed ad quodlibet ferè aliud morbi genus referri potest, in corporibus igitur hisce

male

male affectis cauteria inurere oportet ne materia peccans aliquod viscus præcipuum A adeat, ac ibi grauissimum malum, imo verò & mortem ipsam tandem inducat, an verò in hisce corporibus cauteria partibus sanis, vel ægris sint infigenda, non est difficile intelligere ei (quamquam hoc infra exactius declarabitur) qui nouerit materiam excrementitiam hanc lædere corpus humanum secundum substantiam, copiam, qualitatem, motum, & quietem vt supra constitutum fuit, nam quatenus lædit copia, & motu, vt copia euacuetur, & motus corrigatur parti sanæ, quatenus copia, & quiete parti ægræ affigere cauterium licet.

Alterum quod innotescit est cauterium tantum in morbis materialibus & ex materia ortis conuenire, atque ab his morbis indicari mediatè, quando immediatè à materia morbifica vt dictum est indicetur.

Atque quæret aliquis an cauterium tantũ morbis ex materia ortis, an morbis etiam in nudo intemperie, imo verò & in mala compositione, atque soluta vnitate, symptomatibusque ipsis adaptetur. Cui quæsito per id responsum iri puto cauterium de- B quo interim a nobis agitur vt scilicet à vesicanti, inustioneque contra distinguitur, vt fonticulus, seu emissarium dicitur, vlcereque paruo, rotundo, & cauo circumscribitur, sine dubio conuenire morbis in intemperie cum, & sine materia, cum materia quidem ad euacuandum, sine materia calefaciendi, & siccandi gratia in morbis frigidis & humidis, conuenit etiam in alijs morbis, tum ad malam compositionem tum ad solutam vnitatem spectantibus, imo verò ad symptomata omnia, non tantum quatenus fouentur à materia excrementitia fluente ad locum affectum, verum etiam à materia fluxa, aut etiam congesta sed fluxili, & non impacta conseruantur, nam quæ impacta est indicat quidem cauterium, sed diuersum à nostro nimirum vesiccans, & inustionem, quæ diu non possunt seruari aperta, vel si indicat cauterium de quo agitur hoc apertum non asseruatur, sed adhibetur tantum vt sectio pro euacuatione mate- C riæ coniunctæ, iocundius quo fieri potest procedat, hinc in tumoribus præter naturam vbi sunt aperiendi post suppurationem prius adhibetur causticum, deinde ferrum secans, vt materia saniosa exeat citra insignem dolorem, si aliqua pars etiam magnitudine vltra naturæ leges excedat ferrum candens adhibetur, quo pęne modo carnem superscrescentem in vlceribus inustione absumimus, & ad hunc pęne modum vlcera nimis madida exicamus, pariter in doloribus ad causam absumendam, malam qualitatem delendam, & sensum tollendum, sicuti & in hæmorargia ad sistendum sanguinis impetum occluso orificio per crustam inductam vtimur ipsis vesicantibus, & inustione quamquam etiam sciam aliquos in doloribus vehementibus fonticulum in parte dolente excitasse, diuque illum apertum asseruasse, & cum felici successu, nimirum expurgata quoque portione materiæ impactæ, cum tamen materia impacta ferè semper, & tutius medicamentis discutientibus tollatur.

D Coindicantia cauterium sunt virtus cutis ætas, & habitus corporis virtus quidem cutis, ratione imbecillitatis natiuæ ob quam illa ad suscipienda corporis excrementa statim in primo sui ortu apta facta est, ideo quæcumque per eam excrementa euacuant ab illa coindicatur præcipuè verò cauterium, quoniam per hoc continuitas cutis remouetur quæ euacuationem impedit, ideo virtus cutis ratione imbecillitatis, ac continuitatis cauteria permittit, & coindicat.

Aetas florens pariter coindicat quoniam hæc iugem, & assiduam euacuationem perferre potest, nam quantum ad pueros quoniam facilè ob ætatem difflantur non ita cauteria, & quæcumque euacuantia admittunt, immo, & senes ob caloris imbecillitatem non sunt ita ad cauteria idonei, nam semper aliquid boni cum malo succo per cauterium à corpore educitur quod, & de alijs euacuantibus affirmare licet.

Quo

E Quo ad habitum quicunque carnosi, & graciles, sed à natura musculosi, & succis prauis referti cauteria coindicant, & inter alios qui habitu melancholico sunt, nam hi sanguinem valde ichorroidem ex Hippocrate habent, qui quidem sanguis cauterijs perbelle, & facilè ab ichoribus expurgatur.

Prohibent cauteria materia in toto existens, & corporis habitus, nisi igitur materia illa minuatur si non medicinalibus, & chirurgicis materijs, saltem victu tenui cauterium non est infigendum, aliàs à calore, vel dolore ex igne inductis, materia ad locum cauterio obductum trahi posset, & proinde inflammationem, vel alium affectum inducere, pari quoque ratione habitus corporis gracilis, & emaciatus vltra solitum cauteria prohibet, verum macies duplex, altera ex defectu alimenti, altera ex inquinamento eiusdem alimenti ob materiæ vitiosæ mixtionem, prior omnino prohibet cauteria, quæ si occasione destillationis, vel alicuius alterius videantur ex vsu, diu F aperta non seruanda, nec plura numero excitanda sunt, altera verò macies, vt de se constat cauteria nullo modo prohibet, sed coindicat tamquam illa, quæ causæ maciei prospiciunt; de habitu verò gracili à primo semine contracto, & naturali cum totius colore albo venis exiguis illud certum est quod cautè admodum cum cauterijs est tractandus, etiam præsente indicante, at si habitus hic fuerit in subiecto quod venas latas, & nigricantes habet tunc audacter Medicus ad cauteria ascendere poterit.

Causa verò ob quam corporis gracilitas canteria prohibet ex parte, nec spirituum, nec solidorum, sed succorum alimentalium, & pabuli caloris innati est petenda, quoniam quantumuis materia excrementitia euacuetur, necesse est ex Galen. vt aliquid boni semper educatur, hinc maciei maior datur occasio.

Ex definitione proposita, ac explicata facilè est intelligere differẽtias cauteriorum, G primum igitur causæ formalis, quæ est vlcus habita ratione dico generatim loquendo cauterium posse esse vel planum, vel cauum, planum fit à materia vesicante, vel actu adurente, hinc vesicans est vstio, quæ à nostro tractatu secluduntur, si cauum est cauterium de quo agitur, & est cum vno foramine, quod simplex cauterium dicitur, vel cum duplici, & hoc setaceum vocatur à funiculo per cutim duplicatam perforatam traiecto, qui ex setis olim parabitur, cum ex serico paretur nunc.

Differt autem cauterium simplex à setaceo, quia illud à materia adurente non tantum actu, sed potentia quoque excitatur, hoc verò solum à materia actu vrentente, præterea cauterium simplex in pluribus locis, at setaceum in paucis ob prohibens fit vt videbimos suo loco, differunt verò cauterium, & setaceum ab inustione, & vesicanti, non solum quia hæc sunt vlcera plana, sed etiam quoniam fiunt in locis longe pluribus.

H At si ad subiectum cauteriorum respiciatur, cum cauterium quodlibet in cuti partis minus incommodæ, & quæ tuto, ac commodæ illi subijci potest excitetur, excitatumque diu conseruetur proculdubio cauterium ex subiecto variatur penes varietatem partis, cui infigitur; cum igitur pars cauterio subijcienda sit sua natura ignobilis, & cuius causa motus artificiosi non impediuntur, vti syncipiut, capitis cornua, occiput, ceruix, scapulæ, spina præcipuè ad finem, scrotum abdomen, brachia, & crura, sine dubio ratione subiecti cauterium aliud in capite, aliud extra caput excitabitur, vt de se satis liquet.

Ab efficiente quoque cauteria suas acquirunt differentias, aliud igitur cauterium fit à materia exurente intrinsecus, vti quando in corpore succus acris ad aliquam corporis partem decumbit, ibique vlcus excitat quod in cauterium, veluti naturale abit, de quo non est sermo interim, aliud rursus est cauterium quod fit à materia ignea caustica potentia, vel actum, hinc cauterium potentiale, vel actuale.

Postremo

Postremo cauteria ex causa finali variantur, sic, nam finis illorum est euacuatio materiæ morbificæ, est verò morbifica, quia lædit corpus humanum, secundum substantiam, copiam, qualitatem, motum, & quietem, si iuxta priora cauterium dicitur euacuans, si penes motum est cauterium retrahens à parte fluxione tentata, quod prout trahit ad partem propinquam, vel remotam, vel mediam inter hanc, & illã, eo etiam deriuatorium, vel reuulsorium, vel interceptorium erit, at si penes quietem pariter erit cauterium tum euacuans, si per partem affectam, tum deriuans si per propinquam euacuet, vt propterea cauterium dirigatur ad materiam, modo hoc, modo illo affectam.

A

Cum iam cauteriorum natura, & proinde illorum indicantia quæ vsum eorundem Medico suadent innotescant, remanet vt quæ vsum illum rectum constituunt in medium adducantur nam non sat est Medico inuenire quid, & quo agendum, nimirum materiam morbificam, atque cauterio medio euacuandam esse, sed oportet ita cauterio vti vt iuuet, quod præstabit Medicus non quidem vulgaris sed singulari doctrina præditus; nam is poterit spectatis accidentibus consequentibus essentiam indicantis, quæ sint necessaria pro recta cauterij administratione vt prodesse possit, dignoscere; nam cum ex essentia materiæ morbificæ corpus lædentis vehementi elicerit Medicus euacuandum esse medio aperiente, & cutis continuitatem, quæ euacuationem impedit scindente nimirum cauterio, reliquum vt ad contemplanda accidentia, quæ essentiam illam comitantur se transferat, quæ tantum quattuor esse, nimirum vim, resistentiam, præsentiam, & subsistentiam adinueniet merito is quantum agendum, gratia resistentiæ quomodo ratione præsentiæ quando, ac tandem merito subsistentiæ vbi seu quo loco per cauteria sit agendum dignoscet.

B

Exorsus igitur à primo, quod est quantum agendum, dico quo materia morbifica copiosior quia in pluribus generatur locis ad diuersaq; loca mouetur, & proinde maioris actiuitatis existit, eo etiam maiora (quod ad quantum continuum refertur) & copiosiora cauteria (quod ad quantum discretum attinet) sunt admouenda, tametsi quantum continuum potius modum agendi spectet.

C

Modus agendi separatim obseruandus in cauterio simplici, & setaceo, in cauterio igitur simplici, si Medicus obseruauerit materiam per cauterium euacuandam esse maximè resistentiæ ob copiam, & lentorem, ac crassitiem vt non facilè per quodlibet foramen exeat, iam foramen non tantum amplum, sed profundum erit parandum, sin minus non ita amplum, præterea si resistentiam cutis, quæ tamquam coindicans concurrit Medicus obseruauerit, & eam mollem, raram, & laxam vti in pueris, Eunuchis, atque mulieribus animaduerterit, tunc leui inustione, quæ solam ferè cuticulam absumat sit contentus oportet, contra verò cuti dura, densa, & adstricta existenti cauterium profundius, & quod totam cutim perdat est infigendum.

Verum respiciendum ad virtutem, quæ prohibere potest modum hunc agendi penes partes carneas, ac spermaticas, nam illis absumptis, quis non videt cauterium amplum, imo verò, & ferè quodlibet aliud prohiberi? Sicuti superius occasione maciei est sancitum, pariter sunt & quædam partes spermaticæ membranosæ inquam, ac nerueæ, quæ cauterium profundum non admittunt, sed leuem tantum, ac superficiariam inustionem.

D

Cauterium verò amplum, & profundum igne actuali, vel potentiali paratur, actualis tutius operatur, quia roborat, ergo si pars inurenda sit imbecilla, vt huic addatur robur ignita materia vti oportet, pariter si pars sit præcipua, tutius igne hoc actuali tractatur, verum tamen si patiens sit timidus tempore quo cauterium adhibetur, primum caput illius cooperire, deinde inopinato partem inurere oportet, etsi timiditas sit tanta, vt aliquid mali immineat cauteriũ potentiale substituatur, vt ex his non sit difficilè cognitu cauterium actuale in his qui sunt animo constanti, & in quib. pars vel

E præcipua, vel imbecilla est inurennda probari, at potentiale cauterium parti nobili, ac præcipuè, vel imbecillæ non est adhibendum, quoniã robur partis dissoluit, & nimis quam par sit eam ad suscipiendum aptam reddit, propter quod soleo ego in partibus ignobilibus, sanis tamen, vti brachijs, & cruribus, curare vt cauteria potenti alia inurantur, quoniam parte debiliori reddita, copiosior etiam materiæ excrementitiæ euacuatio succedit, non tamen negandum quin in timidis prægnantibus, & alijs similibus liceat parti principi, vti capiti, ac alicui alteri potentiale cauterium adhibere, immo in affectibus inueteratis sæpius maximo cum fructu parti debili affigitur, vt infra demonstrabitur.

Materia ignita multiplex est, vsitata tamen, ac clementior est, primum aurũ, deinde argentum, postremo ferrum, & æs, aliæ materiæ supra propositæ non recensentur, tanquam non vsitatæ, & si ad vsum perducantur raro admodum, ac in timidis solum; vsi-F tatæ igitur igniantur ita vt candeant, & rubeant & punctim imprimantur, in orbemq; circumferantur, quod vt tutius agatur, primum locus vstionis est obsignãdus atramento scriptorio, deinde partes circumsitæ muniendæ linteamine aqua simplici, vel rosacea, & albo oui imbuto, ac in medio perforato, vt locus obsignatus pateat, tandemq; materia aliqua ferrea, vel similis non ignita ad formam cochlearis vel alterius figuræ comodæ in medio perforatæ est superdanda, materiaque candens in foramen illud immittenda atque eò vsque ibi detinenda, quousque tota cutis fuerit inusta, tandemq; linteamen frigida imbutum est apponendum.

Caustico quoque ex capitello parato nostris temporibus cauteria inurunt, quæ & ipsa habent suum peculiarem modum, nam loco obsignato vt supra, ceratum ex palma vel aliud simile super corium, vel linteamen in medio perforatum foramine exiguo & decenti est superdandum, mox imponendum causticum, quod vt ibi detineatur super-G ponendum aliud linteamen vel corium cerato aliquo ex prædictis refertum, mox causticum & cerata sunt abijcienda, abluendus est locus aqua simplici vel rosacea, postremoq; agendum vt infra. Causticum verò tam diu est detinendum, quamdiu locus nigrescat, quod solet citius, vel tardius euenire pro caustici vehementia, & partis natura, nam à vehementi caustico in parte molliori fit citius impressio, quam in dura, & à caustico mitiori. Cœterum, quoniam æscara tum à materia ignita, tum à caustico inducitur, propterea est detrahenda sine dolore & inflammatione, & ideo non statim, nec vi, sed præhabita illius maturatione vt sponte decidat: maturatio fit per ea quæ suppurationem ac putrefactionem ferunt, ideo vel butyrum solum, vel adipem suillum ex folio brassicæ adhibitum probo. Aliqui digestiuo loto, alij emplastro ex farina triticea excepta decocto caricarum pinguium, & melle communi exceptis parato vtuntur, immo verò aliqui ceratum Dyachilon gummatum, vel phænicinum cum butyro remol-H litum adhibent, quæ medicamenta quo frequentius mutantur, eò etiam æschara citius maturatur, quod vt in cauterio potentiali quamprimum eueniat æschara ad modum Crucis incidenda est.

Verum dum hæc peraguntur, si dolor, & affectus inflammatorius accedat, iam emplastrum ex mica panis, lacte vaccino, vitellis ouorum, & ol. rof. completo, vel vnguentum rof. cum vnguento albo Pauli, vel linimentum ex pulpa cassiæ, & vitellis ouorum cum ol. rof. completo exceptis vsurpare licebit.

Aeschara detracta, cauterium inductum conseruandum est apertum, ac impedimenta quæ occurrunt sunt remouenda, primum igitur assequetur Medicus, si globulus aliquis ex filamentis aridis, vel medulla sambuci, aut sorgi, seu melissæ butyro illitus in foramen immittatur, ac ita statuatur, vt loco dimoueri non possit, ideo petia linea duplicata, & in cuius medio sit solium hærede, aut plantaginis, vel carta sorbilis est superdanda, huicque alia carta durior lusoria vocata primum, mox lamina argenti, vel

auricalchi,

auricalchi vna cum fascia ad comprimendum globulum, adiecto puluino est superponenda, sic enim vlcusculum cauum citissime reddetur, & vt caro circumcirca succrescat, cutis regeneretur, & elegans foramen confirmetur, filamenta ex vnguento vel de betonica, vel iside pro temperatura partis, temporeque anni illita supra globulum immediatè erunt adhibenda. A

Vlcere autem excauato, & ad figuram rotundam redacto, globulus ex cæra, ligno hæderæ perforatus, auro, vel argento foraminibus pariter obductus, vt foramē vlceris conseruetur est immittendus, imo & granum ciceris, vel pisi, sicuti & arantia parua, acerba, exiccataque substitui poterunt & globulis eo modo quo supra dixi est in proprio loco conseruandus, quamquam sciam aliquos loco petiæ lineæ, & cartæ bibulæ, ac lusoriæ, cerato diachilone, & de minio, vel alio simili vti, vtcumque autem cauteria formentur, & iam formata tractentur, certum est bis in die, petias cartamque mutari, globulum verò non semper extrahi, sed circumagi debere. B

Impedimenta quæ cauterijs affirmatis, & progressis accidunt sunt caro luxurians, humorum acrium confluxus, inflāmatio, ariditas, callus, foraminis adstrictio, & fætor; ad carnem superfluam quæ præsertim in principio succressit, vt labia promineant, plura probantur, nimirum filamenta arida, spongia minutim incisa, vel combusta, puluis ossis sepiæ, aluminis vsti, Hellebori nigri æris vsti loti, & præcipitati optimi cum butyro, verum nil præstantius præcisione ipsa, maxima cum diligentia adhibita.

Humorū acrium fluxus qui cum dolore excoriationem parit, si fuerit lęuis solis topicis corrigi poterit, ideo perfusio ex aqua dulci tepida, & ab ipsa illitio ex butyro cum aqua maluarū, & hordei erit accōmodata, & si adsint vlcuscla præter illā perfusionem, quæ ex sero calybeato, vel thermis ferreis & aluminosis erit vtilis, quo in casu vnguentum ex cerusa cum camphora, lythargirio, & pompholige etiā conueniet, quòd si excoriatio sit insignis, ac vlcuscula non cædant remedijs, sed in dies augeantur præter topica medicamenta quæ totius prouidentiam respiciunt ad vsum erunt perducenda. C

Inflammatio si fiat ab humorū insigni affluxu, vnde dolor suboriatur, humores erūt retrahendi per euacuantia, repellentia, & intercipientia, remedia euacuantia respiciūt totum, intercipientia potissimum verò repellentia partem determinatā, quæ dolorem etiam sedare debent, idcirco præter Cataplasma ex mica panis, & vnguentū rosatum Mes. Hippocratisq; ceratum, Vnguentum ex cerusa cū, & sine camphera videtur opportunum, sicuti & ad repellendum discutiendumq; modestè vnguentum ex succis, & perfusio ex vino nigro austero simplici, vel si inflammatio satis insignis fuerit medicato cum mallicorio, myrtho, mastiche, & modico aluminis, Cœterum quoniam affectus inflammatorius aliquando à globulo crassiori, vel duriori imposito suboritur, tunc minor, & mollior, vt qui ex filamentis, vel cera paratur, erit seligendus.

Ariditas citra occasionem calli emendatur attrahentibus medicamentis, ideo loco folij hederæ ceratum sacrum, vel quòd ex pini resina & cæra paratur adhibere licebit, imo & globulus parari poterit ex pice nauali vel cæra, cum puluere humorem aliquem determinatum attrahente, nimirum hellebori nigri, senæ, collocyntidis, agarici, Rhabarbari, & scamonij. D

Callus qui cauteria sæpius arida reddit, scarificatione potest ammoueri, à qua cucurbitula semel, aut bis admouenda, & si scarificatio non admittatur puluis sabinæ, calcanthi vsti, & loti inspergatur, vel stercus columbinum in aceto dissolutum adhibeatur, quibus non conferentibus ad mysi, præcipitatum, & arsenicum præparatum est deueniendum, ea tamen ratione vt partes adiacentes cerato diachilone cum, & sine gummis, vel ex cera butyro vetusto, & colophonia parato emolliantur.

Adstrictio forminis dilatantibus emendatur, ideo globulus ex medulla sambuci, vel melicæ, qua non conferente ex radice gentianæ vel spongia maxime ex vsu erit.

Fœtor

E Fœtor quoque ad iucunditatem non est despiciendus, habetque sua remedia, propterea petiæ, carta, & deligatura sint odorata oportet, ideo cum moscho, & ambra, vel rebus moscho, & ambra refertis, cum spica odorata, lauendula, & alijs similibus in eodem loco reposita adseruari debent, quo in casu & ablutio bis in hebdomada cum liquore aliquo odorato maximè probatur.

Superest vt de modo agendi in setaceo parando agamus, si igitur in ceruice setaceũ sit parandum, caput ita situetur vt in neutram inclinet partem, deinde linea per longum vertebrarum ceruicis atramento scriptorio obsignata, cutis duplicata manibus primum, (vt per longum linea illa ducatur,) mox tenaculis habentibus margines extantes, & in planitiem diductas, perforatasq; apprehendatur, ac cutis illa duplicata apprehensa per stilum ferreum ignitum in foramen tenacularum immissum perforetur, statimque funiculus ex serico purpureo traijciatur, ea ratione tamen, vt tenaculæ F manu sinistra à Medico detineantur, & funiculus dextra imponatur, statimque tenaculis amotis primum linteamen imbutum frigida deinde butyrum cum folio brassicæ apponatur, butyrumque singula quarta, vel quinta hora permutetur, quousq; æscara sit putrefacta, ac funiculus hinc inde ducatur, loco butyri digestiuum lotum vt in cauterio simplici substitui potest, cum autem setaceum sic efformatum fuerit conseruandum ferè eodem modo ac cauterium simplex, nimirum carta sorbili, vel linteolo cum folio hederæ appositis, ac ligatura superdata, locoque cartę, & linteoli cerata superius proposita in cauterio simplici conuenient; Verum quoniam à setaceo inusto imminet sanguinis fluxus, & dolor, & inflammatio his prospiciendum, fluxui quidẽ per linteamina aqua rosata & plantaginis cum albo oui adhibita, dolori, & inflãmationi per emplastrum ex mica panis sed potissimũ per vnguentum album Pauli & rosatũ Mes. quibus statim à principio ad præcauenda hæc mala vti expedit, ea tamen ratione, vt fila-G menta cũ butyro vel digestiuo loto ipsis foraminibus & æscharæ prius adhibeantur, deinde medicamenta iam dicta superponantur, & totum setacei spacium occupent.

Subsequitur tempus opportunũ cauteria, & setacea adhibendi, quod sumitur à præsentia materiæ euacuandæ, prout igitur hoc tempore generatur & colligitur materia excrementitia, indicatur hoc eodem tempore cauterium & setaceum esse inurendum, dummodo tamen absit prohibens, nimirum plethora, & cacochimia affectus præternaturam partis cauterizandæ, vel illi vicinæ, accessio si adsit cibus crudus in ventriculo, & virtus languida potissimum partis affectæ ob tum calorem imminutum, tum euacuationem insignem: nisi enim ad hæc omnia Medicus respexerit, & veluti impedimenta eadem remouerit, facilè inflammatio, & gangrena suborietur: Sunt autem cauteria, & setacea tamdiu aperta seruãda, quamdiu præsens fuerit materia morbifica per sui non tantum generationem, sed etiam collectionem, & propterea quamdiu siccatur, verum H de cauterijs in capite id notare oportet quod solent vbi ad longum tempus gestantur capitis maximum languorem adferre, propterea Medicus hac in re sit cautus oportet. Sanantur autem si detracto globulo à cauterio, & funiculo à setaceo filamenta arida adhibeantur, & mox cerusa cocta, vel ceratum ex palma, aut minio superponatur.

Postremo de loco Cauteriorum & setaceorum (quod principaliter intenditur) est agendum, locus igitur hic à subsistentia materiæ peccantis capitur, subsistentia verò hæc in cauterio simplici consideratur, prout materia quiescit, vel mouetur, si vt quiescit cauteria adhibenda sunt loco vbi est materia, vel parti vicinæ, hinc cauteria euacuatoria, vel deriuatoria erunt, exempli gratia si materia generetur in capite, & non moueatur, cauterium excitatum in syncipite euacuatorium, in occipite scapulis, & brachijs deriuatorium erit, at si materia generetur in medio ventre brachijs, si in imo, cruribus cauterium affigetur, deriuatorium, si verò materia consideretur prout mouetur, iam oportet perpendere terminum à quo, & ad quem, necnon spatium motus, si termi-

terminum à quo, & materia genita in capite ad pulmones moueatur ad partem oppositam, & longinquam, nempe ad syncipiut per cauterium ibidem inustum est retrahenda quod erit reuulsorium, seu diuersorium, pariter si materia in hepate generetur, & petat caput, per cauterium in crure dextro, sicuti si eadem materia vitio lienis colligatur in crure sinistro inustum reuelletur, an verò in parte interiori, vel exteriori docebit rectitudo vasorum eius loci in quo generatur materia ad locum in quo excitatur cauterium, rectitudo enim eadem hic ac quæ in venæ sectione seruanda; Si materia, & in hepate genita, & vitio lienis collecta deorsum moueatur, cauterium pari quoq; ratione reuulsorium in brachijs seruata rectitudine eadem inuretur. A

Quòd si perpendamus terminum ad quem materia fluit, tunc illa per Cauterium deriuatorium ad partem vicinam, vel lateralem est trahenda; & si quis quæreret, an loco affecto qui inducit rationem termini ad quem cauterium infigere liceat, dicerem ibidem non excitandum esse cauterium, nisi materiam illuc fluxam tum fluxilem, tum impactam euacuare sit propositum, & affectus ex fluxione concitatus fuerit antiquus; verum hisce in casibus totius purgatio est præmittenda, & post materiæ fluxæ euacuationem cauterium excitatum est claudendum ac si opus fuerit alibi affigendum; Si.n. per locum affectum non tantum materiam fluxam, sed etiam fluentem euacuare voluerimus, periculum est ne propter materiæ affluxum partisque imbecillitatem, inflammatio, & ab inflammatione gangrena subsequatur: sic in ischiade femoris articulum inurimus triplici inustione, sed vstionem paulo post sanamus, ne subsequantur mala iam dicta, & alibi cauterium inurimus. B

At si spatium per quod fit motus spectemus, iam vbi materia in capite genita ad spinam mouetur cauterium in occipite, vel ceruice excitatum erit intercipiens, sicuti & illud, quod ad os sacrum inuritur inter vertebram, & vertebram materia fluente à spina ad fœmora, & crura: verum in seligendis hisce cauteriorum locis ad prohibentia respiciendum, idcirco si pars morbo aliquo laboret, si fluxione, ac dolore tentetur, à cauterio est secludenda, & eò magis, si virtus id suadeat primum ratione partium neruosarum, secundo ratione caloris innati languidioris, ratione quidem partium neruosarum quoniam ob dolorem cauterium non admittunt, nec sustinere possunt, ratione quidem caloris, quoniam si in parte aliqua corporis secundum calorem innatum languida cauterium inuratur, facile fieri potest, vt copia materiæ eò confluente calor obruatur, hincque inflammatio, ac gangrena subsequatur, quod contigisse his qui crura tumentia habuerunt occasione hydropis atque corpulentiores fuere pluries est obseruatum, id tamen de parte fluxione tentata, ac dolore vexata non est ignorãdum quòd si affectus sit inueteratus valde, & contumax, sibique qualitatem venenatam adiungat, tunc licet parti huic ægræ cauterium adhibere, & sæpius id maximo cum fructu, ac ægrotantium vtilitate factum fuisse obseruaui. C

Verum locus magis particularis cauteriorum est perquirendus, ac considerandus, dico igitur cauteria inuri, vel ad ventres, vel ad artus, si ad ventres in syncipite, occipite, vtraque capitis eminentia, ceruice, scapulis, spina inter vertebras, regione hepatis, lienisque, ac subtus vmbilicum, si ad artus in brachijs infra articulum humeri, atque cruribus supra, & infra genu; sed adhuc quædam supersunt circa hæc loca consideratione digna. D

Primum est locum suturę coronalis cognosci bifariam, nimirum si abrasis pilis syncipitis imperetur patienti vt masticet, nam tunc cutis circa suturam habet motum euidentem, alia ratione, nempe manu secundum radicem palmæ summo naso admota, sursumque extensa, quo enim extremum digiti medij peruenit, ibi erit locus suturæ coronalis, locus igitur est ob signandus atramento scriptorio, deinde cutis pericranium vsque ad os inclusiuè sunt inurenda, ita vt os squamam emittat, hac enim ratione dolorem, & conuulsionem euitare licebit.

E Secundò occipitum est pars capitis postica supra ceruicem, sicuti eminentia vtraque sunt capitis cornua, quæ loca in affectibus capitis inuruntur.

Tertiò ceruici inter primam, ac secundam vertebram, vel secundam, & tertiam cauterium adhibetur, sicuti & ad os sacrum in spacio intermedio vertebrarum.

Quartò in brachio seligitur locus, qui est infra humeri articulum per quattuor digitos transuersos in parte interiori ad euitandas iniurias externas, quo in loco si brachium in media quadam figura fuerit situatum, seligenda ea pars in qua musculi manifesto interstitio distinguuntur, & cauitas inter illos obseruatur, quæ solet ad finem musculi Dolthroidis ad bicornem terminantis esse, & semper à tendinibus cauẽdum, propterea nec in principio, nec in fine musculorum, sed in interstitio illorum procul à principio, præcipuè per quattuor, vel quinque digitos transuersos atque potissimum in ea parte cui ligatura accomodari potest inurenda sunt cauteria, & facile est digito F applicito, dum patiens extendit, & flectit brachium tendines, imo & ossa ipsa obseruare, quæ sunt omnino deuitanda, eligatur igitur locus in quo non tendo, nec os sentitur prope articulum humeri ea ratione qua dictum est, & obsignetur.

Cæterum idem modus in seligendo loco in cruribus est obseruandus, nam locus, qui distat ab articulo quattuor digitis transuersis, vbi musculi manifesto interstitio distinguuntur non solum infra, sed etiam supra genu vbi vasa latiora existeutia copiosiorem pollicentur euacuationem est locus cauterij accommodatus, sed in viris ob equitationes potius pars externa est seligenda, in mulieribus uerò ratione vteri interna, vt autem Medicus interuallum illud musculorum adinueniat, debet crus locare in quadam media figura, vt scilicet nec omnino extensum, nec flexum maneat, & admoto digito imperare debet patienti vt pedem moueat, in quo motu si nec tendo, nec os obseruetur, locus aptus cauterio erit adinuentus, vt propter hanc rationem in op-G posita parte similem etiam locum quærere liceat, qui locus eo magis erit aptus, si ei ligatura comode aptari poterit vtcumque autem adinuentus obsignetur, vt sæpius dictum est.

Locus verò inurendi cauterium in ischiade est articulus fœmoris ea tamen ratione, vt locus circum circa articulum seligatur, propterea iubent medici, inter quos primus est Albuchasis vt paretur ferrum cum tribus fungis, quod ignitum supra articulum admoueatur, vt vna vice partes circum circa articulum inurantur, & ego vidi mirabiles huius cauterij affectus, quos breuitatis causa omitto.

Superest vt aliqua etiam de loco setaceorum animaduertamus, infiguntur igitur setacea ceruici inter secundam, & tertiam vertebram ad cerebrum euacuandum cum reuulsione si materia fluat ad oculos, & partes capitis anteriores cum deriuatione, si materia fluat ad partes oris, & pectus, cum interceptione si materia fluat ad spinam: H infiguntur. Rursus scroto, & abdomini circa vmbilicum ad euacuandam materiam serosam in hydrope, quamquam sciam & in asthmate, & in constitutione pestilenti ad præcauendam pestem scroto infigi setacea ipsa, imo verò, & in affectibus, præcipuè verò tumoribus frigidis tum iecoris, tum lienis aliqui setacea affixa abdomini in regione horum viscerum plurimum laudant.

Iam (Rosettæ Excellentissimæ) tractatio de cauterijs ad finem perducta est, in qua si aliquid tibi deesse videbitur, mihi id per litteras indicabis, & tibi sicuti cupio satisfaciam. Vale, & me amare vt soles perge.

FINIS.

IVLII CAESARIS CLAVDINI MEDICI BONONIENSIS CONSVLTATIONES MEDICINALES.

B

PRO SERENISSIMO DVCE PARMENSI, ALEXANDRO FARNESIO Hydrope Aſcite occaſione lienis laborante.

C

CONSVLTATIO PRIMA.

QVOD Sereniſſimus Dux ſecundum lienem male ſe habeat, tactus iudicium, quod à Medicis clariſſimis, qui illius ſanitati præſentes conſulunt, refertur, ac ea quæ præceſſere, demonſtrant: Audio enim ipſum, vt Podagræ hæreditariæ D moleſtiam, ac immanitatem euitaret, diu à vini potu abſtinuiſſe, & aquæ ſe totum tradidiſſe, quæ cum in humano corpòre lienem tanquam proprium locum ex Hippocrate in 4. de Morbis ſtatim adeat, neceſſariò etiam eundem à proprio temperamento peruertit. Verumtamen, quoniam liene male ſe habente ventriculus, ac iecur facilè ob viciniam, & colligantiam labem ſuſcipiunt, venio in ſententiam ventriculum, atque iecur per eſſentiam, ſed non primaria ratione in Sereniſſimo patiente laborare, per eſſentiam quidem, quia facultas vtriuſque alteratrix ob diſcraſiam ſenſim conceptam à proprio aberrat ſcopo, quemadmodum ex ventris, primum autem faciei cum fœdo colore ſubtumeſcentia conſtat, ſecundaria verò ratione, quoniam à liene primum affecto cladem propriam ſuſcepere.

E Cæterùm, quid de euentu affectionum horum viscerum sit sperandum, non est difficilè cognitu pèr eas discurrenti. Si igitur lienem intueor, statuo euentum medium, partim scilicet salubrem, & partim in salubrem expectandum esse, nam sicuti egrotantes, sub eo non perduntur, & diu viuunt, ita nunquam sanantur, quoniam scirrorum hæc natura (& eo magis, si legitimi fuerint) vt materijs medicis reluctentur, nam præter id, quod fiunt à materia pertinaci, pars affecta beneficio facultatis regitiuæ destitutiur, quæ in actum secundum medicamenta redigit, vt iure meritò periculum etiam immineat, quod ex præstantia partis, atque difficili tolerantia augetur; nam lien quamquam non sit principale viscus, principali tamen inseruit immediatè, & quasi iecur ab Aristotele dicitur 3. de partibus animal. capite 7. pariter aucta magnitudo illius præter naturam, ob Symptomata aliquando superuenientia difficilè admodum toleratur.

F Quod si ventriculum, & iecur præter naturæ leges affecta intueor, euentum salubrem futurum autumo; nam præter quamquod illorum vitia non sunt in habitu, primaria ratione prædicta viscera non exercent; Difficultas tamen curanti Medico obuiam ibit, quoniam per essentiam laborant, eorum indispositionibus causa permanens, nempè lien malè affectus fauet, atque iecur officina nutritionis totius corporis, & ventriculus alimenti promptuarium, non benè se habent, vt dictum est. Verum in hisce malis non nisi ad longum tempus euentus iam dictus est expectandus, non tantũ quia horum aliqua sunt aliquo modo impossibilia, alia curatu, sed ẽt quia omnia à causa frigida pendent. Quocirca vt Serenissimus Princeps præcaueatur ac (si possibile curetur) tum ideam, tum generationem horum vitiorum explicatius oportet aperire.

G Primum igitur pro certo habendum ipsum Hydrope laborare, quod ex difficili anhelitu, siti, ventris, inferioris & pedũ tumore deducitur, nã ex secundo Pronognost. 3. secũdum Gelenum, pedum tumor perpetuus est comes Hydropis, quæ cum triplex sit, Ascites, in quam, Tympanites, & Anasarca, Ascite laborare Serenissimum Ducem nulli dubium, quando ipso (vt refertur) de latere in latus deuoluto, manifesta fiat fluctuatio, præterea (nam diuolutio illa ex 4. de Dignoscendis pulsibus 4. non sufficit) percusso abdomine sonus cum duritie, quæ sunt propria tympanitis argumenta, non obseruetur; Item nec à manu abdomini pressa fouea ab anasarca inseparabiis remaneat, vt ex his Ascite solum detineri sit inferendum; in cuius confirmationem & illud facit, quod 4. de Morbis traditur ab Hippocrate nempe superiorum partiũ in Serenissimo Duce contabescentia satis apparens. Verum Ascite non confirmato, sed initiato, & progressio tantum laborare, prædicta symptomata non valdè intensa demonstrant, ad hæc scrotum, vt audio, adhuc illi non tumet, tussi non corripitur, nec inappetens

H comedit. Et quoniam hoc malum ex secundo ad Glauconem, 5. & 2. Prognost. ac 5. Locor. affect. citato, fit vel tumescente iecore, vel citra eiusdem tumorem, rursusque iecore primariò, vel secundariò affecto quid in casu nostro sentiendum sit, patet ex dictis: nam sicuti nullus insidet iecori tumor, ita secundariò iecur afficitur.

De generatione huius mali sic statuo, vt à materia aquosa in spatio inter intestina, ac perytoneum contenta prodeat, hæc enim sui copia tum replet spatium illud, atque sic abdomen in tumorem eleuatur, tum spiritualia permit, vnde difficilis anhelitus, & ad pedes aliqua portio delata, eos tumefacit; amplius, quia frigida, infensa est calori natiuo, quia tenuis, & putrida, calidos fumos ad os ventriculi transmittit, ac sitim infert; An verò etiam media qualitate recondita ex lue venerea lædat, ex relatis nil certi potest haberi.

Sed duo hic occurrunt Problemata discutienda; Primum, vndè nam sit, quod materia hæc in iecore genita (vt ab omnibus censetur, ab illo in cauitatem, prædictam deponatur.

deponatur. Alterum per quas vi[illegible]s: quorum explicatio cum summoperè conducat A ad cognitionem regionis, per quam materia hæc possit euacuari, non est vllo pacto interim negligenda.

Quod igitur ad primum attinet cum Auicenna statuendum, ibi aquam colligi ob tres causas, Prima est loci imbecillitas ob laxitatem, & madorem, Secunda est loci propinquitas cum iecore, tertia causa est, quod cum minori incommodo, ac ægri molestia aqua ibi colligitur, & ibi collecta etiam copiosa ad longum tempus citra dolorem, & ægrotantis interitum asseruatur.

Quantum ad secundum spectat. Aliqui ex Hippocrate & Galeno 2. Aph. 55. dicunt in Hydrope iecur scatere quibusdam vesiculis aquosis, à quibus disruptis aqua in cauitatem Abdominis perlabitur quod in aliquibus locũ habere, sed nõ in omnibus cadauerum dissectio demonstrat, & vbi id accidit, non videtur qua ratione vesiculæ illæ possint tantum aquæ perfundere, vt ventris tumor insignis adeò, qualis pluries in B Hydropicis obseruatur, possit attolli, & eo magis, quia vesiculæ illæ non penetrant ad iecoris vsque substantiam, aliàs cum aqua sanguis etiam perfunderetur. Sed neque per vasorum vmbelicalium disruptionem id fieri posse existimo, quoniam vasa hæc sunt vsque adeò indurata, & callo obducta, vt disrumpi vix credi possit; Ad hæc, neq; per vas aliquod vrinariũ disruptum idem accidere potest, nam grauiora suborientur Symptomata, & patientes statim perderentur, cum tamen Hydropici diu superstites viuant.

Puto igitur ego, fieri quandam in membrana iecur inuestiente, ac venis Meseraicis Diapedesim, ob calorem e[illegible]traneum rarefacientem, atque sic coagente etiam succi tenuitate à iecore in cauitatem dictam aquam iugiter colligi, quæ cum non sit ibi, tanquam in naturali loco, à natura non regitur, & proinde putrescit, quod illi quoque ob externum calorem ab obstructionibus illis in locis concitatum euenire arbitror C hinc foetor, hinc sitis.

Sed iam causas huius aquæ perpendamus, tum generantes, tum colligentes; generantes sunt agens, & materia, agens est iecoris frigida discrasia, meritò cuius non solum Ascites, sed etiã aliæ Hydropis differentiæ exquisitæ dicuntur; Verum in Ascitũ intemperies hæc est intensior, at in Tympanite, & Anasarca remissior 4. Apher. 11.

Et si quis obijceret, ergo Tympanites, & Anasacra præcedent semper Ascitem quod experientiæ repugnat. Respondeo causas refrigerantes aliquando vsque adeò, vehementes esse, vt statim Ascitem valeant excitare, alijs Hydropis speciebus non præcedentibus.

Materialis verò causa sunt alimenta aquea, chilus crudus.

Cœterum iecoris intemperies referenda in ea omnia, quæ calorem natiuum lacessunt, ipsum tum dissoluendo, tum suffocando, cum Auicenna, qui hæc à Galeno loco D citato, & 3. Aphor. 22. desumpsit, atque hæc potissimum refrigerant iecur, etiam à tumore liberum, nam si intumeat, à tumore, nempe scirro, suscipit frigiditatem. Quæ ergo dissoluunt, & imminuunt calorem, sunt causæ internæ, & externæ, Priores sunt insignis aliqua sanguinis euacuatio, morbi vel totius, vt febris, præcipuè tamen ardens vel partis refrigeratæ, & iecori vicinæ, aut secundum cauam, vti ventriculus, mesenterium, intestina, lien, vterus; aut secundum gibbam, vti spiritualia, hinc Astma hydropem infert.

Posteriores verò causæ, externæ nimirum sunt, & calefacientes, cuius census medicamenta calida importunè, atque immodicè vsurpata censentur; & refrigerantes, quò pertinent cibi sua natura frigidi, & aqua gelida copiosè assumpta.

At quæ suffocant calorem, causæ sunt quamplurimæ, præcipuè tamen retenta quælibet solita euacuatio.

E Causas tandem colligentes refero in facultatem, & obiectum, in facultatem quidem, ad quam generatio, atque excretio serositatis, quæ ad iecur, renes, vretera, ac vesicam referuntur attinent.

Ad iecur inquam frigidum, quod sicuti non sanguificat, ita non segregat, non expellit, vnde nascitur Hydrops exquisita, quoniam simul coit causa generans, & colligens, sub qua vrinæ rubræ ob vitium segregatricis meiuntur. Ad renes, si debiles non attrahant, vnde spuria hydrops; Ad Vretera, & vesicam, si à materia copiosa, crassa, & lenta, à calculo, apostemate, & inflammationes angustentur.

Obiectum est aqua frigida copiosa, & materia cruda non bene à iecore confecta; in quarum causarum multitudine potus frigidæ, intemperies lienis frigida ex tumore scirroso, segregatio iecoris labefactata, transitus succi serosi in hepate geniti ob viarum angustiam ex materia crassa obstruente ferè impeditus (vt ex paruo lotio excreto F colligitur) item & obiectum illud duplex in Serenissimo patiente locum habent.

Quare primum in id incumbendum, vt lien per calefacientia, & discutientia tumorem illius in naturalem statum reducatur; deinde pariter vt iecur ad calidum alteretur, & eiusdem proportio seruetur, quæ cum non possit Medicus obtinere, nisi succum aquosum iam genitum fluxum euacuet, fluentem retrahat ideo, ab his auspicanda curatio medijs illis medicis instrumentis, quæ vulgus Chirurgiam, Pharmaciam, & Dietam vocat.

Et quod ad primum pertinet, Chirurgicæ materiæ, quæ pro hac curatione faciunt, omnes in vnicam aquæ euacuationem dirigantur oportet. Inustiones præterea circa vmbilicum ex Auicenna, & Albucasi, Vesicantia Abdomini, maximè verò regioni lienis, adhibita, item & fonticuli parti domesticæ femoris vtriusque, magis uerò sinistri inusti probantur. Alias chirurgicas materias non propono, quando hydrops hęc G non sit consummata. Nec ab vsu vesicantium me amouet, quod vlcera in hydropicis ob redundantem humorem 6. Aph. 8. non sanentur, quoniam hæc sententia de profundis, non autem cutaneis qualia a vesicantibus inducuntur, venit intelligenda.

Pharmaca materiam, & viscera respiciunt. Priora sunt euacuantia succos primum hydropis, deinde scirri Lienis. Verum ante horum vsum non abhorrerem à communibus pharmacis, vt scilicet leniretur aluus hieræ bolo, & melle rosa. solu. statim post bolum assumptum Viæ primæ, humoresq; illis insidentes præparentur oxymelle simplici, melle rosato colato, & syrupo de eupatorio, tandem purgentur pilulis de hiera cum agarico, de agarico Mes. vel ipsomet, Agarico, exceptis hisce omnibus modico succi radicis Iridis; à quibus primum ad euacuantia humorem aquosum tum fluxum, tum fluxurum est deueniendum; fluxus igitur, & qui continetur in abdomine, non tantum sensibiliter per aluum hydragogis medicamentis, verum, & insensibiliter H euacuabitur.

In coordinatione priorum, quæ vehementissima seligenda sunt, & ratio est, quoniam materia non existit in venis, ductusque commodi, per quos à cauitate abdominis ad intestina materia trahatur, non reperiuntur, ideo aut debemus vti ijs, quæ propria natura fortia sunt, cuius census pilulæ de mezereo, confectio alchachengi, stybium præparatum ex vino odorato, & Elaterium ex pilulis alephanginis datum habentur: aut vsurpanda placidiora infra proponenda, sed in maiori dosi. Clysteres quoque hydragogi non improbantur alternis diebus iniecti, vti sunt, ex decocto brassicæ marinæ cum anisis, & artemisia, ex succo ebuli, elaterio, oleo irino, benedicta, vel pilulis de opoponaco, vel fœtidis parantur.

Euacuant verò sensibiliter interna, & externa medicamenta.

Inter externa ego primum laudo fotum ventris per spongias madefactas in aqua aliqua thermali sulphurea, salsa, & nitrosa, in qua calx viua fuerit extincta, ea tamen

ratione,

ratione, vt spongiæ fascijs ventri arctè adligentur, & diu ibi detineantur, subindeque permutētur. Præterea & perfusionem ex aqua ardente potente cum pipere medicata non improbo. Cataplasma quoq; ex cochleis, vel ostreis cum testa fusis, vel ex stercore Accipitris, cum succo caulium, vel ex calcanto Aetij, pariterque & ceratum diadictamum cum nitro, & sulphure, ac succo nicotianæ reformatum, sunt miri vsus. A

Humor aquosus in pedibus exiccabitur fotu vel ex furfuribus crassis cum sale permixtis, & calefactis, vel lotione ex aliqua aqua thermali mineræ iam dictæ, vel illitu olei masticini saliti.

Interim tamen humor aquosus nondum defluxus est educendus, vel Hydroticis, vel Diureticis, vel Hydragogis. Sed Hydragoga mitia seligantur, nam materia in venis continetur, & educitur facilè; quocirca succus medianæ sambuci, vel radicis Iridis, vel palmæ Christi cum manna, & melle rof. sol. item & puluis ex radice cucumeris agrestis, cum vino Cretico præparata, vel ex seminibus ebuli, cum aqua ardenti lotis, ac postea siccatis ex eodem vino Cretico datus mihi summoperē placent. B

Pro mouendis verò vrinis tum sal absynthij chimicum, tum vinum cum granis Alchachengi medicatum omnibus præfero, succum tamen concretum ex ijsdem granis expressum non damno; Atque quibusdam interuallis constitutis modo his, modo Hydragogis vti oportet. Quibus non sufficientibus, & sudorificis agendum, quare stufæ, & euaporatoria, suffumigiaque cum calorificis composita mihi arrident, & eo magis, si ante eorum vsum, non decoctum dicam quod quidem maximè sua humiditate actuali noceret, sed extractum guaiaci, aut ligni sassafras, carduique benedicti, vel antidotum magnam antiquam Serenissimus patiens assumat.

Educto aquoso humore, ad alterationem iecoris, ventriculique accedendum; quocirca, trociscos cipheos, & de amygdalis amaris Tralliani, adiectis epate lupino, & tunica interna ventriculorum gallinæ, tanquam pharmacis proportionatis horum viscerum, summis laudibus ex tollo; Huc referantur Elixir Vitæ, Vinum Creticum cum carduo benedicto, vel aromatibus m aximè verò nuce miristica conditum. C

An verò thermæ aliquæ Serenissimo Duci conducere possint, inquisitione dignnm occurrit: nam ex vna parte nulla aqua opportuna videtur, cum sua humiditate, quam actu habet, maximè lædere valeat; ex altera verò, quia aqua thermalis valenter exiccat per aluum, & vrinam quoque ducit, humores noxios, videtur conuenire.

Ego autem in ea sum sententia, auctoritate Galeni primo Sympl. 7. ductus, aquas hasce plurimum conferre, dummodo calefaciant, vti sulphureæ, salsæ, nitrosæ, bituminosæ ibi à Galeno propositæ, quæ vbi redoleant naturā calcanti, tanto magis proderunt: Idcirco aquæ Spadanæ, seu de Spa in Belgio præstantissimæ sunt, nam omnibus hisce mineris afficiuntur: Accedit, quòd quotquot hydropici aquas illas bibunt, omnes sanantur, hinc etiam atque etiam hortor Serenissimum patientem (quandoquidem in illis moratur locis) vt aquis illis vtatur sub forma tum lauacri, tum potus, & eo magis quoniam omnes aquæ medicatæ spontè nascentes, sacræ ab Aristotele esse ctu dicuntur, quoniam inquam sacros, ac pene diuinos effectus edunt, cautè tamen eas bibendas esse suadeo, quod onus totum prudenti iudicio Medici curantis comitto. D

His omnibus peractis, ad lienis tumorem pharmaca respicientia accedere necessarium est; quapropter, ius galli antiquioris, in cuius ventre coquantur China, lignum Indicum, quod sassafras dicitur, scolopendrium, tamariscus, cuscuta, prassium, absintium, radices capparorum, radices aperientes, liquiritiæ, alteæ, & felicis maris, passulæ, & puluis tartari albi, mirum in modum laudo, quod magis proderit, si ante Syrupum matutinum deuorabitur bolus ex Ammoniaco, ac puluere lienis equuli, vel asini. Medicamenta quoq; calybeata, præcipuè quod ab Aetio præscribitur, necnon sal

 theriacale

E theriacale ex aceto mulſo, aut ſcillino deſtillato datum (ni fortè medicamentum nimis ingratum fuerit) opportuna videntur.

Sed tempore vſus horum exhibenda catapotia de helleboro, atque maſticina, ſingulis decem diebus: Clyſteresque ſunt inijciendi ex decocto colocyntidis hellebori nigri, ſimplicium communium, & ſpleneticorum, hiera logadij, melle helleboriato, & oleo laurino parati.

Extra conuenit embroca ex oleo amygdalino dulci, & amaro, à qua adhibendum emplaſtrum de meliloto, vel diachilon gummatum, vel ſaltem aliquod lutum bituminoſum, poſt quæ emollientia deueniendum ad extenuantia, ac diſcutientia. Quare ſtillicidium ex aceto infuſionis Dictami Cretici, ceratum ſacrum, vel Cerine dictum, luta ſulphurea, ſalſa, & nitroſa, ſuffumigiumque ex molari lapide, vel pirite, ita vt ſuper lapidem proijciatur acetum, in quo macerata ſint primum tamariſcus, deinde colo-F cynthis, atque vterque helleborus, item & emplaſtrum, quod 9. Localium cap. 2. proponitur, ſummoperè conueniunt, & ſi luta haud haberi poſſint, ſubſtituantur olea ex illis chimicè confecta, & ne ab hiſce medicamentis robur, calorque partis natiuus diſſipetur, addatur omnibus iam propoſitis oleum maſticinum, & abſynthinum.

Quibus omnibus, victus accommodatus eſt addendus, Ideo in aere calido, & ſicco Sereniſſimus patiens verſetur, vtatur cibis calefacientibus, & ſiccantibus, attenuantibus; facilisque coctionis ſuaptæ natura, & præparatione, abſtineat à dilutis, liquidis, craſſis, viſcidis, dulcibus, ac pinguibus, atque illi vſui ſit puluis in cibarijs ex hepate pullorum in furno ſiccatorum, cinnamomo, coriandris, ac ſaccharo; Comedat tum carnes optimas, & euchimas, aliquando eas, quæ propria natura ſicciores, & potius aſſas, quam elixas, tum panem nonnunquam ex flore farinæ, aliquando verò biſcoctum, vel qui ex tota farina cum ſale, & aniſis conficitur. Oua quoque ſorbilia, G itemque gallinarum, pullorumque hepata erunt accommodatiſſima, Paſſulæ etiam, fiſtici, amygdalæ, cappares, ac alices ſale condita, adhuc, & intinctus ex cortice citri condito cum ſinapi paratus concedi poterunt; Curaudumque, ne cibi copia ſucci crudi coaceruentur. Vinum bibat album, tenue, antiquum, odorum, non dulce, non auſterum, quod parcè admodum eſt bibendum, (nonnulli etenim ab omni prorſus potione abſtinentes ad longum tempus, tandem ſanitati fuere reſtituti) opportunè itaque parabitur vinum medicatum ex abſynthio, floribus Antos, carduo benedicto, guaiaco, ligno ſaſſafras, ex aromatibus, & ſeminibus odoratis. Aluus ſi non ſpontè fluat, irritetur vſu prunorum dulcium, paſſularum præparatarum cum infuſione Senæ, in qua prius ferbuerint Cartamus, ac ſoldanella cum aniſis, deinde facta colatura diſſoluta fuerint manna electa; huc etiam panis ex tota farina, adiectis ſale, aniſis, & puluere mechioachani confectus, in prima menſa commanſus referatur. Corpus exerceatur tempore opportuno, ventriculo ſcilicet à cibo vacuo, & aliquando ad ſudorem vſque Vigilia ſomnum ſuperet, ac animi mœrores, triſtitiæ, ſimilesque paſſiones, penitus auferantur. Quæ omnia habui pro ſalute Sereniſſimi Ducis in gratiam Chriſtianæ Reipublicæ incolumi, & longiori vita meritiſſimi, proponenda quæ ſicuti proficua illi à D. O. M. enixè precor, ſic etiam illi Medici Excellentiſſimi præſentes, vt addant, & auferant, prout ſibi ipſis opportunum videbitur, & occaſio recta poſtulabit, vehementer exopto.

H

PRO-

A

PRO PERILLVSTRI AC REVERENDISSIMO PROTONOTARIO *Apostolico Gubernatore Montis Alti, D. Lelio Seghio imminuta valdè visione detento.*

CONSVLTATIO II.

CVm sensum visus præ ceteris omnibus tanquam immaterialiorem, pluresque rerum differentias agnoscentem, plurimi faciamus, (quem etiam magnifacit natura, quæ cerebrum propter oculos, eiusdem visus instrumenta secundum Galenum construxit) non est mirum, Si vis Perillustris ac Reuerendissimus secundum vtrumque oculum malè habens, de eorum recuperanda sanitate sit valde solicitus, cui vt morem geram, meritissimo, paulo diligentius rem ipsam pertractabo. B

Quia igitur obiecta, non tantum proxima, sed etiam remota videt, non tamen exactè, atque distinctè, vt scripta minimè legere, ac obiecta plura oblata numerare valeat, idcirco ipsum non quidem ablata, sed valdè imminuta actione videndi laborare, pro certo habendum.

Cuius vt principia, modusque generationis innotescant, ab eo petendum est exordium, quod principiorum quædam in oculo, quædam extra oculum existunt. Quæ itaque in oculo occulta, & euidentia esse possunt; Occulta ad tunicæ corneæ, humoris albuginei, & crystallini, ac spirituum vitia referuntur. Verum quia in casu nostro notæ illæ, quæ præ se ferunt vitia trium priorum (vt vnicuique in arte medica versato oculos Reuerendissimi patientis intuenti satis perfectum esse confido) non adsunt, reliquum est, vt spiritus naturæ limites egressi, huius mali sint causa. Egrediuntur autem, vel quia deficiunt, vel impuri euadunt, quando Galenus primo de Symp. causis tradiderit, ad visionem spiritum copiosum, & purum omninò requiri. Cœterùm, spiritus in casu nostro non deficere ex eo conuincitur, quod Reuerendissimus patiens noster, non tantum quæ propè, sed etiam quæ procul videt, vt dictum fuit, sed quoniam nec exactè, nec distinctè eadem videt, idcircò spiritus humidos, ac valdè impuros esse existimo: nam sicuti ex Democrito spiritus siccus est anima prudens, ita humidus, & impurus, tanquam naturæ contrarius, actiones, quæ ab ipsa pendent, quin aliqua ratione peruertat efficere non potest. Spiritus autem hosce in Reuerendissimo viro deprehendo non solum quia capite calido, & humido, humiditatis excrementitiæ feraci est donatus, verum etiam quia illi sanguis excrementitius, ac pituitosus pro sui alimento suppediatur, mihi enim ventriculum satis frigidum, & ob id ad succi pituitosi generationem pronum in Reuerendissimo patiente videre videor. C D

Sed hic tria Problemata discutienda veniunt; Primum est, qui fieri possit, vt aliquo modo proxima melius cernat, cum id potius sit opus exigui, & puri spiritus, quàm copiosi, & impuri.

Alterum est, quomodo possit commodius videre in obscuro, quam in claro, quia occasione spiritus copiosi, & impuri contrarium accidere solet, vnde nascitur affectus ille Nictalops dictus.

Tertium, & postremum est, quidnam sit causæ, quod obiecta proxima oculis recta oblata peius, obliquè verò melius aspiciat.

Quantum ad primum attinet, dico illud accidere, quoniam cum spirituum vitio, vt videbimus, coniungitur pupillæ in vtroque oculo dilatatio, meritò cuius spiritus visorij disgregati, sunt in causa, vt distantia, aut vix, aut nulla ratione cernantur.

E Qua ferè ratione & secundum Problema soluitur, nam quamquam merito spirituum copiosorum, ac humidorum, melius in claro, quam in obscuro cernere Reuerendissimum patientem oporteret, quia tamen pupillæ dilatatio adiungitur, sub qua spiritus disgredati, in claro, atque aere actu magis illuminato adhuc disgregantur, propterea fit, vt melius quoquo pacto in obscuro videre contingat.

De tertiò verò Problemate statuo, quod si melius videret in claro, cum perspectiuis, profectò dicendum esset, ea melius, & commodius videri, quæ sub angulo maiori conspiciuntur, quoniam in maiori angulo copiosius lumen diffunditur, modo quæ obliquè oculis offeruntur sub angulo obtuso, & ob id maiori, quæ verò recta, sub nullo angulo, aut sub acutò, & ob id minori conspiciuntur], atque sic obiecta aliqua commodius cernerentur; Verum quoniam melius videt in obscuro, ideo dico obliqua melius videri, quia spiritus crassi magis attenuantur in obliquo, quam in recto, quo-

F niam in longiori distantia versantur.

Principia modo generationis huius imminutæ visionis in oculo euidentia subsequuntur, quæ pariter plura esse possunt; In præsenti verò vnica pupillarum dilatatio intuentibus diligenter, satis conspicua sufficiat, quæ cum possit à causa tum interna, tum externa fieri, hac seclusa, quando nec ictus, nec percussio aliqua occurrerit, circa illam solum est digrediendum. Causa igitur huiusmodi interna, nulla alia esse potest nisi tunicæ Ragoidis tensio, solet autem hæc tunica tendi vel per se, vel ex accidenti. & si per se, vel vt pars similaris, vel vt instrumentum. Si primo modo, tenditur ob siccitatem secluso humoris albuginei defectu; si secundo tenditur ob tumorem aliquem; Ex accidenti verò idem patitur tunica hæc, vbi humoribus repletur, qua ratione in præsenti casu tendi non dubito, non tantum quia singulis diebus manè oculi ob capitis redundantem humiditatem (vt Reuerendissimus refert patiens) sunt

G humecti, verumetiam quia illi magni, ac valdè prominentes sunt, & ob id apti ad suscipiendum à natura consistunt.

Et si quis obijceret repleta eadem tunica fieri angustiam pupillæ, quæ contrariatur omninò dilatationi, duos autem effectus contrarios non posse ab vna, & eadem causa pendere.

Respondent aliqui, non esse inconueniens duos effectus omninò contrarios pendere ab vna, & eadem causa, aliter atque aliter sese habente, & idcirco angustiam pupillæ ab humiditate pèr relaxationem eiusdem verò dilatationem ab humiditate eadem per tensionem fieri.

Sed contra hoc est instantia: quia quæcumque humecta sunt, concidunt, & relaxantur, vt etiam foramina, quæ in ijs reperiuntur, necessariò augustentur, quod contingere quoque puto Ragoidi secundum proprium foramen, quod pupilla dicitur, & eo

H magis, quia ei circumponuntur pelliculæ quedam, quæ humore imbutæ concidunt, & relaxantur.

Propterea soleo ego respondere, in dilatatione pupillæ ex humiditate illud idem accidere, quòd accidit vtero, vbi ad superiora retrahitur, nam eius ligamenta imbuta humore abbreuiantur, & veluti conuelluntur, proinde vterus adscendit. Sic si oculorum posteriora, & anteriora simul humoribus imbuantur, fit eorundem retractatio, & veluti conuulsio ad posteriora, vbi est eorum radix, vt necesse sit Ragoide tensa, & simul illuc attracta, magis quam par sit, secundum proprium foramen dilatari.

Causæ tandem extra oculum occurrunt, quæ sunt pariter externæ, & internæ; Externæ errata commissa in victus ratione, præcipuè verò in mutatione aeris, in curis, solicitudinibus, & studijs; Internæ sunt plures, & primum destillatio à capite omnis malitiei expers, solaque copia lædens, quæ est opus concoctricis facultatis cerebri, ob intemperiem humidam à scopo aberrantis, cui tamquam error externus fauent

vapores

vapores à iecore feruidiori, à ventriculo frigidiori, ac tandem à toto primum quidem ob calorem ad caput attracti (incumbit enim caput toti corpori veluti magna cucurbitula teste Galeno) deinde verò hoc tempore ad caput iam imbecille redditum transmissi, qui cum ab eiusdem calore minimè dissipari possint, ob frigiditatem densantur, & proinde destillationem augent. Altera causa est non tantum vitium viscerum nuper dictorum, sed & habitus plethoricus Reuerendissimi patientis. A

Qui vt curetur, à Platone in Carmide ex sententia Aesculapij minimè recedendũ, dicebat enim ibi oculos curari non posse, nisi caput, & caput, nisi totum prius curetur Quare primum totum à colluie excrementorum pituitosorum erit expiandum, deindè per topica discutientia, exsicantia, & moderatè adstringentia ex Aetio oculi erunt sanandi, tandemque per cerebrum siccantia, ac ventriculum calefacientia curandum, ne de nouo excrementa iam dicta generentur.

Quam prouinciam haud impossibilem fateor, nam malum non ex toto hecticum est & remedia hucusque adhibita aliquem fructum intulerunt; amplius, quæcumque humecta sunt siccari possunt, tandemque iuuentutis ætas, prudentia, ac obsequentia Reuerendissimi patientis non exiguam spem pollicentur. Verum prouincia hæc ab aliqua difficultate non est libera, quia malum est progressum, etsi non consumatum, contra plures causas est pugnandum, plenitudo vniuersalis, particularisque curationi reluctantur, ac demum Reuerendissimus vir continuò varijs negocijs, curis, studijs atque itineribus est implicitus. B

Quoniam tamen, vt dictum est, curatio possibilis existit, ideo ipsam exorsus à materia chirurgica propono, quæ materia primum vsurpanda ratione succorum, qui resident extra caput, deinde ratione eorum, qui sunt in capite.

Si ratione priorum, primum sectio venæ basilicæ ad tollendam plethoriam non solum tempore proximo futuro (quo instituetur curatio) verum etiam & singulo Vere probatur, deinde & hyrudines venis ani applicitæ præcipuè verò vnoquoque autumno, non displicent, quando sciam in Reuerendissimo patiente ob iecoris feruorem melancholiam subdominari. Ad hæc & Cauterium in femore dextro secundum partem domesticam gestatum, sicuti & frictiones, deligationes, lauationes, ventosationesque siccas extremorum iuges summoperè laudo. Ratione verò posteriorum succorum in cerebro redundantium, quia oculorum venæ valdè turgent, idcirco vel sectio venæ frontis, vel cucurbitulæ scarificatę (quas magis probo) occipitio, & cornibus capitis applicitæ videntur ex vsu; Huc pertinet vesicans occipitio applicitum. De cauterijs autem statuo, quod postquàm setaceum ad capitis partem posticam factum, noluit diu gestare, saltem cauterium ibi inuri ad plures menses admittat, quãquam etiam sciam (si in syncipite excitaretur) magis profuturum, non solum quia ventriculi cerebri anteriores, in quibus spiritus animales impuri manent, euacuantur, verumetiam quia per partem illam Cauterio obductam fumi adscendentes commodius exhalant. C D

Pharmaca primum vniuersalia, deinde particularia conueniunt, in priorum coordinatione, pro lenienda aluo bolus ex hiera deuoratus, & ab eo mel rosaceum soluens per modum apozematis bibitum probatur. Pro præparanti decotum betonicæ, eufragiæ, chelidoniæ, boraginis, & cicoraceorum, adiectis proprijs syrupis maximè conuenit; Pro purganti verò tum pilulæ cochiæ cum pilulæ lucis, vel sine quibus, tum Hiera Hermetis commendantur. Verùm quoniam per interualla opus habebit aliquo medicamento placido, & familiari, idcircò præter pilulas de tribus, cũ Rhabar. & de Hiera cum Agarico, adiectis semper pilulis lucis, ego duo probo; Primum sub aere calido, & est infusum myrabolanorum chebulorum, citrinorum, & Indorum, factum in aqna, vel decocto eufragiæ; Alterum sub aere frigido, & est cydoniatum factum

ex

E ex carne cydoniorum in decocto myrabolanorum dictorum cocta, adiectis cartami pulpa, & puluere radicis mechiocani,

Ad totius autem euacuationem insensibilem præter decoctum guaiaci, & salsæ, ego summis laudibus extollo, quod fit ex china, & ligno visci quercini, vtrumque autem medicatum cum cicoraceis, simplicibusque non modo capitalibus, vti betonica, & saluia, sed etiam ocularibus, vti eufragia, chelidonia, verbena, seminibus rutæ, & fœniculorum.

Particularia pharmaca sunt tum euacuantia, tum alterantia. Euacuantia materiam in capite, & oculis respiciunt, quæ si agant sensibiliter, sunt Catapocia iam dicta, masticatoria, atque herinna, neque hæc in affectibus oculorum vereor, quando sciã Galenum ipsa probare. Inter cœtera autem ego laudo illud Dioscoridis, quod ex succo anagallidis paratur. At si insensibiliter agant, sunt interna, & externa, in serie prio-F rum præter vtramque antidotum magnam, atque vtrumque diamuscum, potissimum sal theriacale, vel cranij humani cum conserua betonicæ ac eufragiæ probo, huc item trocisci viperini cum eisdem conseruis, vel extracto eufragiæ, & chelidoniæ vsurpati referuntur, sed præcipuè decoctum viperæ, atque columbi turrialis cum simplicibus capitalibus, & ocularibus videtur opportunum: lotiones quoque pro capite conueniunt, primum siccæ factæ cum furfuribus excalefactis, deinde humidæ cum vrina pueri impolluti, adiecta aliqua aqua thermali frigida; Topica autem ad oculos sunt, quæ nunc subijcio. Primum aqua Marina: Secundum est sanguis turturis, & columbi, ex Auicenna instillatus. Tertium aqua stillaticia ex conserua eufragiæ, macerata in decocto fœnugræci cui aquæ nonnihil salis Ammoniaci admiscetur, & dissoluitur. Quartum est decoctum guaiaci. Quintum theriaca cum melle, & vino dissoluta, ex Auicenna. Sextum Aqua Ioannis de Vigo, quæ

G

℞. *Hepatis hircini sani* onc. ij.
Antos m. s.
Sacchari candidi ex syruporos. drag. vj.
Nucis muscatæ
Cariophyllorum } añ. onc. j.
Croci
Fellis Caponum, Gallorum, Gallinarum an. drag. ij.
Aloe
Tutiæ
Antimonij } an. onc. s.
Sarcocollæ

H

Mellis drag. x.
Succi eufragiæ
Rutæ
Chelidoniæ } an. onc. ij.
Fœniculi

Contundantur contundenda, & incidantur incidenda, deinde mis. & bis distillentur in elambico vitreo, atque distillatum vsui seruetur.

Aqua etiam postremo loco mihi experta paratur ex vermibus in carne viperarum, ex vase vitreo obturato in fimo columbino sepulto putrefacta genitis, adiecta chelidonia, ab his enim per balneum Mariæ extrahitur liquor stillatitius, qui & ad oculorum siccationem, & ad visum roborandum valdè efficax esse solet. Quæ medicamenta vt diutius locum affectum contingant, & sic maiorem fructum inferant, liquores prædicti in vasculum aliquod argenteum, vel vitreum immittantur, quod respondeat orbibus oculorum, & os angustum habeat, ea tamen ratione, vt in eo ad aliquod temporis spatium oculi aperti detineantur. Aliqui laudant smaragdum in ea magnitudine, quæ oculis quadret excauatum, ac noctu super oculos velamine adligatum, & gestatum.

Quæ verò alterant caput, sunt ferè illa eadem, quæ siccant, ac insensibiliter euacuant superius proposita, quorum calor si timeatur, aliquot refrigerantibus castigari poterit, huc pertinent embrocæ ex therma aliqua temperata adhibitæ.

Ad ventriculi verò temperationem nullum pharmacum proponitur, quia vbi Reuerendissimus patiens ab erratis externis abstinuerit, ac iecoris feruor fuerit remissus, bene secundum ventriculum habebit.

Temperabitur verò iecur succo cicoraceorum, tum assumpto, tum admoto, maximè verò balneo aquæ dulcis, quod vnicè etiam ad reuellendum à capite conducit.

Cœterùm quoniam ex Galeno, vti etiam experientia docet, irrita sunt, quæcumque sint remedia, nisi debita viuendi ratio instituatur, ideo in casu nostro aer siccus, & in actiuis temperatus maximè conducet, sicuti humidus nebulosus, & crassus erit admodum noxius, quapropter loca propè mare Reuerendissimo patienti valdè erunt proficua. Cibus (in cuius serie omnibus præfertur caro tum viperina de more parata, tum pullorum cum pastillis ex farina carne viperarum, atque eufragia exceptis nutritorum) sit extenuans, & siccans, ac ab ipso vtatur puluere ex flore nucis muscatæ, eufragia, & saccharo, vel eo, qui ex carne accipitris assa, chelidonia, eufragia, betonica, fœniculis, & saccharo paratur. Vinum autem sub aere frigido medica tum cum guaiaco, & simplicibus ocularibus, sub alio verò aere, cum simplicibus ocularibus tantum medicatum bibat, semper tamen parcè; Aluus si spontè non fluat, pilulis de aloe fluens reddatur. Corpus modestè, ac tempestiuè exerceatur, somnusque longus, & profundus fugiatur, tandemque caueat ab omnibus animi passionibus molestis, dicebat enim Diuinus Plato frustra corpora curari, nisi à curis sint immunia. Deus autem trinus, & vnus ille sit, qui hæc omnia pro salute Perillust. & Reuerendissimi patienti fœlicitet, ac facilitet.

PRO NOBILI FOROLIVIENSI febre pestilenti correpto.

CONSVLTATIO III.

VT à Galeni Methodo in dignoscendis morbis 3. de Crisi proposita ne latum quidem vnguem in casu nobilis iuuenis recedam, prius ideam morbi, quo corripitur enodabo.

Dico igitur hanc febrem esse putridam, quam calor subsequutus rigorem perseuerans cum exacerbatione singulis vesperis, pulsus frequentia insolita, ac vrinarum cum turbulentia crassitudo, satis apertè demonstrant, quæ omnia simul in alijs febribus vix vnquam est reperire. Quinimmò si diligenter proprietates huius febris expedam,

F expendam, eam ex serie continuarum, ac pestilentium constituendam esse haud hesito, quando nunc immunis à rigore progrediatur, atque symptomata ea, quæ venenatæ, & perniciosæ qualitati, verò pestilentium febrium caracterismo, attestantur, eidem associentur, sunt autem hæc vrinæ subiugales iumentorum lotio similes, pulsus quædam vicissitudo, vt ex languore, & frequentia insolitis aliquando ad naturæ statum accedere videatur, quod accidere omninò existimo, quoniam febris, de qua agitur, magis qualitate illa secreta, quam calore lædit: His accedunt & quamplura alia huic qualitati attestantia, nimirum, alimenti fastidium, aluus fusa, & liquida, macularum per cutim eruptio, ac tandem post aurem dextram parotidis rudimentum satis apparens; quæ omnia calore natiuo lacessito, atque natura à praua qualitate irritamentum perpessa, originem ducunt; Cœterum & symptomata melancholica, nempè pauorem, timorem, ac fletum suborta fuisse nõ miror, quando scribat Galenus 3. Locorum affect. 7.
F occasione affectuum febrilium, melancholicum, inducta cerebri tenebricosa affectione suboriri. Ad hæc & febrem prædictam de genere continuarum non continẽtium, sed proportionatarum biliosarum esse indicant exacerbatio singulis diebus facta, nec non temperamentum patientis biliosum, bili tamen succos melancholicum, & pituitosum admisceri à subtemperie melancholica, tempore anni hyemali, ac ætatis externis collige. Ex quibus ni fallor idea morbi, de quo agitur satis, superque liquent, vt iam de illius constitutione mihi sit agendum.

Prius tamen è medio tollendus est scrupulus quidam, qui verò fieri possit, vt morbi huius exacerbatio fiat in vespera, cum tamen bilis circa meridiem moueatur.

Dicendum id euenire, quia in mixtione succi frigidi saltem secundum quantitatem prædominantur, qui cum in vespera moueantur, non est mirum, si febris illos subsequens eadem hora exacerbetur, & si bilis prædominio virtutis periodum tertianam efficiat.
G

Redeo itaque ad institutum, ac statuo febrem iam propositam pendere à vapore putrido, & venenato cordi ex propria minera communicato; Minera autem hæc est biliosa, pituitosa, & melancholica (vt ex dictis constat) quæ habet suas causas generantes, tum in iecore calidiori, tum in ventriculo frigidiori, putrescitque in venis meandijs à corde remotis, quoniam febrem proportionatam inducit, & putredinem nanciscitur ob prohibitum transpiratum illatum ab obstructione, quæ propter errata in victu à lentore, & crassitie humorum ortum ducit. Verumtamen putredini iam dictę & qualitas, conditioque venenata adiungitur, quæ præter apparatum morbosum corporis; Agens corrumpens, ac formæ humanæ aduersarium supponit, quod in humano corpore valeat materiam venenum æmulantem producere, sicuti testatum reliquit Gal. 6. Loc. aff. 5.

H Qui secundo loco dicebat 3. de Crisi à principio proposito, in morbis perpendendam esse magnitudinem, quam in patiente nostro, si non ratione essentiæ febris (quæ vbi pestilentiam sibi adsciscit, pusilla est secundum Gal. 5. Simpl. capite de terra Samia) saltem ratione Symptomatum adesse non hæreo, nam dolor capitis grauans mę-ror, & mæstitia, cum lacrymarum affluxu, pulsus imbecillus, vbi fastidium, sitis inexplebilis, vrinæ turbatæ, crassæ, atque similia symptomata magna febrem nostram concomitantia, sine dubio de illius magnitudine fidem faciunt, vt si non ratione caloris, vt dictum fuit, febris hæc in propria essentia magna dici possit, saltem huiusmodi ratione venenatæ qualitatis existere putem.

Tertiò, loco considerandus mos morbi, qui quoniam ex symptomatibus magnis mox apparentibus colligitur, in hac febre, cui satis insignia superuenerunt accidentia, tumor nempè post aurem dextram, macularum eruptio per cutim, & aluus fusa, & liquida locum habet, ex quo iure febrem hanc non tantum magnam, vt dictum fuit,

verumetiam

verumetiam, & malè moratam, ac maleficam constituendam esse, non diffido.

Postremò in morbis occurrit motus perpendendus, qui à signis coctionis, & cruditatis pendet; hæc autem ex Gal. 9. Meth. cap. 5. duplicia sunt, pulsus, & vrina. Quia igitur pulsus in nostro patiente satis languidus obseruatur, idcirco & calorem innatum instrumentum coctionis haud bene valere putandum, quo fit, vt sicuti hic ipse tardè coctionem est moliturus, ita etiam, & febris proposita tardi motus sit futura. Pariter quoniam vrinæ crassæ, ac turbidæ sunt soboles cruditatis, dubio procul febris non ita citò ad statum perueniet, in quo maximè timendum est de vita Nobilis iuuenis, quando maximus obseruetur recessus à naturæ statu in tanta malorum syndrome, sub qua viscera ferè omnia male afficiuntur, tandemque (vt pulsus languor docet) malè affectus omnes prædicti à nostro patiente tolerantur.

Danda tamen est opera, vt quantum fieri potest, subleuetur, quod Medicus assequetur, si putredinem factam eradicet, fientemque per refrigerantia, & siccantia, attenuantibus, ac detergentibus obstructiones reserando, corrigat, ac si qualitatem demum venenatam alexipharmacis domet; Indicationis autem à febris essentia petitæ nulla fit mentio tamquam eius, quæ vix vrget.

Quibus propositis scopis, tametsi spes sanationis adeò sit dubia, nihilominus, quia hæc ipsa ex Celso, longè melior est, quam exitium, idcirco ad materias præsidiorum descendo, & de chirurgica statuo maximè conducturum, si Cucurbitulæ partibus infernis cum scarificatione adhibeantur, vel venis ani hyrudines applicentur; A quibus ad vesicantia extremis applicita deueniendum omninò esse existimo, sicuti & à frictionibus humidis ex hydreleo cum nitro, vel spongia madefacta in vino decoctionis camomeli factis non abhorreo. Atque tumor post aurem ad suppurationem perueentus, quam Medicus curans omni studio procurare debet, attracta etiam materia, si res postulabit, per cucurbiculam applicandam est aperiendus.

Pharmaca redigo interim ad euacuantia, & alterantia, in serie priorum primum lenientia sexe offerunt, quocirca putarem ego aluum statim liquandam esse clystere emollienti, deinde si coctio apparuerit, tempore suo purgans ex infuso Rhab. Senæ, & Agarici adiecta manna cum decocto cordiali laudarem.

Alterantia, vel humorum cruditatem, vel perniciosam qualitatem, vel viscerum intemperantias respiciunt. Priora in vnicam humorum præparationem referuntur. Quare decoctum cicoraceorum, pentaphilli, & scordij, boraginis, & seminum citri cum syrupis accommodatis (& eo magis, si in iusculo pulli paretur) mihi non parum arridet. Quod si qualitatem venenatam hæc alterantia respiciunt, præter margaritas, cornu cerui vstum ex aqua florum citri data, præter scordium cum bolo armena lutea, ex conseruis cordialibus datum, & confectionem ex hyacinto, vel Alchermes dictam, & aquam nostram, cordialem nuncupatam laudo, quamquam, & Antidotum magnam mediæ ætatis, aut antiquam cum acido tamen citri castigatam omnibus præferendam esse sciam. Sed & medicamenta eiusdem census, cordis regioni adhibenda; Quocirca epithemata cardiaca omnia, & oleum iasminum, vel florum citri cum gallia muscata, item theriacam cum speciebus cordialibus pro epithemate in aceto liquatam, postremoque oleum contra venena Magni Ducis Hetruriæ non tantum cordi, sed omnibus partibus pulsantibus adhibitum probo.

Finita febre (quod D. O. M. concedat) viscerum intemperantiæ confectione ex tribus sandalis, aromatico rosato, & conseruis Cardiacis erunt amouendæ, quæ omnia vbi ad vsum deducuntur, conandum erit, vt post aurem tumor suppuretur per oleum amygd. dulce, & butyrum illita, per cataplasma ex radicibus Alteæ coctis, farina triticea, adipe suillo, & oleo amygda. dulci cum modico croci factum, disrupto abscessu medicamentis consuetis vti licebit.

Quibus

E Quibus omnibus par viuendi ratio est adijcienda, quæ meo iudicio in selectione, & recto vsu alimentorum præcipuè sita est. Quam ob rem cibus multi, & boni succi parum, & sæpè, contemperans verò datus probatur, ideo lutei ouorum ex iure, ptisana hordacea immixto succo carnis Caponis erit valde accommodata, quæ magis proderit, si in iuribus incoquantur borago, acetosa, pulpa, & acidum citri, eisque immisceantur, margaritæ in acido limonis liquatæ, vel pulueres cordiales pro cibo parati; Bibat oxysaccharum, & vbi opportunum fuerit, vinum album odoratum, aqua rosacea dilutum, quod & in maximo virium languore cibis etiam immisceri poterit; Quinimmo & ipsummet vinum Creticum cum aceto, & aqua rosacea permixtum, adiecto croco, testibus, ac partibus pulsantibus ex pettijs lineis adhibitum plurimum valet.

Atque hæc sunt quæ in proposito casu mihi dicenda occurrunt, quæ vt in salutem nobilis patientis cedant à D.O.M. vehementiorib. quib. possum precibus contendo.

F

PRO ILLVSTRI, AC REVERENDO ADMODVM Domino Hercule Bazano Archipresbyt. Vineolensi febricula, sinistri testis defectu in proprio loco, verminatione, Hypochondriaco affectu, ac tumore duplici in abdomine scilicet, ac inguine laborante.

CONSVLTATIO IIII.

G

MORBI, qui Virum Illustrem, & Admodum Reuerendum solicitant sunt certè plures, inter quos ni fallor primum veluti morbus communis, atque totius sese offert febricula illa, quam de genere Hecticarũ esse demonstrant, tum præterita, tum præsentia, audio enim ob insignem ad gingiuas, & malignam destillationem medicationi longæ, ac iugi per decocta calefacientia, atque siccantia sese tradidisse, à quibus ob corporis constitutionem calidam, & siccam, facilè in solidis partibus intemperiem cognatam concipere potuit, quæ cum vix ab illustri patiente sentiatur, & suo calore æqualiter affligat, ad locumque arteriarum præcipuè mordeat, sine dubio febris Hectica erit, non quidem in habitu, sed in habitudine, non secundi, ac tertij gradus, sed primi tantum, sub quo humiditas rorida in corde H efferuescit, extra cor absumitur, nam patiens febrem aliquo modo sentit, & pulsus ipse adhuc fortis adest.

Nec obstat, quòd corpus emaciatum valde (quale est nostri patientis) sub Hectica febre sit indicium eiusdem in secundo gradu, quoniam præsentem emaciationem non à febre adhuc, sed à medicatione illa, coagente etiam habitu naturali, subortam fuisse puto.

Alterum vitium secundo loco est morbus in numero deficienti, deest enim illi in proprio loco testis sinister, cum tamen nec incisionem, nec aliquid aliud ibi circa scrotum ab aliquo externo perpessus fuerit, quod ego ei credo contigisse, quoniam cum adhuc puer esset, sursum ipsum impulit ad inguem, vt propterea ibidem esse pro certò sit habendum.

Tertiò, occurrit verminatio, quam in vermes teretes dictos referendam, qui per os fuit excretus vermis, clarè demonstrat.

Verum

Verum, & Hypochondriaca passione detineri præter mærorem, ac mæstitiam ex ptyelismo, alijsque ad Hypochondria Symptomatibus attinentibus facilè est intelligere.

Subest & quarto loco tumor in abdomine secundum partem mediam supra vmbilicum ad vtrumque ferè Hypochondrium pertingens, quem de serie scirrorum exquisitorum durities cum immobilitate, ac doloris absentia docent, & quamquam de illius sede aliqua posset esse difficultas, quoniam tamen ventriculi, ac intestinorum actiones illæsæ obseruantur, ad meserei glandulas eundem attinere putarem, sed vtinam, & viscera naturalia vtrinque reposita labem aliquam ex eo non contraxerint, cuius ex sensatis non leuis oritur suspicio.

Postremo adest alius tumor in inguine sinistro pro maiori parte regionem circumsitam occupans, ac parui casei communis magnitudinem figuramque referens, visui siquidem, ac tactui subiacet. Circa cuius naturam, ac ideam valdè anceps hæsito; certum enim est ibi tumorem non tantum ab aliqua materia substracta, sed etiam ad aperto aliquo meatu, vt in ramice accidit, an parte aliqua abdominis, vti intestinis, & omento à propria sede delabentibus excitari posse.

Atqui tumorem secundi ordinis minimè subesse ex eo conuincitur, quod illustri viro decumbente, vt fieri solet, tumor non delitescit, præterea inter corpus mouendum, siue per incessum ascendendo, viciſsim & descendendo, siue per equum, & currum id fiat, molestiam, ac noxam solitam pati in hisce tumoribus, haud patitur, quibus accedit, quod si tumor hic fuisset ramicosus, iam grauiores ruinas intulisset, ac ex aduerso tumor hic maiorem duritiem, quam ramex habere soleat, præseferre videtur; Vt hisce omnibus argumentis permotus ad credendum inducat, tumorem hunc ex materia substrata pendere.

An verò materia hæc sit spiritus flatulentus, an minera, & si minera an humor, an serum apud me est maximè controuersum.

Quoniam si esset flatus, vel tumor inquam esset flatulentus, absque dubio percussus sonum ederet, modo augeretur, modo decresceret, insignisque tensio præsens esset, vt manui prementi nullo modo cederet, quæ haud obseruantur in tumore proposito.

Sed neque est humor, quia tunc necessariò vnus ex quattuor humoribus esset, vnde tumor hic vel inflammatio, vel erisipelas, vel œdema, vel scirrus existeret, nullus autem horum est, ergo non pendet ex humore.

Primum non est inflammatio, quoniam nec dolor cum calore, rubedine, & pulsatione, nec febris adsunt. Non Erisipelas, quia præter absentiam doloris, & caloris tumor non est in cuti tantum, vt solet esse Erisipelas externum. Non oedema, quoniam non est tumor laxus, indolens, foueam retinens, ac omnino albicans, tandem non scirrus, quoniam hic ipse omninò durus est, & immobilis, non irritatur à medicamentis etiam leuioribus, sed tumor noster aliquam mollitiem, ac mobilitatem habet, & quolibet medicamento, vel miti recrudescit. Verum nec à sero pendere pro certo habeo, quoniam tumores ex aquoso succo modò magis, modo minus tenduntur, tactui non renitent, non dolent (& pruriunt) quorum nullum hic locum habet.

Sed an materia subiecta sit Caro adhuc dubium est, quoniam esset Caro, vel musculosa, vel glandosa, non primum, quandoquidem nulla occurrit ratio, ob quam ibi sanguis collectus potuerit in carnem commutari, & eo magis quia eo loci glandulæ subitant.

At neque Caro glandosa videtur esse, quoniam, vt omnes chirurgici (præcipuè Guido) fatentur, glandosus tumor inter alia hæc habet, vt sit paruus, mollis, mobilis, & omninò à partibus circumiacentibus separatus, quæ hic non reperiuntur.

Verum

F Verum quoniam in patiente Admodum Reuerendo testis sinister ob rationem iam dictam in proprio loco deficit; aliquis non immerito suspicari posset, testem sursum ad inguem impulsum ibidem tumorem hunc excitare, sed reuera, nec id admittere possum, nam tametsi existimem ego circa locum tumoris testem reperiri, intactum tamen esse, vt in pluribus obseruaui, ac tumorem haud ab illo pendere puto, aliàs dolorem insignem, inflammatione sibi adiunxisset in tanto augmento.

Quid igitur statuendum? Statuerem ego tumorem hunc esse tumorem glandosum. Atque hoc tum experientia, tum natura loci confirmarem, experientia, quia sæpius in cadaueribus partes hæ tumidæ dissectæ fuerunt, ac nil aliud fuit obseruatum, nisi substantia glandosa insigniter aucta, foraminulenta, & madida, per foraminaque insignem aquæ copiam perfundens. Adhuc in viuentibus tumores aliquos ibi exortos vidi dissectos, & nil aliud obseruaui, nisi excretionem materiæ albicantis, aliquando F etiam substantiam ipsam glandularum redolentis, quæ verè casei tenelli substantiam æmulabatur. Et hoc potissimum vidi in Medico quodam clarissimo, cui tumor similis in inguine, sed paruus subortus fuerat.

Natura pariter loci idem suadet, nam glandulis varijs est refertus, vt si contingat ibi tumorem excitari, necessarium veluti sit fateri, eundem materiam glandosam sapere.

Quorum omnium malorum (excepto illo defectu testis) causa communis est diuersus caloris natiui corruptionis modus, nam hic ob vsum medicamentorum calefacientium secundum propriam qualitatem adauctus, potuit in patiente calido, & sicco febris hecticæ solidas corporis partes ad similem intemperiem permutando, occasionem præbere. Rursus idem calor ab obstructionibus veluti strangulatus refrigeratusque, ac ob pabuli defectum occasione causarum dictarum imminutus, vnica hu-G moris pituitosi causa generans euasit. Verum quoniam deficiente calore naturali, calor præternaturam in visceribus insignis excitatur (ea enim est contrariorum conditio, vt absente contrario, contrarium existat) hinc & succi melancholici generandi occasio suborta fuit, qui ambo humores in venis hypochondriorum detenti, veluti ebullientes phlogosim, & proinde affectum hypochondriacum suscitant; at in gladulis mesenterij collecti tumores scirrosum in abdomine generant; rursus humor pituitosus tantum crassior tamen à ventriculo, atque capite descendens, per intestina propagatus, ibique putredinem nactus, vermes illos teretes, aquosior verò ad inguem sinistrum tamquam ad locum occasione testis illuc transmissi languidiorem, & per glandulas illas distributus, in ijsdemque imbibitus tumorem illum glandosum excitauit, cui peculiariter sicuti quondam fauit, ita nunc fauet testis ille vicinus, tamquam is, qui per resudationem materiam aliquam seminalem, tenuem tamen magis, quam de-H ceret, ob impeditum sanguinis liberum transcursum ex compressione vasorum deferentium à mutato situ orta, communicat inguini vicino, quod eo magis euenire credendum, quod vitæ religiosæ patiens addictus, à venere prorsus abstinet; Accedit, quod non leuis suspicio præsens est tractionis alicuius vasis spermatici; Quibus omnibus tumorum causis adijcienda est cacochimia, quæ ex cohibita venarum ani euacuatione, patienti aliquot interuallis consueta, iam à pluribus mensibus coaceruata est, & coaceruatur, quam etiam ad suffocandum calorem innatum non parum valere existimo.

Verum enimuero, vt ingenuè fatear mala hæc, & numero longè plura cum insigni recessu à statu naturæ, in corpore toto, totaliter morbido, ac senili curationem non admittunt, immo aliud formidabile occasione illius tumoris ad inguen impendet, nam auctus tumor ille, & meatum vrinarium claudere, vrinamque supprimere poterit, rursusque cum ad os Ilium nunc pertingat, suspicandum est, ne eadem ratione

auferat

auferat cruris motum. Cum itaque curatio sit impossibilis, quid de præseruatione? A quam etiam, vt liberè loquar, difficilem valdè futuram confirmo, præcipuè ob ętatem; cui accedit, quod tumor ille in inguigne à leuioribus etiam medicamentis irritatur, vt febris quoque periculum sit, ne superueniat, nam cum medicamenta omnia, quæ adhibentur, necessariò calida sint, flatus concitant, ac inflammat, vt facilè sit in corpore alioquin ad febrem maximè disposito, ob vasa effatu digna tumori substrata, calorem cordi facilè communicantia febrem suscitari.

Vtcumque tamen decet, ac pium est nil intactum relinquere, quod possit Reuerendum admodum patientem nostrum aliquantisper à tot corporis ærumnis subleuare, ea ratione saltem, vt docebat Hippocrates primo Epid. si Medicus non prosit, ne q uid noceat.

Quod tentare licebit, si totus corporis habitus non dicam moderatè refrigeretur, sed sub santificè humectetur, obstructiones resereutur, materiæ tumorum discutiantur, euacuentur que, & si quæ fluunt auertantur, cacochimia tamen prius in toto detrahenda, à quibus omnibus in reparationē caloris natiui, totis viribus erit incūbendū. B

Quamprimum igitur, vt venæ ani hyrudinibus aperiantur, ac aliquot interuallis idem genus remedij medicus curans, adhibita tamen diligenti præmeditatione moliatur, fonticulus etiam in crure sinistro fia, dummodo tamen alter in brachio eiusdem lateris sanetur, etiam atque etiam laudo, frictiones interea, deligationes, lauationesque iuges, sed leues partium supernarum non improbo. Sed & materia tumoris per apertionem loci est expellenda, nam solet materia tumorum transponi, vel expelli, transponitur impellentibus, & attrahentibus, impellentia non conueniunt; Ideo in serie attrahentium hyrudines, ac fonticulus proponuntur, & nunc pro expulsione materiæ apertio tumoris adhibitis prius suppurantibus proponitur, apertio autem ferro fiet prius tamen adhibito Caustico. C

Quantum ad pharmaca, incipiendum à communibus; quare aluus lenienda melle ros. sol. & syrupo de polypodio; Humores maturandi Iure pulli medicato ex betonica, boragine, cicorio, agrimonio, coriandris præparatis, additis syrupis de betonica, & de boragine, qui tandem sunt educendi medicamento lenienti proposito, cui nonnihil agarici trociscati addere non vererer, quod & sæpius repetere maximè conducet, nam à fortioribus abstinere oporteret ob rationes per se notas, & quas ex dictis facilè est intelligere, maciemque potissimum.

Verum ne natura assuefiat, mutandum erit interdum, ideo & electuarium lenitiuū cum culpa cartami, vel diacitoniten, quod fit ex carne cidoniorum in vino decoctionis polypodij, & epitimi cum anisis cocta, demunquem puluere radicis mechiocani adiecto conuenient.

Sed & pro totius expiatione à succis prauis, ius pulli iunioris, aut etiam columbi D domestici, in cuius ventre china cum capillo veneris citrac, cuscuta, seminibus citri, melissa, & alijs simplicibus supra nominatis sit decocta, opportunum mihi videtur.

Moxque ad priuata medicamenta deueniendum, quæ ad partes vel mandantes, vel recipientes pertinent.

Si ad mandantes sunt alterantia, & irritantia, alterantia quidem iecur, & ventriculum, omnia tamen familiaria, & amica, ideo succus cicorij cum iure pulli, in quo alterum sandalorum genus fuerit incoctum per plures dies assumptus, hypochondrioque dextro cum modico aceti adhibitus pro iecore maximè probatur. Grana masticis, cortex citri saccaro conditus, & nux myrristica pariter condita, sicut linimentum ex oleo amygd. dulci decoctionis in duplici vase masticis, nucis muscatæ, & modici absyntij, itemque vnguentum stomachale, ac stillicidium ex prædicto oleo, lanamque tyriam Galeni gestatam super ventriculum, pro eodem ventriculo summopere laudo.

E Venæ autem ani meo iudicio irritandæ, tum iniectionibus ex aqua Tettuciana, vel salita, & aluminata, tum suppositorijs cum aloe præparatis.

Si verò ad partes recipientes præsidia referantur; pro scirro me se rei præstabit ante syrupum chinæ pilulam offerre ex amoniaco factam, ac in eodem iure emollientia simplicia, vti alteam, maluam, caricas, palmulas, & passulas incoquere plurimum expediet.

Exterius ceratum ex oessippo Galeni, vel oleum seminum lini ad spissitudinem cocto, vel diachilon magnum cum pari portione ammoniaci, & qnarta parte pulueris sabinæ, fecisque vini dulcis, exceptis omnibus succo angallidis, proficua admodum erunt, sicuti & emplastrum filij Zaccariæ vocatum erit valdè accomodatum.

Tumor in inguine suppurandus, si possibile erit, primum embroca ex oleo amygd. dulci, vel decocto alteæ, maluarum, caricarum, & dactilorum pinguium, secundo F emplastro ex radicibus alteæ coctis farina triticea, butyro, adipe suillo, & oleo amygdalino dulci, cui cępa liliacea, & crocus addi poterunt. Huc etiam ceratum diachilon gummatum, & quod ex mulcilaginibus fit, est referendum; Mox suppurantibus, aliquando erodentibus, absumentibusque substantiam illam glandosam, modestis tamen, sicuti eo, quod ex præcipitato cum butyro, vel caustico vulgari paratur, vtendum est, tandemq; sarcoticis, sicuti puluere thuris, aloes, ac masticis vlcus implendum atque agglutinantibus vti cerato Phænicino omnino sanandum.

Sed non propterea vermium, febriculę, calorisque natiui iacturæ non est habenda ratio. Pro illis igitur vsus pulueris cornuceruini in cibarijs, vel iure decoctionis graminis, adiecto succo arancij, seu limonis continuus, item & amygdalæ amaræ, vel nuclei persicorum in prima mensa commansa faciunt.

Pro febre verò hectica, tum lac ab vberibus fæminæ bene habitæ, & carnosæ op-G timis cibis nutritæ suctum, tum balneum aquæ dulcis, si vires permittent, Vnguentumq; pro spina dorsi vocatum eidem spinæ, totique thoraci illium sunt accomodata.

Pro caloris natiui iactura, tantillum theriacæ mediæ ætatis, & confectionis alchermes vicissim assumptum, dummodo succus, aut Ius carnis caponis, perdicis, vel phasiani statim post bibatur mihi arridet.

In victu interim ab omnibus erroribus caueat, omnesque repletiones, cruditatesq; deuitet, ac bonis vescatur cibis, ouis inquam, carnibus selectissimis, ptisana hordeacea cum carne, emulsione amygd. dulcium fisticorum pinearnm, succis, vel distilatis carnium propositarum, & ante omnem cibum assumat vnum, vel alterum haustum iuris optimi, vel distillati. Et quoniam in longis medicationibus assuetas ciborum oblationes ægri non parum auersantur, idcirco laudo, vt patienti nostro concedantur pisces aliqui, vti petrosi, ac in aquis claris viuentes elixi. Poma, & H pyra dulcia cocta, passulæ; pruna, sed non austera, fistici, amygdalæ pineę, endiuia, cicorium, atque borago. Vinum bibat tenue, non austerum, non dulce, medicatum cum china, liquiritia, floribus cordialibus, & coriandris præparatis, quod (si non sit pauci ferum) aqua cum simplicibus illis cocta diluatur. Aluus mollis conseruetur clysteribus ex ptisana hordeacea, butyro, & melle albo dispumato paratis. Reliqua verò omnia prædictis consentientia sint, & eaq; Reuerendo admodum & Illustri patienti plurimum conferant Deo annuente.

Pro

A

PRO ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO ARCHIEPISCOPO *Ba iensi, ac Nuncio Apostolico caloris natiui paupertate laborante.*

CONSVLTATIO V.

QVOD Illustrissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus, Nuncius Apostolicus sibi abhinc per plures annos insignem caloris natiui paupertatem, spirituumque non leuem dissipationem nactus fuerit, ex multis persuaderi licet, primum quidem ex pulsu valdè languido, ac exili; ita, vt hic ipse ad naturalem comparatus omninò dissimilis existat; Secundò ex eo quod ægrè, ac difficulter Artus, & ferè totum corpus moueat, quod nulla alia ratione contingere potest, nisi ob spirituum vnicum defectum, sed & status trium coctionum, quæ fiunt in corpore Illustrissimi patientis idem suadet. Coctiones enim vbi secundum naturam procedere debent, commensuratum calorem, commensuratosque spiritus natiuos exigunt, quibus deficientibus necesse est, & ipsas non subsequi prout deceret, quod contigisse in casu nostro haud est difficilè vnicuique per illas discurenti cognoscere. Idcirco si primam coctionem perpendo, eam valdè imminutam obseruo, quoniam cibi pro maiori parte in qualitatem acidam mutantur, refert enim Illustrissimus patiens, se non exiguum acorem in gustu præsentire, in cuius rei confirmationem illud etiam extat, quod non raro, aut cibum ferè crudum euomit, vel si id non contingat, multos flatus ex cibo, quamuis optimo, ac laudato sibi comparat, à quibus sæpe sæpius hora præsertim coctionis excitatis dolore ventriculi torquetur, quæ omnia, vt de se liquet sunt soboles frigiditatis ventriculi.

B

C

Et quamquam ille sitiat, id tamen puto referendum non solum in feruorem, & calorem iecoris extraneum à contumacibus obstructionibus ortum, ac ori superiori ventriculi communicatum, verum etiam & in hoc quod nempè ventriculus per vomitum, ac per dissipationem humidi primigenij omni ferè humiditate destitutus in huiusmodi apetitum incidat oportet, quibus & illud accedit, quod in simili casu nonnonquam à calore extraneo rudimentum aliquod putredinis excitatur à quo sitis (vt hydropicis accidit) fieri solet.

Sed in secunda coctione pariter eandem caloris natiui iacturam obseruo, potissimum propter id, quod scrotum secundùm partem sinistram succo aquoso refertum iam habuit, qui succus etsi facta perforatione exierit, denuo tamen perseuerante adhuc causa illius generante, imminutione inquam caloris natiui ipsius iecoris, ibidem collectus est, & proinde scrotum secumdum eandem partem valdè in magnitudine adauctum obseruatur; quinimmò præter aquam, & Caro quoque in illo concreta dura admodum sentitur, vt propterea ramice aquoso, carnoso, scirrosoque simul afficiatur Illustrissimus noster patiens. Vtcumque tamen, quoniam illius aquosi succi generatio pendet ex iecoris perfrigeratione, calorisque natiui paupertate, ideo non difficilè intelligere, quam valdè natiuus calor respectu secundæ coctionis sit labefactatus, & lacessitus, quem pariter affectum esse respectu tertiæ coctionis animaduerto, tum propter maciem insolitam, tum propter pallorem, quo multis ab hinc mensibus inficitur.

D

Et quamquam hæc sint cladis caloris natiui in tertia coctione ratione totius certissima testimonia, hoc, quod eundem calorem in hac eadem coctione ratione cerebri

F potissimum valde labefactatum esse demonstrat, non est prætereundum, quod vir illustrissimus destillationem à capite insipidam, aut saltem ab acri, salso inquam, & amaro sapore immunem patitur, cuius destillationis origo solet esse frigiditas; Ab hac tamen destillatione mala omnia iam recensita, de quibus in casu nostro sunt querelæ, foueri, & in dies magis, ac magis augeri dubito, quando sciam ab vnica destillatione omnes præter naturam affectus corpora humana infligentes oriri.

Totam autem huius caloris, ac spiritus innati labem in errores externos ipse refero, præcipuè verò in vsum aeris natiuó frigidioris, per plures enim annos in Sabaudiæ, atque Galliarum regionibus moratus, & diu, noctuque vagatus fuit, quibus in locis aerem Romano, ac Neapolitano illi natiuo frigidiorem nemo est, qui dubitet. Vsus etiam est illustrissimus patiens varijs, & copiosioribus, quàm deceat, cibis, itemq; potu gelido, quæ omnia quantú calorem natiuum diminuere possint, vnicuique perspectum est. At eandem caloris labem cum corporis, tum animi motus immoderatus peperit, adeo enim corpus exercuit, adeo grauibus curis, & negocijs fuit implicitus, vt coacto fuerit propter hæc, atque vigilias, quæ illis adiunguntur, prædictam ruinam incurrere, cui non parum fauit vsus medicamentorum tum euacuantium, tum alterantium importunus, ac intempestiuus. Verumtamen præter hos errores, licet & in præsenti addere promptitudinem passi, vbicumque enim causæ prædictæ occurrunt patienti habitus gracilioris, & rari, ætatis inclinantis (quæ omnia in illustrissimo nostro patiente concurrunt) facilè fit, vt calor natiuus lacescatur.

Quibus ita constitutis, satis apparet totum Medici studium in vnicam natiui caloris, & spirituum reparationem esse dirigendum, amoris tamen prius impedimentis, quæ sunt intemperantiæ viscerum, præcipuæ verò capitis, & ventriculi, ac totius cacochimia, meritò igitur illarum, caput erit alterandum ad calidum, potissimum G verò ad siccum, ventriculus ad calidum, & humidum substantificè, meritò verò huius corpus vniuersum à succis frigidis expiandum.

Quos scopos vtrum Medicus possit obtinere, necne, postquam omnes coctiones, quæ in corpore fiunt, sunt vitiatæ cum insigni caloris natiui noxa, vt dictum est, atque pene totum corpus ob varias ferè omnium viscerum affectiones malè se habet, facultasque regitiua totius languet, impossibile veluti videtur; quoniam tamen plurimum fidendum est in prudentia illustrissimi patientis, & obsequentia, sperandum fore puto, vt si mala ex toto non finiantur, saltem pro maiori parte imminuantur, itemque grauiores ruinæ præcaueantur.

Qua spe concepta ad materias medicas deuenio. Et quantum attinet ad chirurgicam, nullam illi ex vsu esse posse pro certo habeo.

Versandum itaque circa pharmaca, & victus rationem. Pharmaca ergo, quæ mihi H opportuna videntur redigo ad euacuantia, & alterantia. In genere euacuantium aut clysteres modo acriores, modo mitiores, aut mel rosatum solutiuum cum decocto cartami laudo, aliud enim proponere non auderem, quippe sciam omnia alia medicamenta euacuantia citra noxam, & labem caloris natiui agere non posse.

In genere verò medicamentorum insensibiliter euacuantium mihi maximè arridet China in ventre pulli decocta, adiectis betonica, boragine, menta, coriandris, passulis, & mastiche, quod genus medicamenti humiditatem excrementitiam citra noxam aliquam humiditatis substantificæ absumere solet; Huc pertinet & Antidotus magna mediæ ætatis, quæ ab Andromacho serena dicitur, hæc enim omia excrementa absumere, ac simul calorem natiuum ex Auicenna recreare potest. Cœterum si occasio postulabit, licebit etiam de aliqua euacuatione particulari ipsius capitis, potissimum verò de illa, quæ fit per herrinæ, medicamenta cogitare, ea tamem diligentia, vt quæ modesta, & mitia sunt eligantur.

Quan-

Quantum verò attinet ad alterantia, ac roborantia, si calorem natiuum respicio, omnibus præfero theriacam iam propositam, confectionem tamen ex hyacinto, & quæ alchermes dicitur, haud negligo, potissimũ verò si ab his per modum apozematis ius pulli consumptum, & cum boragine alteratum offeratur; Quæ medicamenta regioni cordis illita non improbantur, & eo magis si cum succo boraginis, & buglossę liquentur, sed per maiora interualla, & non ita frequenter his erit vtendum. A

Quod si animum ad caput conuerto, præter conseruas capitales mixta cum conserua boraginis hora somni deuoratas, ego laudo frequentes capitis eiusdem lotiones factas cum lixiuio dulci decoctionis betonicæ, verbenæ, sampsucis, baccaræ, rosarum, camomelli, & sandalorum, ea tamen ratione, vt saponis loco vitellus oui assus substituatur. Huc referantur etiam lotiones siccæ, quæ solent cum furfuribus excalefactis adhiberi, ceratum quoque ex descriptione Montagnanæ vertici capitis adhibitum maximè conuenit. B

Pro ventriculo verò mastichem inter cœtera ad plures dies deuoratam probo, sicuti & lanam à Galeno Tyriam vocatam in serico consutam, & super ventriculum gestatam maximè laudo; Paratur autem hunc in modum: accipitur lana vulgo succida dicta, carminatur, deinde sic coccio infectorio tingitur, quinimò & postulante vsu à stillicidio facto cum oleo amygdalino dulci, in quo mastiche adiecto modico vini Cretici in duplici vase fuerit decocta, non abhorrerem, cui & myrrham, bezonium, laudanum, nucemque muscatam adderem.

Gratia postmodum iecoris omnibus anteponerem medicamentum factum ex puluere hepatis lupini, ac eupatorij cum conserua boraginis, vel buglossi, atque extra regioni eiusdem linimentum admouerem factum ex oleo de absyntio, & nardino adiectis puluere eupatorij, ac cera.

Quibus omnibus demum hanc viuendi rationem addendam putarem, vt videlicet illustrissimus patiens caueret ab iniurijs aeris frigidioris, & natiuum inhabitaret, vt vesceretur ouis bonis carnibus, piscibus saxatilibus, pane bene fermentato, & ex optima farina confecto, vt cibarijs permisceret puluerem coctorium factum ex coriandris præparatis, pane biscocto, tantillo gariophyllorum, & saccharo ad pondus omnium, maximeque proderit, si cibus partiatur, atque spatio viginti quattuor horarum ter assumatur, sed præ cæteris cibarijs morsellos factos ex pulpa caponis, perdicis, vel fassani, nuce India, & modico Cinnamomi cum saccharo dissoluto in vino subdulci, summis laudibus extollo. Bibat vinum album, aut etiam subrubrum, tenue non austerum, non mordens, piccans vulgo vocatum, sed subdulce, mediocris facultatis, quod non excedat quantitatem octo, vel decem vnciarum pro vice: Et si mastiche alteraretur magis opportunum, & accomodatum esset. Dormiat septem ad minus horas, & in lecto die etiam decumbat, ac pannis bene coopertus calorem innatum foueat, & hora somni modo in latus dextrũ, modo in sinistrum capite tamen eleuato teste Oribasio, & cruribus retractis decumbat. Aluus mollis cum clysteribus ex oleo amygda. dulci, & iure pingui, ac butyro paratis fiat, vbi necessarium erit, tandemque ab omnibus curis, negocijs, studijs, ac similibus abstineat. Quæ omnia vt in salutem illustrissimi & Reuerendissimi patientis cedant, D.O.M. enixè precor. C D

E

PRO ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO *D. Horatio Spinula Arch episcopo Genuensi Bononiæ Vicelegato Doloribus Arthriticis detento.*

CONSVLTATIO VI.

AFFECTVM à quo Illustrissimus & Reuerendissimus hic vir solicitatur esse Symptomata, actionis tactricis deprauatæ, articulorum nempè dolorem, vel saltem Gonagram, & podagram, cuique perspectum esse confido; Qui F dolor cum ipsum iam bis inuaserit, non semper eiusdem rationis fuit, nam per plures dies grauans, per plures verò lancinans veluti, & acubus fuit: Cuius gene rationis principium in actionem corrumpentem organi symmetriam referre oportet, hanc autem actionem ab obiecto improportionato pendere est necessarium, quòd obiectum duplex existit, solutio vnitatis, ac intemperies inæqualis earum partium, quæ articulis adiacentes sentiunt, quibus mala hæc conueniunt ob intemperiem, ac tumorem ligamentorum articulorum. Intemperiem quidem aliquando calidam, ferè tamen semper frigidam, calidam rubor, color, & acutus per interualla dolor frigidam tumoris permansio sine dolore, & calorę demonstrant, solutio vnitatis pendet à ligamentorum tumore premente sentientes partes, qui tumor producitur ob vim agentis, & habilitatem passi: Agens est materia peccans copia & motu, si copiam perpendo, tum species, tum humoris origo mihi est inuestiganda. Quo ad speciem, G est à prædominio pituitosus, vt patet ex dictis, quibus accedit, quod tumor est mollis cum colore albicante, ac exiguo calore, subnectitur verò sanguis, vt ex rubro colore interdum superueniente, calore non acri, tumore insigni, ætate florenti conijcitur. Sed & adiungi bilem in ratione vehiculi suadent cum tertianæ quas antea bis Illustrissimus patiens passus fuit, tum propensio in iram, ætas iuuentutis, stipticitas alui insolita, conuersa nimirum bile ab intestinis ad articulos.

Humores autem pituitosos à capite, ac ventriculo frigidioribus atque à congestione in partibus articulorum vigente pendere, non est quod hæream. Quod enim cerebrum id præstare possit ex præteritis, & præsentibus facilè dignosci potest; Ex prę teritis quidem, quoniam sanguinis fluor è naribus cum mutatione coloris, tumor glan dularum sub mento, sternutario per interualla, à qua vini ex guaiaco medicati vsu liberatus fuit, in id potissimum conspirant, vt frigiditatem capitis patefaciant.

H Nec obstat materiam per nares excretam excoriationem quandam induxisse, id enim ratione iecoris feruidioris contingit, vt ex his cerebrum (si non frigidum) humidissimum saltem deprehendatur.

Quod & ex præsentibus ibnotescit, quando sputum & insipidum, & vitreum obseruetur. De ventriculo etiam propter tardam coctionem, ac flatuum copiam hoc idem statuere oportet.

Verum quoniam non fluente adhuc materia à capite Vir Illustrissimus grauitatem quandã in locis affectis persentit; propterea puto & in illis aliquam fieri congestionẽ.

Vtcumque tamen generationi humoris fauent errata externa perpetrata in vsu aeris in genere vitæ, curis inquam, studijs, arduisque negocijs ac motibus corporis dicato. Humoris autem sanguinei, & biliosi origo est in iecore, qui humores mixti cum ipsa pituita in cerebro decumbunt in articulos per fluxionem facta transmissione, tum perspacia inania, tum per spinam, venas, & neruos.

Nec

Nec obstat, quod Fernelius tradit per venas, & neruos materiam catharalem descendere minimè posse, cum id fieri non possit absque inquinamento harum partium, quod arbitror ego non euenire, non tantum quia materia haud moratur in his locis, & subito fluit, sed etiam quia in ijsdemmet non est illa morbosa dispositio, quæ alioquin vt inficerentur, esset necessaria; & hæc de causis ex parte agentis, præter cuius vim concurrere passi habilitatem tum natiuam, tum adscititiam non est difficilè captu natiuam quidem, quoniam Illustrissimi patientis Parens simili morbo laborauit, Adscititiam vero, quoniam in rebus externis ea fuere commissa errata, ex quibus vnusquisque facilè deprehendat, virum hunc Illustrissimum vel facilè in hoc malum casurum.

Quamobrem, vt humores impacti discutiantur, necessè est vt articuli calefiant, roborentur & siccentur materia tamen fluens, & dolor, si quandoque occurrerit, tanquam impedimenta prius erunt remouenda, materia itaque fluens, vt copiosa est euacuanda, vt qualitate, & motu lædens, alteranda, & retrahenda, vt generatur in locis iam dictis, indicat illorum locorum alterantia, dolor verò indicat Anodina.

Quæ omnia consequi propter dispositionem hæreditariam, & habitum corporis cachochimum, vix ego sperarem, nisi esset Illustrissimi patientis insignis prudentia, ac præceptis medicis exacta obtemperantia ac ætas florens, quibus si non ex toto euadet saltem tamen diu præseruabitur.

Quoad curationem itaque statuo eam hoc iure auspicandam esse à sectione venæ cubiti dextri, & eadem progressa hyrudines anno appositas non parum conferre posse non dubito: sed præ ceteris Cauterium in brachio sinistro omnino inurendum.

Et quantum attinet ad medicamenta, Primum leniatur aluus manna, & mele rosato solutiuo, deinde præparentur humores decocto betonicæ, iuæ, cicorij, boraginis cum syrupis de betonica, de succo cicorij, & de rosis siccis, qui postmodum educantur infuso Agarici, & senæ adiectis Rhabarbaro, & manna, in quem vsum quibusdam interuallis constitutis, & pilulæ tribus cum Rhabarbaro, & cydoniatum cum puluere turbit, ac tantillo diagridij medicatum erunt substituenda. Sed inter euacuantia hoc in casu non infimas partes retinent ipsa vomitoria, quæ cum varia sint, in Illustrissimo viro contentus essem solo cibo, & si vomitum auersaretur, vt bis in anno aquam Tettuccianam per sex dies biberet, summoperè probarem. Insensibilis etiam euacuatio fieri posset decocto Chinæ solius cum simplicibus iam dictis, vel guaiaci quoque cum cicoraceis medicato modo consueto per plures dies exhibito.

Post hæc cogitandum est de medicamentis determinatis, quæ ad tria capita redigo, ad euacuantia nimirum, alterantia, anodinaque. Inter euacuantia sunt, quæ caput respiciunt, articulos, & partes adiacentes. Pro capite igitur laudo herrina, masticatoria, ceratum de betonica, vel Montagnanæ sincipiti appositum.

Pro articulis interius præter decocta iam dicta, therebintum cum puluere Iuæ, ac tantillo trociscorum ex viperis alijs antepono; Extra verò probantur lotiones ex lixiuio salito, vel ex thermis sulphureis, aluminosis, & salsuginosis, pariter conueniunt oolea ex fauo mellis, ex sale, ex cera citrina, ex mastice cum puluere salis vsti. Ceratum etiam ex palma probatur cum puluere masticis. Sed, & luta thermarum mineræ prædictæ, item & vineacea tempore vindemiarum vsurpata non improbantur. Ad alterationem autem capitis inter cœtera laudo embrocam ex thermis propositis, in calore tamen non excedentibus, vel ex decocto cum simplicibus moderatè calefacientibus, vehementer autem siccantibus, cui embrocæ substituo lotiones primum cum lixiuio dulci simplici, deinde medicato cum betonica, stecade, camomelo, baccara, verbena, rosis, & myrto. Et quoniam Illustrissimus Vir non est assuetus hisce lotionibus, propterea à leuioribus inchoandum, & sapone abstinendum,

E quocirca curet ipse sibi caput ablui in parte eiusdem postica, cum vitello oui loco saponis. Sed & per medicamenta interna idem caput alteratur, quare conseruæ capitales hora somni assumptæ mihi arrident.

Pro ventriculo verò extra ceratum masticinum speciebus diambræ, vel electuari de gemis refertum, item oleum magnis Ducis ad ventriculum, vel balsamum ipsum naturale est oportunum, intus autem radix Zinziberis condita grana iuniperi præparata, sicuti & nux myristica condita, & extractum ex floribus anthos cum syrupo de corticib. citri ante cibum per duas horas deuorata sunt miri vsus.

Pro iecore succus, & conserua cicorij est maximè conueniens, neque in casu hoc à sero Caprino optimè depurato, & succo prædicto admixto abhorrerem.

Pro leniendo dolore fœliciter mihi succedunt præter illitum factum cum oleo rosč cōpleto, & vitello oui, irrigatio facta cum decocto verbasci, necnon embroca ex lacte, F ac illitio ex oleo Ranarum partibus dolentibus adhibita.

Sed hæc omnia frustra, nisi compar victus ratio supperaddatur, caueat igitur Illustrissimus patiens ab omnibus aeris iniurijs, à cibis crassis, salitis, farina subactis, dulcibus, acribus, flatuosis, ac demum ab ijs, quæ difficilè concoquuntur. Vtatur bonis carnibus, ouis recentibus, piscibus petrosis, & huiusmodi, Cæna sit prandio parcior, ac in vltima mensa cydoniatum assumat, vel semina coriandrorum cum saccharo, vel ipsumet saccharum rosaceum.

Pro potu, doloribus instantibus vinum sit rubrum, alijs temporibus album, tenue, pauciferum cum guaiaco medicatum. Somnus diurnus, atque statim à cibo fugiatur, Aluus seruetur mollis postulante necessitate cum pilulis de alue ante cœnam quauis hebdomada sumptis, Pane ex tota farina, cum anisis, sale, & vuis passulis in prima mensa commanso; Corpus moderatè exerceatur; Animi accidentia molesta fugiantur; G Deus autem cui omnia sobijciuntur hæc præsidia proposita Illustrissimo, ac Reuerendissimo nostro patienti reddat salutaria, atque proficua.

PRO EODEM DOLORIBVS NEPHRITICIS LABORANTE

CONSVLTATIO VII.

VIX vnquam aliquis fuit, qui doloribus articulorum obnoxius, nephritidem non fuerit passus, id quod nulla alia ratione contingere puto, nisi quia ambo hæc vitia solent corpora succis, & pituitosis præcipuè redundantia apprehendere, quæ cum à primo semine, aut etiam alia occasione articulationes H imbecillas valdè, renes, ac iecur estuantiam nacta fuerint, facilè fieri potest vt succis prædictis modò ad articulos demissis, modò à iecore, atque à renibus calidioribus attractis, modò pariter Artritis, modò nephritis suboratur, quod hoc tempore Illustrissimo & Reuerendissimo viro contigisse obseruo, cum etenim pluries gonagra, & podagra tentatus fuerit, vt ex præcedenti sermone patet, nunc etiam nephritide corripitur, sicuti inter alia, vrinæ turbatæ, crassæ factæ, arenosæ, & calculosæ, testantur; Quæ mala dubio procul Virum Illustrissimum inuaserunt, non solum quia succus pituitosus tum in capite tum, in ventriculus frigidioribus copiosius quam deceat genitus est, continuoque generatur, vt in habito discursu constitutum fuit, verum etiam quia Vir Illustrissimus articulos à primo semine valdè ad fluxionem suscipiendam ob raritatem, & frigiditatem, itemque ob ius hæreditarium pronos habuit, ac renes, & iecur, vt luce clarius constat, feruidiores, vt exindè non sit mirum

si artri-

ſi artritidem pluries paſſus, nunc dolorem nephriticum patiatur, nam præter fluxio- A
nem, quam venæ, & ex conſequio renes à capite recipiunt, iecur ſuo feruore cibum
ferè crudum, pituitamque à ventriculo, renes verò æſtuantes à iecore ſucceſſiuè eoſ-
dem ſuccos continuò trahunt, qui quidem ſucci cum eo peruenerint, ſi experiantur
operam feruoris renum, & iecoris, neceſſariò incraſſantur, ac indurantur, in arenulaſq;
& lapillos demum mutantur, lapilli autem, atque arenulæ per loca vrinalia maximè
ſententia cum impetu delata abradunt, contundunt, hinc in locis illis dolorem acer-
bum, & contuſiuum inducunt: ad quod non parum conducit colluuies excremento-
rum craſſorum in renibus inſignem pariens obſtructionem, merito cuius ſicuti excre-
menta in renibus iiſdem recepta detinentur, ita etiam ibidem retenta facilius à calore
indurari poſſunt, quemadmodum vbi non retinentur, ſed ad veſicam ſtatim amandan-
tur, operam caloris præter naturam renum non ſuſcipiunt, ac proinde non indurantur,
vrinaſque turbatas, & craſſefactas reddunt. B

Nec eſt, quod aliquis cum Fernelio præter calorem renum adducat earundem cal-
culoſam quandam conſtitutionem, quia quantumcumque aliquis iure hæreditario re-
nali calculo ſit obnoxius, nihilominus puto ego præter conſtitutionem eam hæredita-
riam, neceſſarium eſſe calorem, & hunc ipſum intenſum pro calculi generatione, vt
docebat Galenus tertio de Alimentis 17. & quamquam calor non admodum vehe-
mens ex eodem 3. Aphor. vltimo idem præſtet, longiori tempore tamen id efficit, vbi
in materiam craſſiſſimam, ac viſcidiſſimam incidet, qua prorſus ratione in ſenibus cal
culi renales fiunt; ſed præter renum calorem requiritur etiam calori iecoris, ille qui-
dem, vt cauſa principalis eiuſdem calculi, hic verò vt coadiuuans, quia nimirum at-
trahendo à ventriculo materiam tum ſuppeditat, tum diſponit, tandemque renum ca-
lor calculi formam introducit.

Quocirca medendi ratio in eo repoſita eſt, vt arenulæ, ac lapilli iam geniti educan- C
tur, & eorum generatio inhibeatur per alterantia renes, itemque iecur ad frigidum,
Caput verò, & ventriculum ad callidum, & ſiccum, ſed hic, & ibi tollenda ſunt prius
impedimenta. Hic igitur prius ſucci pituitoſi redundantes ſunt concoquendi, & eua-
cuandi, ibi autem prius habenda eſt pariter totius prouidentia, viæ ſunt laxandæ, ac
dolor anodinis demulcendus.

Quibus Medicis intentionib. plurimum difficultatis obſtabit multis de cauſis, præ-
cipuè ob eam, quod contra cauſas vehementes eſt pugnandum, nam intemperies om-
nium ferè viſcerum ſunt veluti confirmatæ, ac natura, antequam etiam dolores iſti ſu-
borirentur, per vias vrinæ excrementa iam diu euacuare conſueuit, vt hac ratione po
tiſſimum ſuſpicer à malo hoc Illuſtriſſimum Virum difficile [illegible] à malo, ne dicam vix
præſeruari poſſe; Diligentia tamen, ac peritia medici adhibita [illegible] ruina,
non tantum renum, ſed & veſicæ calculo præcaueri poterit.

Nec etiam difficultas (vti ſpero) ſi quandò occurrerit dolor ob præſentiam are-
nularum, & lapillorum, curationi obuiam ibit, quando vrinæ, quas craſſas, turbidaſ-
que iugiter Illuſtriſſimus patiens mingit, id ferè certò polliceantur, ſolent enim hu-
iuſmodi vrinæ occaſionem generationis calculi renum, ſubtracta cauſa materiali, om-
ninò auferre, vel ſaltem plurimum imminuere.

Vtcumque tamen ego, qui Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Viro, tanquam Patro-
no mihi inter cœteros omnes chariſſimo, omnia debeo, nihil prætermittam, quod poſ-
ſit ipſum ab hiſce doloribus tum liberare, tum præſeruare.

Exordium ideo ſumens à Chirurgia vna cum D. Hippocrate ſexto Epid. à princi-
pio ad materias ſanguinem ſpectantes reſpiciens, ſtatuo infeſtante dolore, venam po-
plitis, ſecandam eſſe, at abſente dolore, tum Veris tempore à ſectione venæ cubiti
dextri, tum autumno à venarum ani per hyrudines apertione ſuperius, etiã occaſione
artritidis

E artritidis proposita nõ abhorreo; Atqui ad materias chirurgicas, quæ alios à sanguine succos respiciũt animũ conuertens cauteriũ in fæmoris dextri parte interna excitatum non improbo, sicuti & cucurbitulam loco dolenti versus pubem applicitam probo.

Pharmaca præseruatoria, quæ totum respiciunt in præcedenti consultatione adducta, præsertim verò vomitum singulo mense vehementer laudo à quibus pro alterandis visceribus etiam atque etiam opto, vt assumpta aqua Tettucciana per 3. dies, Aquam nostram Porrectanam veterem per duodecim dies tempore opportuno, non dicam hoc anno solum, sed tribus annis cõtinuis Illustrissimus assumat, & quamquam Villensis illi sit proposita, hæc tamen nostra tanquam minus ventriculo infensa mihi magis arridet; quo potu absoluto, vt ad potum Tettuccianæ per duos dies redeat in ventriculi gratiam suadeo, Reliqua non modo ventriculum, sed etiam caput alterantia ex habito de Artitride discursu peti poterunt.

F Cœterũ de pharmacis præseruatorijs, quæ ad arenulas, & lapillos paruos, minutosq; nullũ ferè dolorẽ inferentes dirigantur, est agendũ; quapropter aluo subducta sępitus cum therebintina & benedictæ modico, tẽpore verò calidiori cũ casia statim ex Cãna extracta, ac in prima mensa commãsa, ad renes expurgantia deueniendũ, ideo & lacryma therebinti non lota (quia magis abstergit) cũ puluere ossiũ mespillorum, & corticũ auellanarũ syluestrium, ac puluere ex millio solis, liquiritia, seminibus melonũ, gummi cerasorum cum saccharo candido ad pondus omnium paratum, & aqua, quæ magis placet Viro Illustris. & cuius descriptio est quæ subsequitur, valdè opportuna sunt.

℞. Radicum restæ bonis
Rafani domestici } *an. onc. 1. s.*
Alteæ

G
Betonicæ
saxifragiæ
Capill. ven. rec.
Parietariæ } *an. m. 1.*
Virgæ aureæ
mentæ siccæ
mirt. p. 1.
milij solis onc. 1.
sem. maiorum frigidorum an. onc. 5.
nucleorum persicorum
amygd. amararum } *an. onc. 3.*
limones à Cortice mundatos numero 10.
anisorum
Coriandr. præp. } *an. onc. 5.*
gummi cerasorum onc. 1.

Contundantur, & incidantur, deinde M. & inf. q. Aquæ Villensis vel Porrectæ nostræ veteris per viginti quattuor horas infundantur, tandemque in balneo mariæ distillentur. Et aquæ ex ijsdem stillatitię dosis sit onc. 10. vel lib. 1. pro vice, cum modico sacchari.

Tempore

Tempore verò calidiori serũ primũ infusionis sem. Alchachengi deinde distillatum A & cum syrupo de limonibus datum, vel aquam ononidis cum eodem syrupo laudo.

Quòd si calculus aliquandò grandior factus occurreret, doloresque illustrissimum excrucient, præter iam dicta, ac electuarium lytontriton oleum de amygdalis dulcibus, & amaris recenter paratum, vel de cytonijs completum vocatum assumptum, tria maximè probo.

Primum est Coagulum leporis cum succo limonum, & aqua Citrac. Alterum est balsamus naturalis cum eodem succo limonum, & aqua florum genistæ. Tertium, recipit vini vulgo Græci dicti onc. 4.

rad. rafani m. 1.
Infundantur, & f. f. e. cui adde succi cepæ
parietariæ } *an. onc. 4.* B
limonis
Aquæ ardentis optimæ onc. 5.
M. peo vna vice.

Quibus non conferentibus ad oleum Calcanti cum sanguine hirci preparato, atque therebintina adscendendum, Doloribusque maxime insæuientibus theriaca cum speciebus electuarij Iustini data, est miri vsus.

Exterius autem nil præstantius fotu ex parietariæ succo, aqua ardenti & oleo scorpionum, item emplastro ex cœpa in oleo scorpionum, ac butyro cocta, potissimum verò insessu, vel ex oleo communi, aut decocto simplicium diureticorum relaxantium, C ac lapidem comminuentium, à quibus illico aliquod ex medicamentis dictis propinandum. Embroca etiam ex oleo scorpionum, amygd. amararum, & anethino maximè proficua esse solet.

Verum dum materiæ præseruatoriæ, & curatoriæ erunt in vsu, expediet Illustrissimum patientem se ita in victus ratione gerere, vt in præcedenti consultatione dictum fuit, præ cœteris tamen hoc interim admoneo, vt nimirum ante prandium aquam dulcem tepidam, vel iusculum pulli tenue bibat, deinde semper omnem cruditatis occasionem aufugiat, interim autem Altissimum Deum vehementer precor, vt hæc omnia proposita ipsum ab hisce doloribus nephritricis vindicent, ac præseruent.

PRO ILLVSTRISSIMO MARCHIONE FERRARIENSI ALFONSO de Turcis doloribus Arthriticis, Pruritu, ac psora humida laborante. D

CONSVLTATIO VII.

QVID sperandum sit de euentu affectuum præter naturam, qui sicuti plures numero sunt, & sibi inuicem oppositi contrarias habent indicationes, ita & cum magno lapsu à naturæ statu ob eorum intensionem, ex causa frigida, viscida, & crassa dispositione quod hæreditaria, generationem habent, presente materia tophacea circa articulos, affectis ferè omnibus vitæ principijs, & cum difficili tolerantia, quam ex macie, ac penè omnium virium languore insolito colligere licet,

E licet, quid inquam in tot corporis ærumnis sperandum sit de se satis apparet, solent hisce malis euentus insalubres subsequi, vel saltem medius, sub quo ægri nec sanantur ob rationes adductas, nec moriuntur, si quando in corpora robusta incidant, quale illud est Illustrissimi Marchionis propositi, sicuti ex decenti eiusdem formatione, & copia substantiæ primogeniæ colligitur, docẽte etiam id ipsum habitu natiuo carnoso, cum venarum latitudine.

Affectus igitur, qui nobilissimum hunc virum malè habent, numero plures existunt Prior tamen, & magis molestus est articulorum ferè omnium, potissimum verò cubitorum, manuum genuum, & pedum cum tumoribus tophaceis, atque etiam vlcusculis ichorem flauum, purulentum emittentibus dolor insignis, qui sicuti à viginti duobus annis nobilissimum virum affligit, ita paucis ab hinc diebus suborti fuere alij affectus, inter quos molestior est totius corporis pruritus quidam, qui noctu potissimum F insæuit, exacerbaturq; & præter pruritum Psora humida satis infesta manus obsidet. Alter affectus est arenularum in vrinis per interualla prouentus Tertius, & postremus est totius corporis marcor insolitus.

Quorum omnium affectuum principia generationis tum communia, tum propria sunt perquirenda. Causa ergo illorum communis est succus pituitosus, quem & materia tophacea circa articulos spectata, & natura, ac longitudo prioris mali suadent. Verum succus hic non est syncerus, sed mixtus cum succis acrib. & mordacibus, tum biliosis, tum salsis, vti ex vlcusculis illis circa eosdem articulos, & pruritu, scabie, atq; Illustrissimi patientis temperie sanguinea, cum subdominio bilis colligere licet, qui quidẽ succi in casu nostro habent causas generantes, sed non colligentes succus enim pituitosus in capite, & ventriculo ob intemperiem frigidam gignitur, cui potissimum præter morbi diuturnitatem, sputi insipiditas attestatur.

G Nec obstat quod aliquando salsedo fiat, quoniam ex accidenti, eleuatis scilicet fumis ex vstis à iecore feruidiori id contingit.

Similem intemperiem in ventriculo, & copia flatuum, & iecoris feruor ostendunt. Succi verò acres, atque mordaces in eodem iecore feruido generantur, sicuti indicio sunt pruritus venarum latitudo, & alia quamplura.

Causa verò propria horum affectuum est illa eadem communis proprietates quasdam nacta, quocirca succus pituitosus præternaturam auctus, & ad articulos motus Arthritidem hunc in modum excitat, nam ob sui copiam ligamenta replet, hæc autem repleta tenduntur, ac tensa comprimunt partes sensitrices adiacentes membranas inquam tendines, & neruos in ipsisque soluunt continuum, & proinde dolorem inferunt.

Verum huic motui vehiculum, viarum amplitudo, ac articulorum imbecillitas fa-H uent. Vehiculum est ichor biliosus, atque ipsamet flaua bilis, in articulis enim inundatio quædam fit, & quod ab vlcusculis illorum exit est flauum. Et hæc est causa propter quam in articulis fiant vlcuscula illa, natura materia sua nam acris ibi putrescens acrior, & ob id aptior ad vlcus excitandum redditur.

Verum tamen & viarum amplitudinem ad motum illum conferre, non est dubitandum, quando hæc in Illustrissimo viro manifestè obseruetur, Atqui non tantum per vasa materiam morbificam, sed etiam per inania spatia deferri credendum.

Nec obstat, quod materia prædicta vasa illa percurrens sanguinem inficiat, quoniam nullam moram contrahis.

Vltimo loco accedit, & articulorum imbecillitas natiua, atque adscititia, illa quidem à primo semine contracta, hæc verò acquisita ob varios errores in victu perpetratos, nec non pituitæ prouentum relaxationem inferentem.

Amplius eadem pituita, sicuti ratione succi biliosi tenuioris, vel forsan etiam serosæ humi-

humiditatis salsæ admixtorum acredinem nacta, & ad cutim propulsa pruriginis, ac psoræ causa existit, ita & à iecore, ac renibus feruidioribus attracta in arenulas concrescit, pariter per venas sanguini alimento totius permixta, eundem inquinat, atque marcoris causa redditur.

Quare si Illustrissimus Marchio sit præseruandus, oportet, quantum fieri potest, occasionem gignendarum materierum iam dictarum per alterantia viscera in contrarium auferre, ligamenta calefacere, siccare, ac densare, sed ante hæc prospiciendum humori genito, qui vt copiosus est euacuandus, vt mouetur indecenter est retrahendus, & dum hæc peraguntur dolor est demulciendus, ac viæ angustiores reddantur oportet, quæ omnia dicendis præsidiorum materijs sunt perficienda.

Quare si ad chirurgicam attineant, nunc vt venæ podicis aperiantur hyrudinibus, verno verò tempore, postulante vsu basicula dextra secetur res ipsa suadet. De fonticulis ita statuendum, vt artubus alioquin malè affectis in viro nobilissimo haud infingatur; Idcircò in ceruice sectaceum, aut saltem Cauterium (si ita erit opportunum) excitetur.

At si materiæ medicæ ad Pharmaciam spectent, iam de his gratia materiæ morbificæ partium, vlcusculorum, & doloris est agendum.

Materia itaque postulat lenientia, præparantia, & purgantia; In genere priorum mel. ros. cum syrupo de polypodio probatur, verum & ad hæc refero vomitoria, in quorum serie cibus copiosus, & varius, vnctuosusque semel in mense ingestus omnibus est præferendus, nam Vir Illustrissimus facilem admodum vomitum habet.

Ad humorum autem præparationem ius pulli medicatum cum betonica, boragine, & cicoraceis adiectis syrupis accomodatis, præcipuè syrupo de rosis siccis maximè valet.

Tandem ad eosdem deturbandos medicamentum ex Rhab. infuso Agarici, & senę cum mele ros. sol. est accomodatum, post quæ cogitandum de secunda humorum præparatione cum sero depurato decoctionis iuæ, saluiæ, fumariæ, agrimonij cicorij, & & passularum cum syrupis proprijs facienda; & pro purganti infuso agarici, hermodactilorum, & Epitimi in sero prædicto vti licebit. Pilulæ quoque Assaiaret Auicennę de tribus cum Rhabarbaro, ac vinum medicatum cum Cartamo, hermodactilis, & myrabolanis chebulis, citrinis, ac indis per interualla quædam assumpta quamplurimum prodetunt.

Sed & insensibiliter euacuantibus tum internis, tum externis agendum, Pro insensibili igitur euacuatione præstantissimum est deocctam Guaiaci, & chinæ cicoraceis castigatum aliàs cum fructu vsurpatum, huc referantur Diacorallium Alexandri, therebintina Cypria cum puluere Iuæ, atque medicamentum ex viperis paratum.

Foris verò primum emollientia, deinde resoluentia adhibenda. In genere emollientium medicamentum Galeni ex æquis portionibus ceræ, & amoniaci in aceto liquati cum modi cocroci, vel aliud quod ab eodem 9. Localium 2. proponitur efficax existit, Præter hæc valent, & diachilon gummatum, caseus antiquus coctus in iure carnis suillæ salitæ, & luta. D. Bartholomęi Patauij, vel oleum ex huiusmodi lutis chimicè factum, post quæ resoluentia sunt admouenda, quare alterum ex his erit maximè opportunum. Primum fit ex puluere lapidis marmorei cum butyro, alterum ex præcipitato abluto cum mucilaginibus alteæ, fœnugræci, & seminum lini permixto, quibus & ceratum Phœnicinum cum sacro mixtum, & oleum vetustissimum tabacco per insolationem medicatum sunt adijcienda.

Pro cuti ad pruritum, & psoram demulcienda (si modò aliquid sit admouendum) solùm theribintinæ aqua stillititia citra noxam aliquam vsurpari posse videtur.

Cœterum medicamenta partes respicientia proponenda, quæ gratia Capitis, sunt

Conseruæ

E Conseruæ capitales cum Mithridato hora somni deuoratæ, interim tamen lotiones ex lixiuio cum cephalicis medicato, & stillicidia accomodata non sunt contemnẽda.

Gratia autem renum, ac iecoris, succus cicorij non solum hypochondrio dextro cum aceto perfusus, sed etiam assumptus tum per se solus, tum sero caprillo distillato immixtus vtilis erit.

Pro ventriculo verò præter grana iuniperi aqua ardenti, vel vino Cretico præparata, piper album cum cydoniato permixtum, Aromaticum rosatum deuorata, & embroca, cerataque ex stomaticis exterius applicata experiri poterunt.

Pro articulis puluis, vel oleum ossium humanorum in antidotis acceptum, necnon oleum ex sale, vel cera citrina, vel colophonia chimicum, atque vinacea ipsa probantur.

Ad vlcuscula vnguentum album Pauli cum therebintina lota in vsu continuo sit F oportet.

Dolor postremò articulorum, & oleo ranarum, & decocto Verbasci, vel rutæ Capraríæ, necnon furfuribus crassis cum posca emplastratis tractabitur.

At vbi hæc omnia fiunt dietæ maxima est habenda ratio quam ab Excellentissimo curanti ad vnguem haberi certò scio, vt propterea illam consultò prætermittam, eo solum connotato, vt scilicet nobilissimo patienti nunc duo vina parentur cum guaiaço, & sandalis, sed alterum sit rubrum, quo instante tempore dolorum, alterum verò album, quo alijs temporibus ad mouendas vrinas vti debet Vir Illustrissimus, sit autem vtrumque pauciferum. Atque hæc omnia D. O. M. fęlicia reddat.

PRO NOBILI PVELLA ROMANDIOLENSI lingua tumore miro affecta.

CONSVLTATIO IX.

MEMINI apud Galenum me legisse, linguam naturæ limites secundum magnitudinem egressam, vario modo intumuisse, nam lib. de Differentijs morb. 9. tumorem præternaturam, sed non à toto genere (quod ibidem H linguæ incrementum dicit) citra aliquam substantiæ mutationem proponit, at 14. Meth. 8. tumor verus, & inflammatorius, tanquam ille, qui succo lactucæ adhibito curatus fuit, ab ipso traditur, vt propterea tumor linguæ propositus in nobili puella 12. annos nata necessario, & ipse vel incrementum simpliciter linguæ, vel tumor eiusdem verus sit constituendus.

Non esse autem tumorem verum ex eo conuincitur, quoniam esset vel inflammatio, Oedema, vel scirrus, non primum quoniam est indolens, non secundum, quia prementi manui minimè cedit, & fouea non remanet, neque tertium, quoniam haud omninò sensu caret; Relinquitur igitur, vt sit incrementum illud à Galen. propositum loco citato absque vllo sensu doloris, quod tamen actionem duplicem lædit, nam & locutionem vitiat, quia puella veluti balbutiens loquitur, & incisionem ciborum aufert, tanquam eam, quæ dentibus anterioribus, ac incisorijs dictis celebratur, vt necessariò sit morbus, & morbus in magnitudine aucta valde, quoniam est adeo insignis tumor, vt in ore nullo modo contineri possit; Occupat autem apicem, & paulo plus, non autem mediam pro maiori parte, atque linguæ radicem, vt vnicuique perspectum esse

esse potest, ex quo non mirum si comedat, ac mandat puella, quoniam illud totum linguæ, quod intumescit, extra dentes, & os ipsum detinetur. A

Huius tumoris generatio petenda est ex materia, quæ in tumoribus præternaturam à toto genere, non tantum copia, sed etiam qualitate ex lib. de tumor. præternaturam peccare debet, hic autem cum tumor sit solum incrementum quoddam, & non à toto genere præternaturam, sufficit vt materia copia tantum peccet; Qualis autem sit hæc materia sic adinuenire licet, lingua est carnea, ergo necessariò constat, & alitur sanguine, at quod alit, vt quantum etiam auget, ergo lingua ex copioso sanguine augeri debet, quare cum incrementum, de quo agitur sit extra naturæ limites, nulli dubium est, & sanguinem ad linguam copiosius ad modum, quam pro illius nutritione, & augmento secundum naturam deceat, per venas fluere, quò vbi peruenerit apponitur, appositus coquitur ab alteratrice, assimilaturq; atque sic iugiter apposita noua materia, continuò etiam forma linguæ permanens maiorem materiæ copiam informat, atque hoc est incrementum eiusdem. Sed sanguinem hunc primum à dolore occasione frenuli linguæ in puella nostra vt disrupti, concitato attractum fuisse, mox verò à natura huic fluxioni assuefacta, & imbecillitate à sanata illa fractione derelicta, transmissum esse, continuoque transmitti pro certo habeo. B

Verum vnde nã sit quod tumor hic in vespera parũ decrescat, manè verò augeatur, semper autem liuescat, & non rubeat, vt sanguineus, breuibus oportet explicare.

Quantum igitur ad primum attinet, id totum accidere puto, quoniam in coctione, & assimilatione sanguinis illius alioqui pituitoso (qualis in pueris ob ætatem humidissimam, & ingluuiem generatur) multi flatus potissimum autem per noctem retracto, & coacto calore concitantur, qui per diem ob motum linguæ, a cambiens dissipati sunt in causa, per quam tumor parum decrescat.

De secundo statuo id accidere, quoniam tumor hic in aere continuò versatur, qui sua frigiditate sanguinem ad superficiem linguæ affluxum, antequam assimiletur concrescere, & proinde liuere facit, à frigido enim sanguinem nigrescere scribitur 3. de Sympt. causis, 2. & ab Aetio, ac Auicenna, quod in alijs nostri corporis partib. non contigit, quoniam ad illas ea sanguinis tantum portio, quæ pronutritione sufficit, sed non superfluit, demandatur, ex quibus facilè etiam est intelligere causam, cur epidermis linguæ in hoc tumore assiduo squemmet, hoc enim accidit, quoniam ab aere corrumpitur. C

Vt ergo ab hac linguæ calamitate vindicetur nostra puella, oportet, quicquid linguæ superfluit potissimum per incisionem auferre, sed primum habitui totius corporis cachochimo bilioso inquam, & pituitoso cum aliquo sanguinis subdominio, est prospiciendum per præparantia, & euacuantia medicamenta. Verum quoniam hæmorargia venarum linguæ incisionem est subsequutura, idcirco oportebit, venas incisas agglutinare, vnire, & sanguinis motum retrahentibus compescere. Quibus peractis danda est opera, vt puella præseruetur, quod fiet, si sanguis copiosus minuatur; motus illius ad linguam corrigatur, ac tandem occasio omnis sanguinem copiosiorem gignendi submoueatur. C

Et quantum ad incisionem spectat, quin illa fœlicem successum sit assequutura non dubito, scimus enim in alijs animalibus, etiam cum salute illorum non semel sectam fuisse linguam, quod eo magis fœliciter euenire existimo, quoniam lingua est de numero earum partium, quæ solum ad meliorem vitam conducunt.

Quantum verò ad alias indicationes, causam aliquam, quæ quo minus illis satisfaciendum sit, impedimento existat, prorsus ignoro: Difficultatem tamen aliquam obuiam futuram fateor, ob multas rationes, maximè verò ob hæmorargiam ex venarum incisione suborituram.

Quare

E Quare ad curationem descendens à fonte chirurgico materias quasdam ante, alias verò post incisionem desumo, in serie priorum reponitur sanguis mittendus primum à dorso per cucurbitulas scarificatas, vel à cubito per hyrudines venæ basilicæ applicitas, deinde ab occipitio vel à venis post aures per hyrudines pariter adhibitas, Post hæc & alia quamplura ad vsum deducenda, sed ex pharmacia desumpta, ad incisionem est deueniendum, pro qua facienda tenaculas semicirculares parare oportebit, quibus totum illud, quod linguę tumet apprehendetur, apprehensumque cultello incisorio abscindetur, statimque ad hæmorargiam præcauendam pars ferro candenti erit inurenda, quod adhuc fieri posse ignito cultello existimo, post incisionem tandem extrema iugiter fricanda, lauanda, deliganda, & ventosanda sunt: Et ad præseruationem cauterium in brachio sinistro, & femores dextro non displicent.

Medicamenta tnm communia, tum priuata conueniunt: Ex coordinatione prio-F rum lenita aluo cum syrupo: & melle rosatis solutiuis, humores præpararem decocto sonchi, hepaticæ, betonicæ, & boragine cum suis serapijs, mox præparatos deturbarem infuso agarici trociscati, & Rhab. adiecto syrupo rof. sol. (post quæ facienda erit incisio) deinceps de medicamentis priuatis cogitarem, quorum alia ad partem vstam, alia ad sanguinem referuntur.

Si ad partem, primum ad Crustam, & escaram ab inustione inductam conseruandam inspergerem puluerem ex calcyitide, & mysi, de inde sublata ferè omni hæmorargiæ suspicione escaram digestiuo loto, aut etiam tetrapharmaco abijcerem, ac mox facta suppuratione, si opus fuerit ad detergendum melle rosato colato vterer, & si aliqua inequalitas præsens esset, cauitates puluere ex thure, & mirrha parato replerem ac tandem pro agglutinatione aquam thermalem aluminosam cum filamentis, vel Ceratum phænicinum adhiberem. At gratia sanguinis ceruicem petijs linejs posca G imbutis obducerem, ac intus quæ sanguinem incrassant exhiberem.

Manè igitur, & vesperè ius medicatum cum portulaca, plantagine equiseto, & acetosa, in quo amylum esset dissolutum efferrem, syrupus quoque eiusdem plantaginis, portulacæ de rosis siccis, ac de ribes ex cochleari datus mihi probaretur.

At vbi rudimentum hæmorargiæ aliquod occurreret, primum a saccharo rosato puluere carabe, & seminum papaueris, albi, mox à philonio persico cum trociscis de terra sigillata exhibito, necnon & à cataplasmate ex caligine sartagini hærente, atque cotto combusto, alumine oui excepto, applicitoque non recederem, quibus non conferentibus filamenta imbuta vel aqua plantaginis, cui immixtus sit puluis calcanti vsti, vel oleo ipsius calcanti cum succo porrorum, vel oleo pariter sulphuris cum melle aponerem.

Quoad medicamenta præseruatoria, ius pulli medicatum cum china ad plures H dies exhitum mihi nou parum arrideret, ea tamen ratione, vt aliquot interuallis in illo myrobolani citrini, & chebuli macerarentur.

Victus rationem opportunam omninò seligerem, quapropter tempore prouidentiæ totius vellem, vt puella in aere temperato detineretur, vteretur bonis cibis, ac vinum pauciferum biberet, & vbi facta fuerit incisio, cibi inuiscantes, & agglutinantes, liquidi tamen offerrerentur, ideò iura parari possent ex carne pulli, vel caponis cũ extremitatibus vituli in aqua calybeata, & in iuribus illis panis tritus aut hordeũ, cum farre, vel Oriza ad liquationem vsque incoqui poterunt, & si res eo deuenerit, vt linqua valdè intumescat, & sic cibum difficilè admodum admittat, vt propterea raro idem cibus offerri possit, succus carnis caponis, ac oua non erunt deneganda, quo in casu etiam si instrumentum aliquod ad cibum in os infundendum opportunum videbitur, illud quod secundum partem, queæ in os immititur angustioris, secundum verò illam, in quam cibus infunditur latioris est foraminis, commodè parari poterit, quo

quo tempore patiens abstineat à vino necessè est, & vtatur vino granatorum, vel cydoniorum cum aqua calybeata; At si vires collabi videbuntur ab odoro vino, eodemque subaustero aqua diluto non abhorrerem: lingua verò ad agglutinationem properante, at detumescente, liberalius, ac cibis paulo solidioribus nutriri poterit: Tempore autem, quo decoctum Chinæ puella assumet, victus mediocris, ac moderatè attenuans instituatur, Vinumque dilutum aqua cocta cum china concedatur, semper tamen aluus clysteribus, & glandibus communibus irritetur, ac in alijs omnibus mediocritas seruetur; faxit autem Deus, vt nostri voti compotes hisce præsidiorum materijs afficiamur.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI DOMINICO CATTANEO GENVENSI circa Hypochondrium sinistrum secundum partem extimam scirro laborante.

CONSVLTATIO X.

SICVTI macula nigra ab ortu acquisita in perillustri Viro circa Hypochondrium sinistrum inter lienem, & ventriculum cum verrucis quibusdam adnatis ichorem saniosum emittentibus poterat esse indicium collectionis sanguinis fœculenti, atque melancholici in parte cutanea, ita & monticulus ille ab hinc per paucos dies subortus, durus, inæqualis, minimè firmiter adhærens, atque sine dolore scirri præsentis legitimi facti ab humore melancholico certissimum indicium esse potest, cui tumori, vt ex relatis colligere est, cuticula ablata, superuenit excretio quædam sordis ichorosæ, vbi prius guttatim sanguis exierit à vertice tuberculi, vt his constitutis pro firmo statuendum sit, tuberculum prædictum haud esse cancrum, quando nec dolor, nec inflammatio partem affectam solicitet, & vasorum turgentia circum circa nõ appareat (propter quam circumscripta figura canchri fluuialis auctores huic morbo canchri eiusdem nomen imposuerunt) sed quod huius rei certiorem fidem exhibet, est quod curatis illis à quodam Medico Verrucis, malum magis, ac magis non fuit exasperatum, quod nequaquam contigisset si cancer fuisset tumor ille, quem cutim solam obsidere luce clarius existit, quando quidem est mobilis, ac minimè adhærens.

Principium autem generationis huius mali est ab humore melancholico, qui sui copia replet, frigiditate concretionem facit, siccitate siccationem, ita vt tumor hic induratorum omnem essentiam acquisiuerit. Humor autem ille transmissus est à iecore à primordio generationis ob feruorem succi melancholici generationi disposito, cui accedit, & lienis imbecillitas propter aliquam obstructionem, vt corporis totius color subnigricans attestari videtur, vbi etenim lien à sanguinis defecatione desistere cogitur, fex hæc in ipsum iecur, quin regurgitet efficere non potest, à qua sese exonerans idem iecur, partim illam in totum corpus quod ea ratione nigrescit, partim in locum affectum tanquam imbecilliorem transmittit, quibus omnibus accedunt errata externa, quæ possunt humorem prædictum multiplicare,

Quare, vt patiens ab hoc malo vindicetur, necesse est ratione copiæ homoris melancholici euacuare, vnde oritur discutientium vsus, ratione vero siccationis, & concretionis tumoris, impendet onus calefaciendi, & humectandi, vnde emollientium vsus

E exoritur, quos fines haud commodè Medicus assequi poterit, nisi totius habeatur prouidentia per quam retractio humoris fluentis fiat, & eiusdem generatio inhibeatur.

Quibus scopis satisfacere apud me non erit impossibile, sed operosum valdè, cum affectus ipse præternaturam non sint pauci momenti, primum quoniã in eo maximus est recessus à naturæ statu, tum propter naturam, & constitutionẽ illius, tum quia inueteratus, atq; in habitu existit, cui accedit, quod scirri melãcholici diuturniores ex Gal. lib. de atra bile 4. & 14. Meth. 19. facillimè in cancrum permutantur, quinimmo 5. de simpl. med. 9. scirrum melancholicum idem Gal. cancerosum vocabat, suborta enim putredine humor feruidus, ac ferinus redditur, & hoc eo magis vbi patientis ætas inclinans, quæ huius morbi ferax esse solet (vt in casu nostro) penitus adest.

Vtcumq; tamen deueniens ad materias medicas, & primum ad Chirurgicas decerno venæ sectionem non semel in anno tantum conuenire, sed bis, atq; etiam ter, prout F necessariũ fuerit: Quocirca Vere poterit secari vena in cubito dextro, Autumno verò in sinistro, vel manu inter annullarem, & minimum digitos, vel etiã in talo sinistro; quo pertinet hemorrhoidarum per hyrudines apertio, fonticulusq; in vtroq; crure opportunus videtur, Ac tandem tuberculus auferri poterit, aut caustico, aut ferro ignito, vel scindente, hinc tenaculas incisorias ignitas tanquam valdè accommodatas propono, quo peracto vlcus ad cicatricem perducere oportebit, prius facta eiusdem suppuratione, detersione, & siccatione. Aliqui etiam filum sericum adligant, deinde ferro excindunt, & postea vrunt, atque curant vlcus, vt dictum fuit.

De remedijs pharmaceuticis ita meo iudicio statuendum est, vt lenita aluo syrupo de pollypodio, & melle ros. soluentibus, aut electuario lenitiuo cum hyera, humores præparentur decocto fumariæ, lupulorum, boraginis, betonicæ, cicorij, additis syrupis de fumoterra, de boragine, de cicorio, & pro purgatione infusum senæ, hellebo-G ri nigri, & agarici trociscati cum syrupo de polypodio, Confectio Hamech cum diaphenicone, & electuario lenitiuo, pilulæ cochiæ cum helleboro, Hyera Pachij cum eodemmet helleboro probantur: Immo verò statutis quibusdam interuallis, vel pilulæ de helleboro cum masticinis, vel infusum epitimi ex sero Caprino, vel vinum senæ medicatum ad præseruationem mihi arrident; In quem vsum chinæ decoctum, vel salsæ cum tantillo guaiaci, violaceis, boragine, liquiritia summoperè valet, & eo magis si ante syrupum matutinum bolus ex trociscis viperinis, aut sale theriacali, & boraginis conserua detur.

Verum præter purgantia occurrunt, & medicamenta alterantia, inter quæ probatur serum caprinum depuratum cum succo cicorij, & boraginis ad plures dies datum lac etiam Asininum maximi vsus existimatur, sicuti & extrinsecus toti corpori balneum aquæ dulcis est accommodatum.

H De topicis, quæ ad scirri curationẽ diriguntur nihil dicendũ, qñ scirrus noster manuali operatione sit auferẽdus, pręterea in summitate vlceratus existat; De topicis igitur solũ quę post incisionẽ necessaria occurrũt, breuib. agendũ, Quare escara butyro, vel digestiuo loto, vel therebintina abijci poterit, mox pars ipsa detergenda melle rosato, sicc[illegible] la vnguento Iside, consolidanda vnguento ex minio, & cerato phęnicino.

Postremò huiusmodi victus ratio est instituenda, vt nimirum nobilis patiens in aere degat, temperato, comedat cibos boni succi, & nullius excrementi, fugiat omnia, quæ sanguinem melancholicum augere possunt, cuius census olera sunt, vbi ex farina, caseus antiquus, ac similia; Pro potu sibi vinum eligat album non vetustum, tenue, & oligophorum, cum radice buglossi, china, & guaiaco medicatum, reliqua proportione respondeant, sic enim plurimum proderunt, quemadmodum perillustri, & nobili patienti accidere vehementer exopto.

PRO

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI BERGOMENSI *Maculam oculi habente.*

CONSVLTATIO XI.

ILLVSTREM, & Nobilem Virum non detineri ea specie albuginis secundum vtrumque oculum, quod ex cicatrice post sanatum vlcus in tunica Cornea orta legitima dicitur, sed quæ spuria, & notha nuncupatur, facta non à scirro, sed à pituita crassefacta vnicuique satis perspectum esse non dubito, qui quidem affectus est, qui ab Auctore libri de oculis Pannus, non autem qui ab Arabibus Sebel, à plerisque panniculus vocatur, nam Sebel ex Rase est panniculus venosus, qui vt pterigium sibi curationem expostulat. Cœterum quoniam visio fere ex toto est ablata, aufertur autem non solum partium famulantium (inter quas tunica Cornea numeratur) verum etiam vitio facultatis, ac partis, cui primo debetur actio videndi, iure quis quærere posset, an vitio Corneæ coniungatur aliquid aliud ex iam dictis, cui statim respondeo præter dilatationem pupillæ, quæ oculis ipsis patientis nostri oculos intuentibus conspicitur, de alijs nil certè statui posse, nam si præteritorum ratio habeatur, cũ Illustris patiens occasione destillationis ante multos annos inciderit in Ortopheã, & ab hac materia ad oculos conuersa affectum nunc propositum incurrerit, facilè quis suspicari poterit neruos visorios non parum passos fuisse; Ad hæc, quoniam antea fere se totum Vir Nobilis Veneri tradidit, ac malorum, quibus diu fuit afflictatus, occasione, pluribus remedijs euacuantibus atque calorem, spiritumque innatum multum dissipantibus vsus fuit, nullus est, qui non arguat, propter hæc omnia coadiuuante etiam ætate senili spiritus ipsos deficere. At quoniam densata, ac veluti indurata tunica Cornea, species visibiles non recipiuntur, hinc de hisce propositis certum iudicium vt dictum fuit minimè ferri potest.

Sed iam principia generationis horum vitiorum afferenda, quæ omnia in insignem pituitæ prouentum refero, quæ intra laminas tunicæ corneæ concreta albuginem, in substantia tunicæ vuæ imbuta mydriasim parit; Prouentus autem hic pituitosus primaria quadam ratione ex fluxione suscipit occasionem, coadiuuat tamen, & facultas alteratrix oculorum à proprio scopo (quia non benè conficit alimentum) aberrans, sicuti in morbis longis, & in ætate senili contingere solet: Pituitam confluere docet color eiusdem panni, fluere autem per modum transmissionis, partis imbecillitas ex morbo longo contracta persuadet, quamquam succum hunc pituitosum antea propter inflammationem oculorum attractum, ac dissipatis partibus tenuioribus ob calorem inflammatorium crassefactum fuisse non hæsitem.

Quamobrem si affectus ij curandi essent, Medicus omne studium eo dirigere deberet, vt humorem iam impactum discuteret, fluentem ad oculos deriuaret, atque reuelleret, eiusdem generationem per alterationem tum cerebri, tum ventriculi ad calidum prohiberet, tandemque, & oculorum proportionem remedijs ocularibus conseruaret.

Quas medicas intẽtiones explere, nemo est ex medicis, qui non videat prouinciam penitus impossibilem, nam vbi visio ob affectus præternaturam in habitu, qui pluribus, & efficacibus materijs medicis sine fructu non semel à Viris Excellentissimis tractati fuerunt, aufertur, vbi plures oculorum partes affectæ sunt, nullam salutis e re quis est, qui nõ videat, quoniam ablatã visionem sic restituere est opus

 diuinum,

E diuinum, non humanum, quia tamen medicina est donum ipsius Dei, ac instrumenta medica, veluti manus eiusdem solent interdum esse proficua (cum sæpius ipse, & natura ab imminenti etiam morte vindicauerit) ideo à materijs medicis in hoc quoque casu non est desistendum, quin inquam hæc tum ego proponam, tum patiens diligentia, & studio Excellentissimi curantis ad vsum deducat.

Et propterea (quantum attinet ad chirurgicam) præter vesicantia capiti adhibenda, Cauterium ad aliquot dies in sincipite gestatum summoperè laudo, & cauterium, atque setaceum in ceruice, tanquam ea remedia, quæ citra aliquem fructum pluries tentata fuisse non propono, sed præter hæc proposita & aurium perforationem, itemque scarificationem cartilaginum eorumdem non improbo. De venæ sectione, sicuti de remedio, quod sæpius fuit adhibitum, atque ipsius nunc nulla sese offert necessitas, nihil dico; cucurbitulas autem, modo siccas, modo humidas, frictiones, ligaturasque partium extremarum proficuas admodum esse posse fateor.

F Quantum verò nunc ad medicamenta attineat, mihi videtur opportunum, vt neglectis interim communibus, ac alijs, quæ sæpius gratia totius fuerunt vsurpata prosequatur Patiens in vsu decocti chinæ, & medicamenti ex viperis, ea tamen ratione, vt quibusdam interuallis constitutis non solum tempore vsus huius decocti, verum etiam extra hanc occasionem vtatur pilulis lucis tantum, aut etiam admixtis cochijs: Gratia autem capitis peculiariter ad euacuandum masticatoria, ad alterandum embrocam seu lotionem calefacientem, atque siccantem omnibus præfero.

Et quantum attinet ad topica, quæ detergentia, & discussoria esse debent plura sese offerunt medicamenta, inter quæ primum probo aquam fragrorum instillatam, secundo sanguinem galli antiqui eodem modo vsurpatum; huc pertinet mulsa cum succo fœniculi adhibita, oleum balsami, liquor, qui extrahitur ex arundine fœni-

G culi in horto ipso de nodo ad nodum perforata, sale minerali, saccharo, puluereque Eufragiæ repleta, ac cera per noctem obturata. Sed collyrium ex ouo medicato cum viridi aere, & aloe lotis, atque sarcocola nutrita, tanquam efficax medicamentorum vsu, experientiaq; mihi non semel comprobatum propono, sicuti & illud, quod fit ex mica panis nuper è clibano extracta, in mulsa macerata, ac sanguine columbino perfusa, Vapores enim qui ab huiusmodi mixto intra duo vasa stannea concluso exhalãt, in aquam conuertuntur, quæ in oculos instillata mirificè valet ad vsum dictum, quo pertinet & collyrium Rasis ex fellibus. Verum ante horum omnium medicamentorum vsum maximè proderit, si oculi foueantur spongia molli madefacta in decocto alteæ, maluarum, fœnugræci, seminum lini, ac huiusmodi aliorum emollientium. Ad proportionem autem oculorum flos nucis muscatæ cum conserua Eufragiæ probatur.

H Atque demum inter ea, quæ ad victus rationem attinent, illud noto, vt omnia illius cibaria condiantur puluere Eufragiæ, verbenæ, seminum fœniculi, rutæ, & sacchari, Vinumque cum Guaiaco, salsa, & simplicibus ocularibus iam dictis alteretur. Reliqua verò huc spectantia, sicuti & pleraque alia tamquam Excellentissimo curanti notissima consulto prætermitto. Faxit autem D.O.M. vt hæc omnia illustri, & nobili patienti salutaria reddantur.

A

PRO EGREGIO VENETO MERCATORE in coitu voluptatem non sentiente.

CONSVLTATIO XII.

ACTIO coeundi omnibus modis vitiari potest, prout & penis erectionem, & seminis eiaculationem lædi contingit, quare cum in egregio viro erigatur penis, eiaculetur, aut potius eijciatur semen, & hoc ipsum copiosum, & crassum, citra tamen voluptatem, & delectationem, prædictam actionem ea ratione vitiari statuo, quà insigniter imminuitur, quoniam in seminis eiaculatione, quod præcipuum est, delectatio deest, quamquam etiam, & deprauatam eandem actionem vocari posse sciam, quatenus secundum debitum modum non fit, cum delectatione scilicet, & voluptate, vt profectò naturaliter fieri deberet. B

Vtcumque tamen sit, in gratiam nostri patientis, nunc laborandum circa generationem huius ablatæ voluptatis. Ablata igitur hæc voluptas est actio læsa, ergo necessariò dependet à vitio vel organi, vel obiecti, vel vtriusque. Organum sunt partes genitales, in quibus & facultas, & natura ipsiusmet organi est perpendenda, facultas duplex Communis & determinata. Communis facultas est animalis, præcipuè verò ipsa imaginatio, quæ cum sit veluti principium omnium actionum in corpore factarum, vbi ab alio obiecto diuertitur, est in causa per quam actio quælibet, & proindè actio etiam coeundi non benè procedat, facultas verò determinata, & quæ potissimum ad partes ipsas genitales attinet, ipsisque communicatur ex partibos principalibus mediante spiritu, & calore innato, hæc enim, siue non suscipiatur ob densitatem partium genitalium, siue non mittatur, vel quia alio auocatur, vt in timore, ac odio, vel quia viæ, per quas fluit sunt impeditæ, vel quia tandem spiritus idonei & copia, & qualitate in partibus principalibus ob aliquem earum affectum præternaturam non gignuntur, potest & ipsa eundem coitum multipliciter lædere. C

In nostro autem Egregio patiente, nec vitio imaginationis, nec facultatis determinatæ culpa pro maiori parte malum prædictum contingere refertur. Quapropter circa naturam organi versandum.

In organo itaque duo considerari possunt, temperies, & structura. Quantum ad temperiem, hanc omninò ineptissimam in casu nostro arbitror, quando patiens ipse narret, partes proprias genitales frigidas se persentire, nec valdè ad Venerem sit propensus. Frigiditati iungitur humiditas, quam suadet excrementum quoddam crassum, quod scroto veluti tegumentum inhæret, atque hac ratione fit, vt partes hæ in viro proposito non habeant exquisitum sensum, qui ad voluptatem in coitu necessarius à Galeno existimatur, quem sensum ope caloris, ac siccitatis cuiusdam moderatæ ipsius organi fieri, nullus est qui ambigat. D

Quantum verò ad structuram attinet, sine dubio foramina instar cribri supra corpus, glandosum ad radicem penis existentia sunt nimis in egregio patiente dilatata, & ampliata, vel potius ob redundantiam humiditatis præsentem relaxata, nam ad partem illam foraminibus, obductam proprie attinet delectatio in coitu, qua scilicet ob foraminum angustiam semen maiorem moram contrahens titillat, ac titillando subitò exit, quare cum dilatatis, aut saltem relaxatis illis foraminibus semen haud multum detineatur, & sensim exeat, non est mirum si miser hic vir destituatur inter coeundum illa voluptate, quam insignem cœteri viri in coitu solent experiri, pariter non est mirum, si statim cum maxima mulieris displicentia penis flacescat.

E Accedo ad obiectum, quod nil aliud est, nisi semen ipsum, quod vt delectationem inferat, duo habere debet; Vnum, vt sit calidum, & spiritnosum alterum verò, vt sit acre, meritò enim vtriusque in parte illa foraminulenta titillationem, ac pruriginem parrit, cui tota voluptas in coitu accepta referenda est, medijs enim calore, & copia spirituum irritatur facultas expultrix, hinc subita fit expulsio; media autem acredine punctio, & morsus infertur, hinc agitatio inducitur, ac titillatio.

Cœterum acquirit semen calorem, & spiritum à partibus principibus, præcipuè verò à corde, habet deinceps acredinem ab humiditate serosa in illius generatione à Iecore vasis spermaticis, atque testibus suppediata.

Ex inde cum patiens noster sit cordis frigidi, vt ex moribus mulieribus, pectore depilo, ac mollitie in pulsu colligitur, non est, vt aliquis admiretur, si semen eiusdem F calore, ac spiritibus aptis, accommodatisque priuatur. Similiter quoniam corpus patientis nostri scatet humiditatibus excrementitijs, quæ acredinem humiditatis serosæ in iecore genitæ placant, non est difficilè captu semen & acredine destitui, atque sic ac alijs similibus causis miserum hunc virum voluptate priuari inter coeundum.

Quapropter vniuersa medendi ratio eo dirigenda esset, vt expiato corpore à colluuie excrementorum pituitosorum, & melancholicorum cor calefieret, partes genitales pariter calefiereut, siccarentur, & constringerentur, ac tandem quæ coitum fouere, & augere possent ad vsum perducerentur.

Verumtamen hæc vt assequatur patiens beneficia impossibile existimo, quoniam vitium, de quo agitur est ipsi ferè natiuum, sed non ideo materias præsidiorum medicas debet ille in sui gratiam non experiri, quæ solent etiam interdum malis penè irremediabilibus proficua plurimum esse.

G Et proindè à Chirurgica exorsus duas tantummodo illi vtiles propono.

Prima est Cauterium in femore dextro excitatum ad deriuandum illam humiditatem excrementitiam, qua continuò scrotum scatet. Altera verò est frictio partium genitalium humida facta manibus inunctis in oleo vel de cherua, vel sampsucino, in quo formicæ ferbuerint alate, vel demum oleo ex nuce muscata, & pineis recentibus extracto cum aliquot granis musci, & ambræ, aut Zibetti, quibus omnibus ad constringendum, & roborandum addendum est oleum masticinum.

Medicamenta, quæ pro nostro patiente facere possont redigo ad communia, & priuata, in genere communium pro lenienti mel. ros. cum syrupo de polypodio, pro præparante decoctum factum ex iure columbino, betonicæ, boraginis, cicorij, macis adiectis syrupis accomodatis, pro purgante infusum agarici, & senæ cum melle ros. sol. conuenit. A quibus omnibus hoc tempore potissimum thermæ calidæ, vt Por-H rectanæ in Agro Bononiensi, vel D. Bartholomæi in Agro Patauino probantur, ea tamen ratione, vt Tettuccianæ ad tres, vel saltem duos dies prius bibantur. In autumno verò sequenti decoctum Guaiaci, & salsæ, vel (quod magis probo) Chinæ, sassafras in iure columbino, cum guaiaci cortice, & simplicibus venerem iuuantibus paratum, dummodò tamen cicoraceis corrigatur mirum in modum probo.

Priuata deindè medicamenta, si ad viscerum, & primum Cordis intemperantiam redigantur, possunt esse interna, & externa. In serie internorum Confectio Alchermes, Vterquę Diamuscus, Diambria, & similia, castigata tamen (si opus fuerit) conserua cicoracea, & rosarum, mihi quam maximè arrident, quæ eadem etiam cordi exterius adhibita non displicent, sed præ cæteris sericum purpureum, in quo Gossipiū, aliquot granis musci & ambræ refertum, sit consutum, super cor continuo gestatum laudatur.

Pro testibus, cole, & peryneo primum insessum factum ex aquis iam dictis, in quibus-

bus decoquantur simplicia coitum augentia, necnon nuces Cupressi, thus, mastice, ac A menta quin vehementer laudem efficere non possum Vinum quoque maluaticum, in quo immaceratum sit Zibettum pro fotu conuenit, à quo cum oleo Iasmino, de piperibus, & de cariophyllis illitio fieri poterit, atque huic oleum masticinum addere, illi verò prius incoquere masticem, mentam, & nuces cupressi iam dicta licebit.

Ac tandem deueniendum erit ad ea, quæ strenuos reddunt homines in coitu, quocirca & Diasatirium, & extractum croci, & carnem syncorum marinorum cum pineis fistici s in formam morsellorum cum saccharo Dissoluto in vino Cretico, & decocto fabarum, itemque puluerem virgæ tauri, seminum erucæ, vrticæ, nasturtij fœniculi, & pastinacæ syluestris ex iure cicerum rubeorum datum, postremòque radicem Eringij, vel pastinacæ syluestris dictæ, melle & pipere conditam, ac nucem muscatam pariter conditam probo.

His denique remedijs adijciatur viuendi modus accomodatus, qui potissimum in B eo consistit, vt patiens vescatur bonis cibis præsertim verò testibus Gallorum, cerebris passerum, columbis, & Caponibus cum mace decoctis, item & ouis perdicis, fisticis, ac placentulis cum saccharo ex eisdem paratis, fabis castaneis, & ciceribus, moderatè tamen assumptis, vtatur præterea aliquando carduis satiuis, & hyposelino. Atque his omnibus licebit admiscere puluerem paratum ex seminibus, & simplicibus iam dictis. Pro potu verò vinum sit illi in vsu odoratum, tum album, tum subrubum, quod magis proderit, si tempore videmiarum, guaiaco, vel sassafras, & china, corticeque guaiaci alteretur, adiecta etiam radice satyrionis maioris. Verum illud circa victum summoperè animaduertatur, vt nimirum tempore decoctorum iam dictorum victus instituatur extenuans, & siccans. Quæ omnia dubio procul nil conferent, nisi D. O. M. præsto fuerit.

C

PRO REVERENDISSIMO GENERALI MONACHORVM OBSERVANtie Santi Hieronymi destillatione, Tussi, Raucedine, difficili anhelitu, Ventriculi nausea, Cibi fastidio, rudimento phtisis, arenulis, pollutione nocturna, febribus hectica, & Catarrhali laborante.

CONSVLTATIO XIII.

MALA quę Præsulem Reuerendissimum solicitant tum ad organa corporis D principalia, tum ad totum spectare videntur. Ad organum itaque animale vnica distilatio, & hæc ipsa insipida ex relatu patientis, partus, facultatis concoctricis cerebri ob intemperiem subfrigidam, potissimum verò humidam à scopo aberrantis est referenda, nam & propter natiuum cerebri temperamentum, & propter Iecoris æstum fumos calidos, veluti igniculos emittentem, caput ab aliqua humiditate haud immune esse non dubito, cui destillationi effectus, de quibus nunc sermo est habendus, attestantur, raucedo nimirum ferè iugis, tussis humida, difficilis anhelitus, qui ob sonitum coniunctum Asthma vocari debet, quæ omnia vitia ea esse, quibus organa vitalia obsidentur, non est dubitandum, verum illis non leue rudimentum Phtisis adiungitur, quando Reuerendissimus patiens iam sanguinem expuerit, & à sanguine nunc pus per sputum excernat, quemadmodum à sputo in aquam calidam salitam iniecto descendente conijcere licet.

E Sed & organa naturalia sua mala habent, quæ sunt ventriculi dolor, nausea, & subuersio, cibi fastidium, diminuta coctio, ærenularum cum succo crasso in vrinis excretio, ac pollutio nocturna. Tandemque febricula quædam, nec non macies insolita Phtisis comites perpetui totum vexant febriculam autem hanc esse degenere hecticarum certo cerciùs existit, quia est lenta, atque ab ægro Reuerendissimo vix percipitur, & esse primi gradus ex tolerantia. & pulsu non admodum valido, at veloci, & frequenti liquet. Atqui febrem aliam (quam sobolem Catarrhi vocant) omnino subesse non solum manifestissimæ accessiones, verum etiam & sudores in eorum fine erumpentes manifestè suadent.

Quorum omnium malorum generationem in vnicam destillationem dictam refero, hæc enim delapsa ad principium asperæ Arteriæ eam irrigando raucedinem ad pulmones, eorum facultatem expultricem incitando tussim, ac denique ad bronchia eorundem, ipsamet obstruendo difficilem spirationem infert.

F Verum quoniam vbi in pulmonibus distillatio recipitur, & ex Hippocrate spatio quadraginta dierum non expurgatur propter motam suppurationem nanciscitur, & à suppuratione acredinem acquirit, ita vt vasa exedere, & sputum sanguinis efficere possit, non est mirum, si ob suppuratam distillationem patiens noster, & sanguinem expuerit, & in phtisis rudimentum (seu phtisim incipientem dixeris) inciderit, cui ob putredinem continuò in cor effumantem febricula illa annectitur.

Pariter destillatio prædicta in ventriculum decumbens coctionem peruertit à qua, & cruditates, & flatus occasionem nacta non tantum cibi fastidium, ac ventriculi subuersionem, & nauseam, verum etiam dolorem, rugitumque in imo ventre suscitare possunt. Quamquam, & ab eadem destillatione ob obstructiones prohibito transpiratu, putredinem aliquam ad ventriculum, & à putredine sitim posse suscitari non dubitem, cui & pulmonum feruorem ex difficili spiratione natum non parum fauere certò scio.

G Rursus dicta distillatio, & succus pituitosus in ventriculo genitus simul mixta per venas hypochondriorum, potissimum verò lienis propagata ibidem contumaces obstructiones pariunt, merito quarum tensiones in illis partibus, præcipuè tamen in regione lienis obseruantur.

Ad hæc illa destillatio in Renibus iusto calidioribus vna cum succo crudiori à ventriculo attracto recepta vrinas, arenulis, itemque succo crasso refertas reddit, sicuti, & sui præsentia renes eosdem alioqui à primo seminæ calidos vna cum partibus adiacentibus obstruens æstum maiorem inducit, à quo semen (præter copiam ob abstinentiam à coitu) acredinem adeptum, facultatem vasorum spermaticorum expultricem irritat, atque proinde pollulionem nocturnam efficit, quinimmò & ad ambitum totius illa eadem destillatio decumbens febri illi cum accessionibus (licet inordinatis) occasionem præbet.

H Vnde fit ex his luce clarius appareat, omne studium medicum in eo consistere, vt quicquid destillationis fluxurum est per alterantia cerebrum potissimum ad siccum cohibeatur, quicquid fluit, retrahatur, & quod fluxum est euacuetur, & discutiatur, Vlceris pulmonis incipientis augmentum per detergentia, atque siccantia impediatur, partes solidæ refrigerentur, substantificè humectentur, & viscera proprio temperamento restituantur, sed antè hæc toti est prospiciendum.

Verum enim verò, quoniam in malis iam propositis maximus à naturæ statu recessus obseruatur, & causæ eorundem ad agendum valdè sunt efficaces, pluraque diuersa, & contraria mala obseruantur, nil boni consequetur medicus, & eo magis, quia viscera omnia (quæ sunt principia vitæ) intensè laborant, ac totum ipsum malè se habet, quibus accedit mala tolerantia ex insigni macie, pulsuque languido deprehen-

ia

sa, sed quod maiorem timorem incutit est (vt ab ore Reuerendissimi patientis accepi) quod proprius frater ex tabe obierit, quasi quod & ipse ex hæreditaria dispositione, quæ remedijs medicis non superatur in prædictum malum inciderit, Ac demum quòd omnem timorem omne periculum confirmat est, quod hic ipse Reuerendissimus patiens ab omni genere remediorum abhorret. Quia tamen prudens est, spero etiam futurum obsequentem, ex quo forsan sibi longiorem, & commodiorem vitam materijs medicis comparabit qua spe fretus, eas, quas vtiles existimauero, ex animo proponam.

A

Profectò ex Chirurgia maximè illi conducturum est, si sanguis crassus, & foeculentus plurimum redundans per hyrudines venis podicis applicitas detrahatur. Cauterium quoque in sincipite, magis verò in occipite (vt sic alij remedijs in illa parte locus existat) potissimum verò setaceum in ceruice proficuum erit, quo ad aliquot menses gestato, post verò sanitati restituto cauterium in brachio sinistro, aut etiam forsan in femore dextro ad plures dies non improbaretur.

B

Pharmaca euacuantia, & alterantia conueniunt; In genere euacuantium, atque primum sensibiliter occurrunt lenientia, purgantia, expectorantia, atque caput euacuantia. In serie lenientium manna cum melle violato sol. In ordine verò purgantium, Infusum Rhabarbari, Cartamus, radix mechiocani, & Agaricus præparatus, tandemque in coordinatione expectorantium loch de pino cum puluere radicis Ari, loch de pulmone Vulpis, ammoniacus cum oxymelle, loch de caulibus, coagulum leporis cum syrupo de hysopo, & demum Galeni mulsa decoctionis origani, seminum vrticæ, ac hysopi mihi vehementer arrident. Ad capitis euacuationem faciunt errhina, inter quæ duo seligo, primum paratur ex mulsa cum succo sampsuci, alterum ex elaterio in lacte humano dissoluto.

Pro euacuatione verò insensibili molienda ius galli iunioris medicatum cum China, pulmonaria, botride, farfara, betonica, Capillis ven. Citrac, equiseto, passulis, & huiusmodi laudatur, quò pertinet & Antidotus magna mediæ ætatis.

C

Ceratum quoque Capitale Montagnanæ, & emplastrum ex cochleis cum testa tussis syncipiti applicitum conuenit.

Subsequuntur modò medicamenta alterantia, quorum alia respiciunt materiæ præparationem in toto, alia destillationem, alia partes viuentes, alia vlcus incipiens, alia denique febrem hecticam.

Priora parantur ex Betonica, hysopo, & cicoraceis. Ad intercipiendam autem destillationem theriaca recentior hora somni deuorata plurimum potest. At medicamenta, quæ tertio lòco partes respiciunt, si ad caput referantur sunt tum interna, tum externa. In genere internorum Conseruæ capitales cum mithridatica confectione, & modico, sacchari rosati hora somni pariter assumptæ placent, extra, tum lotio siccum cum furfuribus calefactis parata, tum embroca ex aliqua aqua thermali in actiuis temperata, decoctionis betonicæ, verbenæ, baccaræ, absyntij, rosarum baccarum myrti. Foliorum oliuæ, balaustiorum, & agarici videntur maximi vsus.

D

Quod si medicamenta alterantia ad ventriculum pertineant, iam confectionem Aromaticum rosatum vocatam assumptam, & stillicidium ex oleis stomasticis calefacientibus adhibitum probo, sicuti, & iecoris gratia succus Cicorij tum assumptus, tum sub forma perfusionis cum speciebus cerati sandalini, & aceto applicitus hypochondrio dextro efficax valde existimatur. Pro liene autem fotus factus cum spongijs madefactis in aceto decoctionis radicum filicis, in quo lapis pirites ignitus pluries fuerit extinctus, & à fotu illitio cum vnguento parato ex succo radicis cyclaminis, & senecij, butyro, ac oleo nardino decoctis in duplici vase ad consumptionem succorum, & cum cera in vnguenti formam exceptis conferre poterunt. Pro testibus in

E pollutione nocturna, oleum expressum ex seminibus iusciami albi in vino nigro austero maceratis seroto illitum summis laudibus extollo, in quem vsum facit vnctio regionis Renum ex rosaceo vnguento, infrigidante Galeni, & vnguento sandalino, quo & aminæ plumbeæ cribratim perforatæ super eadem regione, Renum gestatæ, tâquam vtiles referuntur. Deinde ratione vlceris initiati primum in detergentium classe lac Asininum de more bibitum, saccharum rosatum recens qualibet hora deuoratum, therebintina cocta ex ouo sorbili data, tandemque oxymel, vel acetum scyllinum sunt miri vsus, sicuti & secundo loco ad eiusdem exiccationem, atque agglutinationem, præter saccharum dictum rosatum, antiquum cum puluere boli armeni, vel equiseti, ac trociscos de camphora ex aqua pimpinellæ datos laudo, sed oleum calcanti cum aqua adianti, & saccharo bibitum non vitupero. Solent etiam & in hunc vsum odoramenta, nec non linitiones partium internarum narium ex aromatibus, & simplicibus exicantibus multum valere. Postremo ad febriculam lac superius propositum (citrà tamen tempus agglutinationis) bibitum, item & ius paruæ pullæ cum hordeo mundo, amilo, gummi Arabico, ac tragaganta medicatum assumptum plurimum valebunt, Vnguentum etiam pro spina dorsi vocatum, ac balneum aquæ dulcis suo tempore administratum summoperè conducent.

Sed inter cœtera victus accommodatus Reuerendissimo patienti erit præscribendus. Degat igitur ille in aere temperato, & omnes eiusdem iniurias aufugiat, vescatur bonis, & euchimis cibis, potissimum verò ptisana cum saccharo rosato. Confectio ex pulpa Caponis, phasiani, vel perdicis ex amygdalis, fisticis, & pineis cum speciebus diatraganti frigidi, & modico cinamomi maximè conueniens erit. Vinum album, tenue, subdulceque bibat, quod magis proderit, si aqua cocta cum china diluatur. Et sic reliqua omnia ad victus rationem attinentia respondeant prout decet. G Deum autem interim enixè rogo, vt hæc omnia Reuerendissimum patientim ad bonam valetudinem restituere patiatur.

PRO VIRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO LVE VENEREA, Hydrope Ascite, ac lienis tumore frigido laborante.

CONSVLTATIO XIIII.

H SI quid vnquam fuit, quod calidi innati constitutionem plurimum deuastet, atque corrumpat, illud profectò est, lues Venerea, quæ non solum caloris natiui qualitatem dissipando, verum etiam & pabulum, quo idemmet sustentatur inquinando, est in causa, vt omnis occasio Iecur potissimum refrigerandi suboriatur, ex quo primum cachexia, deinde verò (aucta magis iecoris eiusdem frigiditate) Hydropica passio, sub qua abdomen, ac pedes tument, fieri solet. Illa si quidem ob vitiosum sanguinem à iecore refrigerato remissè suppeditatum, hæc verò ob materiam flatuosam, vel aquosam in cauitate Abdominis receptam, vel sanguineam pituitosam per partes corporis distributam, & non assimilatam. Qua prorsus ratione Perillustrem hunc virum in hanc iecoris calamitatem peruenisse mihi videor videre. Cum etenim lue Venerea antea fuerit, & modò adhuc sit affectus, in cachexiam incidit, deinceps in Ascitem Hydropem, qui à materia pendet aquosa, sicuti tumor à thorace infra, ac sonus aquæ conclusæ ventre prius agitato, persuadent. Cui hydropi,

hydropi, & retenta per venas ani solita euacuatio, calorem natiuum, veluti strangulans, & lienis tumor frigidus à sanguine illo retento sobortus, atque etiam frigidæ potus (vt audio) non parum mea sententia fauit. A

Vt ex his pateat, hydropem nunc tractari non tantum exquisitum, sed talem exactè; exquisitum quidem, quoniam fit ab intemoerie frigida iecoris, ad spuriæ differentiam, quæ propter vitium, vel viarum, per quas serum defertur, vel materiæ Alteratrici iecoris oblatæ, vel pulmonum, vel vteri, fieri solet; Exquisitum autem exactè, quia cum materia aquosa flatus affatu dignus, qui tympanitem cum Ascite possit excitare, haud permiscetur.

Pro hoc igitur morbo profligando prius materia morbifica genita est euacuanda, deindè prouidendum, ne de nouo generetur, quod assequi oporteret, non tantum per ea, quæ viscera proprio restituunt temperamento, ac eorum tumores discutiunt, sed etiam per illa, quam eadem viscera à qualitate venerea sibi impressa, tamquam alexipharmaca vindicare possunt. B

Quò medicum peruenire posse despero, quoniam contra malum confirmatum in corpore morbis confecto, quod recidiuauit, & est ætatis inclinantis agere debet, & præter cœtera lues illa venerea subest, quæ eius actiuitatis per se sola esse solet, vt corpus continuò nouis affectibus obsideat, ac remedijs medicis omninò reluctentur. Omni tamen studio præseruationi incumbendum erit, vt vitam scilicet minus molestam, quoad fieri potest, hisce suæ vitæ diebus Nobilissimus patiens traducat.

Ideo si ad materias remediorum, ac primum ad Chirurgicam animum conuerto Cauteria non tantum circa vmbilicum, atque præcipuè circa lienis tumorem, verum etiam & in parte domestica fœmorum inusta propono, neque me ab his abducit, quod huiusmodi vlcera in partibus tumidis calore destitutis in gangrenam facilè degenerent, quoniam si ea ratione tractentur, potissimum autem in cruribus, vt non statim butyrum, sed ceratum phœnicinum adhibeatur, gangrenæ periculum aberit, & eo magis si filamenta superponantur, quoniam cum natura ad femora transmittat, ac vergat, eo quoque medicum ducere videtur rationale. De vesicantibus verò id statuo, non ita tuto cruribus, & femoribus affigi posse, ob insignem imbecillitatem illis partibus communicatam, quæ tamen cauteria inusta impedire non potest, tamquam ea, quę potius cutim incrispando partem roborant, atque confirmant. C

Crurium scarificationes ex Galeno, & Aetio sunt opiferæ. Paracentasis (quoniam à patiente expetitur (cum prætestatione, vt dicunt, concedenda, atque tunc vbi alia præsidia non contulerint: perforetur autem vmbilicus, & non abdomen, nam ibi cum vasa simul inhæreant, sed non continuentur, tutius perforatio fieri potest, sed aqua sensim extrahatur, ne vires multum feriantur, & ruant; Verum, vt liberè loquar, scroti perforationem ab omni periculo immunem substituerem, & eò magis, quoniam plurimum iuuare solet. D

Pharmaca euacuantia, & alterantia videntur opportuna. Euacuantia interim varia propono, pro varietate loci, in quo materia aquosa continetur, nam quæ in venis, ante iecur, & ipsius abdominis caua per aluum educitur assumptis, admotis, & iniectis.

In serie priorum succum corticis medij, aut foliorum ebuli, præcipuè verò radicis iridis cum melle rosato solutiuo, item & medicamentum, quod sic conficitur laudo.

℞. *Seminum Cartami modice contusorum* onc. ij.
Anisorum drag. ij.
Passularum drag. vij.

Prunorum

A

Prunorum dulcium num. xx.
Seminum Melonum cum cortice onc. i. ſ.

M. & f. decoctio in iure columbi, addito in fine modico vini odorati, deinde f. colatura, cuius

℞. onc. viij.
Braſſicæ marinæ drag. viij.
Radicum Ireos rei: inciſarum onc. ſ.

B *Agarici trociſcati* } *an. ſcrup. ij.*
Senæ

M. infundantur per xij. horas deinde f. f. c. adde
Mannæ electæ onc. ij.

Quòd ſi medicamentum propter aquam extra venas ſit vigorandum, huic infuſo radicem Eſulæ præparatę addere licebit; Clyſteres quoque, & fotus vmbilici ex ebuli ſucco cum elaterio, ac nitro conueniunt, ſicuti materia exiſtente in venis poſt iecur, vrinaria Medicameuta ſunt propinanda, inter quæ tum puluis aſari, vel ſeminum lapulæ maioris ex therebintina datus, tum ſuccus, qui à radicibus raphani recentibus C in vino odorato maceratis exprimitur efficacia putantur, ſed & præter hæc oleum calcanti nulli poſtponendum. At ſi poſtremò materia in ambitu attrahentibus, & impellentibus per ſudores mouenda ſit, patiens ſedens immitat crura, & femora in capſulam ligneam, in cuius medio fundus perforatus exiſtat, & ſub hoc fundo ſit alius, ſuper quem carbones accenſi in aliquo vaſe detineantur, prius tamen exhibeatur extractum, vel guaiaci, vel ſalſæ, vel Cardui benedicti, tamquam medicamentum impellens.

Præter quæ omnia, & diſcutientia, & ſiccantia conducunt, intus confectiones magnæ, extra primum fotus per ſpongias in ſucco ebuli, cum elaterio madefactas, & applicitas: Secundò ſacculi ſpongia minutim inciſa in aqua extinctionis calcis viuæ prius macerata, deinde ſiccata repleti: Tertiò lutum excreta, ſulphure, alumine, nitro ſtercore bubulo in clibano ſiccato, teſtis oſtreorum combuſtis cum therma aliqua ſi- D milis facultatis exceptis; poſtremò ceratum ex puluere ſpongiæ modo prædicto præparatæ, ſucco nicoſianæ, nitro, & ſale, cum oleo irino, pice, atque cera efformatum, quorum medicamenta aliqua pro cruribus, & femoribus, quemadmodum & triticum in furno ſiccatum, ac applicitum conducere poſſunt.

Alterantia medicamenta alia luem veneream, alia viſcera reſpiciunt, ſi luem, vinum ex guaiaco, ſalſa, & carduo benedicto factitium, extracta pariter eorundem propoſita ſuperius, item & trociſcos viperinos ſummis laudibus extollo.

Si viſcera nulla ratione à medicamento, quomodocumque ex ligno indico, quod ſaſſafras dicitur, parato eſt recedendum, noui enim experientia, lignum hoc inter alia medicamenta ad caloris natiui paupertatem ex lue venerea corrigendum plurimum valere, ideo ſoleo ego vti extracto eiuſdem cum lupi hepate fælici cum ſucceſſu: Vinum etiam ex eodem medicatum eſt præſtantiſſimum, ſicuti & illud, in quo raponticũ, aut ſpecies dialaccæ, vel diacurcumæ diu fuerint immacerata.

Et si medicationi tumoris lienis locus dabitur, post euacuationes iam dictas, mihi electuarium ex calybe, ac trociscis viperinis cum simplicibus spleneticis paratum per plures dies assumptum arrideret. Extra autem embroca ex oleo amygda. dulci rutaceo, & de capparibus decocto in duplici vase, cum succo radicis cyclaminis, & vino Cretico commendarem, & eo magis, si ab embroca superponeretur vnguentum factum ex oleis amygda. dulcium, & amarum, colocintide, & puluere hellebori nigri atque scolopendrij adiecta cera, in quem vsum oleum ex radice cyclaminis sola mirifice valet.

A

Victus verò hisce omnibus respondens instituatur, qui sit extenuans, & mediocris, quamquam ratione virium oua, atque carnes euchimæ, ac propter inextinguibilem sitim vinum fuluum, odorum, & rapontico medicatum, sed paucum admodum concedatur oportet, quæ omnia sicuti ex intimo cordis à me fuerunt adducta, ita D. O. M. eadem ad fælicem exitum perducere non dedignetur.

B

PRO ILLVSTRI ET REVERENDISSIMO NICOLAO de Horatijs Bononiensis Episcopo Cantansariense, animi deliquio, Vertigine, & conuulsione Epileptica laborante.

CONSVLTATIO XV.

C

REVERENDISSIMVS Antistes malè secundum ventriculum affectus, prius animi deliquium passus fuit, à quo vertigo diu, à vertigine verò Conulusio epileptica semel tantum absque spuma ad os est subsequuta, vt in hac malorum veluti catena ventriculus frigidior eorum principium, ac prima radix succos crudos, prauos, atque copiosos coaceruans constituendus sit, qui succi, sicuti ex morborũ diuturnitate, ac ætate senili, tunc primi, nũc autẽ postremi gradus (cum annum tertium supra septuagesimum agat) innotescunt, ita & cor tamquam vicinius primùm sui copia quasi suffocantes animi deliquio, deindè in caput effumantes vertigini perbellè occasionem dederunt. Animi quidem deliquio, quoniam vbi facultas cordis motris pulsifica dicta ex attractrice, & expultrice conflata frustratur, necessariò fit debilix, vel quia imminuitur, vt in animi deliquio, lipotimia vocato, vel ad sensum aufertur, vt in syncope, hinc & pulsus vel imminuitur, vel ad sensum aufertur; solet autem frustrari facultas immediate secundum Auicennam ab errore externo, nempè à violenta spirituum in cor aggregatione, cuius in ea censetur ratio, quia si in lipotimia, & syncope spiritus deficiunt, ergo ne aliter pereant pauci illi spiritus, qui remanent, in cor aggregari debent; Et quod spiritus deficiant ex eo conuincitur, quod reliquæ corporis partes sub hisce malis emortuæ ferè manent.

D

Aggregantur verò spiritus propter causam, vel inanientem, vel replentem atqui in casu Reuerendissimi Antistitis ob replentem, nam cum ventriculum succis copiosis (vt refertur) refertũ habeat, nulli dubiũ esse, debet ab eisdẽ succis spiritus alterari, & cohibita transpiratione corrumpi, ac proindè qui remanent in cor aggregari.

At vertigini occasionem etiam succi prædicti præbuere, ea ratione, qua fumi ab ipsis eleuati, & spiritibus animalibus in ventriculis cerebri permixti, hos ad motum in gyrum perduxere, vnde sic affecti spiritus phantasma producunt, quod ita cere-

brum

E brum afficit, vt patientes obiecta visibilia circumagi imaginentur, nam obiecta recipiuntur in organo eodem modo, quo organum est affectum.

Motum hunc Galenus 3. de Locis affectis 8. tacitè proposuit, cum dixit vertiginem fieri ob motum spirituum inordinatum; Auicenna expressè, quando asseruit vertiginem causari à circulari motu, & vndoso, seu fluctuante.

Verùm dicet ille, vnde nam est, quod in hoc vitio præter imaginationis læsionem visus obscuretur, motusque voluntarius valdè imminuatur, ac penè auferatur?

Dico illud visui accidere, vel quia spiritus agitati, & motu inordinato commoti ad oculos non transmittuntur, vel si sic, cum ob admixtionem vaporum impuri, & opaci reddantur, lumen illud internum, quod in visione secundum Arist. 2. de Anima desideratur, aufertur.

De motu autem statuo, quod quia spiritus in anterioribus cerebri ventriculis agi- F tantur, facilè fit, vt læsio hæc ventriculis postremis communicetur, atque sic radij spirituum animalium per totum non distribuantur, vt non sit propterea mirum, si vertiginosi aliquando in terram cadant.

Cur verò vapores motum illum in gyrum efficiant ea est causa, quod ij ipsi in loco angusto fluctuantes ob impeditũ exitum in gyrum necessario aguntur, ac instar turbinis simul spiritus animales rapiuntur.

Cœterùm cum ex his, ni fallor, constet vertiginem iam propositam lege consortij à ventriculo produci, eandem quoque per essentiam factam fuisse puto, ita vapor ille flatulentus tamquam opus præter naturam non solum in ventriculo, verumetiam in capite ab errore facultatis alteratricis vtriusque ob diminutum calorem ex materia cruda generari.

Ducorque in hanc sententiam ob mali diuturnitatem, ætatem senilem, ac forsan ob G varia errata externa, quæ vix Reuerendissimum patientem deuitare potuisse suspicor.

Tandem à vapore præfato & morbum comitialem suscitatum fuisse nemo est, qui dubitet, quando ex Galeno loco citato cap. 3. & ex Auerroe epilepsia, vt quæ citò fit, & citò delitescit, à causa simili fieri debeat. Modo vapor, vt de se liquet, sicuti citò generatur, ita pariter citò dissipatur: In cuius confirmationem facit & illud Galeni, quod epilepsia quandoque ab humore melancholicho generetur, qui quoniam in capite, non fit, epilepsiam per essentiam non immediatè, sed in vaporem tantum resolutus excitare poterit; Ad quod forsitan respiciens Auicenna fassus est malum hoc fieri ab humore, prout ab ipso procedit vapor, sed hæc obiter; epilepsia ergo fit à vapore lædente cerebrum.

Sed quia sub hoc malo tum principalis cerebri actio, motus, & sensus auferuntur, tum motus deprauatur, non quidem ratione cerebri, quia sic aufertur (vt dictum est) H sed ratione musculorũ, videre oportet, qua ratione hæc ab huiusmodi vapore prodeat.

Dico igitur, quod si vapor ille propter sui copiam ita cerebrum secundum poros afficiat, vt eosdem obstruat, excursus animalium spirituum prohibetur, hinc actiones illas auferri contingit, cui & obstructio ventriculorum ab omnibus proposita fauet; At si idem vapor cerebrum afficiat secundum parietes ventriculorum, vt illis hæreat, ac veluti impactus fiat, iam ipsum in se contrahitur, vt noxam expellat ex Galeno, & Auicenna, & proindè subsequitur motus ille prauus, qui concussio non legitima opus morbi, sed spuria opus naturę dici poterit, & assimulatur singultui, qui sicuti est motus prauus oris ventriculi pendens ab impacta materia morbifica, ita & epilepsia concussio est, & motus prauus musculorũ qui à materia superficiei internæ ventriculorum cerebri impacta dependet: Quod vitium, quamquam semel tantum ingruerit, videtur tamen rationi consentaneum sub eo cerebrum per essentiam laborasse, quando vertigo illius præludium simili modo cerebrum affectum exercuerit.

Vt consonum maximè videatur ratione præcautionis (cui potissimum Medicus attentus esse debet) facultatem medicam eo dirigere, vt calor, natiuus nempè recuperetur, intemperies ventriculi, cordis, & capitis frigida submoueatur, eorumque proprietas indiuidualis foueatur, sed hæc, nisi prius eadem viscera, ac totum ipsum à colluie excrementorum expientur, assequi est impossibile, ideò primum vni illorum euacuationis Medicus incumbat oportet, sic enim & occasionem generationis vaporum tum in ventriculo, tum in corde remouebit. A

Verum pro curatione adhuc vapores geniti dissipandi, retrahendique, motus spirituum compescendus, sopita facultas delorificis auxilijs euigilanda, membra sursum tracta deorsum trahenda, spiritus recreandi, atque à præsidiorum secreta quadam virtute agentium vsu (quæ & in præcautione quoque conferre poterant) minimè desistendum.

Sed tum de præcautione, tum de curatione non parum meo iudicio est metuendum cum ob multas rationes tum verò maximè, quia mala iam dicta pro maiori parte nimium sunt inueterata, & ferè omnia viscera principalia ad labem perduxere, & quod præcipuè timorem facit, est quod sub ætate decrepita reparatio caloris natiui Medico ferè impossibilis existit, verumtamen adhuc Reueren. Antistite satis robusto, ac vegeto existente, & exinde nondum valdè prostratis viribus, sperare quoquè licet, vt remedijs medicis aliquo modo præseruetur, ac vitia proposita imminuantur, præsertim si obsequens fuerit præceptis Medici, & nil omiserit, quod ad sui saltem facere possit, quæ eiusdem summa prudentia pollicetur. B

Idcircò hac spe concepta ad materias medicas accedo, & de Chirurgica ad præcautionem statuo, cauterium tum in suprema parte capitis, tum in parte domestica femoris dextri inustum maximè conducturum, ad curationem verò, præsentibus accessionibus frictiones, deligationes, & ventosationes pariter vtiles erunt, ac postulante vsu ob frequentiam, & vehementiam accesionum pro materiæ retractione cauterium infra occipitum non improbatur, vt Medicus curans, qui melius hæc omnia nouerit, parti huic, vel illi capitis, prout sibi magis opportunum videbitur, infigere possit. C

Pharmaca præseruatoria respiciunt materiam, viscera, atque morbos hosce qualitate quadam recondita. Si materiam vel in toto, vel in capite. Ratione igitur totius lenita aluo cum melle rosato solutiuo, vel cum speciebus Hieræ, & Cassia, præparatis humoribus decocto betonicæ, samplucci, mentæ, boraginis, sem. citri, & cicorij, cum syrupis proprijs, deturbatisque humoribus cum pilulis agaricinis Mesue, vel etiam si opportunum videtur cum pilulis cochijs castigatis cum masticinis, iam de medicamento aliquo purganti placido per vices assumpto cogitandum erit, corpora enim delicata, & senilia per epicrasin sunt purganda. Ideo Catapotia de Hiera cum Agarico, Arabica, lucis sine quibus maximè erunt accomodata, & eo magis, si tribus, vel quinque diebus ante modicum oxymellis, mellis rosati simplicis, & syrupi de betonica assumatur. D

Interim tamen ad insensibiliter euacuantia deueniendum, ideo ius columbi turrialis, in cuius ventre sassafras, china, lignum, viscum quecirnum, & alia simplicia dicta incoquantur, ad plures dies assumptum pluribus nominibus conuenit, vt de se patet.

Sed quod expertum, & veluti secretum propono est oleum sulphuris ad guttas aliquot ex aqua peoniæ alternis diebus ad plures dies bibitum; Vinum cum scylla medicatum mihi summoperè arridet, sicuti & vtraque Antidotus magna antiquior; Nec Antidotus ex viperis verenda est in senibus, quando Galenus 5. de San. tuenda capite 8. illam non incommodè dari senibus, & ad calcem libri de Theriaca ad Pisonem eandem prorogare vitam dixerit: Elixier vitæ, extractum sassafras, & guaiaci, post remoque Castoreum hic non sunt contemnenda.

Quibus

E Quibus medicamentis vsurpatis ad materiam in capite existentem medicatio est conuertenda, nam quæ in ventriculo medicamentis iam propositis aufertur. Pro capite igitur probo tum masticatoria, tum herrina; masticatoria primum simplicia cum solo mastiche, deinde cum mastiche, pyretro, & caricis, quinimo & gargarismi facti ex aqua sampsuci cum syrupo de calaminta sunt opiferi; Herrina humida parata ex decocto betæ, maioranæ, cartami, nigellæ, adiecto primum melle rosato simplici, deinde soluente, conueniunt, sicuti & sicca herrina, quæ sunt tentæ paratæ ex nuce muscata, pyretro, nigella, calamo aromatico, & similibus, cum cera, ac therebintina exceptis; At postulante vsu ad vtrumque helleborum, ad trociscos ex colocyntide deuenire licet. Sed & Catapocia superius proposita media nocte deuorata non erunt inutilis vsus, si Reuerendiss. patiens aut incœnatus cubitum eat, aut parcè admodū comedat. Cœterum que insensibiliter caput euacuant non sunt prætermittenda, idcirco Cucufa duplicata, in cuius medio flores Capitales, macis, cariophylli, lignum aloes, vel sassafras, & rosæ, vel sandali rubri sint consuta prius in puluerem redacta efficax esse solet, quò & illitio facta cum oleo nucis miristicæ, ablutio cum aqua ardenti, tandemque vrgente necessitate syrapismus spectat.

F

Post hæc deueniendum ad alterantia caput, ac ventriculum, ideo pro alteratione capitis non solum Conseruas capitales cum Mithridato hora somni deuoratas, verum etiam & lotiones factas ex lixiuio cineris ficulnei decoctionis plantarum capitalium, sampsuci Verbenæ, absynthij, agarici, ac myrtillorum, ea tamen ratione adhibitas, vt agitationem minimè faciant (propter quod embroca in præsenti damnatur) mirum in modum probo, Sapoque damascenus alteratus cum pulueribus capitalibus dictis vsurpari poterit.

Pro ventriculo nucem myristicam, & radicem zinziberis viridem saccharo conditam, necnon sal absynthij chymicum laudo, item, & ceratum ex mastiche ex speciebus diambræ; necnon embrocam ex oleo amigd. dulci cum vino Cretico polio montano, squinantio, menta, rosis, nuce musca. laudano, mirrha, mastiche, & calamo aromatico in duplici vasæ ebullitis.

G

Cordis etiam interea non est non habenda ratio, ideo confectio Alchermes tum assumpta, tum cordi illita erit miri vsus.

Sed, & medicamenta, quæ à proprietate valent hic recensenda, experta tamen, idcirco oleum ex humano cranio recenti destillatum ex aqua peoniæ datum, coagulum leporinum, conserua fluorum rutæ Capraiæ, decoctum Hysopi ex Alexand. extractum, & decoctum ligni visci, quercini mihi summoperè arrident. Et gratia vertiginis succus betæ nigræ temporibus illitus maximè prodest.

Medicamenta curationem respicientia, si ad spiritus dirigantur, sint odorata, & moderatè adstingentia, idcircò confectio alchermes cum saccharo rosato tum assumpta, tum palato affricata conueniens est, sicuti & odoramentum factum ex ambra, & mosco, mace, gariophilis, ligno aloe, rosis rubris, & sandalis in sindone rara deligatis. Facies interim aspergenda ex vino aromatico, aqua florum citri cum modico aquæ rosaceæ, & aceti rosati, oculi quoque irrigandi saliua medicata cum fœniculo ieiunè masticato.

H

Quod si medicamenta respiciant vaporem in capite, discutientia sint oportet, propterea primum inunctio narium internarum ex oleo nucis muscatæ, vel diambra (quæ pariter palato poterunt affricari) est admouenda, & in hunc vsum facit vtraque Antidotus magna.

Sed prius retrahenda est materia reuelentibus, nempè vomitorijs, clysteribus, itemque glandibus acriusculis, retrahenda etiam est intercipientibus, inter quæ mihi vsitatissimæ sunt pilulæ, quæ

R. Coriandrorum præparatorum onc. 3.
Rasuræ eboris drag. ij.
Olibani onc. j.

Cum succo rosarum f. pasta, ex qua fermentata detur scrup. 1. hora somni.

Et si vapores fluant per partes externas, apponatur post aures, ac temporibus defensorium ex bolo armena, corallo rubro, sanguine draconis, gallis immaturis, acacia, Hypocistide, gummi Arabico, & balaustijs, primum pulueratis, deinde cum albumine oui, & aceto exceptis, & super corium extensis. B

In epilepsia, medicamenta curatoria (si respiciant materiam fluentem) conueniunt, & quæ in vertigine, si materiam fluxam, fiant odoramenta ex spongia madefacta in aceto decoctionis sem. rutæ syluestris, vel ex Castoreo torrefacto. Nares, & palatum inungantur melle cum puluere synapi admixto, ac alijs in vertigine propositis, quibus & sopita facultas euigilabitur.

Demumque victus est instituendus huius census, vt scilicet Reuerendissimus Episcopus omnem aeris potissimum frigidioris inclementiam deuitet, bonis cibis, facilisque coctionis vescatur, melle albo senum cibo sepius vtatur, atque quamcumque repletionem, & cruditatem aufugiat, & sicuti à cibis crassis, excrementitijs, vaporosis sibi est abstinendum, ita ad iuuandam coctionem duobus potissimum vti debet, primum est puluis coctilis cibarijs admiscendus, qui C

R. Panis biscotti onc. ij.
Coriandrorum præparatorum onc. 5.
Cariophyllorum drag. 5.
Corticum citri conditorum, & siccatorum drag. ij.
Croci scrup. 5.
Saccari fini ad pondus omnium.

M. & f. puluis subtilis.

Alterum verò est assumendum à cibo; Quo circa (præter saccharum rosatum antiquum, cydoniatum, & coriandros semicoopertos) ego probo puluerem, qui D

R. sacchari rosati
conserua cydoniorum siccatorum } *an. onc. 2.*
coriandrorum præparatorum onc. 5.

M. & F. puluis sub. cuius coclearium Reuerendissimus patiens sumat à mensa. Et ne cruditates congerantur, summoperè conduceret, vt incoenatus cubitum irit, aut saltem ipsi cæna breuis admodum eßet.

E De potu verò decerno, vt propter ætatem vinum bibat, sed pauciferum, subrubrum medicatum tempore vindemiarum sassafras, & china, quod si tale vinum pauciferum, & modo dicto præparatum non habeatur, poterit aliud aqua cocta cum china dilui, sed & vinum anthosatum, saluiatum, atque absynthites laudo. Somnus tamen nocturnus, & non statim à cibo probatur, & eo magis si capite eleuato, & cruribus retractis fiat. Corpus ambulationibus in longo spatio factis cum seruis comitibus, necnon frictionibus exerceatur. Aluus, pro vt decet, respondeat, aliàs vtatur ad id in prima mensa Pane ex tota farina, cum sale, anixis; & passulis facto, vel ante prandium sorbeat ouum, cui inspergatur sal tartari, vel mercurialis chymicum; vel bibat iusculum pulli, in quo semina Cartami, radix polypodij recens, & passulæ sint in cocta. Præstantissimum est, & etiam hoc cydoniatum, quod

F *R. Polypodij* }
epitimi } *an. onc. 4.*
Anixorum onc. 1.
Vini albi aromatici lib. 6.
bulliant, & F. colatura, adde
Pulpæ cydoniorum lib. 3.
pulueris mechioacani onc. 4.
cinnamomi onc. 5.
sacchari fini q. s.

G *M. & F. Confectio ad formam Diacitonij, & capiatur vncia dimidia, vel paulo plus ante prandium. Clysteres, quoque ex Iure pingui, oleo communi, & butyro sunt valde in hunc finem accommodati. Tandemque studia statim à cibo, curæ, solicitudines, ac ceteræ animi passiones euitentur. sic namque Reuerendissimus antistes ope Dei non parum sibi fructus in gratiam propriæ vitæ comparabit.*

PRO QVADAM EGREGIA MVLIERE MENSIBVS omnino Vitiatis, vteri tumore, necnon mutato situ eiusdem affecta.

H

CONSVLTATIO XVI.

MVLIER, quæ numquam concepit, vix fieri potest, vt diu sana viuat, quoniam in illa dubio procul vterus malè se habet, ex vteroque malè affecto omnes ferè morbi sunt expectandi; Vt non sit mirum, si egregia fœmina, de qua mihi sermo est institutus, varias habeat querelas, cum nunquam ipsa conceperit, quas quidem querelas in tria capita redigo, quorum Primum attinet ad menses vitiatos secundum quantitatem tum continuam, tum discretam, tempus opportunum, qualitatem, & modum excernendi; secundum quantitatem continuam, quia copiosius fluunt, quàm conueniat, secundum discretam, quia bis in mense fluunt: Vitiantur pariter secundum tempus opportunum, quoniam non semel in mense, vt dictum, sed nec statuto quodam tempore erumpunt, secundum verò

verò qualitatem, quoniam aquosiores, & decoloratiores prodeunt, quam deceat; tandem secundum modum, nam sibi dolorem adiungunt, si non primo, & secundo, tertio saltem die. A

Alterum verò caput malorum, à quibus affligitur misera hæc fœmina est tumor vteri, qui tactu ipso ad regionem propriam percipitur, potissimum verò secundum latus sinistrum, nam manu admota circa fundum abdominis in parte sinistra durities persentitur, quinimmò & obstetrix ipsa ex digito immisso in pudendum duritiem ea in parte maximè se obseruasse narrat, cui & illud attestatur, egregiam nempè fœminam sæpius à mingendi desiderio solicitari, quod ei contingit, quia tumefactus vterus in vesicam incumbit, & proindè est in causa, vt facultas expultrix pluries ad excernendum irritetur, ita vt in vtero tumorem, eundemque scirrosum adesse certo certius existat, scirrosum quidem non legitimum, sed spurium propter præsentiam doloris.

B

Postremum caput est luxatio, seu mutatio situs eiusdem vteri in eandem partem sinistram, sicuti dolor, & grauitas secundum eam partem confirmant.

Quibus sic constitutis, de modo generationis horum vitiorum est agendum; quantum igitur attinet ad menses vitiatos dico, hos ipsos pendere ex vitio facultatis expultricis vteri, atque etiam obiecti facultati oblati.

Ex vitio facultatis, quoniam suum aggreditur opus, non autem perficit, tum quia vterus laborat intemperie frigida, tum quia idem vterus ab angustia vasorum detinetur, non solum quia eadem vasa sunt obstructa à materia crassa, & lenta, verumetiam quia ab vteri corpore indurato comprimuntur. Præsentiam huius intemperiei frigidæ attestantur quamplura, inter cætera verò duo præsertim, primum est vsus aquę thermalis Villensis actu frigidæ bis bibitæ; Alterum est sensus quidam frigiditatis partium vteri, atque femorum ab ægra perceptus, quibus & illud addendum, quod in exitu materiæ menstrualis, nullum dolorem, calorem nullum ipsa persentit; Præsentiam angustiæ vasorum, non tantum per obstructionem, verum & per compressionem, confimare licet ex humorum crassorum, & viscidorum redundantia, sicuti excreta manifestè innuunt. C

Vitium autem obiecti ad sanguinem pertinet copiosum, aquosum tamen in iecore ad frigidum inclinante genitum, cuius iecoris frigiditas, non solum ex vsu aquæ prædictæ prægresso, sed etiam ex fœdo colore, qui in toto corpore obseruatur, innotescit. Quibus omnibus causis, & paupertatem caloris innati inductam à refrigeratione totius ob aquam illam bibitam, addere haud absonum existit.

Ex quibus omnibus non est difficile, quæ in nostro casu difficultatem habere videntur intelligere.

Primùm est vnde nam sit, quòd frequenter, & vltra consuetum menses fluant; alterum cur copiosi; Tertium quomodo menses, vbi corpus vteri densum est, & induratum, fluere possint; Quartum, & postremum cur dolor non in principio, sed in medio mensium ingruat, atque etiam exacerbetur. D

Quoniam circa primum haud est difficile captu, repetere menses vltra consuetum singulo mense, non solum quia à copia sanguinis vitiosi vteri facultas expultrix irritatur, sed etiam quia eadem facultas, & labefactata ab intemperie dicta, & impedita ab angustia vasorum, ita imbecilla redditur, vt non possit vnica vicè totum illud, quod sibi offertur obiectum expellere, & idcircò per plures vices expellit.

Quantum verò ad secundum attinet iam satis constat, menses copiosos fluere, quoniam sanguis aquosus, atque copiosus facultatem vteri expultricem irritat.

Tertium, autem occurrit, nam vterus densatus est quidem, non tamen secundum partem internam, sed externam tantum, & propterea ratione huius menses com-

E modè satis fluere possunt; Cui & illud accedit quòd vterus præcipuè secundum partem sinistram laborat.

Postremum denique fit, eo quod in medio fluoris mensium, natura maximè vexata, atque perturbata est, ex quo maxima quoque fit in vtero agitatio, vnde calore natiuo imbecillo agente, multi flatus concitantur, qui vterum (plusquam conueniat,) distendentes, soluunt continuum, & proindè dolorem tunc temporis inferunt.

De scirro ita decerno, quod nimirum fiat à pituita crassa, & lenta, admixta etiam aliqua portione humoris melancholici. De pituita nulla est difficultas, quoniam, vt ex dictis liquet, pituitosa cacochimia ob languorem, & paupertatem caloris natiui in subiecta patiente viget. De humore verò melancholico id affirmare possum, quod vbi ætas inclinans præsens est, necessariò succus melancholicus redundat, vt non sit mirum, si in Aegra proposita, ætatis inclinantis succum melancholicum redundare F statuerim.

Quantum denique attinet ad vteri luxationem, dubio procul nascitur à repletione ligamentorum partis vteri sinistræ, vbi etenim ligamenta replentur, necessariò abbreuiantur, abbreuiataque sunt in causa, ob quam vterus in illam partem incumbat, in qua sunt abbreuiata; quæ autem sit materia replens non est difficile statim animaduertere, est enim materia crassa, & lenta, quæ potissimum in nostra patiente dominatur, sicuti non semel constitutum fuit.

Atque sic vniuersam medendi rationem in eo positam esse constat, vt caloris natiui iactura reparetur, viscera refrigerata calefiant, optimus sanguis generetur, præterea obstructiones reserentur, humorque impactus discutiatur, habita tamen prius totius prouidentia.

Sed quoniam mala, quæ fœminam hanc miserè solicitant, frigidæ naturæ, quę vix G auxilijs medicis superantur, existunt, negocium medicum, vt perficiatur, ferè est impossibile, & eo magis, quoniam sub illis Cachexia, ac Hydrops imminere solent; Accedit quòd iecur promptuarium nutrimenti totius corporis est malè affectum, ac nutrimentum valdè vitiatum gignit. Amplius & conditio partis affectæ (quæ est vterus) idem suadet, solet enim ille tanquam sentina excrementorum, quæ in corpore gignuntur, continuò succis excrementitijs redundare, vt vix de vteri salute aliquid spei remaneat. Postremò & paupertas adest caloris natiui, quo languescente nullus ferè datur locus remedijs medicis. Vtcumque tamen sit, quoniam longè melior est spes dubia, quam exitium, idcircò curatio est proponenda.

Et proinde si materias chirurgicas intueor, dico huic egregiæ fœminæ fonticulos inustos in femoribus secundum partem domesticam, necnonetiam in brachio sinistro maximum esse fructum allaturos.

H De alijs verò materijs, & præcipuè pharmaceuticis, sum huius sententiæ, vt quamprimum ad vniuersalia pharmaca veniatur, inter quæ primum occurrunt lenientia, vti est, quod fit ex melle rosato, & syrupo de polypodio solutiuis, vel ex electuario lenitiuo cum Hiera.

Secundò, sese offerunt præparantia ex decocto boraginis, lupulorum, cicorij, Agrimonij, Capillorum ven. & cetrach, adiectis syrupis accommodatis.

Postremò purgantia locum habent, quæ meo iudicio debent esse mitissima, & propterea non est recedendum a pilulis de tribus cum Rhab. à quibus, per modum apozematis dandus est syrupus de polypodio cum iure dilutus.

Post hæc deueniendum ad medicamenta determinata, quæ sunt euacuantia insensibiliter, deobstruentia, ac alterantia, & corroborantia viscera.

In genere priorum probo ius galli bimuli medicatum cum china, & modico sassafras, adiectis radice liquiritiæ, atque alteæ, item & betonica, artemisia, matricaria, cuscuta,

cuscuta, absynthio, agrimonio, cicorio, boragine, seminibus dauci, carui, ac tartaro A albo cum passulis; probo, & vsum Ammoniaci per se, vel cum therebinthina in aqua matricariæ lota vsurpati.

In genere autem deobstruentium, & Diacalamentum, & medicamentum calybeatum, atque electuarium Ciphoides, necnon Triphera magna sine opio proficua esse solent, quæ omnia sicuti & Antiqua theriaca ad viscerum alterationem percommodè faciunt.

Sed & medicamenta externa non improbantur: Quarè vteri Regioni adhibenda est embroca primum ex oleo sem. lini, deinde ex oleo cherino, & irino, adiecto amygdalino dulci; Ab embroca autem admouendum est ceratum Diachilon gummatum, cui in progressu nonnihil cerati sacri, vel Diapiritidis est adijciendum. Emplastrum etiam primum de meliloto, deinde de baccis lauri videtur ex vsu, sicuti & insessus factus cum decocto simplicium emollientium, & discutientium: Pessi quoque ex lana B molli in sacculo paruo ex petia linea efformato conueniunt, si inungantur oleis prædictis adiecta medulla Ceruina, ammoniaco, ac oleo nucis muscatæ.

Atque vbi dolor vrget adhibendum est omentum veruecis in oleo camomelino, & amygdalino dulci calefactum, vel paranda est embroca ex prædictis oleis, vel demum linimentũ ex vitellis ouorũ induratis succo matricariȩ, & oleo balsamino est cõficiendum, quibus non conferentibus licebit ad tripheram magnam cum opio deuenire.

His addendus erit victus accommodatus, ille scilicet, qui attenuantis est facultatis, ac ideò egregia mulier, vt omnem aeris frigidioris iniuriam aufugiat, necesse est, vescatur carnibus optimis, potius assis, quàm elixis, illique concedantur oua, pisces petrosi assi, vuæ passæ, Cappares saliti, fistici, pineæ, amygdalæ dulces, ac post omnem cibum coriandris cum sacchare vtatur. Potet vinum album, tenue, odorum cum china, & sassafras medicatum, moderatè dormiat, Ac aluus adiuta prunis, & passulis C præparatis, in prima mensa commansis, quotidiè fluat; Corpus deindè ambulationibus, & gestationibus exerceatur, & postremò mærores, tristitiæ, solicitudines, curæque deuitentur, quæ omnia D. O. M. præcor, vt eius sint efficaciæ, quæ egregiam mulierem ad pristinam sanitatem deducant.

PRO MERCATORE BERGOMENSI PTERIGIO, seu vngue oculi sinistri detento.

CONSVLTATIO XVII. D

EST res mira, quod oculus ea pars nobilis existat, de qua Galenus ausus fuerit affirmare, caput eiusdem gratia factum fuisse, & nihilominus tot malis miserrimè subijciatur, inter quos post morbos attinentes ad partes, quæ eundem oculum mouent, primum occurrunt morbi adnatæ, & corneæ tunicæ, qui cum varij sint, qui nunc occurrit in egregio Bergomensi, pertinet ad magnitudinem auctam, ac tumor dicitur, qui cum in hisce tunicis multiplex esse possit, Pterigium inquam Myrceph, Staphiloma, & Melon, tumor præsens est Pterigium, seu vnguis, sicuti oculis ipsis deprehenditur, nam solet morbus hic in adnata tunica nasci ex altero angulo, vel ex altera palpebra adnasci, cum ea tamen differentia, vt rarissimè ex palpebris, rarò ex angulo externo, frequenter ex interno prodeat,

E Cum igitur tumor noster suum initium in adnata tunica ex angulo maiori suscipiat, iure vnguis vocari debet, quod cum ad huc vel persistere possit in prædicta tunica, vel eandem egredi, & modo corneam solum, modo pupillam attingere, tumor propositus erit de numero eorum, quæ corneam ea in parte obsident, quæ est è regione ipsi pupillæ, quia impeditur visio.

Amplius quoniam, ex Principe, alia est vngula carnosa, alia membranosa, alia adiposa, & membranosa, alia alba, alia nigra, hæc partim est carnosa, vt potissimum in apice color docet, partim membranosa albicans, vt in basi.

Causa immediata huius vitij est substantia carnea, & membranea, quarum vtraque fit ab alteratrice residente in carne anguli mediante calore innato per auctricem facultatem, coagit tamen ex Aetio scabrities in oculo derelicta ophtalmiam sępius perpesso, agitur. n. 20. annus, ex quo oculus hic laborat, vt refertur.

F Causa verò materialis respectu substantiæ carnosæ sanguis existit, respectu membranæ pituita, qui humores sicuti ex colore liquent, ita partim per congestionem, partim per defluxionem collecti fuerunt; per congestionem quidem, quoniam tuberculum hoc sensim extuberauit, excreuitque, per fluxionem, quoniam sanguis non in oculo, sed in hepate generatur, ac genitus in prima huius vitij generatione copiosius, quàm par sit, occasione ophtalmiæ fuit attractus, nunc verò propter imbecillitatem partis copiosius pariter quàm conueniat, *transmittitur*, ac per venas adnatæ tunicæ, pro nutritione, accretioneque *tuberculi suggeritur*; Quæ omnia, & de pituita affirmari possunt, quando primum à cerebro ad hanc partem attracta fuerit, & nunc ab eodem in illam met transmittatur ob causas iam dictas, sed & pituitam ibidem aliqua ex parte congestam esse supra tactum fuit.

Vt ergo æger ab hoc malo liberetur, tuberculum est adimendum, & procurandum G ne reuiuiscat, quod fiet, aut si prædicti humores alio deflectantur, aut eorundem generatio per alterationem capitis, & ventriculi cohibeatur, ante quæ omnia prius totius (vt dicunt) prouidentia est habenda.

Et quoniam hoc morbi genus, tanquam illud, quod facilè materijs medicis cedit, facilè vincitur, quod potissimum contingit, quia superficiei adnatæ tunicæ solum adhæret, ideo medicus curans proprio fine absque dubio potiri poterit, non negarem tamen aliquam difficultatem esse occursuram, quoniam affectus est in habitu, ac pupillæ regionem attingit.

Quare deueniens ad materias medicas, & primo ad chirurgicas statuo, hasce ad tria capita reduci, ad disponentia inquam curantia, & præseruantia; In genere disponentium est sectio venæ brachij, tum internæ, tum externæ eiusdem lateris, nam patiens quamquam sit ætatis inclinantis, est tamen habitus plethorici, quando subdomi- H nium sanguinis dominio melancholiæ iungatur; disponent etiam ad curationem apertio venarum ani, cucurbitulæ scarificatæ, primum dorso, deinde occipiti adhibitæ, item & hyrudines post aures appositæ,

Materiæ chirurgicæ curantes hunc affectum, & ipsæ in casu nostro locum habent, quoniam est absolutus, & consummatus, initiatus enim secundum antiquos detergentibus medicamentis curatur, Verum quia pterigium consummatum, vel est mite, vel contumax, si mite, apprehenditur volsella, deinceps ferro incisorio abscinditur, quòd si sit contumax, Albuchasis, & Aetius docent modum pulcherrimum, qui est amulo perforare tuberculum ad basim, deinde filum lineum duplicatum acu traijcere, vtrinque ad basim arcte deligare, atque sic tuberculum filis istis deligatum, & apprehensum incisorio instrumento abscindere, quod opus nec Vere, nec Aestate, quibus temporibus humores fluxibiles existunt, ex Celso peragi debet; factaque incisione linteamen imbutum aqua rosacea, ac albumine oui est apponendum, tum vt palpebræ non coeant,

cocant, hæreantque, tum vt dolor sedetur, ac fluxus reprimatur, tandemque applicanda sunt medicamenta siccantia de quibus infra. A

Materias chirurgicas præseruatorias refero in cauterium ceruicis, & brachij eiusdem lateris.

Medicamenta disponentia sunt primum lenientia, sicuti mel. ros. sol. 2. præparantia, vti decoctum betonicæ, cicorij, boraginis, Verbenæ cum syrupis appropriatis, 3. purgantia, vt medicamentum ex Agarico trociscato, sena, cum manna; Et repetenda meo iudicio erit præparatio, deinde purgatio cum pilulis cochijs, & lucis reiteranda.

Medicamenta Curantia, quæ detergentia fuissent, non propono, quia vt dictum fuit, hic non habent locum, solum igitur siccantia adduco, quæ post incisionem conueniunt, hæc itaque parantur ex collyrio de plumbo, de thure Rasis, huc pertinet aqua stillaticia salis ammoniaci, & quæ ex ipso calcinato, si in loco humido reponatur spontè prodit. B

Medicamenta præseruantia sunt quæ corpus, & caput præsertim à succis excrementitijs expurgant, atque idem caput, & oculum affectum corroborant, priora sunt pilulæ lucis, sine quibus, decoctum guaiaci, salsæ, & chinæ cum simplicibus capitalibus, & ocularibus, masticatoria, lotio capitis cum lixiuio exiccante; Posteriora sunt, veluti vinum medicatum cum eisdem simplicibus capitalibus, & ocularibus itemque lotio oculi cum aqua stillaticia ex conserua Eufragiæ in succo rosarum macerata.

Quibus omnibus addenda est compar victus ratio, extenuans inquam, & siccans, quæ sicuti & alia præsidia proposita vtinam proficua valdè in gratiam nostri patientis euadant.

C

PRO NOBILI IVVENE SINGVLTIENTE.

CONSVLTATIO XVIII.

VITIVM, de quo conqueritur nobilis Iuuenis esse motum deprauatũ Oesophagi, ac oris ventriculi superioris, quem communiter singultum vocant ex se constare mihi videor videre, quem motum Galenus 7. Aphor. 3. veluti conuulsiuum vocabat, quoniam ventriculus, & Oesophagus sub hoc motu, quemadmodum organa animæ in vera conuulsione contrahuntur, cum autem ventriculus organum sit naturæ, idcirco ex 6. Aphor. 39. veluti, ac satis impropriè conuellitur.

Quòd verò Oesophagus afficiatur ex difficili deglutione, quam patitur noster patiens, liquet; quod verò os ventriculi superius pariter lædatur, ex intensione eiusdem singultus, & angore, à quo simul exercetur, satis constat. D

Cuius vitij generatio, & modus generationis facilè innotescet, si prius tanquam constitutum, ac ratum illud assumatur, singultum nempè esse merum opus ex Galeno facultatis expultricis ventriculi, quod quidem motu ex contractione, & dilatatione composito continetur, vt ex hoc facilè sit intelligere causam generationis huius mali esse expultricem fibrarum Oesophagi, atque ventriculi, fibrarum quidem non aliquarum, sed omnium, rectarum inquam, obliquarum, ac transuersarum, quæ omnes à facultate expultrice commotæ, vt quod sibi nocet aufugiant, contrahuntur, & successiuè vt illud idem expellant, dilatantur.

Hinc patet, cur singultus ita varius, ac multiformis fiat, quod in fibrarum varietatem referre oportet.

E Cœterum quoniam expultrix hunc motum efficere minimè potest, nisi irritetur ab aliquo stimulo, qui ea violentia agat in fibras, vt Oesophagus, & ventriculus coactus sit quasi conuulsionem pati, vicissimque contractio, & dilatatio dicta fiant, quis nam sit stimulus hic videre est necessarium.

Dico igitur hunc esse obiectum improportionatum, quod potest esse morbus, potest esse & causa morbifica; In præsenti autem casu meo iudicio est morbus, & morbus in mala compositione ex parte magnitudinis vitiatæ; & quoniam magnitudo vitiatur, vel quia augetur (vnde oritur singultus ex repletione) vel inanitur (hinc singultus oritur ex inanitione) statuo ex vita anteacta nostri patientis diligenter à me obseruata, eundem singultu ex repletione laborare, duxit enim ipse vitam admodum otiosam, vsus est copiosis, & crassis alimentis, ex quibus necessariò multam copiam crudorum humorum coaceruauit, qui in fibris infarcti, & imbibiti eas veluti in tumorem attollunt, ac replent, hinc facultas expultrix impulsa est in causa, vt modo fibræ contrahantur, modo dilatentur; Quo in casu nec morbus in intemperie calida, vel frigida ad mentem Auicennæ, nec causa morbifica tum externa, vti venena ex eodem Auicenna, Acria ex Gal. 6. Aphor. 39. tum interna vti est qualitas, & materia, siue vapor fuerit, siue minera, locum habebunt.

F

Quare pro curatione oportebit materiam replentem euacuare, à qua euacuatione affectum præternaturam derelictum alterantibus ad calidum amouere necesse erit, ac denique ea, quibus proportio, & calidum innatum ventriculi fouetur, singultusque à proprietate corrigitur, vsurpare conueniet, prius tamen remouenda erunt plethora totius, & cacochimia pituitosa ventriculi secundum cauitatem.

Quæ absolui quidem poterunt, quoniam ex 4. acut. 69. singultus ex repletione vinci potest siccantibus, & abstergentibus, materiaque replens non solet esse valde rebellis, vtpote quæ sternutamento euacuari soleat, 6. Aphor. 13. Adhuc in nostro casu patientis ætas florens, obsequentia eiusdem negocium medicum facilius reddunt, quod tamen non erit prorsus immune à difficultatibus, nam contra causam frigidam, & impactam est agendum, quæ leuem quendam angorem, ac rudimentum lipotimiæ adferens (vt obseruatum fuit) difficilem tolerantiam arguit, quam Galenus in coordinatione signorum insalubrium reponit, vt propter hanc rationem, atque etiam quia os ventriculi supernum laborat, periculum aliquod, difficultas aliqua subsint.

G

Descendens tamen ad curationem, quando sanguis in toto exuberans non solum vsum calefacientium ventriculum prohibet, verum etiam ad ventriculum malè habentem confluxus posset aliquod aliud insigne malum parere, idcircò, vt tutius agatur, venam basilicam dextram secandam primum iubeo, ea ratione, vt ad tantam copiam sanguis detrahatur, quod respondeat læsioni præsenti, atque imminenti ab ipso sanguine, qui hoc tempore vernò præsertim dominatur, necnon, & virium tenori valdè robusto. A sectione venæ cucurbitulæ siccæ ventriculo, Abdomini, & in medio scapularum applicitæ mihi summoperè arrident, sicuti non displicet deligatio modeste arcta, facta cum fascia obducta pectori, & ventriculo, superdato prius omento ex ventre veruecis nuper mactati actu calido; Et si malum ad id perueniat, vt reuiuiscat, ad præseruationem nil præstantius cauterijs femorum secundum partem domesticam, interim autem frictiones, ligationes, ventosationes siccæ, & lauationes cum calida extremorum conuenient.

H

Quoad pharmaca hæc, uel respiciunt causam, uel Symptoma, uel uentriculi proportionem, si causam, sunt euacuantia, quæ cum euacuationem possint præstare insensibiliter, & sensibiliter, primum usurpanda sunt quæ sensibiliter euacuant, in quorum serie ego omnibus præfero uomitoria, ac deiectoria, per os tamen assumpta. In genere

nere uomitoriorum nil mihi uidetur præstantius ipso cibo, quocirca ut ab assumpto cibo uario molli, ac relaxante patiens aliquot interuellis per digitum, aut pennam oleo imbutam in os immissam uomitum sibi concitet, etiam, atque etiam laudo. A

Verum præter uomitoria, purgantia opportuna uidebuntur ea tamen ratione, ut hæc alternatim, alternatim uerò præparantia exhibeantur. Hieram igitur Pieram Galeni sub forma electuarij, qua non sufficiente Hieram Pachij in coordinatione purgantium summis laudibus extollo; & ubi symptoma ueluti causa maximè urgebit, ego summo cum successu diaphenico cum Philonio Romano uti soleo.

Pro attenuatione autem, detersione, incisioneque materiæ mihi non uidetur recedendum à syrupo de betonica, mel. ros. simplici, & syr. de menta in progressu uerò ab Oxymelle composito, ab aceto, & oxymelle scyllino.

Atque ab usu horum omnium ad euacuantia insensibiliter est deueniendum, quæ siue citra motum, siue cum motu id præstent, mihi uidentur opportuna, Idcircò interea, quæ sine motu, diagalanga, diatrion pipereon, diacalaminta, ius columbinum, uel galli bimuli medicatum cum ligno sassafras, china, ac simplicibus stomaticis, item & extractum guaiaci, elixir uitæ. sal theriacale, sal absynthij, utraque antidotus magna sunt ualdè efficacia, & his non conferentibus ab usu olei ex calcato in uino generoso dati non abhorrerem. B

Cum motu euacuantia medicamenta sunt sternutatoria, quorum materia ex se nota est.

Cœterum & medicamenta externa in eundem usum sunt usurpanda, ideo profusio ipsius uentriculi facta cum oleo, in quo castoreum, stirax, & mastiche una cum uino Cretico in duplici uase ad consumptionem uini coquantur, uel intercoquendum oleum uirgulto ex ruta agitetur, est maximi usus, sicuti & quæ ex elixire uitæ, uel aqua ardenti paratur; Huc referendum est stillicidium ex oleo amygdalino dulci, uel communi decoctionis galangæ, Zedoariæ, calami aromatici, cinamomi, nucis muscatæ, mastiches, laudani, & myrrhæ cum uino factæ in duplici uase, linimentum quoque ex mithridato liquato in aqua ardenti mihi est ex usu, quibus non conferentibus una cum Auicenna synapismos probo. C

Quoniam uerò Symptoma urget, propterea, & ad medicamenta, quæ ipsum respiciunt erit descendendum, ideo myuam cydoniorum simplicem, atque aromatizatam laudo, sicuti theriacam, uel (quod magis probo) Diagalangam, aut mithridatum cum Philonio Romano.

Postremò pro medicamento vitali Castoreum ex mulsa datum est præstantissimum, quod adligatum etiam ex Tralliano, veluti Amuletum conuenit.

Victus adiungatur attenuans, de quo Galenus librum composuit, illud tamen de motu, & quiete animaduerto. Magnopere scilicet conducturum si concutiatur corpus, & agitetur, si patiens interdum insigniter vociferet, & ore clauso spiritum detineat, præterea si ad iram, timorem, item, & ad gaudium subitò prouocetur. Quæ omnia Deo annuente spero profutura. D

PRO

E

PRO ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPE Mirandulensi Fœderico Pico Podagra laborante.

CONSVLT TIO XIX.

QVONIAM Illustrissimus, & excellentissimus Princeps à doloribus circa omnes ferè articulationes, vtriusque pedis sæpius fuit vexatus, propterea eundem à podagra solicitari citra difficultatem affirmandum censeo.

Cœterum cum dolor sit actio læsa, quæ ex Galeno 3. de Sympt. causis, F primò propter vitium facultatis, atque 2. ob errorem externum læditur, in Illustrissimo viro facultatem ipsam vitiari, non est ambigendum, quando dolor non fiat, nisi dempta organi sensitricis facultatis tactricis symmetria, quod solet accidere propter causam & proximam, & remotam, proxima est duplex obiectum improportionatum, nempè solutio vnitatis, ac morbosa intemperies in partibus neruosis articulationum pedum concitata, remota iterum duplex, interna, ac externa, interna petitur tum ex parte agentis, tũ ex parte passi; Ex parte agentis sese offert materia vitiata penes qualitatẽ, copiã, & motũ; penes qualitatẽ, quia est calida, & frigida simul; Calidam autem duplicẽ esse puto sanguineam, atq; biliosam, sanguineã, quandoquidem temperamento bilioso Excellentissimi patientis sanguinis subdominiũ adnectitur, tumor subrubeus existit, quibus accedit & tempus inuasionis, solet enim tempore venis hoc malum ingruere. Sed & biliosam adesse materiam existimo, non solum quia bilis agit in his G malis tanquam causa deferens, ac vti vehiculum, verum etiam quoniam Illustris. Princeps est naturæ biliosæ; frigida verò materia est pituita, quæ colligitur ex tumore oedematoso ad articulos, peccat etiam hæc materia mixta sui copia, propter quam ligamina articulorum pedum repleta in tumorem eleuantur, à quo compressis neruis, tendinibus ac menbranis soluitur continuum, ac proinde dolor suscitatur; Tandem illa eadem materia peccat motu, quatenus per transmissionem mouetur à iecore, capite, & ventriculo.

Quod etenim primo moueatur ex eo liquet, quod malum hoc potissimum inuadit ac insequit vigente aeris constitutione austrina, à qua humores fusi præcipitantur, & impetu quodam ad loca imbecilliora dimouentur.

Sed & 2. eandem materiam per transmissionem moueri; indicio esse potest Excell. Principis articulorum imbecillitas.

H Quod verò demum transmittatur à iecore, capite, & ventriculo, non est difficile cognitu, si modo illius species animaduertatur, sanguis enim semper bilis vt plurimum à iecore prodit, Pituita autem à cerebro, & ventriculo.

Sed in casu nostro an eadem pituitæ species generetur in cerebro, quæ in ventriculo meritò hæsitari potest, nam in ventriculo pituitam genitam esse non est quod aliquis dubitet, cum in Excellentissimo patiente ventriculus frigidus admodum obseruetur; id ipsum tarda coctione flatuum copiosa eruptione, & acida eructatione omninò confirmantibus. At de cerebro est aliqua difficultas, nam ipsum multa, itemque copiosa excrementa suppeditare demonstrant ad somnum propensio, coriza, atque insigne recrementorum per nares effluuium: At quoniam ex aduerso idem cerebrum animaduertitur calidum propter colorem flauum capillorum, promptitudinem ad omnes actiones animales obeundas, & facilem alterationem à quibnslibet aeris iniurijs, siue calidioris, siue frigidioris, asserendum videtur à cerebro pituitam non suppediatur

peditari, aut si suppediatur, hanc ipsam esse salsam, vt quæ à causa agente calida gignatur, cuius tamen pituitæ speciei nulla apparet nota. A

Pro dissolutione huius Noduli sic dicendum puto, quod quamquam caput Illust. patientis sit calidum à primordio ortus, atque sic non possit pituitam nisi salsam generare, nunc attamen propter aliquam externam occasionem refrigeratum, præcipuè verò propter aeris frigidioris, occursum potest pituitam insipidam gignere: Hinc non est mirum Excell. virum tempore veris potissimum ab hoc malo vexari, quoniam à frigiditate tempestatis præcedentis cerebrum refrigeratum valdè ad illius pituitę generationem maximè disponitur.

Causam internam ex parte passi petitam in articulorum imbecilitatem refero, quę in casu nostro tum à semine paterno (quando passio hæc sit hæreditaria) tum ab inquinamento Venereo, atque à subluxatione quadam propter ludum paruæ pilæ secundum pedem dextrum habuit occasionem. B

Causas externas redigo ad mouentes, & colligentes, inter mouentes in casu Illustr. viri omnibus præfertur Austrina constitutio, quinimmò, vt referunt, morbus vigente hac constitutione reuiuiscit, non negarem tamen & alias aeris inclementias ad hoc malum producendum cum alijs causis concurrere: huc spectat exercitium immodicum, ac intempestium, in quo plurimum Excell. Principem delinquere certo scio, quod & de coitu asserere oportet.

Ad causas colligentes pertinent errata, quæ perpetrata fuerunt, & continuò perpetrantur in alimentorum vsu: Otium etiam non est ab hisce causis seiungendum, nam etsi per exercitia intempestiua, ac immoderata peccet, nonnumquam tamen neglecto penitus exercitio, se totum otio tradit Illustrissimus Princeps.

Qui vt ad hoc malo vsque adeo ætate florenti, in qua est constitutus infenso liberetur, partes medici erunt, succorum, qui ad articulos confluunt per ablationem intemperierum partium, à quibus gignuntur, generationem prohibere, aut saltem eos aliò diuertere; atque illos, qui in partibus affectis continentur, insensibiliter euacuare, ac tandem proportionem, & calorem innatum articulorum per arthritica & roborantia conseruare; prius tamen medicus curans toti prospicere debet, atque vbi dolor inseuit, anodinis vti. C

His autem scopis satisfacere, non dicam impossibile, operosum tamen futurum non dubito, nam malum à paterna dispositione fomitem habet, adsunt contrariæ indicationes, præterea membra præcipua, & illis inseruientia, instrumentaque motus malè afficiuntur. Sed quod difficultatem adauget, est, quod virtus non resistit, immò sæpius factum est, vt à morbo parte superata impeditus fuerit motus. His tamen omninò haud obstantibus multum spei remanet, nam propter ætatis florem vires plurimum valent, morbus ex parte saltem agentis non est in habitu, atque vir Illustr. se obtemperaturum præceptis medicis ad vnguem pollicetur; vt propter hæc sperandum sit, quod si non ex toto pristinæ restituatur valetudini, saltem ad longum tempus, quo magis inquam, ac magis fieri poterit præseruabitur. D

Hinc deueniens ad materias medicas, de chirurgica statuo, vt quamprimum secetur vena basilica cubiti dextri, & ad præcautionem laudo, vt Vere, ac Autumno hoc remedium repetatur. Fonticulos vti Excellentissimo viro minimè arridentes, ac leues inustiones cutaneas ad articulos pro partis roboratione non propono vnum saltem in brachio sinistro vtinam admitteret, frictiones, vincula dolorifica partium superiorum probo.

Medicamenta verò omnia erunt duplicis generis, quędam etenim causam doloris, quædam dolorem ipsum respicient. Priora varia sunt, atque hæc inter primum sese offerunt lenientia, quæ poterunt parari ex mel. ros. sol. & manna, vel casia cum

specieb.

E specieb. Hieræ, deinde in genere præparantium laudatur decoctum betonicæ, iuæ, cicorij, hepaticæ, boraginis, cum syrupis de betonica, cicorio, rosis siccis, & mel. ros. zuccarino. Humores autem præparati sunt deturbandi medicamento ex Rhab. infuso Agarici, & manna facto, atque similem medicationem bis vnoquoque anno repeterem, Vere inquam, & Autunno. Reliquis verò anni temporibus eo excepto, in quo canis ille æstuans nos omnes nimio calore mordet, mihi summoperè arrideret vsus pilularum de tribus cum Rhabarbaro, scammonio namque refertis, tanquam Illustrissimo Principi maximè infensis, omninò est abstinendum. Cydoniatum tamen cum turbit, & modico Diagridij tanquam intensè correctum, non vererer.

Vtcunque tamen præmissa totius prouidentia accedendum ad euacuantia insensibiliter, & roborantia. Vnde tempore frigidiori pro materiæ discussione decoctum guaiaci cum salsa, vel china nullo modo dimittere, quod tamen esset cum cicoraceis F castigatum; atque ante syrupum manè pilulam assumendam pararem ex guaiaci extracto, puluere chinæ, & ossium humanorum. Therebintina quoq; cũ puluere Iuæ, & ossium prædictorum maximi etiam vsus censetur. Extrinsecus in genere discutientium, atque siccantiam credo secundas non habere partes, aquas medicatas, sulphureas, salsas, nitrosas, & aluminosas, vti Tettucianas, Forrettanas nouas, tum sub forma lotionis, tum embrocæ admotas, hæc siquidem præter id quod insensibiliter euacuant, Articulos etiam roborant, sicuti & oleum ex fauo mellis ex Terebintina, atque sale, arte chymica confectum. Huc referantur Vinacea, & oleum mastichinum cum sale, repellentia item conueniunt, vti oleum rosatum ophacinum.

Sed & præter medicamenta iam proposita, alterantia sunt proponenda quare intus pro capite hora somni conserua Anthos cum rosacea, atque tempore Aestatis, bolo Armena adiecta, tempore Hyemis, tantillo Mithridati superaddito, pro ventriculo G aquæ thermales Tettuccianæ, Porrettanæ nouæ, & Aquarianæ, sicuti pro iecore Lucenses, ac Porretana vetteres probantur, quo pertinet serum distillatum cum succo cicorij bibitum.

Exterius pro capite nil præstantius ipso stillicidio, quod in qualibet ex actiuis temperatum existat, in passiuis maximè siccet, vnde in hunc vsum facit aqua Aquariana decoctionis simplicium exciccantium, vti balustiorum, nucum cupresi, sandalorum, gallarum, foliorum oliuæ, rosarum rubearum, camomelli, betonicæ, verbenæ, & huiusmodi aliorũ additis alumine, & sale, loco embrocæ substitui poterit lotio facta ex lixiuio dulci medicato cum simplicibus dictis, & loco saponis vtatur agarico. Pro iecore conuenit perfusio ex cicorij succo, hepaticæ cum aceto, & speciebus cerati sandalini, pro ventriculo oleum ex balsamo cum oleo rosato completo proficuum esse solet.

H Atque tandem pro leniendo dolore tria tantum propono, quæ sunt embroca ex lacte, vel aqua dulci tepida, fotus cum petijs madefactis in aqua, vel decocto verbasci, & cataplasma vel ex pulpa casiæ, passularnm cum aceto, & oleo rosato completo, vel ex furfuribus in lacte decoctis, atque sapa, ac posca exceptis, quibus oleum etiam ranarum, cum vitellis ouorum, vel oleum rosaceum completum cum Camphora adijciatur.

Sed præceteris conueniens victus ratio semper seruanda esset, tanquam ea, quæ adeò in hoc casu valet, vt maiorem partem curationis, ac præcautionis ei acceptam referre oporteat: Quo circa, quantum fieri potest, omnes aeris cuiuscumque iniurię sunt aufugiendæ, cibus, qui facilis coctionis existat, nullius excrementi, non crassæ substantiæ, & facultate siccante polleat, est assumendus, quare carnes pulli, caponis, vituli, veruecis, columbi, perdicum, phasaniorum, turturum, assæ præcipue concedantur, carnes verò venationis modicè sunt degustandæ; Sed quæ omnibus præferuntur

runt sunt carnes auium in montibus degentium, ex piscibus tantum petrosi, & qui in aquis claris viuunt, videntur esse posse ex vsu. Omnia ex aduerso cibaria farina, caseoque subacta, legumina, omnia salita, acria, dulcia improbantur, De oleribus ita decernendum, vt ciorium inquam, endiuia, borago, lupulus, fœniculum, petroselinum, quemadmodum & de fructibus Amygdalæ, pineæ recentes, pistici, poma omnia, ac pyra subdulcia, melones, cucurbitæ parcè admodum, & ad gustandum solum offeranrur, omnisque repletio fugiatur. Potus fit vini subausteri nigri, tenuis pauciferi, de quo illud vnum haud subticebo, quod nempè Illustr. viro tempore instante vindemiarum, paretur vinum medicatum cum guaiaco, quo tota hac hyeme futura vti possit, credo etenim, quod ipsi efficacius remedium ad præseruationem offerri non valeat, sed inter cætera cauendum ab immoderato potu. Aluus nisi de more fluat, vel pilulis ex aloe succotrina, vel pane ex tota farina cum sale, & passulis, atque prunis dulcibus manna imbibitis erit concitanda, dummodò manna prius in infusione senæ fuerit dissoluta; Somnus non fiat à cibo, non à meridie, sit moderatus, atque capite humili fiat, corpus exerceatur ieiuno ventriculo, & citra sudorem, otium omninò deuitetur, tandemque omnia animi accidentia molesta longè absint, Quibus omnibus D. O. M. virtutem indat, vt Illustrissimum, & Excellentissimum Principxm mihi patronum omninò ab hac sui corporis calamitate vendicent, ac incolumen reddant.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI FOEMINA AMISSIONE ODORATVS dolore dentium, itemque capitis grauatiuo, tussi, inappetentia, & copia flatuum laborante.

CONSVLTATIO XX.

ILLVSTREM, & Nobilem fœminam laborare secundum plures corporis partes ex relatis facilè est intelligere, nam & secundum caput ob dolorem grauatiuum, & secundum nares ob odoratum amissum, & secundum pulmones ob tussim, secundum dentes ob dolorem eorundem, tandemque secundum ventriculum ob inappetentiam, atque flatuum copiam malè habere, nemo esset, quin non agnosceret.

Quæ omnes partes cum quasi secundum habitum laborent, ita vt maximus in illis recessus à statu naturæ obseruetur, propter quem plura mala simul conplicantur, pluraque grauiora imminent, puto si non impossibile, saltem difficillimum futurum fore, vt Illustris Matrona ab hisce malis vindicetur; sperandum tamen, propter prudentiam eiusdem, & diligentiam medici curantis, ipsam à maioribus longè ruinis præseruari posse, quod enixè illi à D. O. M. precor.

Affectus igitur, à quibus Nobilis hæc mulier solicitatur, plures numero sunt (vt dictum fuit) Primus namque est dolor capitis grauatiuus; Secundus est priuatio olfactus cum copiosa per nares excretione, quasi coriza, specie catarrhi, ita vocata, detineatur; Tertius affectus est dolor dentium: Quartus tussis humida, ac per tussim excretio materiæ sapore insipidæ; Quintus & postremus est inappetentia quædam vna cum insigni flatuum tum superna, tum inferna eruptione.

Quorum omnium malorum generationem refero ego in vnicam capitis destillationem

E tionem in subiectas partes, tanquam ad causam principalem, & communem, hęc enim pro aliqua sui parte in Capite detenta dolorem grauantē efficit, in caruncuclas autem mammillares decumbens, pars eiusdem crassior ibi moram trahens obstructionem facit, & proindè olfactum tollit, tennior autem excreta corizam parit, pari ratione, & ad radices dentium eadem destillatio delapsa, tendines adiacentes intemperat, atque distendit, vnde suboritur dolor ille, ad hæc ad inferiores partes decurrens ad pulmones scilicet, & ventriculum, meritò illorum tussim sui copia, & qualitate facultatem expultricem irritando, meritò verò huius intemperiem sibi cognatam, frigidam inquam producit, quæ postmodum calorem natiuum labefactando, tum flatuum, tum inappetentiæ causa exist it.

Sed quod intemperei illius occasione fiat inappetentia, aliquam in se habet difficultatem, quandò ex Galeno inappetentia fiat ab intemperie calida humores in ventriculo fundente. Sed & ex præsentia humoris crudi in ventriculo existentis sæpius excitatur inappetentia, ille namque per os ventriculi propagatus, est in causa vt non fiat sensus suctionis, neque proinde appetitus; Destillationem verò propositam frigidam esse, quæ possit in ventriculum descensa prædictam intemperiem parere non solum nostræ patientis ætas ipsa suadere videtur, verum etiam & carentia saporis materiæ per sputum excretæ.

Remanent ergò, vt quicumque voluerit Medicus nobilem mulierem curare, aut saltem præseruare, hic ipse coactus sit primum omne studium, atque diligentiam in destillationem illam dirige, finiendo ipsam, si possibile erit, per alterantia caput in contrarium ad calidum enim & siccum, aut saltem materiam catarrhalem in aliam partem ab affectis deflectendo, 2. materia fluxa illi erit dissipanda, menbra recipientia corroboranda, & alteranda antequam omnia totius habenda erit prouidentia.

G Exorsus igitur à materijs chirurgicis necessarium existimo, cauterium, vel magis in ceruice setaceum insigere, quo ad plures dies gestato, in vtroque bracchio fonticulus de more poterit excitari, frictiones interea partibus extremis factæ sunt miri vsus.

Et quantum attinet ad medicamenta, præmissis vniuersalibus, ac pro lenienti mel. ros. sol. pro præparante, decocto betonicæ, saluiæ, rerum pectoralium, boraginis, cicorij, farfaræ, cum syrupis accomodatis, & pro purgante pilulis agaricinis Mesue, quamprimum deuenirem ad Guaiaci decoctum, & chinæ modo consueto, aut cum Gallo paratum, ex quibus vna cum florib. capitalib. possunt parari pulueres, quorum drag. ij. pro vice exhibentur in aliqua ex aquis stillatici s capitalibus ac pectoralibus Vtraque etiam antidotus magna, & conseruæ capitales summoperè probantur, sicuti & lacryma therebinti cum puluere ireos, atque florum capitalium.

Gratia autem ventriculi conueniunt thermæ calidæ potissimum verò medicamentum ex sassafras paratum, conueniunt & radix Zinziberis, item & nux muscata condita; Ac quibusdam internallis non erit non valdè proficuum, vt patiens vtatur pilulis de hiera cum agarico, & vbi tussis illa infestat, ad lambendum vti poterit Diatragaganto frigido, cum puluere Ireos, & succo farfaræ parato.

Pro alteratione capitis prætér embrocam paratam ex calorificis, & siccantibus, ego laudo lotionem factam cum lixiuio decoctionis betonicæ, stecadis, baccaræ, saluiæ, absythij, camomelli, rosarum, & agarici, quo etiam loco saporis vti expediet.

Pro naribus conuenit herrinum liquidum per nares attractum paratum ex sampsuci succo, & betæ cum decocto hordei, & maluarum, cui in progressu poterunt addi virga aurea, radix Ireos, & mel rosatum soluens. Quòd si herrina solida placebunt, hæc fient ex trocisciscis Alandal cum nuce muscata, piretro, therebintina exceptis.

Pro pectore probatur iunctio facta ex liliaceo oleo, cheirino, irino, additis pinguedine gallinæ, & butyro cum modico croci.

Pro

Pro dentibus mihi pluries expertum est oleum therebintinæ, cum puluere Camphoræ, 2. decoctum guaiaci, radicum mori celsi albi in aceto. 3. & est Aetij, decoctum pyretri, roris marini, & huiusmodi factum pariter in aceto, 4. Secundum Auic. pyretrum ipsum masticatum, 5. ad mentem Galeni, & Auicennæ, ramusculus squinanti ignitus, & admotus, item oleum feruentissimum decotionis pyretri ex specillo adhibitum, prius tamen dentibus vicinis cera, vel pasta munitis. 6. vitellum oui assi applicitum, 7. theriaca illita. Exterius interim sacculus exmillio, ac sale frixis, amplius panis calidus nuper è clibano extractus, qui magis proderit, si cum sale, anisis, & puluere florum anethi factus fuerit, demumque vitellum oui assi cum therebintina emplastratum summoperè proderunt. A

Pro ventriculo denique probo vulgaria medicamenta pro bo & embrocam factam ex decocto parato in oleo, & vino Cretico ex simplicibus stomasticis calefacientibus, probo adhuc ceratum ex mastiche cum speciebus diambræ. B

Victus autem calefaciens existat, siccans, & attenuans, ideo aerem frigidiorem nobilis matrona deuitet, vescatur optimis carnibus, piscibus petrosis, vtatur interdũ pomis, & piris dulcibus, vuis passis, fœniculo, petroselino, boragine, cicorio, & huiusmodi, somnus sit illi moderatus, non diurnus, neque capite eleuato factus, aluus mollis fiat, si opus fuerit, cum pilulis de aloe, decocto cartami; Corpus exerceatur moderatè, & ieiuno ventriculo, tandemque animi curæ absint, nam sic multum vtilitatis in gratiam propriæ valetudinis Illustris, & nobilis Matrona sibi comparabit.

PRO ILLVSTRI ADOLESCENTE PHTISI LABORANTE.

C

CONSVLTATIO XXI.

QVOD Illustris adolescens malè habitus, & vltrà solitum emaciatus cum febris hectichæ rudimento, thoracis affectu, tussi inquam humida insigniter molesta, ac sputis frequentibus copiosisque colore, sapore, & consistentia varijs, eo vitio laboret, quod ab Atheniensibus Phtoe, ab Hipp. ex Gal. 7. Aph. 16. Phtisis dicitur, pro certo habeo. Et quamquam lotia ferè semper laudabilia ext iterint, vt febris videatur secludenda, id tamen de putrida, non autem hectica asserendum existimo, nam hæc mala absque hecticæ febris rudimento saltem nostrum adolescentem affligere non posse certò scio, Verum sicuti illa sunt ad fores, ita & hanc initiatam esse fateor. D

Nec obstat, qnod Galenus 1. Aphor. 12. febrem in phtisi quotidiè, ac ad noctem præcipuè accessiones habere dicat, vt non hectica tantum, sed putrida etiam febris hæc esse videatur, quoniam hectica phtisicorum meo iudicio sapit aliquam putredinem, à putredine enim in pulmonibus dependet, & propterea est mixtæ naturæ, nec lotia mutantur, quoniam fomes extra vasa, ideo potius Symptomatica febris, quam morbus dici meretur.

Causam immediatam horum omnium malorum in vnicum pulmonum vlcus a paucis tamen diebus inchoatum referendam esse, pus, & materia purulenta per os cum tussi excreta docent. Nam laborantibus pulmonibus ob propinquitatem, & colligãtiam non tantum vapores, sed etiam materia putrida ab illorum vlcere ad cor transmittitur, quo vbi peruenerit est in causa, vt calor naturalis in debita substantia, quatitate, & qualitate in totum non influat, hinc malus habitus, hinc macies totius à

Rursus

E Rursus vtraque illa materia eidem cordi communicata substantiam ipsius in calefacto esse ponit, ac febrem accendit; fit & ab illa tussis, concitata facultate pulmonum expultrice, ad quam etiam concitandam ingem destillationem à capite concurrere ex se magis notum est, quam quod egeat aliqua comprobatione, nam antea continuò tussi contumaci humida tentatus fuit, & quod excretum est, sicuti semper fuit sapore salsum, ita extitit opus præter naturam concoctricis cerebri in Illustri patiente ob capitis feruorem, ac humiditatem, à scopo naturæ aberrantis, solet enim caput huiusmodi, vt rectè Galenus adnotat in arte Medicinali valdè ferax esse destillationum, quandò plus attrahat quam absumat. Vt ex his non sit difficilè cognoscere vlcusculũ in pulmonibus excitatum ab eadem destillatione vasa pulmonum exædere solita, propriam originem habuisse, quod demonstrat, quid cruenti, quod aduentãte hac hyeme per tussim reijcere cœpit.

F Sed huic causæ & corporis præparatio addenda, primum quidem ex parte ætatis, nam cum illustris patiens sit in ætate adolescentiæ constitutus, dubio procul est sub lege Hippocratis, qui 5. Aphor. 9. scribit, vt plurimum tabem fieri à decimo octauo anno vsque ad trigesimum quintum rationem afferebat Gal. 3. Aphor. 24. nam sub hac ætate quam plures in victus ratione, potissimum verò motibus corporeis, vti saltu, venatione, cursu, ludo pilæ, Venereque perpetrantur errores, quorum causa non tantum ob vasorum disruptionem, verum etiam ob multas alias rationes hoc vitium maximè imminet, vt non sit mirum si Nobilis noster adolescens venationi intempestiuæ, Veneri immoderatæ, ludo paruæ pilæ deditus iam rudimenta satis insignia huius vitij suo malo experiatur.

Quibus omnibus demum malignum, latensque virus hæreditarium est superadendum, quando & mater ipsius, ac matris consanguinei phtisici perierint, sæpius enim G fit, vt integræ familiæ phtisicæ fiant, atque perdantur.

Quod ne illustri ac nobili nostro patienti contingat, aut si sic saltem tardius, quoad fieri possit, in id incumbendum primum, vt vlcus detergatur, & si quid deperditum est regeneretur, ac postmodum idem vlcus vniatur, & consolidetur, tandemque totum renutriendum, ac restaurandum: Verum prius totum corpus erit expurgandum, atque materia à capite fluens in pulmones, erit retrahenda.

Quibus indicationibus satisfacere minimè licet, nam malum hoc tum ob multas rationes, maximè verò ob pulmonum irrequietum motum, tum ob hæreditariam dispositionem omninò videtur insanabilè, vt Hippocrates quinto Aphor. 11. & 12. & septimo Aphor. 16. non periculum tantum, sed mortem exindè prædixerit; Quoniam tamen aliqui ex quinto Methodi 14. id saltem fuerunt assecuti, vt vlcus firmatum, & non auctum fuerit, sed eo siccato, ac veluti callloso reddito longiorem vitam H traduxerunt, ideò & ego hac bona spe fretus materias illarum indicationum ad præseruationem in medium adducam, quam eò tutius futuram confido, quoniam malum est ferè in principio tamen non difficulter patiens preseruabitur, quoniam malum hoc ab insigni, maligna, & iam confirmata destillatione foueri non dubito, Difficultas tamen hæc egri prudentia, ac obsequentia compensabitur.

Quocirca ad materias dictas descendens de chirurgica statuo, vt præter Cauteriũ, quod in brachio gestat, alterum quamprimum in sincipite, vel in ceruice, duplicatum tamen, quod setaceum vocant, tanquam id, quod & remedia parti superiori capiti admouenda non impedit, & commodius, maiorique cum fructu ferè semper administratur, omnibus præferò, quod tamen ad plures menses gestatum claudi poterit: Quinimmò si res eò perduceretur, vt ingens, ac subita ruina ab illa distillatione impenderet, à vesicantium vsu circa verticem capitis non abhorrerem.

Ad hæc cæteris non conferentibus, post virium recreationem D. Hipp. 1. de morbis,

morbis, & lib. de affectibus iniernis inustiones pectoris, ac dorsi proponebat. A

Medicamenta materiam in toto, & materiam ad pulmones fluentem, Vlcus, ac totius malum habitum, & extenuationem respicere tenentur, ideo lenita aluo cum melle violato solutiuo, & manna præparatis humoribus cum oxymelle simplici, & melle Zuccarino dilutis iure decoctionis betonicæ, ciorij, boraginis, pulmonariæ, & farfaræ, pilulis, de agarico Mesue, vel Assaiaret Auicennæ pro purgante vterer, nam Galenus medicamentum, quod ex Aloe, colocyntide, & scamonio conficitur in sputo sanguinis, ab acri destillatione, sicuti Auicenna pilulas cochias non verebatur, hæc enim in principio, vbi vires validæ consistunt, omninò conueniunt, & eo magis, quia fluxioni, ne magna fiat cauitas in vlcere ob materiam inquam in pulmones fluentem, statim est occurrendum. Quapropter & ego omnibus alijs catapotijs hæc ad vnam dragmam aliquando data præfero.

B

R. Scammonij drag. 5.
Colocynthidis drag. 1.
Agarici drag. 2.
Bdelij scrup. 2.
Gummi Arabici drag. 5.

Aloe ad pondus omnium, M. & deindè cum succo cynoglossæ excipiantur.

His & addo pro euacuatione insensibili ius paruæ pullæ, in cuius ventre china electa, pulmonaria, farfara, scabiosa, cicorium, betonica, borago, gummi Arabicum, C tragaganta, passulæ, ac tantillum sandali rubri sint incocta.

Pro capitis verò euacuatione peculiariter laudo herrina ex succo hederę terrestris, vel sampsuci, & decocto hordei, maluarum, seminumque Cartami, adiecto melle violato soluente parata; Synapismi quoque vertici capitis applicit, & medicamentum subscriptum hora somni ad scrup. 1. deuoratum non displicent.

R. Aloes drag. j.
Succi liquiritiæ drag. ij.
Pilularum de cynoglossa drag. ſ.

Cum Syrupo viol. fiat pasta, D

Capitis quoque lotiones ad eiusdem alterationem maximè siccantes videntur accommodatæ; Ideo fiant ex lixiuio cineris quercus medicato cum sandalis, rosis, baccis mirti, cortice guaiaci, folijs oliuæ, betonica, & camomelo, stillicidium quoque ex thermis frigidis, vel temperatis, in quibus simplicia accommodata incoquerentur, esset valdè efficax.

Sed iam ad vlceris medicamenta, & primum detergentia deueniendum, in quorum serie lac Asininum cum melle albo, vel saccharo datum, saccharumque rosatum recens, tamquam mitiora, ac magis familiaria probo, à quibus propono mulsam decoctionis radicis ireos, therebyntinam cum puluere eiusdem, Pastillum Aetii ex cardamomo, myrrha, sagapeno, opio, castoreo, & pipere paratum, tandem oxymel,

E vel acetum ex Pythagora scyllinum: Deinde sunt implentia proponenda, quæ in casu nostro haud valdè necessaria existunt, quando vlcus paruum sit, nihilominus non erit malum, si hora somni, vel manè etiam nobilis patiens assumat grana ij. vel iij. thuris, aut masticis; Ex quibus tandem Agglutinantibus insistendum, ideo saccharum rosatum antiquum per se, vel cum bolo Armena, lapide Aematite, cornu cerui vsto, ac puluere pulmonum Vulpis præparato, tantopere ab Auicenna celebratum, vsu, & experientia confirmatum, etiam hora cibi deuoratum summis laudibus extollo, Vtraque Antidotus magna, Ambrosia, & Athanasia mirum in modum valent, Atque vt callus quamprimum inducatur, quamuis febris adsit Hectica, licet tamen ad humiditatem etiam alimentalem quoquo pacto absumentia descendere, cuius causa oleum tum sulphuris, tum calcanti, ex aqua rosarum cum modico sacchari ad guttas aliquas propinatum, item, & trocisci Andronis eodem penè modò exhibiti mihi summoperè placent, quo F tempore quantum fieri potest, abstinendum à lacte, vt quod ratione humiditatis agglutinationem prohibeat; nihilominus si eo necessarium esset vti, non recederem à lacte Caprilo, vel ouino, sed calybeato, seu lapideato, cui puluerem boli Armenæ, coralli, rubri, pulmonum Vulpis cum saccharo immiscerem, ea etiam ratione vt Animal pascuis accommodatis nutriretur, vti comis rubis, plantagine, folijs vitium, poligoni, ac huiusmodi alijs adstringentibus. Ad hunc quoque finem faciunt odoramenta accommodata, idcircò laudo pilam manibus gestandam, & contrectandam ex ligno aloe, cinammomo, sandalis, mace, laudano, rosis, mosco, & ambra cum mucilagine tragagante in aqua rosarum nutritæ confectam. Nares etiam inungi interius poterunt linimento facto ex trociscis hœdricois, vel cypheis exceptis in aceto rosato, & oleo cariophyllorum, seu liliaceo cum aromatibus, sic & Antiqui illi vnguentis foliatis, & spicatis ab Aetio descriptis in hunc prorsus finem vtebantur.

G Tandemque ad malum totius habitum proprijs medicamentis, quæ etiam naturam alimenti aliquo modo retinent, est descendendum; Quocirca lac humanum, sanguisq; humanus destillatus ad plures dies assumpta opportuna maximè essent, sanguis autem vel solus, vel sic permixtus destillari poterit.

℞. Sanguinis hominis sani, vel etiam suis Lib. j.
Carnis cochlearum expurgatarum, & contusarum Lib. ij.
Cinamomi onc. ʃ.
Croci scrup. ij.

H *M destellentur in balneo Mariæ, & destillati dentur onc. ij.*

Confectio etiam aliqua ex pulpa perdicum, vel phasiani, caponis, cum amygdalis, fisticis, pineis, auellanis, nuce Indica, seminibus maioribus frigidis, papaueris albi, & pulmone Vulpis præparato, penidijs, amilo, cinamomi modico, ac passularum pulpa confecta huc referenda venit. Exterius verò, resiccato vlcere, balneum aquæ dulcis, & vnguentum pro spina dorsi dictum thoraci, ac spinæ adhibitum non sunt reprobanda.

Cœterùm victus primum exiccans, post verò renutriens, ac ab humectatione non omninò immunis probatur. Quamprimum igitur mutationem aeris ad ficciorem laudarem, sic Galenus suos phtisicos ad Tabias mittere solebat, & Celsus nauigationibus hoc in casu opus esse affirmabat, & propterea si noster patiens aut Venetias, aut alium similem locum propè Mare adiret illi valde proficuum esset; Resiccato vlcere

cere licebit sibi in patriam commodè redire, ac aerem humidum etiam incolere. Pariter alimenta ſicciora primum aſſumenda, maximè tamen renutrientia, ideò eligantur quæcunque optimi ſucci, facilis coctionis, diſtributionis, & ferè ab excrementis libera exiſtunt, hinc Ptiſana hordeacea cum carne præparata, alica, piſces, petroſi, oua recentia, carnes optimæ, præcipuè auium in montibus degentium, paniſque far, & orizæ ex iure illarum carnium in aqua pluuiali, vel calybeata coctarum præparata laudantur. Et eo magis, ſi primis diebus cum illis incoquantur conſolida maior, ac ſemina acetoſæ, plantaginis, vel puluis ex cornu cerui vſto, corallis, gummi cum ſaccharo paratus eiſdem inſpergatur, ferculum quoque ex farina orizę, amilo, amygdalarum dulcium ſucco, lacte vaccino exceptis ad ignem cum ſaccharo non improbatur. De Carnibus verò cancrorum, teſtudinum, cochlearum, atque ranarum ita ſentio, quod ſi natura illarum animaduertatur, cum ſint craſſæ, ac terreæ ſubſtantiæ, difficiliſque coctionis nulla ratione conuenire videantur; At ſi ex altera parte rectè præparantur, ſiue contuſæ, ſiue deſtillatæ, confido non parum conducturas, non ſolum quia propria craſſitudine, ac viſciditate ſimul multum nutriunt, ac vlceris conſolidationem iuuare poſſunt, verumetiam & ſua frigiditate innata humorum acrimoniam ex Dioſcoride placare multum valent. Pro potu Illuſtris patiens vinum bibat album, vel subrubrum, tenue, ſubauſterum aqua pluuiali dilutum, & ſi aliquando à vino illi ſit abſtinendum, nil præſtantius aqua pluuiali ſimplici, vel calybeata, in qua tamen ſaccharum roſatum fuerit diſſolutum; Reliqua omnia reſpondeant, prout conueniens eſt, Atque Deus Trinus, & vnus hæc, & illa fœcundet.

PRO QVADAM EGREGIA IVVENE MENSTRVIS IMMINVTIS, dolore lumborum, & vteri, itemque febricula laborante.

CONSVLTATIO XXII.

IVVENEM propoſitam laborare pluribus præternaturam affectibus, quorum alij ſunt Symptoma in genere excretorum, & actionis læſæ, alij verò morbi, adeò certum eſt, vt certius exiſtere non poſſit; In genere namque excretorum eſt diminuta menſtruorum expurgatio, facta enim comparatione quantitatis menſtrui, quod nunc exit ad illam, quæ aliàs exire conſueta fuit, longè minorem eſſe, quæ nunc exit, iam conſueta obſeruatur; In genere autem Symptomatis actionis læſæ lumborum dolor adeſt, ac vteri, vt de ſe patet, nam triſtem ſenſationem, quæ fundum Abdominis occupat, atque tempore menſtruationis reuiuiſcit, ad vterum attinere quis dubitabit? In genere tandem morbi eſt febricula, quam tamen puto à dolore pendere.

Reſtat modo, vt generationem horum malorum perquiram. Certum itaque exiſtimo vteri dolorem, & lumborum ſequi ad vnitatem in vtero ſolutam, atque in partibus lumbis vicinis, vbi ligamenta vteri hærent, factam ab intemperie calida, aut ſaltem ab errore externo nempè à cauſa morbifica interna calida, nam & acredo exeuntis, eiuſdemque calor, patientis ætas, ac temperies id ſuadent, quorum poſtea dolorum occaſione febrem illam ſuboriri arbitror.

At menſtrui diminuta expurgatio referenda eſt, vel in materiæ vitium, vel organi, vel totius corporis; Totius corporis vitium in caſu noſtro haud locum habet, quoniam

E vt refertur, iuuenis nostra est satis bene habita, & nullum vitium in toto obseruatur; sed neque ad organa attinere symptoma hoc ex eo conuici potest, quod si organa essent vitiata, sic esset à primordio ortus affecta, vel post ortum; primum non est dicendum, quoniam antea bene prodierunt purgationes, nec secundum, quoniam cum organa, vasa inquam vteri, per quam fit hæc expurgatio in similibus casibus non possint affici morbo, nisi obstructione, & in iuuene nostra nulla præcesserit causa, quæ potuerit obstructiones producere, iure cogor affirmare causam huius diminutæ euacuationis referendam esse in vitium materiæ, sanguinis in quam vitium, vitiatur autem sanguis, aut quia deficit, aut quia à calidiore iecore nimis incrassatur, & sic ineptus ad fluxum redditur, & propterea ad exitum; Cœterùm quoniam deficit, aut quia non generatur, vt in ijs, qui laborant imbecillitate iecoris ob causam frigidam, vt in cachexia, & hydrope, vel quia generatur quidem, sed aut aliò transmittitur, vt in hęmorargia narium, aut dissipatur vt in morbis longis, immoderatis exercitijs, vigilijs, ac insigni aliqua euacuatione, & nulla ex his causis in nostra ægrotante locum habet, infero ego omnem mali huius occasionem ex sanguinis crassitie pendere, quam quidem crassitiem acquirit sibi sanguis à iecore feruidiori; Quo constituto non immeritò præter calorem sanguinis crassitiem etiam eiusdem tamquam distendentem vasa illorum dolorum causam constituo.

Quarè Medicus, qui diligenter prædicta obseruarit, facilè quoque intelligit, ad se attinere iecoris incendium compescere, materiæ acrimoniam attemperare, sed prius totius prouidentiam habere.

Quæ non erunt sibi ad consequendum difficilia, quoniam affectus non est confirmatus, & patiens eius est ætatis, quæ omnem spem Medico solet polliceri.

Si deueniendum igitur mihi esset ad materias præsidiorum, statuerem ante tempus G mensium per plures dies secandam esse venam cubiti dextri ad iecoris euentationem, & præmissa totius prouidentia omninò vellem instantibus mensibus venam saphenam tali dextri tundere, & ijs non conferentibus Cauterium femori dextro secundum partem internam infigerem.

Quantum ad medicamenta attinet, ego puto prius vniuersalia esse administranda, ideò lenita aluo cum Casia, & præparatis humoribus cum decocto sonchi, cicorij, endiuiæ, hepaticæ, hordei, boraginis, deturbandi sunt humores infuso Rhabarbari cum syrupo rof. solu. Post hæc thermæ frigidæ, & serum lactis cum succo cicorij. & balneum aquæ dulcis, & perfusio hypochondrij dextri cum succo cicorij, & aceto probantur; Ac interim partibus dolentibus applicanda sunt anodina, inter quæ duo mihi opportuna videntur, omentum inquam veruecis in oleo amygdalino dulci calefactum, ac placentula ex vitellis oui cum butyro, lac etiam redactum ad consistentiam H cum mica panis adiecto oleo iam dicto erit opportunum.

Mulier autem quiescat animo, & corpore, plus dormiat, quam vigilet, & comedat carnes bonas elixas, oua item elixa, pisces petrosos, olera cicoreacea, atque refrigerantia, hordeum, amygdalas etiam recentes, bibat vinum pauciferum non dulce, non austerum, non nigrum, atque hæc sunt, quæ mihi dicenda occurrerunt pro ratione eorum, quæ mihi pingui satis, & crassa Minerua relata fuerunt, vtinam modo prosint.

PRO

PRO QVADAM ILLVSTRI, AC NOBILI VESTALI Vteri præfocationem patiente.

CONSVLTATIO XXIII.

ET si complura sint vitia, de quibus Illustris, & nobilis Vestalis conqueritur, omnia tamen in vnum, veluti in equum Troianum, in quo virtute reliqua continentur, redigi possunt, & est symptoma qualitatis mutatæ, nempè refrigeratio totius corporis, ac vteri, quæ eiusdem vteri perfocatio, seu strangulatus nuncupatur, sub quo totum refrigerari ex eo liquet, quod mulieres sub eo quasi emortuæ videntur, sed & vterum pariter refrigerari patet, quoniam toto refrigerato ab vtero lege consortij, necesse est vt vterus antea fuerit refrigeratus.

Quod & nobili Vestali contigisse persuaderi potest ex eo, quòd ipsa passionē hanc solet incurrere, tempore, quo menses erumpunt; Cœterum huiusmodi refrigerationem esse vteri strangulatum, inditio sunt vocis priuatio, conuulsiones, faciei intumescentia cum colore nigricante, Cordis suffocatio, suspiria à quibus omnibus insigniter ac subitò infestatur; Verum quod certiorem de hoc notitiam præstat est, quod recordatur præteritorum, nam hisce malis profligatis, quæ ab assidentibus dicta sunt tempore paroxismi, narrat ad vnguem, præterea benè tunc temporis imaginatur, ac discurrit, propterea quia, quod non potuit voce significare, calamo scribit. Quod vitium habere propria principia, quibus insistit, res est adeo certa, quare si causa proxima attendatur, hæc meo quidem iudicio nulla alia erit nisi causa venefica, ratione totius vaporosa, ratione vteri humoralis, quæ sicuti est seminarium veneni in eodem vtero geniti, ita est minera vaporum, qui in totum eleuantur; Ex quibus partim spiritibus vitalibus dissipatis, partim compressis, ac alio modo lacessitis visceribus præcipuis, ac alijs partibus nostri corpors, necesse est omninò vt cœtera Symptomata annexa suboriantur, & præter dicta, mœror, tristitia, dolor capitis, appetitus deiectio, ac alia innumera; Nec de vigilia continua est, quod aliquis hæsitet, quoniam etsi totum, & ob id etiam Caput refrigeretur, frigiditati tamen huic est iuncta siccitas, cuius vigilia soboles esse solet.

Sed iam causam remotam, quæ scilicet venenum hoc frigidum gignit, perpendere oportet, quam duplicem esse censeo, generantem inquam, atque detinentem, generans iterum duplex existit, Agens, & materia, Agens est calor corrumpens, ac formam contrariam humanæ naturæ introducens, calor autem hic in vtero nascitur, quia transpiratio cohibetur; At materia est tum semen (Virgineam etenim vitam traducit, sicuti Deo vouit) tum menstruum ipsum, quoniam diminutè, atque minus, quam antea quoque mense purgatur; A quibus duobus in corpore fœminæ posse Venenum gigni nullus est ex medicis, qui neget; Causa postremò detinens est obstructio, non quidem vasorum vteri, quoniam ex Hippocrate primo de morbis mulieribus in perfocatione venæ vteri inaniuntur, ac siccantur, sed vasorum ad vterum semen, ac menstruum deferentium, ex quibus duobus copiosis, lentorem adhuc, crassitiemque nactis, dicta fit obstructio.

Quid igitur faciendum est pro salute Reuerendæ admodum fœminæ? certè existimo ego vniuersam medendi rationem eo medicum curantem dirigere debere, vt vapores ad vterum tendentes retrahantur, ac reprimantur, augumentumque obstructionis per eadem retrahentia prohibeatur, & vbi fuerit ab accessione patiens immunis,

 menses

E menses euocentur, semen genitum siccetur, atque ne denuò saltem ita copiosum gignatur, quantum fieri potest medicus operetur, sed primum, & ante omnia totius habeat prouidentiam oportet.

Quos fines attingere (quantum ego arbitror) erit opus satis arduum, ac operosum, nec citra vitæ periculum, nam obseruo patientem nostram ferociente, ac insæuiente morbo, plurimum distare à statu naturali, præterea vitium hoc fit à causa venefica, quę maximæ est actiuitatis, pluraque mala simul complicantur, quæ neque cessante paroxismo ex toto finiuntur, ferè totum corpus afficitur, ac demum interdum (vbi præsertim origo mali semen existit) citò patientes sub hoc affectu perduntur, nam & pulsus, & respiratio desistunt. Ex aduerso tamen quoniam patiens nostra ab ætatis flore non abest, adhuc, & ipsa prudentissima existit, & ea quam ad propriam salutem spectat minimè præteribit, sperandum est, vt saltem præcaueatur, & ob id ex animo ad ma-F terias medicas deuenio.

Atque propterea quoad Chirurgiam, in accessione nullo modo venam secarem, quoniam semen est retentum, tunc temporis tamen ab vsu cucurbitularum cum & sine scarificatione partibus inferioribus applicitarum non desisterem, quo etiam tempore earundemmet partium frictiones, vincula dolorifica, & lotiones maximi censentur vsus; Vbi autem res eo perueniat, ut Epilepsia, apoplexiaque immineant, sinciput est inurendum. Extra verò accessionem sectio venæ saphenæ, cauteria gestata in cruribus secundum partem internam proficua valdè sibi solent id genus morbi patientes experiri.

De medicamentis ita sentio, vt quamprimum scilicet leniatur aluus manna, & melle ros. sol. deinde humores præparentur decocto cicorij, melissæ, artemisiæ, betonicæ, capillorum Veneris, fœniculi cum syrupo de cicorea, de boragine, & de Arte-G misia, humores autem sic præparati deturbentur infuso agarici, senæ, rhabarbari, adiecta manna.

Post quæ ad ciendos menses laudo omnia medicamenta calybeata, puluerem radicis gentianæ, Antidotum Aemagogum, sal Artemisiæ, & oxymel amarum paratum ex decocto sabinæ, diptami, rubeæ tinctorum, origani, pulegij, calamintæ, deuorata prius pilula ex aloe cum succo, vel puluere sabinæ efformata; sed his non conferentibus, deueniendum ad guaiaci decoctum per 40. dies de more exhibitum.

Exterius verò ad idem conducit inunctio vmbilici facta ex elaterio, farinæ lupinorum, absynthio, sagapeno, myrrha, ruta, felle taurino exceptis, huc referuntur suffitus Aromatum, qui ex trociscis de myrrha conficiuntur.

Pro siccatione seminis, ac generatione eiusdem saltem imminuenda, non improbo pilulas ex Castoreo, assa fœtida, crystallo montana seminibus agni casti, cannabis, H peoniæ nigræ, Dauci, lactucæ cum triphera magna paratas, quibus adijcio guaiaci decoctum cum china thermas sulphureas, salsas, atque nitrosas; Antidotos magnas, Antiquas, sal theriacale extractum guaiaci opportuna item existimo.

Extra insessus ex ijsdem aquis decoctionis agni Casti, peoniæ, dauci, nimpheæ, lactucæ, calamintæ, & periclymeni conueniunt.

Et vbi patiens ab accessione premitur, statim cum acri suppositorio subducatur aluus, deinde frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis agendum; post quæ fœtida naribus de more, odorata verò partibus pudendorum, ac a diacentibus sunt admouenda. Inter odorata seligo oleum Iasminum cum mosco, Ambra, & vi os patientis aperiatur, ac oxymel scyllinum cum castoreo infundatur, palatumque mithridatica confectione illiniatur. Ac tandem subtus vmbilicum ceratum ex Galbano adhibea ur.

Sed compar victus ratio inter cætera Nobili Vestali est obseruanda, quæ nimirum sit attenuans, & siccans, ac propterea vtatur carnibus animalium exercitatorum, in-

mon-

montibusque degentium, assis, ac sale conditis, lac seminum Cannabis, & nucleorum A persicorum maximè probatur, sicuti & panis cum anisis, & sale conditus, proderitque si cibaria aromatibus aliquot inspergantur. Vinum guaiaci, & simplicibus dictis medicatum illi sit in vsu, atque corpus quantum fieri potest exerceatur, omniaque animi accidentia molesta fugiantur, & vtinam hæc omnia in gratiam valetudinis illustris, & nobilis Vestialis cedant.

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO BARONE PTYELISMO & doloribus musculorum, thoracis, & humeri externorum affecto.

B

CONSVLTATIO XXIV.

AFFECTVS præternaturam, quo perillustris, & nobilissimus Baro detinetur, nullus alius est, nisi qui communiter ptyelismus, aut frequens, & copiosa expuitio dicitur, ab Aureliano saliuatio nuncupata, quæ non periodica, sed ferè continua, & indeficiens existit. Præterea, vti relatum fuit, diebus etiam nunc elapsis subortus est dolor quidam ad musculos thoracis externos, ac ad humeros, qui occasione tactus exacerbatur.

Quorum affectuum principia generationis si perpendantur, in vnicam à capite destillationem referre cogor, quæ in os iugiter per palatum descendens, copiosam, & perennem expuitionem efficit, atque in musculos thoracis, humerosque siue per venas, & neruos, siue per spacia inter carnes inania decumbens, sua qualitate intemperando, & sua copia distendendo, ac veluti scindendo, dolorem parit. C

Et quamquam frequens, & copiosa expuitio ex Gal. 20. Prorhet. 12. non tantū à cerebri vitio, verum etiam & ventriculi pendeat, hic tamen quoniā nullæ ad sunt de ventriculo quærelæ, puto illam in vnicum cerebri vitium tantum esse referendam.

Cœterum quoniam materia huius distillationis est excrementum præternaturam, & omne tale à vitiata coctione ob morbum, vel errorem externum necessariò dependet, interim cerebri concoctionem ob vtramque causam vitiari arbitror, primum quidem ob morbum, quoniam ex diuturnitate destillationis, eiusdem & copia ex Galeno in Arte medicinali intemperiem adesse humidam, atque ex insipida excretione intemperiem ex propria natura frigidam esse colligo; Atqui 2. error externus accedit, qui duplex esse potest, ac merito vtriusque excretio proposita nonnunquam salsedinem acquirit, itemque intemperies Cerebri ex accidenti calida euadit. Primum itaque materiam calidam à feruidiori iecore suppeditatam censeo, Alterum leuem quandam putredinem occasione extrinsecus calefacientis contractam. D

Vt ex his omnibus scopus appareat, in quem omnia præsidia medica tendere debet, habita enim totius prouidentia, destillatio illa per alterantia Cerebrum potissimum ad siccum esset finienda, quod vbi obtineri non posset, in aliam saltem partem materiam destillationis deflectere, & quicquid illius est fluxum absumere oporteret.

Quos adimplere scopos non ita facilè futurum credo, quando mala capitis dispositio sit veluti natura, & quasi ex parte Matris hæreditaria, vt potius grauiora vitia immineant, præcipuè verò tabes, ad quam nobilissimum Baronem valdè procliuem esse, plura suadent, primum nempè qnod sit nactus guttur prominens, scapulas deinde alatas, pectus demum angustum, & ex carne.

E Vt igitur quæ imminent mala, quantum fieri potest præcaueantur, præsentiaque retundantur, quamprimum caput inurendum esse in vertice, vel (quod magis arridet) in occipite, immo setaceum ceruici insigendum esse putarem, non solum quia caput commodius per hanc partem à recrementis expurgatur, verum etiam quia vertici eodem etiam tempore, quo setaceum in ceruice manet infixum, alia remedia poterunt adhiberi; Illo igitur circiter sex menses gestato, & postea sanato, fonticuli in brachio sinistro, & femore dextro excitabuntur; Nec ab vsu fonticulorum me deterret habitus gracilis, & mollis, quoniam in corpore morbido, & quod iugi emanatione excrementorum ad sui præseruationem indiget, Cauteria non possunt improbari, & eo magis, quoniam ipsa non nisi ichores, & mucos emittunt.

Venæ sectionem non propono, nam corpus habitus prædicti catarrho ex propria natura frigido subiectum tractatur, si tamen ad iecoris refrigerationem aliqua videbi-F tur opportuna sanguinis missio, eam ego quoque ex venis ani faciendam libenter admitto, sed ab ipsa curatio auspicetur; præter hæc omnia frictiones leues, deligationes, & lauationes extremorum non improbo.

De alijs verò remedijs pharmaceuticis ita constituo, vt lenita aluo melle rosato soluente, præparatis humoribus decocto betonicæ, stecadis, cicorij, & boraginis adiectis syrupis, qui conueniunt, deturbatisque humoribus ijsdem, infuso Agarici, & mannæ, vel Catapotijs de hiera cum agarico, vel de agarico Mesue, ad ius pulli iunioris, vel columbi domestici, in cuius ventre china cum modico ligni visci quercini, aut sassafras, & simplicibus iam propositis adiectis passulis, & coriandris sit incocta, qaamprimum deueniatur, quod medicamentum, vt magis vigoretur, pilulam ante syrupum matutinum ex extracto chinæ, & ligni illius deuoratam valdè probo; Sed patiens nobilissimus per 40. dies in vsu huius iuris progrederetur, vehementer G exoptarem, ea tamen ratione, vt hora somni modicum Mithridati cum conserua rosarum antiqua assumeret.

Post hæc ad particularia magis deueniendum, quocirca gratia capitis Catapotia iam proposita, & quæ assaiaret dicuntur, post primum somnum aliquot dierum internallis assumpta, & ab eorum vsu herrina primum placidiora, fortiora deinde (vt ad elaterium etiam in lacte muliebri dissolutum deuenire liceat) commendo; A quibus stillicidium ex thermis temperatè calidis supra commissuram coronalem non possum non summoperè laudare, sicuti & capitis lotionem primum siccam cum furfuribus calidis factam deinceps humidam cum lixiuio decoctionis betonicæ, stecadis, baccaræ, camomeli, capillorum veneris, rosarum; baccarum myrti, foliorum salicum, & agarici adhibitam probare cogor; Odoramenta etiam ex ligno aloes, & sandalis in sindone rara deligatis, vti & noctu à cœna conseruarum capitalium vsus cum specie-H bus diatrium sandalorum mihi mirum in modum placent, neque inunctiones palati nariumque internarum ex confectione trium sandalorum cum modico Mithridati displicent.

Ad iecoris refrigerationem præter vsum succi cicoraceorum per se, vel cum sero lactis caprini defæcati, balneum aquæ dulcis mihi summopere suo tempore administratum arridet.

Ad materiam autem causam dolorum thoracis, & humerorum euacuandam tum oleum liliaceum ex vino subaustero lotum, tum vnguentum ex Althea cum puluere cimini applicitum conueniunt.

Victus ratio destillationi penitus aduersa seligatur, ideo nobilissimus Baro aerem nimis calidum, frigidum, humidum, atque ventosum aufugiat, degat igitur in locis maritimis, cibum facilis coctionis, & boni succi, optimas nimirum carnes, ac earum iura, oua, & pisces friabiles, sibi offerri curet; Cicorio, borragine, saluia, roremarino, hordeo,

farre, passulis, pineis, fisticis, amygdalis recentibus, pomis, pyrisque coctis cum puluere coriandrorum, & saccharo vti poterit; ea tamen ratione, vt omnem cruditatis occasionem deuitet, & si vinum ratione virium quandoque bibat, id paucum quantitate, & sua natura pauciferum, vel aqua cum simplici china cocta dilutum, rubrumque sit; Ac post omnem cibum, ac potum, modicum conseruæ ex cornijs, vel de sorbis, vt omnis essumationis in caput occasio dematur, assumat, in reliquis autem omnibus ita se gerat, vt modum in illis nullo modo excedat, ac Deus illi præsto sit.

PRO QVODAM ILLVSTRI, ET GENEROSO VIRO diminuta Visione laborante.

CONSVLTATIO XXV.

DIMINVTA actio videndi in Illustri, ac Generoso viro pendet a spirituum, & humorum crassitudine; Inducitur autem illa crassitudo a b intemperie frigida, & humida ipsius cerebri multam pituitam coaceruantis, quam quidem intemperiem somnus satis longus, continua excretio materiæ pituitosæ ab oculis, & naribus, atque tandem quædam totius capitis humiditas attestantur.

Huic accedit continua vaporum delatio in Caput ex iecore feruidiori, necnon mala viuendi ratio, sed an etiam causis prædictis vestigium aliquod suffusionis adiungatur meritò dubitari potest, quoniã patiens nõ ita bene videt à longe, vt eque propè, & quasi per rete, seu velamen quoddam obiecta prospicit. Existimo ego adesse suffusionem incipientem, vti sensus ipse demonstrat.

Quare in curatione prohibendum erit ne perficiatur ipsa suffusio, & si perficiatur; iam perfecta erit deponenda; Amplius ad illam præcauendam partes ipsius medici erunt materiam fluxam discutere, fluentem reuellere, & deriuare, caput exiccare, iecurque attemperare, prius habita totius prouidentia, sic etenim humores, ac spiritus visorij puri fient.

Quos scopos explere, etsi omni ex parte non sit futurum impossibile, operosum tamen, atque difficile munus erit.

Accedens itaque ad præsidiorum materias, quæ ad fontem chirurgicum attinent, laudo sanguinis missionem per sectam venam basilicam brachij dextri, & præcedente aliqua purgatione non improbantur hyrudines post aures applicitæ; Præterea fonticuli tum in occipite, tum in brachijs maximi vsus existimantur, quemadmodum setaceum in Ceruice; Cauterium etiam in crure sinistro gestatum maximè probatur. Quòd si non possit prohiberi suffusio, de more hæc ipsa habita totius diligenti prouidentia, acu argenteo erit deponenda.

Quoad medicamenta attinet, aluus leniatur cum manna, melle ros. sol. casia, hierâ, atque similibus, humores præparentur cum decocto cicorij, betonicæ, eufragiæ, boraginis cum syrupo de cicorio, de betonica, & oxymelle, postea purgentur humores cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro, deindè denuò præparentur humores cum prædicto decocto, & purgentur cum pilulis lucis, & cochijs. His peractis probatur masticatorium ex cera, & mastiche confectum, probatur salsæ, & chinæ decoctum, cum prædictis simplicibus medicatum.

Ratione iecoris postmodum conueniens est serum Caprinum cum succo Cicorij.

Pro Capite extrinsecus probatur embroca facta capiti vehementer exiccans, & modera-

E moderatè calefaciens, siue modo cum aliqua ex aquis medicatis naturalibus, siue artificialibus fiat, lotio etiam eiusdem capitis cum lixiuio facto ex cinere quercus decoctionis betonicæ, saluiæ, Verbenæ; Camomeli, rosarum, Agarici, & huiusmodi.

Quoad oculos non improbo eorũdem continuam ablutionem cum Vino albo subadstringenti, quoad iecur laudo ipsiusmet perfusionem ex cicorij succo, & hepaticæ cum aceto.

Quantum ad viuendi rationem, omnem aeris in clementiam patiens aufugiat, vtatur victu moderatè attenuanti, ac rebus calidioribus, aromatibus, agruminibus, cibarijs farina subactis, dulcibus salitis, atque tandem ab his omnibus, quæ caput replent abstineat, Vnde Carnes Turturum, turdorum, pulli, perdicum, Caponis, & Vituli sunt opportunę magis assæ, quàm elixæ, Oua item erunt opportuna, atque inter olera fœniculum, & Eufragia, potissimuminter semina coriandrum cum saccharo præparatum Potus non sit vini generosi, sed pauciferi, itemque cum salsa, & eufragia medicati, corpus modestè est exercendum, somnus limites non excedat, Aluus proprium munus obeat oportet, ac demum omnes animi passiones molestæ longè absint.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI VIRO MACIE TOTIVS INSOLITA, Vertigine, Epilepsia, Animi deliquio, calida Iecinoris intemperie, cum tensione, & Ventriculi Discrasia frigida affecto.

CONSVLTATIO XXVI.

G AFFECTVS præter naturam, à quibus perillustris, & Nobilis Vir solicitatur sunt numero plures, quorum alter ad totum, reliqui verò ad partem totius determinatam attinẽt, qui ad totum macies est insolita, quæ vnicuiq; qui antea nouerit Virum nobilissimum de se patet; Affectus autem partium corporis sunt hi; vertigo, quam incurrit vel leui de causa, cui ter anno elepso epilepsia fuit subsequuta, at fere semper adiungitur animi deliquium, præter Vertiginem subest Hepatis calida intemperies cum tensione, ventriculi Discrasia frigida, cui plura quidem attestantur. Primum fluor alui coeliacus, ac Diarricus, in quos pluries, ac sępius incidere solet, Secundo secundum ventriculum à calidis plurimum iuuatur, accedit Tertio, quod quicumque donati sunt iecore feruidiori, hi ipsi necessariò, vt constat, ventriculum frigidum habent. Intemperiem verò calidiorem iecoris in pa-H tiente nostro ex latitudine venarum facilè est animaduertere, item ex affectu hypochondriaco, quo detinetur, in cuius caracterismo constituendo requiritur omninò iecoris feruor, Amplius cum idem iecur obstructionibus etiam coutumacibus laboret, vt apparet ex illius tensione ad tactum percepta, necessarium est, vt maxime feruidm sit, quoniam ex obstructionibus impedito transpiratu insignis calor solet accendi, Ad hæc quoniam fluor venarum ani ortum ducit à sanguine crasso, & foeculento, atque sanguis hic non nisi à iecore feruido producitur, fluorque dictus in nostro patiente obseruatur, iure meritò iecur euisdem plus iusto calidum est constituendum, sed præter hos affectus hypochondriaca quædam affectio virum nobilissimum interturbat, cui indicio sunt timor, mœstitia, somnia turbata, & rugitus imi ventris, adest & alui stipticitas, ita vt vix semel egerat per plures dies, Vlterius de tumore tibiæ sinistræ molli, laxo, & indolenti, ac ob id oedematoso conqueritur. Atque postremò fluor sanguinolentus ex Venis ani immoderatus, ac omninò præter naturam obserua-

tur

tur nam & in toto color huius occasione mutatus fuit, ac vires insignem labem vt A ipsemet patiens narrat, & expertitur, sunt perpessæ, nam quamquam sanguis crassus, & niger à prædictis venis interdum prodeat, postea tamen floridus, ac probus exit.

Quorum omnium affectum modum generationis considerans, ego statuo causam præsentialem, & remotissimam in quandam natiui coloris imbecillitatem, & paupertatem esse referendam, meritò cuius, non solum iam dicta, verum etiam grauiora longè mala in humano corpore solent suboriri; Huic adiungo & malam quandam membrorum omnium, principaliumque maximè tum temperiem, tum compositionem: nam si cerebrum specto, idemmet excedere in humiditate, non dubito, cui & frigiditas adiungitur, solitus enim est insignem pituitæ insipidę copiam, & per nares, & per sputum patiens excernere. Accedit, quod qui caput habent pro minens secundum partem anteriorem, oculosque exertos valdè retinent, solent etiam caput frigidum, vel humidum, habere, & excrementosum valdè, quæ omnia cum in perillustri patiente fue- B rint obseruata, non est mirum, si caput illius modo iam dicto malè affectum constituerim. At si cor animaduerto, nulli dubium esse debet, idem satis frigidum existere, hoc etenim ex pectore depilo, ac eiusdem angustia, longitudineque colligitur, adeò namque pectus longum in nobilissimo viro obseruatur, vt vix inter os ilium, & costas nothas spatium supersit. At postremo si obseruetur iecur, primum ex paruitate abdominis colligere licet, vix in tali abdominè non solum iecur, verum & alia quęcumq; sint, viscera naturalia sana viuere posse, & proinde non mirum, si iecur intemperie calida, vt dictum fuit, & contumacibus obstructionibus obruatur.

Sed propius ad causas horum malorum mihi descendenti, liceat primum omnium aliorum, veluti radicem malam iecoris temperaturam iam dictam constituere, meritò enim huius facilè est secundo in cognitionem causæ proximæ vniuscuiusque affectus deuenire. Iecur etenim feruidius sanguinem copiosum generat melancholicum, qui C in venas ani decumbens, illas turgidas reddit, turgescentes autem ob copiā necessariò aperiuntur, hinc fluor hæmorroidalis, cui non parum fauet & alui stipticitas à calore iecoris fæces ipsas exiccante inducta, quoniam sic fœces exiccatæ, ac induratæ, vbi exeunt, insignem ad illas turgentes venas faciunt compressionem, & ratione huius earumdemmet venarum apertionem inferunt. Amplius iecur hoc suo calore humidum substantificum ventriculi depascitur, & proindè calorem eiusdem diminuit, vnde intemperies frigida ventriculi, meritò cuius humores crudi generantur, qui in iecur, & venas meseraicas decumbentes, obstructiones ibidem pariunt, quæ non parum à sanguine crasso, in iecore genito fouentur, quarum obstructionum occasione, calor in hypochondrijs præter naturam accenditur, à quo vapores atri, ac tetri geniti in Cor, & cerebrum feruntur, vnde symptomata melancholica; Adhoc humores crudi in ventriculo geniti, & in vapores resoluti Caput adeunt, spiritibus animalibus immiscen- D tur, immixtique eosdem in gyrum mouent, vnde vertigo. Quantum verò attinet ad animi deliquium certum est ipsum induci, & vt docebat Princeps à spirituum in cor aggregatione, & in nostro casu hæc spirituum aggregatio nascitur ex eorundemmet paucitate, quam oriri à sanguine vitiato, & cordis frigiditate nemo negabit; cum enim prauus generetur chilus, necessariò & non bonus sanguis gignitur, qui cordi frigido suppediatus, est in causa defectus spirituum, vt dictum fuit. De tabe autem, arbitror eam non solum à sanguinis impuritate iam explicita induci, verum & ab illius defectu ob ingem à venis ani fluorem antea dictum. De tumore oedematoso tibiæ ita sentio, vt scilicet à pituita tenui in partem illam, tamquam debiliorem decumbente producatur.

Vt ex ijs omnibus iam vnicuique constet, partes medici esse prius toti prospicere deinde fluorem illum sanguinis ab ano supprimere, obstructiones aperire, Viscera

alterare,

E alterare, atque roborare, supprimetur autem sanguis, si incrassetur, reuellatur, ac repellatur atque venarum ora claudantur adstringentibus.

Sed quoniam vitia iam proposita fouentur à causis à primo semine acquisitis, negotium medicum operosum valdè erit, atque difficilè; præterea maximus in illis obseruatur recessus à statu naturæ, vt propter causarum insignem actiuitatem, immineat cachexia, & Hydrops. Amplius non solum viscera principalia laborant, verum etiã totum patientis corpus tabe est confectũ; postremò facultas regitiua totius sub hisce malis non benè se habet, sicuti ex animi deliquio, sicuti ex tabe colligere vnusquisque potest.

Descendenti tamen ad curationem, de materijs chirurgicis mihi videtur opportunum, vt quamprimum secetur vena cubiti dextri, ac parcè sanguinis detrhatur, pro iecoris tantum euentatione, frictiones etiam, & ligaturæ lotionesque brachiorum non F improbantur, & quoniam cauterium alterum in brachio, alterum in crure gestat, propter maciem, vellem, quod est in crure sanaretur.

Quod medicamenta primum occurrunt communia, in genere quorum pro lenienda aluo probo syrupum de polypodio Magistri Augustini, cum melle rosato solutiuo pro præparandis verò humoribus, decoctum factum ex cicorio, agrimonio, capillo ven. citrac, boragine, & betonica, adiectis syrupis accomodatis est accomodatum, ac tandem pro illis deturbandis propono Rhabarbarum cum infuso agarici, & mel. ros. soluente dilutis decocto cordiali facto cum myrobalanis chebulis, & Indis.

Verum quoniam per aliquot interualla aliquam leuem purgationem moliri necesse erit, idcirco præter syrupum de polypodio, præter Rhabarbarum in substantia vsurpatum, infusum myrobalanorum nuper dictorum in vino subaustero factum summis laudibus extollo.

G Sed & euacuantia insensibiliter non displicent, ideo chinæ decoctum cum simplicibus iam dictis videtur maximi vsus, & eo magis si paretur in iure pulli in aqua calybeata facto.

Medicamenta interea determinata in duo capita redigo, in adstringentia nimirum, & obstructiones reserantia, quæ vtraque etiam viscera roborare debent.

In genere igitur priorum plura occurrunt, primum est mastiche ad grana sex, vel octo singulis diebus deglutita. Alterum est triphera minor ex Arte Phoenonis; Tertium est electuarium ex scoria ferri. Quartum fit, ex saccharo rosato, & Rhabarbaro modicè torrefacto. Atque in eundem vsum valent insessus facti ex decocto simplicium adstringendum in aqua fabrorum parato, vel ex aceto decoctionis scoriæ ferri præparatæ; Valet etiam & iniectio facta cum succo plantaginis; vel cum aqua aliqua thermali aluminosa; quibus non consenretibus licet deuenire ad eam, quæ fit H ex porri succo cum oleo calcanthi, sed & Galeni medicamentum, quod fit ex æquis portionibus aloes, ac thuris albo oui exceptis, & ex pilis leporinis mollissimis immissis non est negligendum; pro superandis autem obstructionibus ea vsurpentur, quæ aliqua ratione adstringendo corroborent, idcirco trocisci de absynthio, electuarium cyphoides cum puluere mastiches, limatura calybis præparata cum saccharo rosaceo probantur: Quibus ad ventriculi etiam alterationẽ Aromaticum rosatum immiscere licet, præter omnia tamen medicamenta iam proposita Antidotum magnam, tamquã eam, quæ omnibus ferè scopis propositis satisfacere potest, quin omnibus præferam, efficere non possum.

Exterius autem gratia iecoris, & lienis laudatur medicamentum factum ex oleis de absynthio, de spica, adiectis speciebus emplastri de meliloto.

Gratia verò ventriculi embroca parata ex oleo, in quo cum modico vini aromatici sint incocta aromata, & simplicia stomaticha in duplici vase, est præstantissima.

De

De victus ratione ita meo iudicio statuendum, vt patiens nimirum caueat ab omnibus aeris iniurijs, vt vescatur bonis cibis, qui eo magis proderunt, si parentur, & coquantur in aqua calybeata, vel aurata. Amplius vinum subrubrum, aut album tenue, aut calybeatum, & auratum; vel cum absyntio, & mastiche alteratum, erit vsus valdè proficui; somnus moderatus sit oportet, atque aluus mollis conseruanda vsu panis ex tota farina cum sale, & passulis parato, vel prunis, & passulis ipsis præparatis, vel puluere tartari vini albi, vel demum pulpa cartami, & caricarum. A

Ad hæc exercitium immoderatum, ac intempestiuè factum est euitandum, quarè citra sudorem, & defatigationem, ieiunoque ventriculo gestationibus, equitationibus, potius tamen ambulationibus corpus erit exercendum. Postremò timores, mœrores, ac solicitudines atque præcipuè studia, tamquam ea, quæ præsertim mala iam dicta fouere possunt, sunt effugienda. Deum autem O. M. interim precabor, vt remedia omnia proposita, perillustri, ac nobilissimo viro salutaria reddantur. B

PRO ILLVSTRISSIMO COMITE IVLIO TASSONIO FERRARIENSI febre putrida, hectica primi gradus, macie totius insolita, ptyelismo, lienis scirro quasi consumato, ac demum cordis palpitatione per interualla laborante.

CONSVLTATIO XXVII.

INTER vitia, quibus Illustrissimus Comes detinetur, primum est febricula quedam, quam esse de genere putridarum vnicuique satis perspectum esse confido, atque in harum serie tum continuam, quia singulis diebus absque frigore, & rigore exacerbatur, tum biliosam esse, vt suadet Illustrissimi patientis temperies; nemo in dubium reuocabit; Cœterum propter morbi longitudinem, ac propter ætatem illius inclinantem, ventriculumque frigidiorem, bili pituitam admisceri non dubito, quinimmò & propter lienem malè affectum succum melancolicum illis duobus adiungi pro certo habeo, vt ex his febris prædicta notha existat. Verumtamen an aliud genus febris, hectica inquam huic adnectatur, tum propter passi habilitatem, tum verò maximè ob febrem putridam à multis diebus Illustrissimum virum uexantem aliquis non immeritò suspicari posset; Atque vt ego verum fatear, hecticam saltem primi gradus, qui est difficilis cognitionis, & facilis curationis adnecti ob rationes nunc adductas existimo. Alterum vitium, quod in patiente nobilissimo obseruatur, est macies totius insolita; 3. est ptyelismus quidam iugis, à Cælio Aureliano Saliciatio vocatus; 4. est lienis scirrus, quasi exquisitus, cum ab omni sensu ferè immunis existat, cui etiam & illud attestatur, quod huiusmodi tumor citra aliquod leuamen ipsius ægrotantis medicamentis fuit pertractatus; Postremum tandem vitium est cordis per longa interualla palpitatio, quæ alias maiori etiam cum periculo illustrem virum vexauit; Consultò autem sub scapula dextra tumorem omitto, tamquam eum, qui nunc operam medicam haud exigere videtur. C D

Et ideò ad modum generationis aliorum malorum animum attentè conuertens illorum tum principalem, tum communem causam vnicam à capite destillationem esse constituo, quamuis illa ipsa ex se inuicem aliquo modo fieri non ignorem.

Destillatio igitur prædicta sicuti est crassum excrementum præternaturam in cerebro genitum ob vitium facultatis concoctricis dependens ab intemperie frigida

eiusdem

E eiusdem cerebri (quemadmodum materia minimè sapida per sputum excreta suadet, ad quod etiam conducit & id, quòd ab ineunte ætate destillatione hac nobilissimus patiens correptus fuit) ita & istud ipsum in subiectas partes decumbens, non solum affectus enumeratos, sed etiam longè plures, longeque maiores parere potest, nam in ventriculum, & iecur descendens alimentum impurum reddit, vnde macies, cui & calorē febrilē humidū substantificū absumētē non parū fauere credo; Pariter prædicta destillatio in eadem viscera decumbens coctionem in illis fieri solitam perturbat, ac inde succorum prauorum generationi, obstructionibus in omnibus visceribus naturalibus occasio præbetur; Ventriculus etenim ad generandum humorem pituitosum præparatur, qui à iecore feruidiori attractus in signes in eo parit obstructiones, vndè succi biliosi, & melancolici prouentus arripit occasionem, atque sic pituitoso permixtus, & in liene receptus, secundum vasa obstructiones efficit, secundum F verò parenchyma replendo propter copiam, & quasi concretionem propter frigiditatem inducendo, scirrum excitat; At biliosus humor per venas lienis, atque meseraicas omnes propagatus, putredinem nactus in cor effumat, ac ita febrem accendit, cuius exacerbationes circa antepositionem, & postpositionem ordinem non seruant, propter diuersum statum illustrissimi patientis, ac forsan etiam propter diuersam eiusdem viuendi rationem; Ad hęc succi pituitosus, & melancholicus in vapores resoluti Cordis motum vitiant, ea ratione qua vapores hi cauas cordis partes ingrediuntur, ac exitum querendo omnis agitationis præstant occasionem: Postremò eadem destillatio in palatum incidens, ptyelismum illum efficit, quin etiam & humiditas excrementitia à ventriculo ascendens eundemmet auget, & fouet.

Quibus ita constitutis, oporteret, vt medicus ratione febris refrigeraret, obstructionesque attenuantibus ac detergentibus auferret, ratione autem emaciationis humiditates G excrementitias absumendo, sanguinem depuraret, & quod iam est absumptum humiditatis substantificę repararet, ratione vero scirri emolliret, & discuteret, Vapores qui Cor adire solent retraheret, ac dissiparet, destillationem illam per alterantia cerebrum ad calidum & siccum finiret, Ventriculum calefaceret, & Iecur moderatè refrigeraret, prius tamen habita de toto prouidentia, à qua ex vi methodi dogmaticæ medicus primum in destillationem incumbere tenetur.

Verum enim verò, quoniam plura mala simul complicantur, & hæc ipsa cum maximo lapsu à statu naturali coniuncta, atque sine aliquo fructu varia iam fuere tentata remedia, ad huc & causæ morbificæ insignis actiuitatis existunt, a quibus potius grauiora mala, hectica nempe progressa hydropica passio, quinimo & vltimum terribiliū imminet, contrariæque occurrunt indicationes, medicum suum opus haud perficere posse suspicior, atque hoc eo magis, quoniam omnia viscera principalia, atque plura H his ipsis inseruientia laborant, item que facultas regitiua totius in dies languidior obseruatur. Quocirca præseruationi solum studendum.

Et quantum ad materias medicas attinet, & primum ad chirurgicas præter sanguinis missionem per saluatelam sinistram sectam, ac per venas podicis hyrudinibus apertas, setaceum in ceruice, ac inustiones ad hypochondrium sinistrum factas propono, Ac si destillatio subitum periculū minaretur, à vesicantibus adhibitis capiti non abhorreo: De fonticulis autem, quos nunc habet, ita decerno, vt post aliquot dies alter sanetur ne à duobus macies in dies magis, ac magis augeatur, & qui gestabitur, si in sinistro femore esset inustus magis etiam mihi probaretur.

Pharmaca ad euacuantia, & alterantia reduco, Euacuantia si respiciant totum, atq; sensibiliter agant sunt tum lenientia, tum purgantia, in genere priorum conueniunt mel rosatum solutiuum complectum, de succis vocatum, necnon syrupus de polypodio magistralis In genere posteriorum probatur infusum Rhabarbari, agarici, senæ, atque

atque etiam hellebori nigri, adiecto melle ros. sol. probantur & Catapocia de tribus cum Rhabaro, vel de hiera cum agarico, dummodo tamen ab istis apozema ex syrupo de polypodio propinetur, quinimmò & aliquibus interuallis Catapociorum de tribus dictorum vsus adiecto helleboro nigro præparato mihi non parum arridet.

Quod si euacuantia hæc agant insensibiliter, ius columbi, vel Galli antiqui cum china, ac guaiaci modico, vel sassafras adiectis simplicibus alijs opportunis medicatum maximi censetur vsus.

At si eadem euacuantia respiciant, potissimum caput, & sensibiliter agant, herrina medicamenta tum liquida, tum solida conueniunt, si insensibiliter, Ceratum Montagnanæ sincipiti adhibitum, ac Antidotus magna cum puluere spicæ nardi, & boli Armenæ hora somni deuorata non improbantur.

Alterantia medicamenta præparant humores, obstructiones auferunt, & viscera in contrarium statum adducunt.

Præparantia itaquæ seligantur, quæ ex cicorio, agrimonio, boragine, capillo veneris, scolopendrio, lingua ceruina, & betonica fiunt, eo semper constituto, vt à valdè dilutis, & copiosis ad modum abstineatur, quando hæc male lienem affectum implere multum soleant; idcircò omnibus ego præferrem syrupum acetosum ex prædictis paratum.

In genere deobstruentium mihi probantur gummi nempè ammoniacum, succus absynthij, & Eupatorij concretus, trocisci de Capparibus, de agno casto, & de Eupatorio; huc pertinet oxymel ex arte paratum cum decocto radicum filicis maris, liquiritiæ, alteæ corticum capparorum, tamarisci, ac simplicium iam dictorum, medicamentum etiam calybeatum maximè opportunum existimatur. Atque ad lienis proprietatem seruandam mirum in modum proderit, si hisce omnibus medicamentis plantę splenetica, præcipuæ verò puluis ex equuli liene exiccato adiungantur.

Cœterum & medicamenta huius generis exterius poterunt adhiberi, Ideò prẹter communia, pro liene laudo fotum factum con spongijs madefactis in aceto decoctionis radicum filicis, in quo lapis pirites ignitus fuerit extinctus, & à fotu linimentum factum ex butyro recenti oleo nardino, & succis tum senecij, tum radicis cyclaminis, facta decoctione in duplici vase ad con sumptionem succorum, ac tandem adiecta cera admouere expediet.

Stillicidia etiam primum emollientia tantum, deindè emollientia, atq; disentientia simul aliàs adhibita, nunc repetita summoperè placeant, à quibus cerata eiusdem prorsus facultatis adhibenda, inter quæ maximè laudo quæ succo tabacci referuntur.

Postremo in genere alterantium pro capite faciunt lotiones, tum siccæ factæ ex fur furibus calefactis, tum humidæ cum lixiuio decoctionis simplicium cephalicorum, siccantium valdè, at moderatè calefacientium paratæ, Embrocæ quoque siue ex thermis, siue ex decocto secundum artem parato fiant, mirificè prodesse solent, cucufæ adhuc, & suffumigia accomodata conueniunt, & præter hæc conseruæ capitales, Mithridaticaque confectio hora somni deuorata probantur.

Pro corde conseruæ cordiales cum confectione Alchermes, adiecto puluere cordis lupi, vel Accipitris plurimum vtilitatis afferunt, quemadmodum & extractum croci, ac liquor stillatitius, qui ex succo boraginis conficitur, in quo tamen succo prius crocus fuerit inmaceratus. Exterius autem & confectio prædicta, vel theriaca cum croco, & oleum florum citri cum gallia muscata pariter illitum arrident, quinimmò & sacculus sericus repletus cotò, cum quo aliquot grana musci sint inuoluta super cor gestatus non parum proderit.

Pro iecore succus cicorij tum assumptus, tum admotus propriè conuenit, sicuti pro ventriculo radix Zinziberis, & nux muscata condita assumpta, & stillicidium ex stomasticis

masticis

E masticis calefacientibus paratum maximè efficacia censentur, pro liene verò illa eadem, quæ obstructiones auferunt, ac intemperiem emendant, meo iudicio sunt opportunissima.

Hisce omnibus adijciatur demum accomodatus viuendi modus, qualis iam præscriptus fuit, atque etiam iterum, si opportebit ab Excellentissimo curante præscribetur, solum de vino illud animaduerto, vt seligatur quod album, tenue, non dulce, non austerum existit, quod magis proderit, si cum radice buglossi, ac plantis spleneticis alteretur, & ad aluum sub ducendam cum sena poterit aliquandò alterari, quibus omnibus Deo fauente, spero mala Illustriss. & Nobilissimi viri pro aliqua saltem parti imminui debere.

F

PRO NOBILI VIRO RAMICE AQVOSO LABORANTE.

CONSVLTATIO XXVIII.

QVOD Nobilis vir propositus Ramice aquoso laboret ex eo tanquam ex signo pathognonomico cõuincitur, quod superioribus diebus scroto perforato, insignis copia humoris aquosi excreta fuit, quem quidem humorem ibidem colligi non solum per fluxionem, verum etiam & per congestionem arbitror, ea tamen ratione, vt longè maior sit pars fluentis, quam congesti humoris, G fluit autem ille per transmissionẽ factam à toto vitio facultatis sanguificatricis ipsius iecoris, vbi enim hæc ob caloris natiui paupertatem, atque i ecoris temperamentum aliquo modo lapsum, & permutatum à proprio aberrant scopo, non paucam succi aquosi copiam coaceruat, qui per venas propagatus in toto colligitur, collectusque sua copia, & forsan qualitate quadam per putredinem nacta facultatem expultricem irritat, atque stimulat, quæ sic irritata in locum imbecillum per transmissionem eundemmet deponit, quarè cum scrotum sua natura laxum satis debile sit, quod ad huc in nobili patiente tale ob aliquam occasionem externam euasisse facilè factum fuit, idcircò ad ipsum etiam huiusmodi succus fuit demandatus; Tandem congeritur idẽ succus in scroto ob vitiatam alimenti coctionem, vbi enim ad ipsum succus fluxit aquosus & diu in eo detinetur calor natiuus eiusdem imminuitur, proindeque proprium alimentum non bene conficit, ac pro aliqua sui parte in succum prædictum transmutat, quibus omnibus etiam ætas senilis succorum frigidorum ferax ob iacturam calo-H ris natiui non parum fauet.

Quocirca vniuersa præsidia medica ea solum operari deberent, vt calor natiuus inquam resarciretur, ac intemperamenta membrorum affectorum per alterantia remouerentur, sic etenim succi aquosi noua generatio prohiberetur, quod vbi Medicus assequi non posset, in aliam partem, vt retrahat eundem succum, ac demum euacuet oportebit, quinimmò & eum ipsum, qui iam fluxit in scrotũ, vt educat erit necessariũ.

Quæ medicum assequi posse suspicor, quando vitium illud sit valdè progressum, & à causis pendeat insignis actiuitatis, à quibus grauiora potius mala impendent, at hydropica præsertim passio; Accedit, quod iecur principium sanguificationis, ac alimenti totius, afficitur, facultasque regitiua corporis ob senilem ætatem vix mala hæc tolerare potest.

Quam ob rem vt saltem, quantum fieri potest, vir nobilis præseruetur ad materias

præsi-

præsidiorum descendo, & ex Chirurgia, si opus videretur, habita totius prouidentia A quamprimum scrotum aperirem (si in eo scilicet insignis succi aquosi copia subesset) ea tamen ratione, vt inducta escara in parte decliuiori per causticum medicamentum, pars eadem escaram nacta ferro scinderetur, deindè fonticulum in brachio, & femore dextro secundum partem domesticam de more inuri laudarem, sic enim à scroto materia fluens reuulsione, ac deriuatione retraheretur.

Pharmaca omnia in euacuantia, & alterantia redigo. Euacuantia respiciunt, vel totum, vel partem, si totum vel euacuant sensibiliter, vel insensibiliter.

In euacuantium sensibiliter genere, lenientia occurrunt, & purgantia. Pro lenienti igitur ego laudo mel ros. vel syrupum ros. sol. dilutum cum decocto seminum cartami, ac radicis ireos, vel quod fit ex hiera, & Diacatholico, adiecto non nihil pulueris radicis mechiocani, cum succo radicis iridis exceptis. In genere verò purgantium, infusum agarici cum succo radicis ireos, ac melle rosato, vel syrupo ros. sol. B datum mihi maximè arridet; huc pertinet radix mechiocan prædicta, succus mediane sambuci per modum apozematis ab agarico trociscato bibitus. Quinimmò postulante vsu, ac viribus permittentibus, ab elaterio cum pilulis alephanginis, & agaricinis Mesue non abhorrerem. Sed & diuretica maximi vsus in præsenti esse solent, idcircò species electuarij Iustini cum decocto cicerum rubeorum, puluis radicis rubeæ tinctorum ex decocto radicum aperientium datus, sicuti & lixiuium factum ex cinere florum genistæ proderunt, eo tamen constituto, vt tempore horum vsus, quæ serosos humores per anum deijciunt secundum quædam interualla offerantur, qualia sunt superius enarrata.

In serie totum euacuantium sensibiliter per sudorem sunt stuphæ, decocta guaiaci, & salsæ, quæ decocta, si sensibiliter agere debeant, oportet ferè semper cum illis vti instrumento ligneo pro sudoribus mouendis parato; Aliàs enim insensibiliter agere C solent, quo penè modo, & vtramq; Antidotum magnam, sal theriacale, confectionem Diaspoliticon dictam, & ex piperibus factam agentia summis laudibus extollo.

De topicis autem ita decerno, vt si aperiatur scrotum, diu medicamentis accommodatis apertum detineatur, quod si apertione opus non fuerit, quia nimirum parum succi aquosi subsiderit, præstabit admouere fotum ex aqua extinctionis calcis cum spongia, & à fotu adhibere cataplasma, quod fit ex cochleis cum testa tusis adiecto puluere baccarum lauri, item & quod

R. spumæ argenti drag. 6.
salis fossilis
atramenti scriptorij cum aceto triti } *an. drag. x.*
cerussæ drag. 14.
olei lib. 1.
therebinthinæ drag. 11.
M. secundum artem.

D

Vel R. farinæ fabarum
fœnu Græci } *an. onc. iiij.*
baccarum lauri onc. 1.
ammoniaci electi onc. 5.
therebintinæ onc. 2.

R cum

cum sapa, & oxymelle excipiantur.

Vel ℞. stercoris bubuli siccati lib. j.
pulueris cimini onc. j.
baccarum lauri onc. s.

M. & f. Cataplasma cum lixiuio.

Vel Cataplasma mihi expertum pluries sic conficiatur.

℞. Corticum cochlearum
ostreorum vstorum } an. onc. j.
sulpharis
salis vsti
calcis lotæ in aqua rosarum } an. onc. s.
Farinæ orobi
lupinorum }
olei laurini } añ. onc. ij.
masticini
Aceti onc. 4.

Coquantur farinæ in lixiuio, deinde omnia M. f. Cataplasma s. a.

Alterantia verò pharmaca, vel respiciunt humorem euacuandum, qui quamquam pro maiori parte sit aquosus, non est tamen immunis à pituita, ac huiusmodi alterantia erunt præparantia, vel respiciunt intemperantias viscerum, atque caloris natiui iacturam, atque hæc erunt calefacientia, & roborantia.

In serie itaque præparantium laudo syrupum de betonica, oxymel, & mel rosatum simplex sine dilutis, laudo, & oxymel scyllinum per se datum, in serie verò posteriorum, calefacientium inquam, & roborantium, probo trociscos cypheos, de eupatorio, de amygdalis amaris secundum Tralliani descriptionem, probo & electuarium ex passulis Galeni Cyphoides dictum, Dialacca, Diacurcuma, præ cęteris verò extractum radicis sassafras, quibus omnibus aliqua portio hepatis lupini præparati, atque mastiches semper immiscenda.

Postremò victus ratio calefaciens, & exiccans est instituenda, quo circa ab iniurijs aeris frigidioris, & humidioris cauere patiens debet; vti optimis carnibus assis cum saluia, rore marino, & aliquot aromatibus conditis, alicibus salitis, capparibus pariter sal expertis, passulis, amygdalis dulcibus, fisticis, pineis, & pane ex bona farina bene fermentato, modicè salito, & anisis referto, eundem vesci oportet. Ac pro potu vtatur vino albo, tenui, odorato, non dulci, non austero, non aquoso, & medicato cum guaiaco, salsa, & rore marino, vinum etiam absynthites, ac masticinum est opportunum. Somnus longè maior vigilia sit, corpusque exerceatur tempestiuè ad sudorem

dorem vsque inclusiuè, & loco illius, si modo videbitur frictiones totius substituantur. Aluus mollis fiat vsu vini cum sena, & Cartamo medicati, vel cum pane ex tota farina cum passulis præparatis, anisis, & sale confecto, ac tandem animi accidentia melancholica deuitentur. Deus autem ille sit, qui hæc omnia salutaria nobili patienti reddat, & proficua.

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMA MATRONA Tumore duro vteri secundum partem dextram, hæmorargia eiusdem, cordis tremore, vigilijs, somnis turbatis, rugitu imi ventris cum timore, & mæstitia, nec non febre putrida quotidiana laborante.

CONSVLTATIO XXIX.

FOEMINAE præter calamitates vtrique sexui communes, quibusdam proprijs ratione mammarum, ac vteri potissimum subijciuntur, vt non sit mirum, si nobilissima fœmina nonum supra quadragesimum annum agens præter melancholicam hypochondriacam ex timore, & mœstitia, cum rugitu imi ventris, & alui stipticitate, vigilijs, ac somnis turbatis cognitam, præter cordis tremorem sæpius, ac præcipuè noctu recurrentem, & quemlibet sexum vexantem, de quibusdam affectibus vteri peculiaribus conqueratur, qui numero duo præsertim existunt, Tumor inquam in parte vteri dextra, durus, ac ferè indolens, qui aliquandò augetur, decrescit aliquando; necnon hæmorargia, quæ sapit interdum naturam sanguinis melancholici, deinde biliosi, ac tandem eius, qui loturæ carnis redolet naturam. Cœterum cum tumor ille, vt de se patet, durus existat, est sine dubio de genere scirrorum: at quia indolens, est de genere scirrorum legitimorum; quia verò modo augetur, modo imminuitur, est de scirrorum genere, qui admixtam habent inflationem, nam tumores ob aliam causam affatim non augentur, & diminuuntur, nisi ob flatus ipsos, à quibus tumor, qui communiter inflatio dicitur, ortum habet, vt potius scirrus hic spuriuus, & non legitimus ob inflationem adiunctam dici mereatur.

Sed illud est dubitandum, num febricula singulis diebus post meridiem inadês sit morbus an Symptoma; Dico quod postquam febris hæc typum aliquem habetu, inuadit enim cum extremorum perfrigeratione, sum in ea sententia, vt sit morbus, & sit ex coordinatione febrium putridarum, quotidianarum.

Nam mulier nobilissima in somnum est valdè propensa, vix sitit, vrinas pitutosas excernit, & febris calore fumoso, ac parum mordenti, qualis est qui in lignis viridibus accenditur continetur, in cuius rei certiorem adhuc notitiam faciunt excrementa omnia succo pituitoso redundantia, & habitus corporis sub pituitosus.

Verum tamen febrem esse de genere intermittentium patet ex frigore extremorum quod paulatim serpit in totum, cui potius quiddam horror, quam rigor accedit, quem tandem interuallum obscurum valdè subsequitur.

Verum, & adhuc dubitandum occurrit, quomodo ab utero in tumorem eleuato possit prodire sanguis, nisi subsit Vlcus, uix enim fieri potest, ut à tumescente parte sanguis prodeat ubi prius illa non fuerit erosa.

Responderem in hac Nobilissima Matrona uterum secundum partem dextram tan

E tum tumore corripi, vt propterea sanguis ab eiusdem parte sinistra, aut ceruice saltem prodire possit.

Rursus dubitabit aliquis, num alui adstrictio inter proprietates affectionis hypochondriacæ, vt videor ego superius asseruisse, sit reponenda.

Cui respondeo ferè numquam hypochondriacam ægritudinem ab alui stipticitate separari propter multas rationes.

Prima est, quoniam in hoc affectu insignis feruor subest præcordiorum meritò, cuius stercus valdè exiccatum expulsioni admodum reluctatur.

Secunda est quoniam laborantes hoc malo, vt de se constat, pluribus cruditatibus scatere necesse est, quæ tum fœces inuiscando, tum etiam bilis acrimoniam expultrici intestinorum destinatam placando, sunt in causa, vt fœces retineantur.

Quibus tertiam addo, qua calor natiuus, sine quo intestinorum expultrix nihil molitur vnquam, in hypochondriacis valdè languet, vt ex indè necessariò fœces haud expellantur. Quòd autem calor natiuus langueat, ex eo facilè est intelligere, quod calor extraneus, vt vnicuique satis est prespectum, plurimum redundat.

F

Horum autem malorum productionem in obstructiones vasorum chili, vteri, ac iecoris referre non hęreo, quæ sicuti extensionibus, ac alijs Symptomatibus ad infimum ventrem attinentibus dignoscuntur, ita non à sanguis copia, sed ad humoribus fœculentis, & viscidis oriri nemo esset statum huius nobilissimæ fæminæ perpendens, qui dubitaret, est enim in ætate iam inclinanti, & habitus subpituitosi, anteque plurimum frigidæ potauit, quæ omnia in prædictorum succorum generationem conspirant.

Verum cum humores ijdem sint opus præter naturam, quod necessariò actionem læsam alicuius visceris subsequitur, videre oportet quodnam viscus in casu nostro sit illorum occasio constituendum; Respectu igitur humoris fœculenti, ac terrei iecur ob obstructiones in dies magis, ac magis adauctas feruidius constituerem, ventriculum verò respectu succi viscidi, & lenti frigidiorem redditum cum ob multas causas, tum verò maximè ob iecoris æstum, & frigidæ potum; cui postmodum vteri hæmorargia plurimum fauit.

G

Sed interim qua ratione affectus ij omnes ab hisce obstructionibus nascantur examinandum occurrit, sic etenim principium generationis omnibus commune, contractum fiet proprium quod ad curationem instituendam maximum momentum habet.

Suppositis itaque prædictis obstructionibus, in mesero, & fundo ventriculi potissimum calor, veluti inflammatorius accenditur, qui succor in ijsdem locis veluti exurens in cor, & cerebrum fumos emittit, hinc affectus melancholichus, vt de se patet, hinc affectus ille cordis, tremor dictus, qua fumi illi cum flatibus à ventriculo languidiori productis immixti, & per vasa cordis propagati exitum quærunt, quem non assequi concitato motu, veluti ad inuicem inita pugna mouentur, atque cor motu illo deprauato mouent, ac potissimum noctu, quia tunc temporis calore retracto, sicuti maior copia vaporum gignitur, ita non discutitnr.

H

Pariter eædem obstructiones in vasis prædictis transpiratum impedientes putredinem quandam succi pituitosis, quibus maximè scatent, necessariò inferunt, hinc fumus exustus eleuatus cordi per venas, & arterias communicatus febris est causa.

Ad hæc & mala vteri ab ijsdem obstructionibus nascuntur, quia si scirrum perpendo, nemini dubium est, quod vasa illius prius obstructa tensionem in eo pepererant, à qua materia obstruente parenchimati vteri communicata scirrus est subsequutus; Materia autem illa est tum melancholica, tum pituitosa, crassa, lenta, necnon flatuosa in alijs visceribus naturalibus genita, vt ex dictis liquet, ac in vterum imbecillum ex propria natura, & nunc ex accidenti imbecilliorem redditum transmissa, quamquam ob calo-

ob caloris vteri languorem, non benè proprium alimentum cõfisci, sed tu morem a ma- A teria cruda, & flatulenta in eodem vtero genita foueri, & augeri sentiam.

A quo veluti causa principali melancholicham propositam pendere iurassem, nisi Matronam propositam ante hunc vteri affectum hoc vitio detineri cognouissem.

At qua ratione scirrus hic ex prædictis materijs ortum duxerit, non est difficilè ex dictis intelligere, nam illud certissimum existit, corpus hoc succo pituitoso admodum scatere, id etiam obseruatur, vterum valdè refrigeratum esse, & nullam causam siccitatem inferentem præcessisse, ergo fateri est necessarium per repletionem à copia, & per concretionem à frigido, non autem siccationem hunc scirrum factum fuisse.

Sed & hæmorargiam a b illis ipsis obstructionibus pendere, duplici ratione existimo, vna quidem, qua in iecore obstructo sanguis vitiosus generatur, qui ad vterum transmissus secundum sui portionem crassiorem, in parte vteri obstructa retinetur, B secundum verò tenuiorem portionem exit, hæmorargiamque facit.

Qua ratione autem id contingat melius intelligere necesse est, Quocirca cum sanguis hic præter naturam exiens Symptoma sit secundarium, in retentionem vteri lęsam referatur oportet, quæ cum lædatur, vel læsa facultate, vel ob errorem externũ, in casu nostro lęditur primum facultas ob morbum, non quidem in soluta vnitate per erosionem quia calor, morsus, & dolor à patiente non persentiuntur; non in soluta vnitate per fractionem, quoniam nec saltus, nec percussio, vel aliquid simile pręcessit, non à morbo in mala compositione per esudationem, quoniam sanguis nec paucus, nec serosus exit, relinquitur ergo, vt per Anastomasim, ac vteri venarum apertionem prodeat, quę cum fiat tum à copia, tum ab acredine sanguinis, & hęc sit excludenda, quoniam (vt dictum est) nullus calor, ac morsus persentitur, a copia sanguinis hanc Anastomasim fieri concludendum. C

Et si quis obijceret, in hac nobilissima ægrotante, vt dictum fuit, sanguinem minimè redundare. Dicerem id verum esse in toto, non tamen in vtero, qui cum præsertim laboret, ad eundem etiam sanguinem vna cum succis excrementitijs confluere puto, quò peruentus ob obstructiones contumaces, ob acredinis carentiam non ita subitò, sed in ea copia collectus, quæ ab expultrice non possit sustineri, hanc ipsam irritat, ac irritando est in causa, vt retentio ex accidenti læsa sanguinis fluxum admittat, quamquam etiam nunc suspicer ob intemperiem humidam vteri, quam ex iugi ferè emanatione humiditatum excrementitiarũ elicio vasa eiusdem relaxari, ac per se retentionem quodammodo lædi.

In tanta igitur morbòrum colluie, quid sit agendum vnicuique perspectum esse confido, sed quoniam ordine procedendum sit, non ita meo iudicio vnicuique perspectum existit. D

Certum profectò est morbos hosce omnes (sicuti & alios quoscunque) haud posse sanari, nisi illorum causa communis abscindatur, quæ est obstructio, meritò cuius oportet attenuare, ac detergere, habita prius totius prouidentia, & ne de nouo fiat obstructio, succos crassos, & viscidos iam genitos extra locum obstructionis existentes euacuare, ac nouam illorum generationem per alterantia membra generantia prohibere necessarium agnosco, Tumor etiam vteri post hæc erit calefacientibus, ac discutientibus tractandus. Verum quoniam hæmorargia tanquam impedimentum occurrit, huic sine dubio per retrahentia præsidia, motumque sanguinis compescentia erit satisfaciendum, atqne primum, & ante omnia, quoniam vt dictum fuit, est veluti impedimentum à quo in morborum complicatione, ex Galeni sententia, qnælibet est auspicanda curatio.

Sed an liceat intentum obtinere, ego valdè suspicor, quia plura mala, ac penè contraria

E traria simul complicantur, itemque sic progressa, vt ferè totum naturalem statum corporis perillustris patientis iam peruerterint, & grauiora longè mala immineant, hydropicæ nimirum passiones affectus somnolenti, atque alij quicunque frigidi sint, immineat etiam vteri exulceratio, sæpius enim contingit, vt materia morbifica, quæ in huiusmodi fluoribus ab vtero prodit, tametsi non sit acris, nihilominus occasione putredinis talis euadat, ac exulceret. Præterea video omnia membra principalia, quinimmo totum ipsum (vt ex malo, & fœdo colore dignoscitur) esse labefactata, adhuc & mala, difficilisque tolerantia præsens est, sicuti ex virium deiectione facilè possum intelligere, vt quasi hisce omnibus argumentis adductus mala iam dicta ferè incurabilia iudicem; Poterit attamen nobilissima fœmina ad aliquod temporis spatium præseruari, quod vt saltem assequatur, medicus illi præsto sit materijs medicis oportet.

Inter quas, Chirurgicas ego animaduertens statuo conuenire, & quæ sensibiliter, & quæ insensibiliter euacuant. Priores in casu nostro binæ probantur hyrudines, primum naribus, deinde venis podicis applicitæ, neque non cauteria, vnum quidem in F brachio sinistro, aliud in femore dextro; Posteriores verò sunt frictiones iuges, ac deligationes partium supernarum, itemque cucurbitulæ cum multa flamma citra scarificationem subtus mammas appositæ.

Post materias chirurgicas perpendendæ pharmaceuticæ, quarum aliæ respiciunt materiam peccantem, aliæ viscera; si materiam, vel sanguinem, vel succum diuersum à sanguine, sanguis ergo quoniam peccat qualitate, quia pituitosus est, ac tenuis, idcircò medicamenta primum eundem mundificantia, deinde coctionem iuuantia erunt necessaria. Quocirca in genere priorum laudo puluerem radicis mechiocani cum decocto myrobolanorum chebulorum, cui immaceratus fuerit agaricus trociscatus;

G In genere autem concoquentium conueniunt trocisci de Eupatorio, de Rhabarbaro, Cyphei non solum deuorati, verum etiam & hypochondrio dextro cum oleo nardino vel absynthino, & modico rosati completi, ac cera excepti.

At si motum sanguinis respicio, moderatè incrassantia sunt opportuna, idcircò preter electuarium de scoria ferri, pilulas de Bdelio, ac tripheram minorem ex arte Phœnonis summis laudibus extollo, antidotum etiam magnam mediæ ætatis, vt quæ pro sistendo sanguine, & roborando calore innato maximè valeat.

Exterius autem duo lumbis, & pului applicita mihi arrident, vnum est lutum factum excreta, bolo armena, terra sigillata, & sanguine Draconis cum aceto, & albumine oui exceptis. Alterum est quod ex Pini resina, ac sanguine draconis pariter paratur.

Sanguine suppresso, ad alia est deueniendum medicamenta, quæ ad materiam pec-

H cantem diriguntur, primum extra vterum, deinde in vtero existentem.

Si extra, primum est lenienda aluus mel. ros. sol. ex succis parato, atque syrupo de polypodio magistrali, postea præparandi sunt humores decocto betonicæ, boraginis, lupulorum, fumariæ, sem. citri, sonchi, adiectis syrupis accommodatis; tandemque purgatio infuso agarici trociscati, Epitimi adiectis mel. ros. & syrupo de polypodio soluentibus erit opportuna.

Et quoniam insensibiliter euacnantibus erit agendum, ideo ius pulli in cuius ventre in cocta sit china cum tantillo sassafras, additis simplicibus præparantibus nuper dictis, necnon ad materiæ obstruentis attenuationem, & detersionem capillo ven. scolopendrio, agrimonio, radice apij rec. passulis, & coriandris præparatis, quibus omnibus vigente adhuc hæmorargia adderem equisetum, vel opioglossum, vel san dalum rubrum.

Pro discussione verò materiæ vaporosæ in corde existentis theriaca mediæ ætatis erit

erit opportuna, quemadmodum & aqua stillatitia ex succo boraginis infusionis croci cum syrupo de corticibus citri simplici data, & item, & sal theriacale cum conseruis cardiacis, & corticum citri exhibitum. Quo in casu Epithema etiam ex aquis boraginis, buglossi, melissæ, & florum citri ex croco, & speciebus cordialibus temperatis pro Epithemate vino Cretico, ac aceto rosato paratum, est maximi vsus; & eo magis, si ab ipso regio cordis oleo iasmino, vel florum citri, aut cariophylorum, adiecto eodem croco illiniatur, quinimmò & ipsummet oleum croci chimicè paratum mirificè prodesse solet.

Verum si prætermissa materiæ extra vterum etiam existentis copia, qualitas illius, crassities inquam, & visciditas animaduertatur, occurrit statim vsus medicamenti calybeati, quod mihi maximè arridebit, si ex calybe de more præparato, speciebus aromatici rosati sine musco, & ambra, & conserua rosarum, itemque boraginis paretur.

Post hæc omne studium, si tamen permitteretur, ad vteri tumorē erit conuertendum ideo præter chinæ decoctum superius propositum adiectis simplicibus matricarijs, vsum gummi ammoniaci cum succo Artemisiæ, vel matricariæ concreto dati omnibus præferendum censeo. Huc vsus calybis hunc in modum exhibiti est referendus.

Paratur primum decoctum in iure pulli ex altea, maluis, dactilis, Artemisia, matricaria, radicibus ireos, lignoque sassafras, & in colato per noctem portio calybis præparati maceratur cum tantillo pulueris cariophylorum, atque manè colati, & expressi onc. viij. vel x. cum syrupo de Artemisia exhibeantur.

Extra verò præter fotum factum cum spongia, vel inuolucro fili lini crudi, seu lana non lota calefactis cum decocto alteæ, maluarum sem. lini, fœni Græci, radicum cucumeris agrestis, peucedani, ireos, diptami Cretici, præter illinitionem ex oleo amygdalino dulci, seminum lini, liliorum alborum, irino, laurino, præter vnguentū ex altea, & Aragon, & martiatum, præter emplastrum filij Zaccariæ cum tertia parte emplastri de baccis lauri, seligo potissimum embrocam factam cum aqua lanarum, vel cum oleo amygdalino dulci, seminū lini, in progressu adiectis oleo irino, & laurino: Ab embroca verò Ceratum Diachilon gummatum cum portione cerati sacri erit admouendum.

Tandemq; ad viscerum, primum autem iecoris alterationem succus cicoraceorum tum assumptus, tum hypochondrio dextro cum aceto perfusus omnibus est præferendus, quò spectat conserua violacea, & rosacea, confectioque ex tribus sandalis.

Ad ventriculum autem alterandum nux myristica condita, radix Zinziberis viridis pariter condita, cydoniatum cum pipere albo, crasso modo contuso paratum assumpta proderunt; Exterius verò stillicidium ex aqua Tettucciana, vel alia simili, sicuti & ceratum infrascriptum admotum erunt valde proficua.

℞. nucis muscatæ
Cariophylorum } *an. onc. j.*
Cinnamomi
absynthij
mentæ
maioranæ } *an. m. j.*
calamenti montanis
rosarum rubearum
Cyperi orientali onc. ʃ.
Aquæ ardentis lib. 1.

E

M. Infundantur per 24. horas, deinde f. colatura cum f. e. adde.

mastices		
mirræ		
laudani		*an. onc. iij.*
stiracis calamitæ		
bezoini		
ammoniaci lib. ʃ.		
musci drag. I.		

F

Iterum infundantur per duos dies, deinde extrahatur liquor per balneum mariæ, fæcibus adde resinæ pini claræ onc. iiij. & cum cera f. Ceratum.

Materia Dietetica huius census tempore hæmorargiæ sit oportet, vt nobilissima nempè matrona vescatur cibis aliquo modo inuiscantibus, vti sunt extremitates animalium, fercula ex milio, oriza, panico, & farre, necnon & ouo integro, iureque carnium optimarum cum extremitatibus dictis in aqua calybeata parata, & cum gummi arabico, cum equiseto, & ophioglosso alterata; quo etiam tempore vinum nigrum subausterum aqua calybeata dilutum offerri poterit.

Citra verò tempus hæmorargiæ victus conuenit aliqua ex parte attenuans, boni succi, & affectui melancholico contrarius; Quam ob rem oua, Carnes optimæ, & laudatæ, vti auium paruarum in Montibus degentium phasiani, perdicis, pulli, caponis, vituli, veruecis pro maiori parte assæ probantur; quo in casu etiam borago, buglossum, melissa, petroselinum, fœniculum, passulæ, pistachia, amygdalę dulces non improbantur. Potus sit vini fului, tenuis cum radice buglossi, floribus cordialibus, china, & ligno sassafras medicati. Somnus fiat primum in latus dextrum deinde in sinistrum, eleuato tamen capite, cruribus retractis ex Oribasio. Corpus, quemadmodum tempore hæmorargiæ quietum est detinendum, ita citra tale tempus ambulationibus, gestationibus, aut etiam frictionibus exerceatur. Aluus lubrica reddatur vsu passularum præparatarum, vel conseruæ comarum rosarum communium cum manna conditarum, seu mixto ex æquis portionibus pulpæ cartami, & caricarum parato, vel tandem prunis hunc in modum præparatis.

H

R. Infusionis senæ factæ cum onu. 4. seminum Cartami lib. I. ʃ.
mannæ electæ onc. 4.
M. & adde prunorum dultium siccatorum lib. I.

Ponantur ad cineres calidos, quosque totus liquor absurbeatur.

Læto denique, & constanti animo perillustris, & nobilissima Matrona viuat, si modò fieri poterit, Deusque Opt. Max. ille sit, qui hæc omnia à me ex animo in gratiam melioris vitæ huius meritissimæ fœminæ proposita secundet, atque fœlicitet.

PRO QVODAM ILLVSTRI, ET NOBILI *Iuuene Empiemate, seu suppuratione laborante.*

CONSVLTATIO XXX.

QVIS nam sit locus affectus in casu illsstris, & nobili, iuuenis apud omnes non ita constat, thoracem tamen ego secundum cauitatem esse existimo; thoracem quidem, vt suadet spiratio valde difficilis: secundum cauitatem, vt grauitas illa, quæ in profnndo eiusdem præsentitur, necnon fluctuatio ibidem percepta, demonstrant.

Et quoniam cauitatis morbus proprius est angustia, & hæc multiplex esse solet, puto ego angustiam hanc esse constipationem factam à materia purulenta, quæ ex abscessu anginoso suppurato, atque disrupto in thoracem cecidit, nam cum abscessus ille præcesserit, per os non fuerit expurgatus, & nunc pus cum tussi expuatur, satis apparet thoracis cauitatem dictam à pure constipari; Ex quibus, ni fallor, constat, quę sit immediata causa constipationis, est enim pus illud, non quidem genitum in thorace, sed in partibus ipsi superioribus occasione anginæ progressæ productum; Pus namque cum tussi reiectum thoracis actiones necessariò sequitur expulsionem inquã, atque coctionem, expulsionem quidem tantum, quãdo pus in eodem thorace non generatur (sicuti in casu proposito contigit) coctionem verò simul, dum generatur in pectore, seu cauitate thoracis occasione materiæ à capite destillantis, quod in patiente nostro minimè locum habet.

Quibus ita breuiter constitutis. Dico pus vt est quid à toto genere præter naturã esse eradicandum, vt crassum, & viscidum detergendum, vt acre attemperandum, vt lædit thoracem esse educendum per tussicularia, & conuenientia remedia, proportio tamen semper omnium viscerum thoracis est conseruanda.

Quòd autem in similibus casibus Medicus vix possit ad optatum finem peruenire, de se patet, quinimmò nisi spatio 40. dierum materia hæc expuatur, actum erit; Accedit (& hoc in casu præsenti non leuem timorem incutit) quod longè peius est Empiema, ad Anginam, quam ad destillationem subsequi; Quapropter nisi citò succurratur, imminet hectica imminetque phtisis; Quod tamen aliquid spei pollicetur, est egri prudentia, & ætas iuuentutis, nec non & illud quod tota thoracis cauitas haud est repleta, sed tantum dextra eiusdem pars afficitur.

Accedens itaque ad curationem, venæ sectionem improbo, sed alijs non conferentibus meo iudicio ad thoracis perforationem in parte destra inustione, vel sectione faciendam erit deueniendum.

Quoad medicamenta, quæ antequam chirurgus ad perforationem accedat, tentanda sunt: dico quod vel ad pus quiescens, vel motum diriguntur, si ad quiescens, iam oportet materiam attenuare, atque discutere emplastro ex radicibus alteæ, puluere cimini, radicis ireos, & oleo liliaceo, vel ceratis conuenientibus, vti est Diachilon gummatum, Diapirites, & sacrum.

At si idem pus moueatur, prout ad partes diuersas mouetur, diuersa quoque sibi requirit medicamenta.

Si igitur ad cutim facta perforatione vtendum est mulsa, & melle rosato simplici cum aqua hordei; At si ad pulmones inclinet, conueniunt oxymel simplex, scillinum, loch de

E loch de pulmone Vulpis, ſanum, & expertum, adiecto modico ſyrupi violati, vel de liquiritia, vel de farfara, propter puris mordacitatem; At ſi vias vrinæ adeat, decoctum conuenit Aſparagi fœniculi cum lacte ſem. melonum, ſi verò ad aluum tendat, licebit vti mel. roſ. ſol. agarico, & clyſteribus communibus.

Quoad victum, neceſſe eſt patientem cibis vti medicinalibus. Ideò pure quieſcente, conuenit amygdalatum, & pineatum, ſi moueatur ad cutim mel cum cibarijs erit opportunum, ſi ad renes, petroſelinum, Aſparagus, & lac ſem. melonum probantur, ſi demum aluum petat, ius caulium, mercurialis, & paſſularum mirum in modum proderit. In materia quieſcente conuenit vinum odoratum, in materia verò, quæ ad Cutim mouetur vinum cum melle potandum erit, in ea, quæ ad renes à vino medicato cum radicibus aperientibus non eſt recedendum, ac tandem in materia, quæ ad aluum inclinationem habet, vinum alteratum cum ſena, cum cartamo accommodatum exiſtit.

F In reliquis autem quid ſit agendum, vnicuique ex medicis etiam triuialibus manifeſtum eſſe iudico, atque ideò reliqua conſultò prætermitto, Deumque quam maximè oro, vt ſanitatem huic illuſtri iuueni miſerè laboranti concedere ne dedignetur.

PRO D. LVPIDIO ROTA CIVE BONONIENSE omni Hydropis genere detento.

CONSVLTATIO XXXI.

G

HOMO natus ex parentibus, qui hydrope laborarunt, vi iuris hæreditarij viſceribus primarijs inſerti, facilè & id vitij genus incurrere poteſt, ac eo magis vbi veneri, cruditati, otio, potuique frigido, ſe totum tradiderit, nam horum occaſione calor natiuus penè exhauſtus, & veluti ſuffocatus eſt in cauſa vt ventriculus primum à ſtatu naturæ ad frigidum labatur, & ſic affectus tum flatus gignat, tum lege conſortij, ac vicinitatis frigiditatem iecori impartiatur, propter quam ad flatus, aquæ, & ſanguinis pituitoſi generationem idem iecur diſpoſitum omni hydrope, qui eſt mera ſoboles, ex Gal. iecoris frigidioris, præbet occaſionem, quod non ſolum in hoc ſubiecto patiente, verum etiam omnibus alijs euenire puto, quando ferè nunquam flatus ſine aqua, & aqua ſine flatibus genita fuiſſe reperiatur, vti quotidiana docet experientia.

H Vnde nam autem id contingat non eſt difficile captu, nam diuerſus frigiditatis gradus viſcerum, alimentorumque diuerſa varietas ſunt cauſa, quod medio laceſſito calore natiuo, facultas alteratrix, modo flatus, aquam modo, ſicuti ſemper pituitam gignat, vt neceſſarium ſit ſimul haſce materias colligi.

Quæ omnia cum viro egregio acciderint, mirum eſſe nemini debet, ſi primum pedum, & crurium, abdominis deinde, ac totius corporis (ſaltem ſecundum medium) tumorem, ac proinde non vnum, vel alterum, ſed omnem hydropem incurrerit, primo quidem in Typaniam ob flatum in cauitate abdominis concluſum, ſicuti à ſono percepto ob ventris percuſſionem cum aliqua duritie cognoſcitur.

Secundo in Aſcitem, ob aquam ibidem collectam, vt ſonus ille obſcurus, ac pulſus paruus celer, ſubdurusq; cum tenſione demonſtrant, tandemque in Anaſarcam ob ſanguinem pituitoſum in iecore genitum, & ad partes corporis tranſmiſſum, qui cum à facultate concoctrice illarum partium ad naturæ gratiam deduci non poſſit, partibus illis

illis haud hæret, sed in illis tumorem efficit, qui potissimum ex eo deprehenditur, quod à manu pressa fouea de relinquitur, quæ nequaquam in Abdomine ob flatus distendentes obseruari potest. A

Et si aliquis abijceret, quomodo vir egregius triplici hydrope laborare possit, quando Anasarca à remissa, Ascites ab intensa frigiditate fiat, Tympanites verò sit in horum medio constituta, nam materia, quæ à remissa frigiditate generatur, vti pituita, non fit à frigiditate mediocri, & flatus qui à frigiditate mediocri ortum habet, non producitur ab intensa frigiditate, tandemque & aqua, quæ gignitur ab intensa frigiditate, nec à remissa, nec à mediocri fieri vnquam potest, ergo sicuti materiæ hæ separatim generantur, ita hydropes, qui ab illis producuntur separatim fieri debent, & simul complicari nequeunt.

Respondetur ab alteratrice iecòris facultaте illas tres materias vtiquè generari posse, quæ simul coeuntes triplicem etiam hydropem simul producere valent, Alteratrix autem facultas id agit pro diuersitate graduũ intemperieri frigidæ, ac pro alimentorum variatione sibi oblata. B

Et si aliquis instaret, quod gradus illi diuersi simul, & eodem tempore iecur afficere minimè possunt.

Respondeo hoc verum esse, at illud sibi contingit modò quia egri non admittunt remedia medica vnde intensus frigiditatis gradus, modò admittunt, & subsequitur iuuamentum, vnde remissius, quod cum alternatim fiat, non est mirum, si modo flatũ, modo aquam, sanguinem modo pituitosum, accedente etiam alimentorum diuersitate iecur aggeneret.

Cœterum, ad rem nostram, Tympanitem, & Ascitem esse, non tantum initiatos, sed progressos, id suadet, quod patiens cibum maximè auersatur, esse verò in habitu, absentia difficilis anhelitus, sitis non intensa, color totius, ac vrinę non multum à naturę statu commutatæ dissuadent. At Anasarcam incipientem esse ex eo deprehendo, quod totus habitus non est adhuc subtumidus, sed tantum à thorace infra, sicuti neque color totius subpallidus appareat. C

Vt ex his pateat ad medicum curantem attinere caloris natiui iacturam reparare, & ventriculum, ac iecur calefacere, prius tamen quicquid impedimenti obstat, amouere, quod cum duplex existat, flatus inquam, & minera tum pituitosa, tum aquosa, accommodatis pręsidijs primum auferre necessarium erit, At semper maxima est habenda ratio virtutis, vt quantum scilicet fieri potest conseruetur.

Quæ an possit Medicus obtinere, non parum hæsito, proptereaque pugnandum illi est contra triplex inter cutim genus aquæ, ex quibus duo sunt progressa, & causæ ad agendum adeò sunt efficaces, vt facilè sit hæc ipsa in habitum mutari, quod eo magis venturum suspicor, quia vitium patienti est hæreditarium, ac natiuum; accedit, quod totum ferè corpus malè habet, ac tres coctionis iam labem insignem contraxere, vt si non sit præsens, saltem mox immineat, difficilis tolerantia. Quia tamen mala hæc radices altas omninò non iecerunt nec Symptomata illa superuenere, quæ desperationem omnimodam minantur, quoniam neque color, neque vrinæ, item nec anhelitus aliquid ferè extrà naturæ limites perpessa fuerunt, iecurque veluti secundaria ratione, ob ventriculi scilicet affectum laborat, spero futurum, vt si ex toto mala hæc non finiantur, pro maiori ad minimum parte minuantur, & eo magis si quamprimum illis occurratur. D

Quare si id per chirurgiam sit agendum, nunc solum præmissa purgatione siccis cucurbitulis abdomini pluries affixis essem contentus. Quod si malum non cederet materijs medicis, sicut ad vesicantia, & inustiones circa vmbilicũ, atq; scroti setaceum (si intumuerit) adscenderé, ita à cauterijs crurũ omninò abstinere, quoniã illa tument,

& ob id

E & ob id ad corruptionem occasione cauteriorum vt experientia docet) facilè perduci possent. Perforationem non propono, non solum quia vsus eam haud expostulat, verum etiam, quia hanc tanquam hydropicorum iugulatricem abhorreo.

Iugulat autem ipsos ob spirituum dissipationem, & ob subitam veluti suffocationē à tractu Diaphragmaticis, ac omnium partium spiritualium deorsum inductam, quia iecur veluti durum, ac graue, quod prius aquæ innatans quasi sustentabatur, aqua euacuata deorsum concedit, & secum trahit septum, vt 6. Aphor. 27. Gal. indicabat Humidæ frictiones ex oleo laurino nitrato, vel ex scylla extracto, vel quomodocumq; salito partibus tumescentibus factæ patientem iuuabunt.

Pharmaca sunt & communia, sunt & priuata. Priora respiciunt materiam remotā, ac antecedentem. Quæ igitur in primis venis ventriculoque existit, vomitorijs, atque subductorijs medicamentis educitur, vomitorijs inquam si patiens habeat sibi vomi-F tum familiarem; in hunc itaque vsum tum cibus varis lubricus, ac multus assumptus, tum decoctum Rhaphani, anetique cum oxymelle probantur, subductoriis verò tum assumptis tum iniectis; Assumenda, Aquam, & pituitam educere, flatusque dissipare debent, & quoniam pituita indiget præparatione, quæ supponit Alui liquationem, ideo primum lenienda est aluus electuario lenitiuo, & hiera cum succo ireos in bolum exceptis, deinde prædicti humores non diluto, sed oxymelle composito, vel syrupo bisantino acetoso, syrupo de betonica, & de Eupatorio eruat præparandi: quos tandem pilulis de Agarico, Mesue, vel cochiis, vel fœtidis, adiecto modico electuarii de baccis lauri, ac succo ireos deturbare oportebit, in quem finem Hieram Diacolocyntidis eodem modo vsurpatam præ cæteris laudo; Atque hæc omnia eo magis probo, si pluries repetantur, ac vehementioribus momentum pilularum alephanginarum ad datur. Inijcienda, erunt clysteres alternis diebus iniecti, facti ex lixiuio decoctionis G soldanellæ, cartami, polipodii, anisorum, rutæ, calamenti; vrinæ iuuenis, fermento acri, vino Cretico, & soluentibus iam propositis. Ac interpositis diebus pro secunda præparatione detur oxymel paratum cum aceto scillino destillato, cui iniiciatur modicum aquæ Cinamomi. At materia in gibba parte hepatis, & venis superioribus per lotium educenda, probantur igitur Dialacca, Diacalamentum, trocisci de amygdalis amaris Tralliani, vrina humana, vel Capræ cum nardo ex Gal. 9. local. 3. necnon asari decoctum. Vbi verò materia in venis ambitus corporis existens, erit euacuanda, deueniendū ad sudorem mouentia, ad stufas, ad suffumigia cum calorificis parata.

Priuata medicamenta sunt euacuantia materiam coniunctam, & alterantia iecur, ac ventriculum. Priora si flatum respiciant componuntur ex seminibus carminantibus, ideò inter cætera Dianisum, Diaciminum tum assumpta tum illita ventri, sicuti aqua ardens pipere medicata, eodemque modo vsurpata laudantur, huc referatur H puluis radicis Angelicæ odoratæ ex Vino Cretico sumptus, & emplastrum ex lana Capræ incisa, in melle, & oleo rutaceo cocta adiectis speciebus emplastri de baccis lauri, Emplastrum quoque Aristarchi, referente Mesue efficax esse solet, sicuti & aliud quod ex aliis in Vino Cretico coctis conficitur, ex quibus etiam rebus clysteres parari poterunt in hunc vsum opportuni.

Quod si aquæ sint educendæ, ac primum sensibiliter à pilulis de Euphorbio, de sagapeno, ab Antimonio in vino infuso, ab elaterio cum mechiocane, ac pilulis masticinis, non est recedendum, at præ cæteris omnibus succum radicis ireos ex mel. ros. sol. cum speciebus elescof propinatum probo, quinimo vmbilicale ex latiride, grano, gnidio, elaterio, & scammonio cum vnguento Artanitæ compositum est mihi in vsu frequenti, atque proficuo.

At si aquæ sint insensibiliter dissipandæ, præter morsellos ex fisticis, & amygdalis dulcibus factos vna cum extracto guaiaci, vel sassafras, cinnamomo cum saccharo in

aqua,

aqua, absynthij dissoluto, probo destillatum ex eodem sassafras, Rhapontico, cinamomo, cariophylis, nuce muscata, & mastic[illegible]n vino Cretico maceratis. A

Abdomini quoque adhibeantur vngu[illegible]a martiatum, & Aragon, item suffitus factus ex decocto actu calente Artemisiæ, [illegible]m genistæ, calaminthæ, diptami Cretici, hysopi, radicum cucumeris agrestris, ebu[illegible] & cyclaminis, sulphuris, nitri, & aluminis in quo lapis molaris, vel pirites ignitus, [illegible]binde pluries extinguantur, & fumus per foramen in tabula ad magnitudinem tumentis Abdominis factum excipiatur, pannis vtrinque bene cooperto patiente, vt fumus totus per foramen illud adscendat. Cataplasma quoque ex stercore Capræ, vel columbarum siccato, sulphure, & nitro cum vrina exceptis arridet, sicuti & ceratum diapirites cum nitro, & succo nicosianæ denuo efformatum, non potest non arridere, sicque modo istis modo flatum discutientibus per interualla vti oporteret.

Verum & de euacuantibus pituitam tenuem per corpus à thorace infra est agendũ, B quare aspersio, ac volutatio in arenulis fluatilibus aut marinis in furno calefactis, item & ægri reclinatio in aceruo tritici sub sole calefacto mirum in modum valent; lauacrum etiam ex aquis sulphureis, salsis, nitrosis, aluminosis, & bituminosis, vel ex aqua marina, aut alio modo salsa, pariter & luta aquis prædictis affinia sunt miri vsus.

Quoad medicamenta Alterantia gratia primum ventriculi duo mihi magnoperè arrident; Aromaticum cariophylatum, & extractum, vel puluis Angelicæ odoratæ ex Vino Cretico datus, grana etiam Iuniperi in aqua ardenti lota sunt opportuna, gratia iecoris trocisci de Rhab. de absynthio cum hepate lupino præparato, gratia verò vtriusque vtraque Antidotus magna antiqua conueniunt.

Victus autem ratio hisce omnibus respondeat; & respondebit, si calida sicca, & ex tenuans fuerit, versetur ideò patiens in aere calido, & sicco, vescaturque bonis cibis, solidis, & conditis aromatibus, atque seminibus odoratis, ea diligentia semper, vt omnem cruditatis occasionem effugiat, vix aliquid vini bibat, & illud sit medicatum cum absynthio, floribus anthos, Corpus exerceatur ita, vt sudor etiam possit promoueri, sicque reliqua respondeant omnia, prout decet, & Deus ille sit, qui vim salutarem omnibus hisce præstet. C

PRO QVODAM PERILLVSTRI, ET NOBILISSMO VIRO PODAGRA detento.

CONSVLTATIO XXXII. D

POSTQVAM satis perspectum esse confido Perillustrem, & nobilissimum Virum laborare Symptomate facultatis tactricis læsæ deprauatè secundum articulationẽ pollicis sinistri pedis, quod quidem Symptomata Artritis, pressius autem podagra dicitur, super est ad curationem, vt de modo generationis illius agam. Et quamquam dolor hic ter nobilissimum virum apprehenderit, non semper tamen eadem ratione eundem infestauit, nam Prima vice fuit satis mitis, secunda verò, & Tertia acerbior redditus fuit. Vtcumque tamen quoniam dolor quilibet est tristis sensus, necessariò quoque dependet, atque producitur ab obiecto organo tactus improportionato, & ob id contristante, quod quidem obiectum duplex esse solet, intemperies inquam inæqualis, & solutio continui.

Quantum ad intemperiem attinet puto in nobilissimo viro mixtæ naturæ fuisse calidam

E calidam nimirum, & frigidam, calidam quidem ob præsentiam sanguinis, & bilis, illi attestatur affectus inflãmatorius, qui vltimò dum vir perillustris laborauit, fuit adiunctus, cui pariter ætas eiusdem, ac habitus fauent, huius verò fidem præstat illud, quod ferè numquam ad articulos absque bile tamquam vehiculo fluxio fieri assueuit. Sed frigidam, ac pituitosam etiam intemperiem locum habuisse non est difficilè cognitu ei, qui in pede patientis nobilissimi tumorem oedematosum obseruauerit.

Cœterum prædictos humores in loco iam proposito per fluxionem, non autem per congestionem ex duobus collectos fuisse colligitur. Primum ex eo, quod affectus est veluti recens, & in principio, Secundo quoniã subito ingruit idem affectus. Cum autẽ fluxionis duo sint modi transmissio, & attractio, attractio procul dubio in casu nostro, quoniam neque dolor, neque calor ad articulationem iam propositam præcessit, locum habere non poterit, relinquitur igitur quod ad illum facta fuerit transmissio, tamquam F ad locum omnium sua natura, & forsan etiam aliqua occasione externa aliorum imbecillimum, quæ transmissio, vt ex relatis constat inchoationem habuit à pluribus partibus, quæ vigentes secundum robur, succos copia prementes, & qualitate infestos à se ipsis propulsere, ac modò propulsio, siue per partes externas, siuè per arterias, ac alios ductus facta fuerit, parum ad præsens facit institutum. Sed age nunc partes prędictas transmittentes oportet recensere.

Meritò igitur fluxionis pituitæ origo fuit à capite, & ventriculo frigidioribus, meritò verò sanguinis, & bilis à iecore feruidiore; Caput autem frigidum esse vna cum redundanti humiditate non est difficilè intelligere, si in patiente caput grãdiusculum oculos valdè exertos, ac prominentes esse animaduertatur, hęc etenim omnia caput excrementosum admodum præseferunt, quando insignem copiam excrementi crassi propriæ coctionis, non solum ex propria natura, verum etiam ex accidenti propter G consensum à partibus infernis gignere possit.

Ventriculum autem frigidum vnicus attestatur feruor iecoris, nam qui secundum ipsum sunt calidissimi (sicut refertur esse virum hunc perillustrem) secundum ventriculum sunt frigidissimi. Et hæc de intemperie.

Quantum verò spectat ad solutam vnitatem, arbitror hanc ex compressione partiũ neruosarum Articulationi adiacentium fieri, compressionem verò oriri ex materia sua copia cauitatem articuli replente, & ligamentum eiusdem in tumorem eleuante non dubito.

His ita constitutis principalis medendi scopus eò dirigi debet, vt articulus prædictus, atque etiam alij roborentur, siccentur, & calefiant, amotis prius impedimentis, quæ sunt materia tum fluens, tum impacta, si quæ erit in articulo, & dolor si occurrerit, materia autem fluens est euacuanda, alteranda, & retrahenda, illiusque generatio H per alterantia viscera in contrarium est cohibenda, at materia impacta discutienda, dolor verò proprijs anodinis mitigandus.

Quos scopos obtinere, non erit quidem prouincia impossibilis, ardua tamen atque difficilis, quoniam malum hoc, vbi semel articulos apprehendit, difficulter admodum materijs medicis cedere solet, quando articuli sint in serie partium imbecillimarum nostri corporis, quæ vix à recrementorum receptione defendi possunt; spernãdum tamen futurum fore ob ætatẽ florentem, prudentiam, ac obtemperantiam patientis, vt Medicus faciliori, quo fieri poterit negocio intentum assequatur.

De materijs igitur Chirurgicis decernens dico, quod singulo vere (si nobilissimus patiens præseruari debeat) erit necessarium ipsi venam cubiti secare, in Autumno autem venas ani hyrudinibus aperire, in quem etiam finem Cauteria inusta in brachio sinistro, & crure dextro supra genu summoperè probantur; Quibus non conferentibus setaceum, si videbitur opus, in ceruice factum conferet.

Phar-

Pharmaca ſunt, vel communia, vel determinata. In genere communium, Primum A lenientia occurrunt, inter quæ ego laudo mel. roſ. ſol. cum manna, Secundo ſeſe offerunt præparantia, quæ parari poterunt ex decocto betonicæ, iuæ, cicorij, boraginis, cum ſyrupis accomodatis, præcipuè verò ſyrupo de roſis ſiccis rubris. A quibus Tertiò ad purgantia eſt deueniendum, non quidem fortia, ſed clementiora, ideo pilulę de tribus cum Rheubarbaro erunt maximè accomodatæ, quę & aliquot interauallis conſtitutis erunt repetendæ, vt materia fluens ad articulos, ab iiſdem retrahatur, In quem vſum facit vinum medicatum cum Cartamo, myrobolanis chebulis, citriniſque, & hermodactilis; huc pertinet etiam vomitus (ſi modò patiens ad vomitum fuerit propenſus) ſemel in menſe à cibo excitatus.

Sed & euacuantia inſenſibiliter non ſunt deſpicienda: Quare & decoctum guaiaci cũ china, & thermę ſpadanę, quę in Belgio habentur, videntur maximè accomodata.

Pharmaca verò determinata ſunt euacuantia, alterantia, & anodina. In genere B euacuantium primum occurrunt capitalia, Caputpurgia vocata, quæ herrina, & maſticatoria communiter vocantur, omnibus per ſe nota, vt minimè interim ſint recenſenda. Secundo occurrunt diſcutientia materiam impactam in articulo, in quorum ſerie laudo lauacrum factum cum thermis dictis, item & medicamenta ſalita, oleumq; ex cera citrina chymicè paratum.

In genere autem alterantium pro Capite Primum laudatur lotio tum ſicca facta cum furfuribus, ac ſale, tum humida cum lixiuio decoctionis betonicæ, ſtecadis, verbenæ, abſynthij, baccaræ, camomeli, roſarum, & Agarici, locoque ſaporis eodem agarico, vel oui vitello vti conueniet. Embroca etiam facta cum thermis commemoratis, vel cum decocto ſimplicium accomodatorum ſuper commiſſuram coronalem ſummoperè placet; Quinimmò & hora ſomni præſtabit offerre conſeruas capitales cum tantillo Mithridati, & ſi horum caliditas timeatur adijciatur tantillum ſacchari roſati. C

Pro ventriculi alteratione ex vſu videtur Aromaticum roſatum, itemque thermæ nuper dictæ.

Pro iecore autem ſuccus cicorij hepaticæ, & ſonchi tum intra, tum exterius vſurpatus plurimum valet.

In genere autem dolorem demulcientium ſunt hæc, decoctum videlicet raparum, Aqua ſtercoris bubuli ſtillatitia, decoctum Verbaſci, oleum rutæ Caprariæ, & quod ex radicibus, floribuſque Verbaſci in oleo commaceratis, & inſolatis paratur, horum enim vno, vel altero ſub forma fotus, vel illinitionis adhibito dolor valdæ mitigari conſueuit.

His omnibus adijciatur victus conueniens, qui erit, vt patiens nobiliſſimus omnes aeris iniurias abhorreat, veſcatur bonis cibis, facilis inquã coctionis, & nullius excrementi, & quantum fieri poteſt omnem repletionem, & cruditatem deuitet, quod vt D melius aſſequatur, ſemel in hebdomada ieiunabit, ac incoenatus cubitum ibit. Et ſi ab hoc malo præſeruari cupit, à potu vini abſtineat; quare ſibi parari curabit decoctum guaiaci, vel chinæ valdè dilutum ſaccharatum, aut mulſa anthoſata, cum floribus ſcilicet Anthos. De Ceruiſia autem ſtatuo, quod ſi poſſet parari non admodum emplaſtica, qualis eſt triticea, vel non admodum aperiens, qualis eſt hordeacea, procul dubio eſſe poſſet ex vſu; idcircò ſi excogitetur modus vitia iam dicta corrigendi, concedatur, ea tamen ratione, vt multis cum aromatibus non ſit confecta. Quòd ſi patiens à vino haud abſtinere voluerit, inſtante tempore doloris, ſi poſſet haberi vinum ſubrubrum, maximè accomodatum foret, Alijs verò temporibus vinum ſit album, tenue, & aquoſũ, quod magis proderit, ſi alteretur guaiaco, china, & floribus anthos. Dormiat moderatè patiens, non à meridie non ſtatim à cibo, & aluus illi ſeruetur lubrica vſu pilularum de aloe, ſuccotrina in ſucco roſarum macerata, vel pane ex tota

farina

E rarina cum sale, & passulis confecto, ac in prima mensa cõmanso, A venere tanquam à maxima huius mali occasione abstineat inter cætera quantum fieri poterit. Corpus moderatè, ac tempestiuè exerceatur, ambulationibus, equitationibus, & gestationibus Postremòque omnia animi accidentia molesta fugiantur. Atque hæc omnia in salutem perillustri, & nobilissimo Viro D. O. M. concedente cedant.

PRO IVVENE PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO GONORRHAEAM patiente.

CONSVLTATIO XXXIII.

F

QVOD perillustris, & nobilissimus iuuenis detineatur gonnorrhea, iam omnibus est perspectum, quæ nil aliud est quam inuoluntarius seminis exitus. Verum quoniam quandoque semen purum, quandoque mixtum cum aliis humoribus excernitur, in casu nostro mixtum cum bile semen exire, color flauus exeuntis indicat, sed an huic fluori coniuncta sit aliqua malities venerea meritio dubitari potest, & pro vtraque parte rationes non desunt. Primum quidem pro parte affirmatiua est ratio desumpta ex commercio, quod habuit cum pluribus fœminis suspectis, pro parte verò negatiua est ratio desumpta ex consequentibus hunc fluorẽ, solent enim alia symptomata, vbi est adiuncta malities Venerea, fluorem subsequi, quorum nullum obseruatur in iuuene nobilissimo. Ex quibus vtraque pars sustineri G posse videtur.

Verum quamquam symptomata alia non appareant, dicerem hoc euenire posse, quia malum est in principio, & vtinã non superueniant, nam vt verum fatear ego quasi certus sum de infectione, & eo magis quia noui patientem vltimo rem habuisse cum muliere lue illa Venerea obruta, & infecta.

Iam igitur causæ huius fluoris sunt adinueniendæ, qui fluor quoniam est symptoma Secundarium necessariò in aliquam actionem læsam refertur, hæc autem nulla alia esse potest, nisi retensio vasorum seminalium, quæ cum possint lædi, vel per se, vel ex accidenti, per se quidem vitiatis vasis seminarijs, ex accidenti verò irritata facultate expultrice ob seminis acredinem, quam accedere puto ex dicta bilis cum semine admixtione, atque forsan à lue illa Venerea sanguinem, & semen inficientibus.

Sed vtrum seminaliũ valorum dilatatio aliqua coniugantur, iure quæreret aliquis, H cui ego responderem, in huiusmodi vitio ferè semper aliquam vasorum dilatationem coniungi, vix enim fieri potest, vt fluor prædictus aliquot diebus perduret, nisi aliqua vasorum relaxatio, ac apertio suboriantur.

Quare ex dictis patet ad medicum attinere seminis acredinem remouere per euacuantia, & attemperantia, atque etiam materiam prædictam retrahere, & si aliqua adsit qualitas venefica, eandem proprij alexi pharmacis domare; Amplius oportebit vasa nimis dilatata constringere, maximèque viribus prospicere.

Quæ omnia ardua erunt, ac difficilia, quoniam affectus est satis progressus, & suspicio non leuis occurrit Venereæ infectionis, vt ex hac immineat etiam defluuium capilorum. Danda tamen erit opera, vt quamprimum affectui præsenti, & huic imminenti, & alijs quamplurimum hunc subsequi solitis occurratur.

Ideo lenita aluo venam cubiti secare, & si opus fuerit cucurbitulas natibus cum scarificatione adhibere opportebit.

De pharmacis ita decerno, vt quam citò leniatur aluus cum Diasebesten lenitiuo, vel Diacasia cum manna, deindè præparentur humores decocto Endiuiæ, sonchi, acetosæ, plantaginis, & coriandrorum præparatorum cum syrupis accommodatis, postea deturbentur, cum Rhabarbaro, cum diapruno lenitiuo, & ab hac purgatione vterer ego sero calybeato cum succo acetosæ, vel thermis frigidis, post quarum vsum saccharum rosatum antiquum cum puluere coralli rubri, seminum cannabis, coriandrorum præparatorum, plantaginis, & similium propinarem. Sed præter hæc si suspicio luis venereæ præsens erit, nil præstantius decocto salsæ, & chinæ esse poterit.

Exterius autem conuenit vnguentum Comitissæ, infrigidans Galeni Rhenibus adhibitum.

Quibus tandem addendus est victus accommodatus, qui erit, vt patiens degat in aere temperato, vescatur ptisana, lacte, seminum melonis, & Cannabis, carnibus optimis in aqua calybeata decoctis, ouis, piscibus petrosis, oleribus refrigerantibus, & vtatur Vino paucifero, vel aqua diluto, quod magis expediet, si sandalis, salsa, itemque china medicabitur, somnus sit longior vigilia, Aluus proprium officium exerceat adiuta, si opus fuerit, clysteribus emollientibus, ac refrigerantibus, demumque animi, & corporis quies imperetur, in quibus omnibus ad maiorem efficaciam à D.O.M. auxilium implorandum est.

PRO PERILLVSTRI FOEMINA ABORTVM PATIENTE.

CONSVLTATIO XXXIV.

NVLLVS vnquam inter casus, qui Medico Curandi offeruntur, maiori studio, ac diligentia indiguit, ipso Abortu, tum quia hic immediatè facit contra perfectionem vniuersi, propter speciei destructionem, tum quia eiusdem tractatio ardua satis, atque difficilis propter nobiles, ac altiores, quas retinet contemplationes, existit, Vt iure casus perillustris fœminæ propositus paulò diligentius pertractari debeat.

Nobilissima itaque hæc mulier ætatis annorum 38. temperamenti sanguinei, ter abortiuit, primis duabus vicibus circa quartum mensem, nunc verò circa 48. diem. A quo sanè abortu, vt præseruetur, causas eundem efficere solitas diligentissimè perquirere oportet. Quare cum Abortus sit actio facultatis retentricis Vteri diminuta (non enim ablata, quia in hac nullus fieret conceptus, non deprauata, quia sub ea semper fœtus retentio, non expulsio supponitur, esse potest) ab aliquo morbo, atq; dispositione præternaturam, quæ vteri retentionem diminutè proprium munus obeuntem reddat, necessariò dependet; Quæ præternatnram dispositio, cum ad contentum, atq; continens referri possit, contentumque duplex existat, fœtus inquam, ac materia generationis itidem duplex sanguis, nempè menstruus, atque semen, Continensque sit vterus, puto nunc in vitium seminis, nec non in vteri vitium esse referendam; in vitium seminis, quia tenue nimis est, & subtile existens, est in causa, vt secundina laxa multum, ac infirma generetur, vndè non potest fœtum retinere, vt notant Auicenna, & Albertus, & proindè fit abortus, atque hoc colligo ego ex hoc abortu vltimo, qui primis diebus factus fuit, solet etenim hoc euenire, vbi semen est subtile, disrupta secundina, quasi in præsenti casu retentio vitiata sequatur ad solutam vnitatem.

E Sed & concurrit etiam vteri vitium, non quidem secundum solutam vnitatem, quoniam nec sanguis, nec sanies ab vtero prodeunt, neque secundum malam conformationem, quoniam potissimum inter morbos conformationis numerantur tumores, quorum nullum adest indicium. De angustia nil dico, quandò ego in ea sim sententia, vt non faciat ad abortum, quoniam vterus is à natura constitutus fuit, vt vsque ad tempus partus extendi suficienter possit & esto quod contra fœtum aliquid ageret, dicerem augmentum, & magnitudinem fœtus impedire, non tamen vitam, vnde sub ea parui fœtus gignuntur, qnod manifestè tradiderunt Aristoteles decima probl. 14. & Rasis 9. Continentis.

Et quamquam contrà videatur esse Hippocrates libro de superfœt, & sterilitate inquiens, si medijs mensibus fiat abortus pluribus vicibus, & eisdem mensibus, hoc fit, quia vterus non distenditur, & libro primo de morbis mulieribus, si vterus magnus, F vel paruus, fit abortus.

Respondeo ad primum, libros illos haud esse Hippocratis germanos, sed cuiusdam sui discipuli, cuius ego auctoritates ex ijsdem decerptas paruifacio.

Ad secundum verò Respondeo, angustum vterum facere ad abortum quia supponit vasa angusta, & paucum nutrimentum, vt quia in abdomine valde angusto locatur.

Redeo itaque ad vteri vitium, quod cum semine vitiato, vt dictum fuit ad hunc abhortum conccurrit, constituo tum intemperiem calidam, non tamen excedentem tum humidam, sed intensissimam cum præsentia ichorum sanguinis, & humoris crudi.

De calida intemperie ex salacitate, ex emissione cita, & facili seminis, ex colore florido nobilissime patientis, itemque copia sanguinis menstrui, citra ardorem, ac puncturam, ex habitu denique sanguineo totius corporis, ac alijs huiusmodi certior G fio.

De humidissima, præter continuum otium, esum fructuum, ac rerum humectantiũ, præter prægressum vteri fluorem, illud solum me certiorem reddit, quod muliebria semper madida sunt, ac tribus vicibus tantum concepit, & abortiuit, imminuta nimirum Actione retentricis vteri, quòd imminutio propter excessum humoris potissimũ acedit.

Ex quo colligere licet caliditatem illam (cum non sit excedens, nam ipsam humiditas retundit) non esse in causa abortus in patiente proposita, quando calor nulla alia ratione inducat abortum, nisi quatenus humorem, quo nutritur fœtus, absumit, talis autem est calor excedens.

Humida verò cum varijs modis faciat Abortum, nunc præcipuè qua infirmam retentricem reddit, quæ in sicco perficitur, facere existimo; Accedit quod sub hac in- H temperie ligamenta vteri non consolidescunt, humiditateque perfusa nonnumquam etiam fœtus suffocatur, acetabulis videlicet vteri mucore plenis præ pondere fœtus disruptis, de quibus scibit Hippocrates quinto Aph. 45.

Cœterum, materia hæc in vtero colligitur per congestionem, & defluxum à toto, quia vterus præter id quod est cloaca, in hac patiente adhuc imbecillus multum existit, vndè aliàs etiam vteri fluorem passa fuit, atque nunc dictam patitur intemperiem.

Quibus omnibus, tenuitati inquam seminis, intemperieri calidæ, & humidissimæ vteri, tamquam causis proximioribus abortus, remotæ sunt addendæ, ac inter has internæ primum, intemperies inquam ventriculi frigida, quæ multas cruditates gignit, necnon iecoris intemperies, quæ plures Ichores aggenerat, sunt recensendæ, ad quas etiam vomitus, quem statim in principio conceptus, patiens incurrit, est referendus.

Causæ

Causæ remotæ externæ secundo loco, sunt errata quam plurima in victu, in potu, A cibo, & alijs superius dictis, at in coitu præsertim, nam cum vir tardè semen eiaculet, ante ipsum mulier hæc ter emittit, vnde vterus non parum agitatur.

Scopi itaque omnes ad perseruationem diriguntur, quæ duplex est, altera ante, post conceptũ altera: Quæ ante conceptũ, requirit primũ præsidia medica materiam excrementitiam genitam euacuantia tum sensibiliter, tum insensibititer, siue hæc in toto, siue in vtero extierit. Secundo quæ & cohibeant huius materiæ generationem, ablato intemperamento vteri, iecoris, atque ventriculi, & hæc eadem viscera roborent, vel saltem Tertio hanc eandem ab vtero retrahant.

Præsidia verò, quæ post conceptum ab abortu præseruant, in ea tota consistunt, vt conceptus in vterò ad tempus vsque conueniens retineatur, & ob id sunt adstringentia.

Quos assequi scopos valdè operosum existimo, quoniamm inteperies vteri dicta, est B in habitu, & ob id multum materijs medicis reluctabitur, huic accedit, quod locus affectus ad recipiendum nimis est proprensus; Amplius in abortu maximè periclitantur mulieres, vti scribebat, Hippoc. de superfœt. & primo de morbis mulieribus imminẽt enim febres, deliria, & quamplura huius census, & eo magis periclitãtur, vbi sanguineæ fuerint, ex Aetio libro 16. cap. 19. Quoniam tamen humida intemperies facilè solet emendari, patiensque nostra bonæ est ætatis, ac minus periclitantur, quæ prouectioris ætatis secundum Aetium & quæ sunt humidæ secundum partes vteri, ac tandem quæ primis mensibus abortiunt, multum spei remanet medico curanti, & eò magis, quia nullum remedij genus adhuc tentatum fuit.

Ad materias ergo præsidiorum accedens primum ad Chirurgicam accedo, in qua ad euacuandum sensibiliter à toto, conueniens erit sectio venæ iecorariæ dictæ cubiti destri, per modum verò deriuationis ab vtero, detractio sanguinis vena secta sub poplite, & in malle olis, erit opportuna, & postulante vsu apertio venarum ani per hyrudines, necnon cucurbitulæ inguinibus, & coxis affixæ cnm scarificatione, non improbantur. C

Ad retrahendum autem chirurgica præsidia præter sectionem venæ in brachio sunt cucurbitulæ humeribus, ac sub mammis apositæ, quinto Aph. 50. frictiones item partium superiorum, ligaturæ, & Cauteria in brachijs, quæ si in cruribus fiant, pariter conferent, quoniam ab vtero deriuabunt.

Medicamenta, quæ pręseruationem ante conceptum attendunt, sunt euacuantia sensibiliter, & insensibiliter, atque alterantia. Quæ sensibiliter euacuant præparantia succos, tenues, ac serosos necnon aliqua ratione pituitosos præsupponunt, quare prius lenita aluo cum casia, & hyera, vel melle rosato solutiuo, præparandi sunt humores decocto Endiuiæ, cicorij artemisiæ, melissæ, betonicæ, & melle ros, Zuccarino, D quos tandem sic præparatos infuso Rhabarbari, & agarici cum manna, vel pilulis de hiera, cum Agarico addita portione cochiarum purgare, ac sensibiliter educere oportebit.

Quæ insensibiliter euacuant sunt intrinseca, & extrinseca, inter priora primum occurrit Decoctum chinæ, salsæ, & guaiaci cum cicoraceis, & sandalis castigatum. Secundo theriaca antiqua cum conserua cicoracea, decoctum viperarum in aqua cicorij, & Artemisiæ paratum, trocisciq; viperini cum saccharo rosato assumpti sese offerunt.

Inter posteriora, extrinseca inquam, insessus in vino nigro stiptico, decoctionis prasij, hysopi, camomeli, artemisiæ, balaustiorum, nucum cupressi, gallarum, malicorij, & huiusmodi aliorum cum alumine, & nitro sunt opportuni, qui pariter ex aqua Porrectana vteri, sicuti & Brandulensi fieri, pararique poterunt; Suffitus etiam ex lapide pirite ignito asperso vino prędicto, vel aceto prodesse solẽt, quemadmodũ & pessaria

E ex coto, linteamine obducto in formam sacculi parui redacto, in vinoque prædicto, vel thermis commemoratis madefacto, seu potius illito cum medicamento, & nucibus cupressi, sandalis albis, ac tantillo colocyntidis, vel hellebori albi, cum succo mercurialis, ac bursæ pastoris excepto mirificè iuuabunt.

Alterantia demum si ventriculum respiciant, Aqua Porrectanea noua mastiche, cyhonia tum cum pipere albo tuso, tandemque si opus erit stillicidium stomaticum opportunum, erunt accommodata.

Si iecur, serum destillatum, & calybeatum omnibus est præferendum.

Si vterum, aquæ Villensis, & Brandulensis tum assumptæ, tum per modum insessus administratæ proderunt.

A quibus ad medicamenta, quæ præseruationem abortus post conceptum respiciunt, descendendum erit, quæ tum interna, tum externa propono.

F Priora sunt diamargaritum frigidum, mastiche, ossa dactylorum, sericum puluerata, puluis ex coccio infectorio, rasura eboris, margaritis corallis rubris, ex quib. cum saccharo dissoluto in vino cidoniorum rotulæ fieri possunt; sunt & trocisci de spodio, de terra sigillata, conserua ex cornijs, ex rosis, sorbis cum puluere margaritarum.

Posteriora sunt linimenta, ex Vnguento Comitissæ, Vnguento de Corticibus castanearum, Montagnanæ, vel ex oleo rosato omphacino, cydoniorum, myrtino, & aceto cum pulueribus coaguli leporini, vel hoedi, cornu capræ, rasuraque Eboris, sed & Ceratum infrascriptum mihi pluries expertum vteri regioni admotum, & ad octauum vsque mensem gestatum propono.

R. autem mastiches electæ onc. j.
Laudani drag. 6.
G *bistortæ drag. 5.*
nucum cupressi
Hypocistidis
sanguinis Draconis
rosarum rubearum
sandalorum rub.
corallorum rub.
mentæ siccæ
coriandrorum præp.
galliæ muscatæ
terræ sigillatæ } *an. drag. ij.*
olei oliuarum
ceræ citrinæ
therebintinæ claræ
Picis
M. & fiat ceratum } *an. q. s.*

Sed & quæ à proprietate abortum prohibent, non sunt negligenda, quarè intus pulueris cancrorum fluuiatilium, Coagulum leporinum, lapis Atites, siue aquilinus pulueratus, & ex vino nigro austero datus non improbatur. Extrinsecus autem suffumigationem ex pilis ceruinis vstis, ac lapides Sardonius, Actites iam dictus, & Smaragdus alligati super carne in collo, vel brachio conferre dicuntur.

Inter

Inter cœtera verò, victus ratio sit huiusmodi, vt nobilissima mulier in aere temperato, in actiuis, in passiuis autem sicco, viuat, fugiatque aeris Austrini præsertim iniurias, quæ ex tertio Aph. faciunt sæpius abortire, vestes moderatè comprimentes induat, quiescat animo, & corpore, Aluum secedentem habeat, à frequenti coitu, quantum potest abstineat, quem tempore potissimum gestationis vteri omninò prætermittere debet, nisi in postremis mensibus. Cibum facilis coctionis nullius excrementi, & flatus, sed siccantem sibi seligat, vende carnes assæ erunt accomodatæ, sicuti & far, ac millium sæpius assumpta, Vinum pauciferum bibat, & subausterum; Dormiat minus, quàm euigilet, sic namque spero fore Dei auxilio, vt Nobilissima fœmina ab abortu in posterum præseruetur.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILI VIRO BALTHASSARE Maserio Forolïuiensi, Melancholia Hypochondriaca Ptyelismoque laborante.

CONSVLTATIO XXXV.

IN tanta malorum syndrome, de quibus Nobilis, ac Illustris Vir conqueritur, quod præcipuum, & veluti occasio aliorum existit, est Melancholia, vt ex timore ac mœstitia, quibus affligitur, coligere planè licet, Hypochondriaca, seu flatulenta vocata, & symptomata ad imum ventrem obseruata, nempè ventriculi dolor, nausea, rugitus, & murmura in Abdomine, flatuũ copia supernè, ac infernè, excretorũ tandemque stipticitas Alui sufficienter attestantur, quibus addo ego querelarum varietatem insignem, ita vt semper aliquid, de quo conqueratur, ipsi superesse videatur; item ferè perennẽ cupiditatẽ remediorũ, quasi quæ vsurpata sunt iã, & nunc vsurpantur nil sibi conferre possint, adhuc & somnia turbata, facilem ploratum, tandẽq; quasi iugem ptyalismum, quem ex Galeni præscripto secundo Proret. Com. 12. non tantũ vitio ventriculi, sed etiam cerebri, vti in casu nostro occasione destillationis à capite satis vnicuiq; conspicuè, fieri pro certò est habendum. Verum hoc præsertim est attendendum, hanc nimirum eandem melancholiam non initiatam, & progressam tantum, sed etiam consummatam, ac absolutã existere, vt suadent marcor totius, præcipuè verò abdominis nimis insolitus, necnon pulsatio ad tactum percepta circà ventriculi fundum.

Profectò huius vitij generatio facilè reperietur, si ob oculos proponatur Galenicum illud oraculum, omnem scilicet actionem lædi necessariò, vel læsa facultate, vel ob errorem externum; Cum itaque in illustri & nobili viro lædatur imaginatricis facultatis actio, altero illorum modorum lædi necessarium erit, sed quoniam non ab intemperie respectu mali, de quo nunc agitur, lædi potest proposita facultas, non à calida quidem, quoniam fieret delirium maniacum, non à frigida, quoniam actio potius iminueretur, & auferretur, sicuti nec à morbo in mala compositione, quia in hoc affectu Cerebrum, ex Galeno afficitur, vt similare, necessariò sequitur, vt actio dicta ob errorem externum lædatur.

Nec obstat, quod intemperies frigida cum materia possit actionem deprauare, quoniam euacuata materia, delirium melancholichum cessaret, & si remaneret adhuc itẽperies, fatuitatem potius efficeret. Accedit, quod imaginationes variæ, & propemodum

E dum infinitæ, ac veluti non permanentes in melancholicis fiunt, vt apud Medicos omnes receptum, quod nen contingeret, si fieret melancholia hypochondriaca ab intemperie, quæ permanet, & non ita facilè cedit.

Error igitur externus, vt res ipsa absoluatur, nil aliud est, quam phantasma tenebricosum oblatum imaginatrici facultati, quod instar tenebrarum externarum animæ rationali pauorem, ac mestitiam incutit; Producitur autem huiusmodi Phantasmata à spiritibus animalibus pariter tenebricosis, qui cum tales esse possint vel in propria essentia, vel ob admixtionem materiæ atræ, potius tales ex materia, quam ex propria essentia constituantur oportet, quando in Nobili patiente non obseruentur insignes causæ, quæ spiritus tenebricosos omninò generare solent; Materia verò quæ spiritibus admiscetur, non est minor, quonim hic notæ melancholiæ per essentiam, & per consensum à toto non deprehenduntur, ergo necessariò est vapor eleuatus ab hypo-F chondrijs, vbi totius mali fomes ex varijs symptomatibus, vt dictum fuit, reperitur, qui quidem vapor eleuatur vi caloris natiui vltra naturæ leges adaucti, & imminuti, in veutriculo, hinc meritò illius phlogosis in hypochondrijs concitata, sanguis, & alimentum veluti comburitur, ex quo vapores atri, ac tetri excitantur, in Cor, & cerebrum feruntur, subindeque symptomata melancholica inferunt; Meritò verò huius caloris inquam imminuti ventriculi alimenta in flatus, & excrementa ferè pro maiori parte conuertuntur, quæ pariter non tantum partibus supernis, verum etiam infernis communicata, syndromem malorom à principio propositam fouent, & augent.

Quid autem causæ fuerit, vt ibidem auctus, hic verò imminutus fuerit calor, breuiter oportet explicare. Cum ergo calor, vt omnibus philosophis & medicis est perspectum pluribus modis augeatur, præcipuè vero medijs obstructionibus, quod etiam G fornacibus succensis contingit, cum Galeno obstructiones Hipochondriorum calorem natiuum ibidem ad excessum perduxisse statuerem, quas quidem obstructiones pendere ex crasitie, & lentore humornm ex habitu subpituitoso Illustris viri ab excrementis etiam crassis, & viscidis per aluum, & per vomitum excretis facilè est intelligere, quos humores propriam habere puto generationem in iecore sanguinem, per feruorem partes tenues absumendo, crassefaciente, in ventriculo diminutè coquente, plurimaque excrementa cruda generante, tandemque in capite destillationis ferè à primordio ortus in nobili patiente valdè feraci à quo forsitam non immeritò primariam occasionem, originemque huius mali ortum habuisse suspicari licet, quoniam statim in prima sui ætatæ varia, ac diuersa symptomata circa caput patiens passus fuit, & nunc etiam patiatur, nam cum varium lac à varijs ijsdemque malè habitis nutricibus (vt idemmet refert) acceperit, facilè factum fuit, vt totum corpus, H alioqui in vtero matris satis languidum, & debilè genitum, ægrotabile, & proindè caput, quod facilè ab omnibus aeris iniurijs alteratur, sibi nactus fuerit, vt propterea statim ex quacumque occasione in dolorem Capitis, eiusdem grauedinem, rudimentum vertiginis, ac tonsillarum tumescentiam incidat, quæ, distillationis salsæ soboles existere solet.

Destillatio igitur hæc pro maiori parte salsa ob vapores calidos à iecore eleuatos, vel ob aliquam Capitis excalefactionem genita secundum aliquam sui portionem, sicuti ad gladulas illas delapsa potuit easdem tumefacere, ita etiam per regionem illis circumsitam potuit ad ventriculum descendens coctionem illius in dies magis, ac magis peruertere, vt excrementis crudis in eo genitis, diuque detentis, coagentibus etiam cogitationibus, & animi angore, ob vitam occasione status morbosi continuam ærumnosam habitam, assidua iecoris calidioris in ventriculum hora coctionis difflatione, ac tandem varijs erratis externis Ventriculus facilè refrigerari potuerit, nam

de iecoris

de iecoris feruore haud est hæsitandum, quando Volæ manum, ac pedum patienti sæpius ardeant. A

Calor verò demum est imminutus, non tantum ob occursum intemperieri frigidæ modo dicto, in ventriculo concitatæ, verum etiam ob ipsius strangulationem factam à prohibito transpiratu, ab obstructionibus inducto, itemque ob defectum humidi productum à feruore partium circumsitarum humidum, quo sustentatur calor, ob sui feruorem absumentium.

Quibus hunc in modum sese habentibus, non est difficilè omnia alia mala in propriam causam reducere. Nam destillatio illa aliàs capitis vitio, nunc sine dubio, & à vaporibus, sursum elatis fouetur, ita vt sicuti quondam Cerebrum fuit ventriculi, ac aliarum partium infernarum ruinæ occasionis initium, ita & nunc hæc vicissim caput malè tractent. Pariter & flatus in ventriculo geniti eiusdem dolores distendendo, abdominis murmura discurrendo, itemque suspendendo fœces, ac per viscera in Abdomine distributa, in flatusque resoluta, compressionem ad arteriam magnam facientia pulsum illum, per totum verò maciem pariunt, sicuti & ad gulam sursum expulsa ptyelismum, qui etiam à Cerebro fouetur, vt dictum superius fuit. B

Atque ex his facilè est cognoscere, prædicta omnia melancholiæ Hypochondriacæ consummatæ attestari, quæ quamquam (sicuti & quælibet alia) maximè in ætate consistentiæ fiat secundum Galenum, nihilominus hunc vt plurimum loquutum fuisse, & proindè etiam in qualibet ætate, & sic in adolescentia quoque ob varia errata externa, quæ in hac perpetrari solent, fieri posse credo.

Vtcumque tamen sit, Curatio hæc instituatur necessum est, Vt videlicet caput exiccetur, ventriculus citra exiccationem calefiat, iecur refrigeretur, ac tãdem cordi prospiciatur, prius tamen tollenda est cacochimia pituitosa, & melancholica, obstructionesque suis præsidijs aperiendæ. C

Cuius curationis intentum consequi mea sententia, non est possibile, quia præter id quòd mala census iam dicti propria natura sunt contumacia, hoc maximè, quoniam absolutum, consumatum, contumacissimum existit; Accedit & illud D. senis dictum, Desipientes inquam cum risu, securiores esse, vt cum desipientia nostra sit potius cum fletu coniuncta videatur minus tuta. Sed & miseri etiam deplorati ex Quinto Sereno non sunt de serendi, & summa quidem cum ratione, quoniam sæpius fit, vt vita illorum saltem prorogetur, à maioribus malis præcaueatur, & præsentia imminuantur.

Methodus ideò curatiua per indicationes iam habitus sic erit proprijs auxiliorum materijs perficienda. Et quantum attinet, ad Chirurgicam venæ podicis per hyrudines, quemadmodum mox etiam apertæ fuerunt, aperiantur, eo semper constituto, vt sanguis crassus, ac fœculentus prodeat, & si aliquando res eò progrederetur, vt necessitas aliqua mittendi sanguinem per sectam venam occurreret, dummodo vires languidiores, & caloris natiui diminutio non prohiberent, ex talo præcipuè mittendum esse existimarem, fonticuli ad aliquot vsque menses in brachio sinistro, & in vtroque fęmore sunt conseruandi, occasione postmodum maciei, qui in fęmore sinistro claudi, sanarique poterit, & si vnquam destillatio à capite postulabit, fonticulum in vertice capitis inustus ad euacuationem materiæ, quæ in capite generatur, & ad Vaporosæ, quæ à partibus infernis eleuatur, dissipationem maximè opportunus videbitur. D

Quantum verò ad pharmaca attinet, postquam hoc tempore aluus linita est syrupo de pollypodio, ac melle ros. soluentibus, humores sunt præparati decocto boraginis, lupulorum, betonicæ, cicorij, agrimonij, coriandrorum præparatorum cum syrupis appropriatis, deturbatique fuerunt infuso agarici, hellebori nigri, adiecto syrupo de polypodio magist. & postquam ad tollendas obstructiones Hypochondriorum calybem præparatum ex conserua boraginis, cum tãtillo pulueris cariophylorum assumere

E incępit, & certè cnm aliquo fructu, Arbitror conducturum fore, si in vsu illius prosequatur ad mensem, & paulo plus, ita vt singulis sex diebus hellebori nigri præparati, Rhabarbari puluerati an. scrup.j. addatur. A quo medicamento decem diebus continuis serum Caprinum depuratum cum succo cicorij, & boraginis, deindè verò alijs decem diebus lac Caprile cum puluere sacchari, ac tantillo specierum aromatici rosati sine mosco, & ambra (propter hypochondria murmurantia) de more potabit, quo tempore & lauacrum aquæ dulcis tepidæ in Vespera etiam, atq; etiam laudo, sicuti & cordis inunctionem ex oleo iasmino, vel florũ citri ex gallia muscata, nõ improbo.

Posthæc etiam capitis est habenda ratio, idcircò facta eiusdem euacuatione per herrina medicamenta, embroca super eodem ex aqua thermali Aquariana maximè accommodata videbitur, aut saltem loco embrocæ lotio facta cum lixiuio ex cinere sarmentorum parato decoctionis betonicæ, baccaræ, camomeli, rosarum, myrtillorum, F sandalorum, & cariophyllorum substituatur, vel saltem puluis ex cariophylis, & sandalis Capiti inspergatur, at quæ hora somni Conserua betonicæ cum saccharo rosato ad deuorandum dabitur; A quibus omnibus, si mala proposita non imminuantur, & mitescant, etiam, atque etiam hortor, Illustrem Patientem, vt Autumno sequenti ius assumat columbi Turrialis, vel galli vnius anni, cum china, ligno sassafras, sandalo albo, agrimonio, capillo veneris, scolopendrio, betonica, radice filicis maris, radice apij, asparagorum, coriandrisque præparatis, & passulis medicatum, ad plures dies in mane, atque Vespera stillicidium factum ex oleo amygdalino dulci, decoctionis polij Montani, mirrhæ, laudani, bezoini, mastiches, nucis muscatæ, macis, & cariophyllorum cum vino Cretico in duplici vase super ventriculum suscipiat, deindè alijs temporibus, si statutis quibusdam interuallis syrupo de polypodio magistrali, vel puluere hellebori nigri præparati, ter, aut quater, succo rosarum irrorati, & in vmbra siccati G ex ouo, aut cydoniato ex pulpa cydoniorum in vino decoctionis polypodij, & Epitimi decocta parato, & puluere mechiocani addito, aut vino ex sena medicato, aut (sub aere potissimum calido) epitimo in sero Caprino infuso vtatur, maximum sibi iuuamentum comparabit, & eo magis, si postea saccharum boraginatum, & buglossatum cum margaritis, smaragdo, lapide Bezar, & seminibus melissæ per aliquot dies assumat, loco cuius tempore frigidiori Confectio ex hyacinto, vel Alchermes, aut etiam theriaca mediæ ætatis serena ab Andromaco, & Auicenna vocata, maximè probatur. Quinimmò, (vt quantum fieri potest præseruetur) expediens erit Vere, & Autumno singulo quoque anno medicationem aliquam per lenientia, pręparantia, & purgantia superius dicta subire.

Victus is existat, vt inclementia quælibet aeris aufugiatur, vt patiens bonis ouis, & carnibus, piscibusque saxatilibus, ac in aquis claris degentibus, item pane benè fer-H mentato, ac ex optima farina confecto vescatur, vtatur etiam aliquando boragine, buglossa, melissa, cicorio, atque cibarijs immisceat puluerem coctilem ex pane biscocto, coriandris, tantillo cariophyllorum, & croci, ac saccharo, omnemque cruditatem euitet, modestè ideo comedat, ac interdum ferè incœnatus cubitum eat, & post omnem cibum saccharum ros. vel cydoniatum assumat; Vinum album pauciferum, aut saltem aqua extinctionis auri dilutum, tenue, non dulce, non austerum potet, quod tempore vindemiarum China, sandalis, coriandris, & radicibus bugtossi alterari poterit, aluus mollis seruetur, conserua ex rosis cum manna conditis, vel prunis in prima mensa commansis, Manna pariter in infusione senæ dissoluta conditis; Dormiat capite nec humili, nec eleuato, retractis cruribus, & primum in latus dextrum, deindè sinistrum, Corpus moderatè exerceat, ac tempestiuè, omniaq; animi accidentia, potissimum molesta, vt pestem abhorreat. Et vtinam hæc à me ex intimo cordis proposita tamquam proficua optatum patienti illustri, & nobili finem assequantur.

PRO

A

PRO QVODAM NOBILI IVVENE MINGENTE sanguinem.

CONSVLTATIO XXXVI.

SANGVIS per Vrinæ vias excretus quandoque à renibus, quandoque ab vreteribus, à vesica quandoque prodire solet, In casu autem nobilis mihi propositi iuuenis sanguinem à renibus emanare, illud vnum sufficiat testimonium, sanguis copiosus, non ab vreteribus, non à vesica, sed à renibus fluere cõsueuit.

B

Interim ergo breuiter est habendus sermo de renum hæmorargia, quæ ad symptomata in genere excretorum, à toto genere præternaturam reducitur, quod malum contingit potissimum, vbi retentio læditur ob aliquem morbum, qui cum triplex esse possit, Diapedesis, seu resudatio sanguinis ob venarum rarefactionem, Anastomosis, seu apertio osculorum venarum, Diaurosis, seu soluta vnitas, tum per ruptionem, tum per Erosionem, Ruptio in casu nostro locum habebit, tum quia præcessit causa rumpens, Equitatio inquam fortis, tum quia sanguis copiosus, ac subitò exit.

Ideò Medici partes erunt sanguinis motum compescere, vas disruptum agglutinare, adhibitis prius sarcotitis, Impedimẽta tamen occurrentia remouère primum oportebit, quæ potissimum in bilem cum sanguine mixtam euacuandam, necnon sanguinis grumos attenuandos, & detergendos referuntur.

C

Quas intentiones explere vix medicus poterit, non solum quia vas disruptum, tamquam spermaticum non admittit generationem, sed etiam quia locus affectus continuò ab vrina detergitur danda tamen est opera, vt quantum fieri potest; Egregio Iuueni succurratur.

Idcircò cogitans ego de materijs medicis dico, non semel, ad maiorem scilicet retractionem, secandam esse cubiti dextri venam, & partes supernas continuò fricandas ligandas & lauandas, quibus in locis etiam cucurbitulas siccas appositas probo.

Quoad medicamenta respectu bilis cum sanguine mixtæ laudo, vt quamprimum detur Diacatolicon cum Rhab. vel micleta; respectu verò grumi laudo coagulum leporis datum in posca.

Post quæ deueniendum ad intercipientia, & incrassantia, ideò in primis succum plantaginis propono, & decoctum equiseti per plures dies assumptum; Amplius lac ouinum cum bolo Armena, item aqua Brandulensis, vel aliqua alia huius census maximè aluminosa conuenientes erunt.

D

Exterius conuenit insessus factus cum decocto calybeato, plantaginis, portulacæ, equiseti, poligonij, bursæ pastoris, simphiti maioris, malicorij, & summachiorum, conuenit & vnguentum Comitissæ, & de Corticibus Castanearum. Tandem pro sarcotico probatur lac Caprile cum puluere sarcoccollæ, & masticheς. Pro agglutinanti probantur adstringentia superius proposita.

Quibus addendus est victus adstringens, quare Aeger in maxima, tum animi, tum corporis quiete detinendus, & nutriendus est farre, oriza, millio, panico, extremitatibus vituli, iuribus paratis in aqua calybeata, pro potuque dandum est ei vinum granatorum cum eadem aqua reliquaque huic viuendi modo respondeant, necesse est, Deus autem ille sit, qui hanc sanguinis hæmorargiam primo sistat.

E

PRO QVODAM PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO VIRO VIGILIIS, Vlcusculis gingiuarum, coctione ventriculi tum deprauata, tum diminuta, Dolore, atque tensione ad eius fundum, & Hypochondrium sinistrum percepta laborante.

CONSVLTATIO XXXVII.

F AFFECTVS præternaturam, à quibus Perillustris, & Nobilissimus Vir solicitatur, sunt Vigiliæ ferè iuges, ac pertinaces, vlcuscula gingiuarum inferiorum secundum partem anteriorem, diminuta ventriculi, necnō, & eiusdem deprauata concoctio, cui aliquandò dolor adiungitur, item & tensio ad ventriculi fundum, ac ad vtrumque hypochondrium, præcipuè verò ad sinistrū percepta, ad hæc flatum insignes prouentus, ac postremò Arenularum aliquot vicibus colore flauo, alijs verò rubro existentium excretio, quos omnes affectus sensus iudicium, & relatio Nobilissimi patientis attestantur.

Solum autem de coctione vitiata illud notandum breuiter occurrit, quòd imminuta dici potest, quatenus perillustris patiens tardè admodum se concoquere refert; Dici verò potest deprauata, quatenus organum gustus qualitate acida affici narrat.

Vigilias igitur ex animi accidentibus, atq; ex euaporatione feruida ab hypochon-G drijs in caput dependere non dubito, sicuti & vlcuscula prædicta à materia ab radenti fieri haud hæreo, quæ materia à cerebro in gingiuas decumbit.

Nec obstat quod nobilissimus patiens salsedinem, aut etiam amarorem in sputis minimè percipiat, quoniam facilè fieri potest, vt excrementum crassum concoctionis cerebri in Viro nobilissimo caliditatis rudimentum aliquod ab euaporatione iam dicta acquirat, quæ postmodum caliditas ob putredinem in parte affecta contractam augetur, atque sic perbellè occasio datur illis vlcusculis.

Quantum verò attinet ad ventriculi coctionem diminutam, procul dubio dependet ab intemperie frigida, & humida, cum præsentia materiæ pituitosæ, quæ ortum duxit tum ex erroribus varijs externis, tum præcipuè ex iecoris, atque omnium hypochondriorum feruore humidum substantificum ventriculi absumente: quæ intemperies, vbi per aliquot interualla incrementum suscipit, est in causa, vt Cibus in accidam quali-H tatem commutetur, ac proinde coctio deprauetur. De flatibus autem statuo eos ex diminuto calore in materiam flatulentam agente pendere, ex quibus postea nimis interdum, quam deceret, ventriculus distenditur, & proindè dolor suboritur; Tensionis autem ventriculi, & hypochondriorum nullam aliam causam esse puto, quam eorundem contumaces obstructiones inductas non solum à materia pituitosa, ventriculo suppeditata, verum etiam à sanguine propter iecoris feruorem crassefacto.

Postremo Arenularum generatio immediatè referenda est in calorem Renum, mediatè verò in iecoris æstum, tamquam in causam efficientem; referenda est etiam in materiam pituitosam in ventriculo genitam, & à feruidioribus renibus, & iecore attractam, tamquam in causam materialem.

Quibus ita constitutis, Medicus debebit euaporationem illam à Cerebro ad partes infernas retrahere, vlcuscula illa agglutinare, amotis prius impedimentis per detergentia, siccantia, ac distillationem à cerebro retrahentia. Pariter debebit Ventriculum

lum calefacere, & exiccare, materiam excrementitiam tum humorosam, tum flatulentam euacuare, obstructiones attenuantibus, ac detergentibus aperire, tandemque renes, & iecur, attemperare. A

Quæ omnia apud me pro maiori parte non sunt impossibilia, sed nec forsan difficilia, quoniam affectus hi non sunt in habitu, & vires eosdem vel facilè tolerant, patiensque prudens, ac obediens tractandus occurrit, Quamprimum tamen puto succurrendum esse, ne ob insignem causarum actiuitatem grauiora mala suboriantur.

Quarè ad materias chirurgicas descendens puto curationem hanc auspicandam esse à venæ sectione iecorariæ, quàm postmodum si venarum podicis apertio per hyrudines subsequatur non erit non proficuum. De fonticulis ita decerno, vt quã primum fœmur sinistrum secundum partem domesticam inuratur, de moreque exitetur cauterium, & vbi destillatio illa à capite non poterit medicamentis aboleri, ego tunc omnibus perferrem setaceum in ceruice paratum. B

Quantum ad pharmaca, lenita aluo cum Casia, & speciebus Hieræ, præparatis humoribus cum decocto betonicæ, boraginis, cicorij, capillorum Veneris, & Citrach, ijsdemque deturbatis infuso Agarici, & senæ cum manna, deuenirem ad Chinæ decoctum cum deobstruentibus, atque ventriculum moderatè calefacientibus paratum; A cuius vsu pro obstructionibus omninò reserandis nil præstantius excogitari posse arbitror calybe exhibito ex conserua boraginis cum speciebus aromatici rosati, in quem vsum, atque ad compescendum maximè feruorem hypochondriorum facit succus cicorij depuratus, & cum sero Caprino ex præcepto Dioscoridis præparato datus. Et dum similibus medicamentis nobilissimus patiens insistet, necessarium erit, vt quibusdam constitutis interuallis vtatur aliquo purganti placido, sicuti est infusum factum ex myrobolanis chebulis, polypodio, Cartamo, & Epitimo, quo pariter tempore licebit per herrina caput expurgare, ac hypochondria fouere decocto, vel oleo aliquo deobstruente. C

Ad vlcuscula gingiuarum valet ablutio facta primum cum aqua Tettucciana, deindè cum aqua Lucensi, in qua alumen, & malicorium fuerint decocta, huc pertinet liquor stillaticius ex Vino granatorum, in quo macerata sint plumbum vstum, alumen, borax mineralis, malicorium, granata integra non matura, ac Vlmi vesiculæ.

Demum ad corrigendas intemperies accedendum, atque gratia capitis laudo ablutionem tum siccam factam cum furfuribus, & floribus camomeli, & rosarum calefactis, tum humidam paratam cum lixiuio dulci decoctionis camomeli, rosarum, & furfuris, locoque saponis vitello oui vti licebit, ac postulante vsu stillicidium eadem facultate donatum ex decocto aliquo, vel aqua thermali paratum, erit ex vsu; Conseruæ quoque Capitales, item & Mithri datica confectio cum saccharo rosato castigata hora somni post cœnam assumpta mihi summoperè arrident; sicuti & gratia ventriculi, stillicidium factum ex oleo amygdalino dulci in quo vna cum modico vini Cretici decocta sint simplicia stomatica calefacientia, necnon aquæ Tettuccianæ per quattuor, vel quinque dies bibitæ, quæ quamquam potius ad ventriculi detersionem faciunt, mirificè tamen valent ad ipsum calefaciendum. D

De thermis frigidis gratia iecoris, & renum decerno, vt omninò à Lucensibus tamquam ventriculo satis infensis nobilissimus vir abstineat, ac loco illarum vtatur Porrectanis veteribus. Hic pertinet & Balneum aquæ dulcis de more administratum.

Quibus postmodum omnibus addendus est victus accommodatus, quapropter omnem aeris inclementiam patiens aufugere debet, atque cibi facilis coctionis, boni succi, ac nullius excrementi illi sint in vsu necesse est, cui quoq; maximè cõducturum puto, si aliquando incœnatus cubitum eat; bibat vinum mediocris naturæ, quod maximè proderit, si china alteretur, vinum etiam masticinum in hisce casibus plurimum

conducere

E conducere solet. Aluus in proprio officio seruetur cum pane ex tota farina, sale, anisis, & passulis parato in prima mensa commanso, itemque cum prunis dulcibus, cum infuso senæ, & Cartami, & manna præparatis ante cibum deuoratis. Et pro somno conciliando laudo, vt nobilissimus vir hora somni curet sibi ablui crura, & brachia cum aqua decoctionis simplicium soporiferorum, inunctio etiam partium internarum narium cum Philonio Romano facta ad idem conducit eadẽ hora adhibita; nec etiam displicet, vt aliquot amygdalæ dulces in ingressu lecti assumantur quibus non conferentibus ad recentiorem theriacam confugiendum; Corpus moderatè, & ieiuno ventriculo exerceatur, omniaque animi accidentia molesta, quantum fieri potest fugiantur. Quæ omnia à me excogitata præsidia, rogo Deum Opt. Max. vt perillustri, & nobilissimo viro salutaria existant.

F

PRO QVODAM EGREGIO VIRO hæmorrhoidali detento.

CONSVLTATIO XXXVIII.

PRAETER naturam affectus, qui mihi curandus interim offertur est de genere Symptomatum, quæ excreta mutata dicuntur, omnis etenim excretio sanguinolenta est Symptoma à toto genere, vt dicunt, præternaturam, illa vnica G excepta, quæ fit per vterum secundum naturæ leges in mulieribus, quamquam etiam & de hac, quæ fit per venas podicis idem aliquo modo affirmari liceat, vbi enim euacuatio per venas hæmorrhoidales modestè, ac citra virium languorem, & caloris mutationem fieri solet, plurimum iuuare consueuit, vt Galen. & Hippocrat. primum voluerit hanc euacuationem consuetam suppressam, homines ad tabem, ac hydropem perducere.

Ex quibus patet, quod cum hæmorrhoidarum duæ constituantur differentiæ cæcæ inquam, & apertæ, hæmorrhoidas, de quibus interim agitur, apertas esse, non autem cæcas, sensus ipse demonstrant; Rursus cum fluentium aliæ sint salubres, quia nempè à multis malis præseruant, aliæ verò insalubres, quia vim inferunt naturæ, ac totius calorem permutant, hæmorrhoides hasce insalubres esse, & morbidas satis constat, quoniam non tantum vires defatigarunt, sed etiam calorem totius permutarunt; acce- H dit, quod post sanguinem nigricantem rubicundus, & floridus emanat, qui in hæmorrhoidibus salubribus haud exire solet.

Causa immediata est læsa retentio vasorum ani, quæ meo iudicio nunc læditur ob apertionem osculorum eorundem; producitur autem huiusmodi apertio à sanguine ad loca illa cum impetu ruente, propter viæ assuefactionem, ad quod etiam conducit relaxatio à nimia humiditate producta.

Sed hic notare oportet, quod quamquam sanguis, qui per hæc vasa fluit, nigricans esse deberet, floridus tamen interdum existit, quoniam ita natura comparatum est, vt ad vasa hæc demandetur sanguis fœculentus, quo euacuato, successiuæ & floridum subsequi necesse est, & putarem ego nullam aliam reperiri conditionem in sanguine proposito patientis, merito cuius decumbat in partes illas, nam euacuatis vasis illis primum ab humore melancholico, ne detur vacuum sanguis etiam bonus illuc affluit, & eo magis vbi relaxatio in illis partibus adest.

Præstabit

Præſtabit igitur ad curationem ante omnia ſanguinem fluentem retrahere, ora venarum adſtringere, obſtructiones aperire, & calorem innatum fouere. A

Quibus intentionibus ſatisfacere, non erit ita facilè, quoniam affectus eſt ita progreſſus, vt cachexia, & Hydrops immineant, & quod auget difficultatem, eſt præſentia contrariarum indicationum, propter quas Medicus valdè diligens eſſe debet, ac ita ſe gerere ſecundum Hippocratem, vt ſi non iuuat, ſaltem ne noceat.

De materijs itaque Chirurgicis ego ſtatuo, vt omiſſa ſanguinis miſſione, ſupernæ partes continuò foueantur, diligentur, ac ventoſentur, cauteriaque in vtroque brachio inurantur.

De pharmacis Conſtituo, vt lenita aluo cum ſyrupo de polypodio, & manna; præparatis humoribus craſſis cum decocto betonicæ, boraginis, bugloſſi, & abſynthij, additis ſyrupis accomodatis, itemque ijs ipſis deturbatis infuſo agarici, & ſenæ, adiecto puluere Rhab. (ad robur) deueniatur ad vſum trociſcorum de abſynthio, à quibus illico vnum, vel alterum hauſtum vini medicati cum eodem abſythio, atque maſtiche aſſumere oportet, ſed, & trociſcos de eupatorio, de Rhabarbaro adiecto item maſtiche ſummoperè laudo; præfero tamen omnibus, hoc in caſu electuarium ciphoides, Tripheram minorem ex Arte Phœnonis, vel pilulas de Bdelio, ita vt alternatim Cyphoide, alternatim Triphera patiens vtatur. B

Sed quod numquam me fefellit, eſt medicamentum ex calybe, & ſaccharo roſato antiquo cum puluere abſynthij pontici factum; Theriaca etiam mediæ ætatis celebratur.

Exterius pro adſtringendis vaſis illis præ cæteris probo inſeſſum ex aqua aluminoſa paratum, vel ex aceto, in quo ſcoria ferri præparata fuerit ebullita, cuius cauſa Noto intus probari electuarium de ſcoria ferri ſecundum deſcriptionem Rhaſis.

Victus is exiſtat, vt nimirum patiens moretur in aere temperato in actiuis, in paſſiuis verò admodum ſicco, comedat oua, carnes bonas coctas in aqua calybeata, vel attrata, vtatur cicorio, boragine, fiſticis, pineis, bibatque vinum ſubrubrum medicatum cum abſynthio, vel extinctionis auri, vel calybis, ac tandem (vt vno verbo omnia complecta) ita ſe gerat in reliquis, vt mediocritatem ſeruet. Et vtinam his, ac alijs præſidiorum materijs ab Excell. curante ſecundum occaſionem excogitandis liberetur. C

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO VIRO GHIRAGRA, ET Podagra detento.

D

CONSVLTATIO XXXIX.

PERILLVSTREM, & Nobiliſſimum virum ſolicitari Symptomate ad actionem facultatis tactricis omnium ferè Articulationum attinente, quod communiter Arthritis dicitur, atque in huius ſerie potiſſimum vexari ab eodem circa manus, & pedes, vt merito Chiragra, & Podagra laboret, ita de ſe patet, vt Medico curanti nullus labor circa cognitionem Ideæ affectuum, de quibus vir nobiliſſimus conqueritur, impendeat, laborandum tamen illi eſt circa modum generationis eorum.

Idcircò quoniam dolor quilibet eſt triſtis quidam ſenſus, ergo neceſſariò dependet ab obiecto organo tactus haud conuenienti, tale autem eſſe poteſt ſenſibile, tum commune, tum proprium, nempè ſoluta vnitas, ac intemperies inæqualis.

Intem-

E Intemperiem autem & frigidam, & calidam in casu nostro locum habere non est difficile cognitu, cognito prius perillust. patientis temperamento pituitoso cum subdominio bilis, cui pariter ætas iuuentutis, quæ plurimum calori fauet, est adiungada, sicuti & febris, quæ semper prædictis doloribus adiungitur, atque calori præhabito attestatur, ita vt in partibus laborantibus excitetur intemperies mixtæ naturæ cum præsentia pituitæ, vna cum bile.

Cœterum ibidem humores hosce, & per congestionem, & per fluxionem colligi non dubito, per fluxionem quidem cum à toto, tum à capite, quam ex eo potissimum deduco, quod vehementes admodum dolores, ac acerbi obseruantur, qui à sola congestione (seclusa fluxione) excitari non solent. Verum tamen, & congestionem ex imbecillitate omnium articulationum deprehendo, imbecillitas autem hæc ex dispositione hæreditaria huius nobilissimi viri ad hoc vitij genus à primo semine contracta F suadetur.

De soluta verò vnitate id sentio, quod nimirum ex compressione partium sentientium articulationibus adiacentium pendeat, sed præter compressionem, quæ fit à copia materiæ cauitatem articulorum replente, & ligamenta eorundem in tumorem eleuante, existimo adhuc ex præsentia materiæ calidæ morsum aliquem inferri.

Vèrum vbi propriam, & localem habeant generationem succi peccantes, mihi, vt intelligatur, difficile non videtur, quandò pituitam in nobilissimo patiente, & in capite, & in ventriculo frigidioribus generari tanquam perspectum ex superius dictis aliquo modo haberi possit. Pari ratione bilem in iecore iusto calidiori multiplicari nemo esset, qui ductus ex eisdem, denegaret, Quæ omnia sese tenent ex parte efficaciæ causæ agentis dolorum propositorum.

Adiungitur modò passi habilitas superius tacta, nempè natiuus articulorum lan-G guor, merito cuius vitia hæc ab omnibus Medicinæ scriptoribus inter hæreditaria numerantur.

Quibus ita constitutis ad Medicum attinebit, articulos roborare, & exiccare, amota prius fluxione, materia impacta discussa, & dolore lenito; fluxio autem amouebitur, si ratione propriæ originis alterentur viscera in contrarium, quæ scilicet succos peccantes gignunt, interim tamen succus iam genitus erit euacuandus, & scopos hosce minimè obtinere poterit Medicus, oportebit omni studio fluxionem hanc ab articulis retrahere.

Sed scopis omnibus prædictis occurrere apud me est negocium impossibile, quando vitia hæc natiua nunquam sanentur, & eo magis, si corpus patiens sit malè habitum, quale per illustris nostri patientis apparet, danda tamen est opera, vt quantum fieri potest præseruetur; quod spero ratione ætatis, & ratione prudentiæ ægri, atque H dexteritatis Medici curantis hæc enim omnia plurimum Medico in hisce casibus ad præseruationem polliceri solent, ad materias ideo præsidiorum deueniendum.

Et quantum ad Chirurgicas attinet sectio venæ cubiti singulo Vere, saltem ad iecoris euentationem repetita mihi probatur; Cauteria quoque in brachijs, & cruribus inusta maximi vsus censentur: Quinimmò ob mali peruicaciam setaceum in ceruice omnibus alijs ad præseruandum ab hoc affectu meo iudicio est præferendum.

De pharmaceuticis materijs ita statuo, vt Vere, & Autumno, potissimum autem Vere instituatur medicatio vniuersalis huiusmodi, quod videlicet aluus leniatur manna, & melle rosl. soluente, humores præparentur decocto betonicæ, endiuiæ, ciorij, cum syrupis appropriatis, eo præsertim adiecto, qui fit ex rosis siccis; Ac humores denique sic præparati deturbentur pilulis de tribus cum Rhab. quæ (mea sententia) quibusdã interuallis erunt repetendæ, sic enim materia ad articulos fluens magis auertetur, in quem vsum facit etiam vinum medicatum cum myrobolanis chebulis, & Citrinis,

trinis, hermodactilis, atque Cartamo. Et si aliquando fortioribus opus erit, ad pilulas de hermodactylis, & cochias adscendere licebit. Vomitoria quoque maximi vsus existimantur, dummodo patiens à natura ad euomendum sit facilis. A

Verum tamen & euacuantia insensibiliter interea non improbantur quocirca, decoctum guaiaci cum salsa, vel China de more bibitum maximè arridet, sicuti & potus thermarum sulphurearum, salsuginarum, & aluminosarum. Sed præter hæc medicamenta, veluti communia occurrunt, & priuata euacuantia, alterantia, & anodina.

In genere priorum conueniunt caput purgia, quæ herrina, & masticatoria dicũtur, omnibus nota; Occurrunt etiam & in genere euacuantiũ discutientia materiam impactam, idcircò therebintina cum puluere iuæ arthriticæ ad plures dies deuorata non improbatur, quemadmodum trocisci de viperis, aut sal theriacale cum conserua betonicæ data, non displicent.

Exterius verò laudo lauacrum factum cum thermis iam dictis, laudo & oleum tum salis, tum ceræ citrinæ chymicè paratum. B

Ad alterationem verò capitis lotio tum sicca facta cum furfuribus, & sale, tum humida parata cum lixiuio decoctionis betonicæ, stecadis, verbenæ, absynthij, baccarę, camomeli, rosarum, & agarici conueniunt, locoque saponis agarico, vel oui vitello, vti expediet; Embrocam quoque paratam ex thermis dictis, vel ex decocto simplicium dictorum, adiectis sulphure, sale, & alumine, ad suturam coronalem factam, tanquam efficacissimam propono, horaque somni conseruas capitales cum Mithridatica confectione, & saccharo rosaceo offerendas propono.

Ad ventriculi autem alterationem intra conuenit aromaticum rosatum, vel cariophylatum, conueniunt item thermæ prædictæ. Exterius verò præter vulgaria quibuscunque cognita, omnibus præfero stillicidium factum cum oleo, in quo cum vino Cretico decocta sint in duplici vase Aromata, atque simplicia stomatica. C

Postremò ad iecoris alterationem succus cicoraceorum extra, & intra vsurpatus est præstantissimus.

In genere autem mitigantium inter cœtera probo oleum rosaceum completum, cum vitello oui, & illud, quod ex Ranis fieri solet, Decoctum etiam Raparum, lac bouinum, oleumque rutæ caprariæ, horum enim vno, vel altero sub forma fotus; illinitionis, aut embrocæ adhibito dolor demulcire valdè consueuit.

Tandem his omnibus adijciendus est victus accommodatus, qui erit vt nobilissimus patiens omnem aeris inclementiam aufugiat, bonis cibis, facilis coctionis, & nullius excrementi vtatur, ac ab omni prorsus repletione abstineat, verum vt à cruditate potissima sui mali causa præseruetur, semel in hebdomada cœnam prætermittat; Vinum potet subrubrum guaiaco, vel china medicatum, quod maximè instante tempore dolorum conueniet, alijs etenim temporibus vinum album, tenue, & aquosum ad mouendas vrinas bibere poterit, quod magis etiam proderit, si modo prædicto alteretur; D Somnum moderatum faciat, non statim à cibo, nec in meridie, Aluum sibi mollem seruet pane ex tota farina cum sale, & passulis confecto, & in prima mensa commanso, vel pilulis de aloe succotrina. Venerem omninò fugiat. Corpus moderatè exerceat, ac tempestiuè, postremoque ab omnibus animi curis, & passionibus caueat. Quæ omnia proficua maximè erunt, vbi Deus illis præsto fuerit.

PRO

E

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO ALEXANDRO MVRANO
Mutinensi sanguinem per vrinam cum dolore excernente.

CONSVLTATIO XXXX.

CERTVM est affectum præter naturam qui perillustrem, ac nobilissimum virum per plures iam dies immaniter exercet, nullum alium esse, quam sanguinis per vrinas excretionem, quandoquidem hoc manifestissimum apparet in excretis, fit autem huiusmodi excretio, seu mictus sanguinis ob læsam retentricem venarum alicuius instrumenti vrinæ mictioni inseruientis; læditur verò facultas retentrix necessariò ob morbum vel in mala compositione, vel in soluta vnitate; Cæterum mala compositio vel est Diapedesis, vel Anastomasis, aut soluta vnitas vel est Rexis, vel Diaurosis.

F

Primo igitur quod in nobilissimo patiente mictio sanguinis non sit per diapedesim, manifestum est ex his, quod nimirum sanguis exiens non est substantia tenuis, atque serotus, loturæ carnis haud similis existit, non exit absque dolore, neque est prorsus immunis à concretione.

Secundò, quod neque per Anastomasim fiat ex eo potissimum colligo, quod licet sanguis secundum substantiam, & colorem sit naturalis, confertim tamen, ac sine dolore non exit, neque adhuc multus copia fluit.

G

Amplius neque ex Dieresi ea, quæ per Rexim fit, sanguinem exire est vt aliquis existimet, quando nec vlcus, neque ruptionem, seu contusionem aliquam nobilissimũ patientem passum fuisse, manifestum fuerit,

Reliquiunm igitur est tum à sufficienti partium enumeratione, tum verò ex sanie continuò emanante, ut per Diaurosim huiusmodi sanguinem exire firmiter concludam; si quidem Gal. in comm. 75. Aphor. 4. sectionis inquit, si abrasio fiat in uena, sequitur sanguinis excretio, si uerò abradatur caro sanies exit.

Verum quia instrumenta excretioni urinæ destinata sunt renes, uasa uretera, uesica, & Penis, uidendum modò est quodnam ex his instrumentum afficiatur.

Ac primo quidem abrasionem hanc, & vlcus non esse in renibus id ostendit, quòd tunc sanguis esset admodum à sero dilutus, plurimumque cum eodem permixtus, amplius nigricaret; Pari ratione neque in vreteris, nam præter id quod iam dicta signa, licet magis remissa apparerent, quantitas etiam sanguinis esset admodum pauca sed neque pariter in vesica affectum prædictum reperiri ex eo mihi persuadeo, quia etiam si ex ea vlcerata, saniosus mingatur sanguis, & non benè permixtus, sensim tamen defluit, & est exiguus, at ex aduerso in præsenti casu interdum aliquo modo copiosus, atque confertim exiuit.

H

Remanent igitur, vt Penis tantum afficiatur, cuius rei illud primum existit argumentum, quod sanguis est syncerus, est impermixtus, atque admodum floridus, interdum verò post, interdum ante mictionem, quinimmò & sine vrina excernitur, dicebat autem Galenus loco citato, si vlcera in Pene consistant, etiam sine vrina, pus, & sanguinem excerni, & Diuinus Hippocrates octauo Ahporismo quartę item sectionis scribebat: Quicumque sanguinem, & pus, aut grumos excernunt, dolor autem in imo ventre, Pectine, & Perineo; loca circa vesicam laborant. Gal. in Cõmẽtario declarat

non

non solum vesicam, sed & partes eidem annexas sub ea dictione Hippocratem comprehendere; Vt ob hæc nullo modo sit dubitandum, quin in Penis meatu, abrasio, atque vlcus factum fuerit; atque hoc illud etiam clarissimè attestatur, quod ex immissione candelæ cereæ dolorem ad radicem virgæ persentit nobilissimus patiens. A

At verò quoniam abrasio tum ex lapide asperiori, atque acuto, tum ab humore calido, atque acri fieri potest, non à lapide abrasionem hanc pendere existimo, nulla etenim primo adsunt signa calculi vesicæ, & nulla vnquam crassi, ac pituitosi humoris, potissimum verò furfurei præcessit excretio; secundo frequentius in pueris, raro admodum in viris calculus in vesica generatur. Vlterius si concretus esset ibidem lapis, vel paruus, vel magnus existeret. si paruus, inter minguendum vesicæ meatum occludendo vrinam interciperet, quem adhuc syringa detergeret, tum per appulsum rei duræ, tum per eductionem vrinæ, quæ tamen eadem immissa non contingunt. Si verò magnus, præter id, quod grauando, stillicidium induceret, amplius nobilissimus patiens non leuem equitando dolorem, & in vesica continuò non leue pondus persentiret. B

Nec obstat, quod ipse narret pondus aliquod in pube ante, & post mictionem vrinę persentire; præterea neque quòd sentiat pruritum in Pene, aut etiam in excernendo vrinam egerendi fæces etiam desiderium habeat; Quando quidem ex mordicatione, quam patitur in mictione facultatem sese admodum contrahere, partesque constringendo sensum ponderis cuiusdam inferre puto, quod etiam ex materia crassa, ac viscida in vesica quiescente pendere potest, cum enim vrina sit admodum crassa vbi in vesica retinetur, residendo aliquot sui partes crassiores derelinquit, quæ grauando non solum ponderis possunt sensum inferre, sed & calculum quoque, nisi citò sucurratur prucreare; Praritum verò ex vrina ob acrimoniam mordente fieri, non est difficilè intelligere; Inter minguendum autem desiderium illud egerendi fœces contingit, quoniam musculus ille sphinter recti intestini, & musculus colli vesice sunt sibi contigui, vt propterea vno agente, necesse sit alterum quoque consentire. C

Restat ergo solum, vt ex calido, atque mordaci humore per vrinas delato abrasio, & vlcus factum fuerit, hoc autem certo suadent excrementa ipsa, vrina namque biliosa admodum, atque acris redditur, qualis etiam antea per plures dies reddita fuit.

Porrò causæ generantes huiusmodi humores calidos, huiusmodi abrasionem inferentes æxternæ inquam ad motum corporis immoderatum; præsertim verò ad equitationes vehementiori cursu in itineribus sæpisimè factas, præterea & ad congressus bellicos corpore vndique Armis cooperto sub diebus Aestiuis, & Canicularibus referantur oportet: uternæ verò in temperamentum calidum, ætatem iuuentutis referuntur. Quibus & vina meraca, copiosioraque ebibita connumerari debent, quæ omnia partim exurendo sanguinem, partim in visceribus, potissimum in iecore alioquin per se calido, calidam intemperiem inducendo, copiosioris bilis prouentus occasiones extiterunt, quæ postmodum bilis cum pituita permixta à natura irritata, tum à copia, tum à qualitate mediante expultrice venarum, ac gibba hepatis parte robucta, ad instrumeuta vrinæ, tanquam ad loca ob equitationem debiliora reddita, demandata, vbi in vesicam delapsa fuit ob acrimoniam, & copiam mordendo, & irritando partes dolorē prius, tractu verò temporis abrasionē iam dictam, & vlcus induxit. D

Quare Medici partes erunt vlcus agglutinare, quod assequi non poterit, nisi sibi remouerit impedimenta, quæ vel sunt propria, vel communia, propria excrementū duplex crassum, ac tenue, meritò igitur illius detergere oportebit, merito huius exiccare; impedimenta communia sunt dolor, materia genita, & gignenda, genita vel fluit, vel est fluxa; Quapropter ratione doloris lenire, rōne materiæ genitæ fluentis retrahere,

T ratione

E ratione fluxæ vias vrinarias mundificare, denique ratione materiæ gignendæ, viscera per alterantia in contrarium alterare necesse erit.

Quæ opera vt absoluantur, arbitror non futurum impossibilè, quoniam verò partes spermaticæ sunt deperditæ, quæ non regenerantur, & facultas regitiua ob dolorem non bene se habet, quinimmò & lapidis, & carunculæ generatio impendet, negocium erit arduum, atque perdifficilè.

Omni itaque studio, atque diligentia, debitis, & accommodatis præsidiorum materijs erit agendum. Quare circa fontem chirurgicum laudo sectionem venæ basilicæ dextri brachij, sicuti & hyrudines ano admotas suo loco, si opus erit non improbo, cauterium etiam in brachio dextro vsu postulante iniustum arridet, lauationes etiam cum aqua caliente brachijs, & cruribus factas, quemadmodum frictiones, ligationes, huiusmodi maximè probo.

F Medicamenta sunt euacuantia, & alterantia. In genere priorum occurrunt lenientia, & purgantia. Pro lenienti propono Diasebesten lenitiuum cum pulpa tamarindorum, item syrupum rosatum, vel violatum sol. cum manna, & decoctione tamarindorum. Pro purganti conuenit Diacatholicum, cui admisceantur Agaricus, & Rhabarbarum hoc modo paratum, Accipitur sufficiens quantitas Agarici, & Rhabarbari, & ligatur in petia, deinde infunditur per noctem in aqua plantaginis, manè facta leui expressione infusio abijcitur, & fæces vsui conueniunt, cum syrupo rosato solutiuo, & decoctione myrobalanorum citrinorum, & chebulorum. Quinimmò mihi summoperè arrideret, vt statutis, certisque diebus decoctum ex myrobalanis factum in sero caprino patiens assumeret.

Alterantia medicamenta respiciunt vel materiam, vel viscera, inter priora laudo decoctum absque syrupis factum ex cicoraceis, altea, boragine, atque betonica. Inter posteriora pro alterandis visceribus vsus primum Aquæ Porrectanæ veteris, vel Villensis, deinde verò Brandulensis est præstantissimus; serum item caprinum depuratum cum puluere mille folij, ac boli Armenæ non damno, sicuti neque lac asininum meo indicio prætermittendum erit.

G

Extra gratia iecoris perfusio ex decocto cicoraceorum, & aceto cum speciebus cerati sandalini Hypochondrio dextero adhibita summoperè proderit, vti pro renibus stillicidium ex aquis solani, rosarum, & aceto, necnon ex aqua Villensi. Gratia verò totius nihil præstantius balneo aquæ dulcis reperiri posse existimo.

Interea quæ partem ipsam affectam respiciunt, sunt primo detergentia, secundo implentia, tertio agglutinantia, quæ vel assumuntur, vel injciuntur.

Assumenda detergentia duo potissimum laudo, primum therebintinam in aqua violarum lotam cum puluere equiseti, vel ophioglossi exhibitam, secundo syrupum ex decoctione ireos, sem. maiorum frigidorum, & liquiritiæ adiecto saccharo, & succo limonum.

H

Injicienda, quæ pariter detergunt primo lac asinum, deinde serum caprinum decoctionis hordei cum cortice magnoperè laudo.

Pro implendo autem vlcere serum calybeatũ, decoctionis boli Armenę, mastichis & sarcocollæ opportunum fore iudico, Ac postremò pro agglutinatione aquam Brandulenseinfusionis specierũ, vnguenti ex tutia, vel tutię preparatę, cerusæ ablutę, ac litargirij omnibus præfero, sicut & vinum nigrum austerũ decoctionis malicorij.

Eo tamen constituto inter cętera, vt victus accomodatus ad vnguem instituatur, quare aer sit temperatus, deuitet patiens omnia acria, salsa, oleosa, & pinguia, bibatque vinum nigrum, subausterum, pauciferum, fugiat omninò venerem: Aluus singulis diebus natura, vel arte secedat, quiescat quantum maxime potest animo, & corpore, reliqua verò respondeant prout decet. Ac D. O. M. adesse sua ope non grauetur.

PRO

A

PRO REVERENDO ADMODVM CANONICO REGVLARI LATERAnensi Verruca in facie secundum partem sinistram affecto

CONSVLTATIO XLI.

QVEMADMODVM Verruca propriè in monte est pars eiusdem montis, editior, ita Verruca in corpore per similitudinem dicta extra cutim extuberans pars erit, ergo tumor; qualis est, qui in facie Reuerendi admodum Patris secundum partem sinistram è regione narium in gena reperitur, cœterum quoniam Verruca vel sessilis, vel pensilis esse solet, hæc sessilis, vt de se patet, & carnea existit.

B

Cuius causam immediatam bilis, & melancholiæ ichorem cum pituita mixtum esse constituo; Ichori bilioso, atque melancholicho attestatur inter cœtera pruritus, pituitæ verò crusta, quæ sæpius hæret; Bilis & melancholiæ ichores in iecore, pituita in capite generantur, quæ propter motum attractionis ab inducto dolore ob excoriationem cum vngue concitatum in partem affectam olim confluxerunt, nunc verò per motum transmissionis ob loci affecti imbecilitatem inductam confluunt.

Quare oportebit Verrucam auferre, fluxionemque cohibere, vel aliò conuersa materia, vel quod satius esset, cohibita illius generatione per alterationem iecoris potissimum ad frigidum, prius tamen habita totius prouidentia.

Sed aliquem interea sic objcientem audio, & primo natura est assueta ad hunc locum humores iam dictos transmittere, & proinde haud etiam impedienda; secundo humores isti loca forsan longè nobiliora adibunt, ac propterea maiori malo dabitur occasio, quam tamen in curatione morborum procul arcere tenetur Medicus, vbi præceptis Hippocatricis (vti consonum est) insistere voluerit.

C

Ad primum respondeo naturæ motum esse impediendum, quando ad locum non decentem humores noxios transmittit, quemadmodum in casu nostro occurrit, in quo partem, quæ afficitur, nulla ratione decenter affici vllus affirmabit, & eo magis, quoniam adhuc maius malum imminet, vlcus nimirum serpens Phagedenicum, & cachoete.

Ad secundum ex 14. Meth. 17. Dico, quod si totum diligenter fuerit expurgatum, si cauterium fuerit infixum, & demum si statutis quibusdam interuallis, aliquod dictos humores purgans pharmacum exhibeatur, omnis occasio, propter quam pars nobilior affici debeat, prorsus abibit, nam etsi portio aliqua dictorum humorum remanserit, hæc admodum exigua sit necesse est, & ea etiam, quæ à natura auxilio artis adiuta vel facilè consumitur.

D

Succurrendum itaque per scopos iam propositos Reuerendo admodum patri, quãquam cum difficultatẽ id fieri posse existimẽ, quoniam Verruca est quasi in habitu, nec est sine periculo vlcerum serpentium, vt dictum fuit, amplius & cancerosorũ, quæ potissimũ ætatem inclinantem (à qua non longè patiens noster distat) solent infestare.

Quamprimum ergo succurratur opportet, debitis præsidiorum materijs, inter quas ordo aliquis erit apprime necessarius, nam cum disponentes, curantes, & præseruantes esse debeant, primum à disponentibus, tanquam ijs, quæ curationem tum faciliorem, tum securiorem reddunt medicatio erit auspicanda, deinde ad curantes Medico curanti descendendum erit, à quibus demum ad præseruantes accedendum.

Inter chirurgicas igitur, quæ disponunt, est meo iudicio præsertim venæ sectio in brachio oppositi, vel etiam eiusdem lateris; quę verò curantes esse debent Vstio

E necessariò sit oportet, eaque facta aureo, & accomodato instrumento, Vstio quidem est necessaria, quoniam deligatio in Verruca, quæ pensilis, haud existit, locum habere minimè potest, sicuti neque incisio, quoniam hanc hæmorargia, ac partis imbecillitas nouæ fluxionis occasio subsequi solent, vt ex his Vstio proposita omni iure conueniat Demum præseruantes materiæ chirurgicæ in vni cum cauterium ceruicis, vel brachij saltem sinistri referuntur.

Pharmaceuticæ materiæ disponentes sint lenientia primum, manna inquam, & syrupus de polypodio solutiuus; præparantia deinde ex decocto cicorij, boraginis, betonicæ cum syrupo rosato, de boragine, & succo betonicæ, purgantia tandem ex infuso agarici hellebori nigri, & Rhab. in decocto cordiali cum manna parato, immò sæpius syrupus de polypodio cum manna, pilulæ de tribus cum Rhab. & puluere senæ propter assumpta probantur.

F Curantes verò sunt medicamenta detergentia primum, vti succus scorpioidis, verbasci, tamarisci, & sabinæ, elaterium cum sale affricatum ex Paulo; exedentia secundo, sicuti sunt folia Ocymi cum Calcanto, & medicamentum ex viridi aere, sulphure viuo, & aqua stillaticia sarmentorum viridium, cinis Antimonij, Aqua ex Antimonio, & Mercurio; Aescarotica. Tertiò, sicut esset puluis ex fęce vini Vsta, causticum ex capitello, septica demum, inter quæ conuenit puluis arsenici sublimati cum tutia, Aqua item Arsenici. Quæ tamen omnia medicamenta frustra erunt proposita, si tunc temporis, quo conuenirent, operatio manualis (vt dictum fuit) locum habebit, quemadmodum nunc habet. Sed non propterea à pharmacis præseruantibus vlla ratione desistendum, quæ euacuantia, & alterantia necessariò esse debent, quocirca ad euacuandum sensibiliter pilulæ de tribus cum Rhab. adiecto puluere senæ præparatæ, syrupus de polypodio sol. cum manna per interualla assumenda, vt superius etiam

G tetigi, maximoperè valent, sicuti ad euacuandum insensibiliter Chinę radicum pentaphili, & sandali albi decoctum est præstantissimum.

Alterantia potissimum iecur Aqua Villensis, vel serum lactis cum succo hepaticæ, seu lac caprinum, itemque balneum aquæ dulcis opportuna videntur.

Victus autem respondeat, & D. O. M. ille sit, qui disponat, curet, & pręseruet.

PRO REVERENDO ADMODVM MONACHO AVGVSTINIANO
Dysenteria laborante.

H
CONSVLTATIO XLII.

IN Reuer. admodum Monacho affici intestina inferiora, non solum ex positu doloris infra vmbelicum agnosco, verum etiam & ex sanguine separato ab alijs excrementis excreto. Affici verò intestinum rectum, atque colon secundum extremitatem, qua recto continuatur, non est difficilè intelligere; si namque animum ipse converto ad inspectionem factam ab Excell. Chirurgo, necnon etiam ad experientiam factam ab ipsomet patiente, qui narrat per digitum imminissum in anum cum maxima sui molestia vlcus persentire, atque etiam digitum sanguinolentum extrahere, omninò cogor affirmare intestinum rectum affici, si autem respicio ad conformationem intestini coli in parte proposita, in qua fit veluti angulus quidam, qui facilè excrementa discurrentia recipere potest, atque etiam animaduerto dolorem paulò supra regionem intestini recti peruenire, non possum non affirmare intestinum

Colon

Colon in parte iam dicta coaffici. Sed quamquam locus affectus sit cognitus, idea tamen, & species morbi apud me adeò difficilis est cognitu, vt opus interim sit maxima diligentia, Dicam ego quid sentiam paulò altius petito exordio. A

Certum est, quemcumque per anum fluxum sanguinolentum (excepto illo qui ab hæmorrhoidibus pendet, de quo interea sermo non est) ab Hippoc. & Galen. vocari Dysenteriam, cuius quattuor species constituuntur. Prima vocatur Hepatica, in qua materia similis loturæ carnis animalium nuper mactatorum excernitur. Secunda est periodica, sub qua sanguis viuidus, & floridus, copiosusque secundum periodos quosdam redditur. Tertia est, in qua sanguis nigricans, & splendens euacuatur, occasione febris alicuius exurentis. Quarta, & postrema est, in qua sanguis exit impurus cum torminibus tamen imi ventris, & hæc Dysenteria verè, & propriè nuncupatur, quam puto in casu nostro locum habere, excernitur enim per anum sanguis cum maximis cruciatibus. B

Verum tamen aliqua obstare videntur, nam sub hac Dysenteria sanguis ita nigricans (quẽadmodum in Reuerendo admodum Monacho contingit) excerni non solet, amplius in dysenteria septem mensium vix fieri vnquam potuit, quin in excretis si non carunculæ, saltem ramenta intestinorum aliqua apparuerint, quæ tamen nunquã vllus in excretis patientis nostri potuit obseruare. Accedit & illud, quod in dysenterijs, quę ad menses durant, sordescere vlcus consueuit, & valdè purulentum euadere, quæ in casu nostro non contingunt, vix. n. aliquid puris vnquam (vt referunt) visum fuit, vt propterea ex his, aut affectus propositus minimè dysentericus constituendus existat, aut si dysentericus, profectò necesse sit, vt aliquid coniunctum habeat, quod faciat ipsum à caracterismo dysenteriæ vulgatæ quoquo pacto deuiare, sicuti ego existimo. Puto etenim vlcus cancerosum adiungi, & puto etiam præter vlcus adesse tumorem.

Quòd quidem adsit vlcus ab omnibus conceditur, quoniam dysenteria vera, de qua agitur, vlcere desinitur, quòd verò cancerosum, præter ætatem inclinantem, temperamentum melancholicum, & prauum, atque cacochymum corporis habitum, dolor insignis, excrementum nigricans, atque portiones quædam carneæ, spongiosæ (vt audio) excretæ suadent, quibus accedit mali contumacia, propter quam multa hucusq; præsidia sine fructu tentata fuere, sed quod me magis, ac magis in hanc sententiam adducit est euidentia ipsa. Cum etenim annis superioribus nobilem quendam Lucensem eadem prorsus Symptomata patientem curandum præ manibus haberem, factum est vt nunquam ex aliquo præsidio Medico iuuamentum aliquod sibi comparare potuerit, tandemque obijt, & dissecto cadauere in loco superius commemorato vlcus cancerosum cum insigni tumore fuit adinuentum, vt propter hanc etiam euidentiam in patiente nostro vlcus prædictum reperiri ad credendum adducar; cui tumorem adiungi adhuc pondus ibidem perceptum non obscurè declarat. C

Quibus ita constitutis, iam de generatione agendum occurrit. Dysenteria itaque vt omnes norunt est excretio sanguinolenta, quæ necessariò in retentionem læsam intestinorum tanquam in propriam causam refertur, quæ retentio læditur, non ob morbum in mala compositione, sed ob solutam vnitatem, Diaurosim, seu erosionem vocatam, hæc enim est illa, quæ potissimum sibi dolorem adiungit, qui in casu nostro insignis admodum obseruatur, & quoniam vlcus, vt dictum fuit, redolet naturam carcinomatis, idcircò erosionem per quam illud fit ab atra bile feruidiori pendere statuendum est; Ad hæc quoniam atra bilis ex Galen. à bile flaua, & succo melancholico exustis, agente iecore feruidiori generatur, puto in patiente nostro à succo melancholico ortum duxisse, nam patiens est temperamenti melancholici, & morbus in hoc Autumno est exacerbatus. Nec obstat, quod incepit affectus æstate præcedenti, quoniam tempestas illa solum causam exurentem præstitit, calorem nimirum D

E scilicet, non autem materiam, succum melancholichum inquam, qui modo iam dicto genitus, in partem nunc affectam olim tanquam imbecillam transmissus fuit, nunc autem ob dolorem continuò quoque attrahitur.

Quapropter Medici erunt, habita totius prouidentia cum his, quę atrum humorem respiciunt, ad detersionem deuenire cum his, quæ citra morsum detergunt, ac exiccando absumunt quidquid excrementitium, & superfluum superest, partemque deniq; sanare, atque roborare, at præsertim ne denuo humor melancholicus generetur per alterationem iecoris ad frigidum prohibere, aliàs aliò erit auertendus.

Sed quoniam cum maximo recessu à statu naturali patiens laborat eo genere morbi, qui sui contumacia, & peruicacia Medicis præsidijs quam maximè reluctatur (vt propterea huiusmodi affectus pro irremediabilibus ab omnibus habeantur, apud me erit impossibilè fines illos propositos attingere, & eo magis, quoniam Diuinus Hip-F pocrates hac data occasione dicere solebat, difficultatem intestinorum ab atra bile lethalem esse; quibus omnibus accedit prauus totius patientis habitus, accedit & anni tempus Autumnale, quæ solent esse morborum consimilium causæ maximè feraces. Quoniam tamen ex Areteo desperatis etiam non est deneganda medicina, tum consolationis, & productionis vitæ gratia, tum quia Deus & natura solent ab imminenti morte quandoque vindicare, idcircò de materijs Medicis in gratiam nostri Reuerendi admodum Monachi aliquid proponendum.

Quantum igitur attinet ad chirurgica, quoniam iecur incensum valdè obseruatur, putarem ideò aliquam venæ sectionem in cubito dextro euentatiuam tamen, illi posse plurimum conducere; fonticulum etiam duplicem, vnum in brachio sinistro, & alium in crure dextro summoperè laudarem, sicuti & iuges partium superiorum frictiones, deligationes, & lotiones non improbarem.

G Medicamenta alia respiciunt fluxionem, alia verò terminum ad quem ipsius fluxionis. Quocirca primum occurrunt medicamenta, quæ copiam, & qualitatem materiæ fluentis respiciunt, vel eiusdem originem. Priora itaque sunt lenientia, præparantia, & purgantia. In genere lenientium conuenit, quod paratur ex syrupo de polypodio Magistri Augustini, & syr. rof. sol.

In genere autem pręparantium decoctum boraginis, buglossi, fumariæ, cicorij, plantaginis cum syrupis appropiatis, tandem in genere purgantium maximè arridet syrupus de polypodio prædictus, cum Rhab. & decocto myrobalanorum Indorum, citrinorum, & chebulorum. A qua purgatione cogitandum erit de alijs medicamentis euacuantibus tum sensibiliter, vti per vias vrinæ, tum insensibiliter per poros cutis.

Per vias vrinæ euacuant thermæ frigidæ, quæ etiam plurimum ad acris materiæ H temperationem faciunt, huc pertinet serum destillatum; In genere autem euacuantium insensibiliter, est decoctum chinæ, sed medicamentum, quod partim, per vias vrinæ, partim insensibiliter euacuabit, erit ius gallinæ antiquæ cum china, capillo ven. citrach. agrimonio, seminibus melonum, boragine, buglosso, radice liquiritiæ, ac verbasco paratum.

Medicamenta verò, quæ originem materiæ morbificæ respiciunt, sunt alterantia iecur, ideò pręter aquas medicatas frigidas, & serum cum succo cicorij dicta lac asinę opportunum existimo.

Exterius laudo balneum aquæ dulcis, laudo & perfusionem iecoris factam cum succo cicorij, hepaticæ, & speciebus cerati sandalini.

Pharmaca, quæ respiciunt locum affectum, vel respiciunt vlcus, vel dolorem, quæ vlcus, leuiter, & citra morsũ detergentia sint oporret, idcircò inter alia ppono iniectionē factam ex decocto hordei, parato in aliqua aqua Thermali frigida cum syrupo

de rosis

de rosis siccis, aut melle rosato simplici, A qua ad siccantia deueniendum, in quorum serie seligo medicamentum factum ex succo plantaginis, solani, sempreuiui, tutia preparata, cerusa abluta, plumboque vsto, & loto, quod medicamentum in sero calybeato dissolutum in anum inijci poterit.

Pro dolore sedando conuenit Antidotus magna per se, vel cum saccharo rosaceo exhibita, laudo & iniectionem factam ex lacte asinino, quibus addenda sunt, quę à proprietate agunt, idcircò omne genus coaguli arridet, item & iecur Arietis exiccatum, pulueratumque necnon decoctum foliorum populi albæ laudantur.

Victus autem sit temperatus, ideò omnis aeris inclementia est fugienda, cibus boni succi, & facilis coctionis offerri debet, vti sunt oua, aues paruæ montanæ, carnes pulli, hædi, vituli lactantis, veruecis, & huiusmodi. Et quoniam visciditate aliqua cibus hic debet esse donatus, hinc carnes prædictæ in aqua calybeata coctæ cum extremis animalium dictorum ex vsu erunt vtiliori: Potus sit vini rubri, & subadstringentis aqua calybeata diluti, atque tandem reliqua secundum proportionem respondeant; faxit autem Deus, vt demum Reuerendus admodum Monachus his, & alijs præsidiorum materijs Medicis consimilibus bene se habeat.

PRO EGREGIO VIRO BONONIENSE ALEXANDRO DIELAITO dolore ad Mammam dextram cum pulsatione orthopnæa, atque tumore pulmonum laborante.

CONSVLTATIO XLIII.

DIFFICILIS adeò est casus egregij viri propositus, ex parte præsertim doloris illius, quo detinetur ad mammam dextram cum pulsatione, vt vix certi aliquid apud me de eo constitui possit, enitendum propterea est, atque ita agendum, vt meta, quantum fieri potest, attingatur.

Exorsus igitur ab illo dolore, statuo quoniam est aliquo modo punctorius, & ob id vehemens non attinere ad pulmones, qui insignem dolorem non patiuntur, propter exiguum, quem habent sensum. Relinquitur ergò, vt ad partes pulmonibus supposítas referatur, ad pleuram. s. & musculos; ad musculos non quidem externos, sed internos, aliàs decubitum facilem super latus affectum patiens non haberet, vt ex his, quantum spectat ad dolorem, locus affectus sint musculi interni thoracis, quantum autem ad pulsationem, certum est affici Arterias non quidem sparsas per partes thoracis, & pectoris, quoniam hæ cum sint exiles, non possent tam magnum motum efficere, necessariò igitur concludendum, Arterias istas pulsantes esse illas pulmonum secundum partem dextram, hæ si quidem, quoniam sunt grandiores, motum etiam manifestum facere possunt. Verum ex parte difficilis spirationis, qua miserè laborat æger, pulmones ipsos affici secundum bronchia, & asperas Arterias ab omnibus est, vt concedatur, quæ quidem difficilis spiratio duplex constitui potest, Astma inquam, & orthopnæa, illud quoniam inter respirandum sonus, ac stertor adsunt, hæc verò quoniam vir egregius non potest spirare, nisi secundum ceruicem recta situatus.

Restat modo, vt principia generationis horum vitiorum perquiram. Dolor ideò prædictus quòd fiat, quemadmodum & quilibet alius, ab intemperie, scilicet, & à soluta vnitate, haud est ambigendum: sed quæ nam sit hæc itemperies, & an aliquid aliud morbi genus sit coniunctum, difficultatem habet.

E De intemperie statuo, hanc ipsam à prædominio frigidam esse com præsentia materiæ pituitosæ & melancholicæ, & hoc mihi plura suadent. Primum vita ante acta horum duorum humorum valdè ferax, tempus deinde autumnale, ac ætas inclinans, quibus accedit & illud, quod si materia à prædominio calida esset, cum iam agatur septimus mensis, ex quo vir egregius hoc morbo laborat, necessarium esset, putredine in ea parte concitata, iam subortam fuisse febrem, & aliqua alia grauiora Symptomata superuenisse, quæ cum non successerint, patet id verum esse, quod ego constitui, in cuius confirmationem facit & illud, quod intemperies hæc (vt infra declarabo) à materia de capite descendente concitata fuit, quæ etiam pulmonibus communicata difficultatem efficit spirandi; materia hæc est insipida, crassa, & lenta, ideò intemperiem propositam ab hac sine dubio inductam esse frigidam à prædominio non est quod aliquis dubitet.

F Nec obstat, quod calor in ea parte præsentiatur, quia occasione pulsationis Arteriarum sanguis, & spiritus illius caloris causæ in partem illam acurrunt.

De alio autem propositorum sic decernendum existimo, præter intemperiem adiungi tumorem de genere scirrorum, nam cum intemperies sit in separabilis à quolibet tumore, & constitutum sit intemperiem esse frigidam cum præsentia humoris pituitosi, & melancholici, iure colligendum tumorem esse frigidum, & scirrosum.

Quòd autem tumor adsit, sic mihi comprobare licet, patiens præter pondus maximam molestiam percipit, vbi decumbit in latus sanum, ergò necessariò tumor adest, Consequentia ab omnibus Medicis exemplo desumpto à pleuritide admittitur; Patet itaque in loco affecto, adesse tumorem scirrosum cum intemperie frigida.

Et si aliquis diceret, quod insignis etiam dolor in eadem parte persentitur; Respondeo dolorem hunc non in tumore, sed in partibus adiacentibus sentiri, tum quia G partes hæ intemperie laborant, vt dictum fuit, tum quia ipse ab eodem tumore continui solutionem patiuntur.

Quantum attinet ad pulsationem, puto ego Arterias illas nimis, quam par sit pulsare, quoniam plusquam conueniat, comprimuntur. Sed quomodo, & in quanam parte fiat hæc compressio, non est ita facile intelligere, si etenim dixero, quemadmodum res ipsa suadet, tumorem hunc in parte dextra pleuræ existentem comprimere pulmones, pulmones iam ad partem sinistram pellerentur, & proinde pulsatio potius in sinistra quam in dextra parte sentiretur, quod tamen non contingit.

Puto igitur tumorem hunc esse oblongum, descendereque inter ipsos pulmones, sed potissimum partem eorundem dextram occupare, ea tamen ratione, vt hanc eandem versus latus thoracis pariter dextrum pellat, & comprimat, sicque pulsationem ob Arteriarum compressionem ibidem factam ad partē dextram fieri contingit. Quod H fieri posse mihi ipsi persuadeo ob dissectionem potissimum factam in cadauere, quod tale quid patiebatur.

Quod autem pertinet ad difficilem spirationem, existimo hanc ortum habere ab angustia viarum spiritus, quæ angustia tum ab obstructione, tum à compressione dependet; Compressio autem fit ab illo tumore iam proposito, obstructio à materia crassa, & lenta, partim ob intemperiem frigidam congesta, partim à capite in eosdem, tanquam ad locum imbecillem transmissa, quæ sicuti generatur in capite ob errorem facultatis concoctricis eiusdem, agente pariter illius intemperie frigida, ita descendit, non solum in pulmones, verum etiam in partem illam thoracis dextram, quasi hæc vna materia sit causa communis generans tumorem, atque spirandi difficultatem, & quemadmodum materia illa decumbit in pulmones, tanquam in partem debilem, & frigidam, ita etiam puto, & in partem dextram thoracis ob eandem causam dxfluere, quam quam & illud forsam addi possit, in parte nimirum illa dextra factam fuisse aliquam

compres-

compressionem à causa externa, meritò cuius dolor (à quo attractio causæ morbificę fieri solet) fuerit subortus, audio enim hunc egregium virum piscationibus deditum, circa partem illam noxam passum fuisse. Sed quòd pulmones intemperie frigida laborent, vnicum tantum testimonium, nempè ætas inclinans adduci potest, solent etenim sub hac ætate ob materiam frigidam continuò à capitè destillantem, atque etiam ob caloris defectum, pulmones præsertim refrigerari. **A**

Ex quibus omnibus per indicationes huiusmodi medendi ratio est instituenda; Vt primum scilicet toti prospiciatur, deinde destillatio illa aliò auertatur, ac per alterantia cerebrum, quantum possibile fuerit, maximè compescatur, materiaque in pulmonibus impacta, ac tumor ille quantum fieri poterit, discutiatur.

Ad quos fines peruenire, erit negocium meo iudicio omninò impossibile, quia destillatio illa, ac intemperies partium thoracis, sunt iam in habitu, & virtus totius propter ætatem plurimum languet; Accedit, quod tumor ille frigidus propter locum partis affectæ sinæ dubio est incurabilis, quoniam medicamenta cum suo robore illucusq; non pertingunt, cum tamen aliquo modo præseruationi detur locus, & melior sit spes dubia, quam exitum ex Celso, ideo de materijs Medicis aliquid est dicendum. **B**

Et quantum ad Chirurgicam dico Cauteria capitis, setaceum ceruicis, post hæc fonticulos brachiorum, tandemque inustiones circa partem affectam summoperè probari, nec à frictionibus, ligaturis, ac ventosationibus extremorum desisterem.

Pharmaca in duo potissimum capita redigo, in materiam videlicet morbificam, extra partes patientes existentem, & in materiam partibus affectis insidentem. Priora respiciunt vel vitium, vel materiæ generationem, si vitium primo occurrunt lenientia in genere quorum ego laudo mel rosatum solutiuum, & syrupum de polypodio pariter sol. secundo præparantia, inter quæ ego hrobo decoctum Hysopi, betonicæ, farfaræ, capill. ven. scabiosæ, boraginis, & liquiritiæ, cum syrupis appropriatis; tandem occurrunt purgantia, in quorum serie mihi placet Agaricus trociscatus infusus in decocto cordiali cum sena, adiecto melle rosato solutiuo; Pilulæ etiam de Agarico Mesue sunt præstantissimæ adiecta portione pilularum alterius generis, quæ aliquod gummi recipiant, sicuti sunt aggregatiuæ, & huiusmodi. **C**

Medicamenta autem, quæ respiciunt generationem materiæ sunt alterantia, Gratia igitur capitis ego probo, vt hora somni patiens assumat vel conseruas capitales cũ Mithridato, vel theriacam ipsam; probo etiam, vt syncipiti apponatur ceratum capitale Montagnanę, aut adhibeatur lotio ipsi capiti ex lixiuio medicato cum simplicibus capitalibus, ad quod etiam conducit embroca calefaciens, & siccans, facta vel cum aqua Thermali sulphurea, & aluminosa, vel cum decocto simplicium capitalium, & sulphuris, aluminis, & salis. Pro pulmonibus autem ego laudo vsum medicamenti Diatreos vocati, laudo & vtramque antidotum magnam, ac linitiones factas cum oleis calefacientibus. **D**

Quòd si respiciam partes affectas, medicamenta occurrunt euacuantia tum sensibiliter per sputum, tum insensibiliter. Inter priora propono loch ex enula, ex caulibus, ex pino, cum radice ari adiecto puluere pulmonum vlpis. Quæ euacuant insensibiliter plura occurrunt atqui in genere internorem ius galli antiqui medicatum cum guaiaco, salsa, china, enula, radice ireos, seminibus diureticis, ac alijs simplicibus supra commemoratis, adiectis tamen emollientibus, vti liquiritia, althea, & huiusmodi, omnibus præferendum censeo. Aquam etiam stillaciciam ex radice enulæ cum syrupo de Althea datam summoperè probo; laudo item electuarium Cyphoides, necnon Ammoniacum cum puluere radicis ireos; postremò medicamentum factum ex sulphure, therebintina, Ammoniaco, & puluere ireos haud est negligendum.

Exterius autem loco dolenti, & pulsanti primo adhibeatur medicamentum filij

Zacca-

E Zaccariæ, deinde embroca facta primò cum oleo seminum lini, deinde in progressu addito liliacco, cherino, & irino, ab embroca apponatur, vel Cataplasma factum ex caulibus brassicæ, in aqua lanarum coctis, farina lupinorum, & puluere cariophylorum, melle omnibus exceptis, vel Ceratum ex mucilaginibus cum phænicino, vel diachilon gummatum solum, deindè Irreatum.

Tandem adijciatur victus huius census, qui erit, vt patiens caueat ab omnibus aeris inclementijs, vt vescatur cibis facilis coctionis, boni succi, vt cœna sit parcior prandio, vt bibat, vinum enulatum, vel cum Guaiaco, Salsa, atque China medicatum, vt moderate dormiat, & non in die, vt aluum lubricam seruet cum pilulis de aloe lota cum decocto cartami, vt Corpus exerceat saltem frictionibus, ambulationibus etiam (si modo poterit) ac demum vt omnia animi accidentia molesta fugiat. Deus autem illi præsto sit.

F

PRO NOBILI PVELLA BONONIENSI DE TOMASELLIS Spine contorsione affecta.

CONSVLTATIO XLIV.

SI natura in spinæ Dorsi conformatione in id solum intenta fuisset, vt ipsam ab iniurijs externis haud obnoxiam effecisset, dubio procul ex Galeno 12. de vsu G partium capite 9. ex vno tantum osse constituisset, verum de animantis commodo valdè solicita, ex pluribus ossibus eandem construxit, quod tametsi vtile animanti primo per se fuerit, ex accidenti tamen secundariò noxium, ac molestum sibi euasit, quando spina ex triginta ossibus conflata facilè luxationem, & completam, & incompletam incurrat, Illam quidem, vbi caput Articuli ex proprio sinu in alienam sedem omnino, hanc vtero vbi pro aliqua sui tantum parte probabitur, quod postremum luxationis genus Galenus Tertio de Articulistex. Secundo quadripartitò diuisit, primum inquam in Chiphosim latine Gibberitatem, quæ nil aliud est, nisi spinæ flexio ad exteriora; Lordosym Secundo, idiomate latino repanditatem, & est spinæ flexio ad interiora; Tertio scoliasim secundum latinos Diuaricationem, quando scilicet spina ad latera flectitur; Quarto & postremò in sysim, quæ latino nomine destituta, fit vbi vertebræ loco quidem manent, sed eorum compago dimouetur; Quod re-H pugnantiam implicare videtur, quando Vertebras in proprio loco permanere, simulque ab eodem remoueri sit impossibile; sic tamen Galen. est intelligendus, Vertebras in hac subexarticulatione non mutare locum ad latera, sed bene in longum, ita vt vna ab altera aliquo modo longetur, ac separetur.

Quibus hunc in modum sese habentib. Nobilis proposita puella annum 11. agens, in secundam, & tertiam subluxationem, nempe lordosim, & scoliosim incidit, vt sensus ostendit: Quorum affectuum principia generationis petenda sunt, quantum ego existimo, & ex parte agentis, & ex parte passi, Agens duplex, tubercula nempè dura in membrana vertebras colligante, genita ex Galeno 6. Aphoris. 46. atque Tertio de Articulis Quarto, Et humores ligamina vertebrarum laxantes. Passum vt habile concurrit, fit autem habile ob imbecillitatem à primo semine contractam, vel post ortum, multas ob causas, præcipuè verò ob casum comparatam, quas omnes causas in præsenti puto coire. Primo quidem tubercula ex eo quoniam materia tuberculo-

rum

rum est succus glutinosus, & crassus. Tertio de Articulis. Quarto, quo pueri plu- A
rimum scatent, tum ob cibi copiam, tum maximè propter exercitium, quod intempe-
stiuum pueri solent exercere.

Et si quis percontaretur, quomodo tubercula huiusmodi spinæ figuram deprauatam efficiant, Galenus loco cit. com. Secundo hoc docens ait, si in vna parte tuberculum oriatur, & hæc fuerit interna trahens ligamenta, spinam in interiorem quoque partem flectit, si ad latus in latus pariter spina flectetur; quòd si in duabus partibus oriantur tubercula, intercedant autem aliquæ inuiolatæ partes, in gibbum spina conuertetur instar Rami viridis, cuius cum extremæ partes ad se trahuntur, partem mediam in gibbam figuram verti necessè est.

Secundo, & humores ligamenta laxantes hic locum habent, tum ob ætatem pueritiæ, quæ omnium est humidissima, tum ob fœmoris, ac tibiæ dextræ maciem, quæ citra omnium controuersiam fit à pituitæ copia, quæ partim calorem extinguendo, alimenti coctionem, partim obstruendo, eiusdem distributionem impedit, quæ quidem pituita, sicuti non tantum in ventriculo, verum etiam in capite ob errorem facultatis concoctricis producitur, ita & error ille accedit ob intemperiem frigidam earum partium ex pluribus causis, & præsertim ex semine decenti calore propter partis senium destituto in vtroque fœmore, sed præcipuè dextro inductam. B

Verum enim verò, & habilitas passi concurrit, cum etenim nobilis puella circa suæ ætatis annum secundum è lecto ceciderit, factum est, vt pars affecta imbecillitatem contraxerit, vt propterea ad recipiendum excrementa apta reddita fuerit, vt non sit mirum, si postmodum affectus iam dicti fuerint subsequuti, quasi causa hæc externa, casus inquam, in præsenti egerit, quoniam vbi sic agit, verè, & propriè, statim, ac de repentè ossa luxantur, modo luxatio, de qua agitur subluxatio existit, & longo tempore, sensimque facta fuit; quoniam casus ille secundaria quadam ratione secundum modum expositum aliquam pręstitit occasionem generationi affectuum iam dictorum, à quibus etiam vitiatur incessus, quoniam alterum ex femoribus, contorta spina ad latus eleuatur, alterum verò deprimitur, vt etiam non sit mirum, crus dextrum breuius esse sinistro. C

Quid ergo sub hisce malis timendum, quidve sperandum sit, videre breuiter oportet, timendum igitur est, ne mala Renum, & Vesicæ vitia, abscessusq; ad Ilia, & inguina, vt scripsit Hippoc. 3. de articulis tex. 10. translata materia ad hasce partes suboriantur; sperandum verò, vt à maiori labe nobilis puella præseruari, & forsan etiam à pręsenti pro aliqua parte vindicari possit, quod aliqua ratione indicatum fuit ab Hippocrate dum Tertio de Articulis 19. asseruit, quibuscumque cadentibus spina gibba fit parciùs, ita conualescit, vt dirigatur, & licet hoc dictum propriè debeat intelligi de gibbositate subitò facta, puto tamen ad quamcumque spinæ contorsionem, & ob id, etiam ad eam, quæ sensim fit, extendi quoque posse. D

Quare vt quod sperandum proposui Medicus curans attingat, materiam fluentem retrahere, fluxam, tuberculaque dura emollire, ac resoluere prius tenebitur, deindè ad alterandas, roborandasque partes, & ad caloris natiui robur confirmandum, & fouendum deuenire debebit.

Quocirca ex materijs chirurgicis cauterium in ceruice inustum meo iudicio omnibus est præferendum, & ab inustionibus ad vertebrarum regionem factis ego non abhorrerem; quinimmò vbi illud sanabitur (quod post sextum mensem, aut etiam annum fiet) poterit in brachio sinistro aliud excitari. Pro crure verò, & fœmore emaciato tum frictiones factas oleo costino, seu vulpino, tum picationes probo: Quin & Cauterium infixum non displicet, nam & ad partem imbecillitatem nactam fiet non solum excrementi, verum etiam simul alimenti transmisio. Demum, vt malum præsens corrigatur,

E rigatur, aut saltem eius augmentum prohibeatur, Amiculum primum ex panno cannabino crasso, & duro duplicato, & consuto, deindè ex laminis ferreis perforatis mirum in modum valet.

Medicamenta si totum respiciant sunt lenientia, præparantia, & purgantia, in serie priorum mel ros. sol. in serie aliorum decoctum ex iure pulli, betonicæ, iuæ, sampsuci, cicorij, boraginis, cum syrupis proprijs; in genere posteriorum infusum Agarici cum melle ros. sol. laudatur.

Verum quoniam per interualla oportebit purgantibus vti, ideo vinum cum sena, myrobolanis chebulis, & emblicis, ac momento hermodactilorum medicatũ vsui erit conuenientissimum, sicuti & cydoniatum cum puluere turbit factitium, item & morselli ex pulpa Perdicis, aut Phasiani, fisticis, & puluere mechiocani, adhuc & medulla Cartami cum saccharo in aqua betonicæ dissoluto erunt opportuna. Sed & insen- F sibiliter, modestè tamen in toto materia morbifica est absumenda decocto columbi turrialis, in cuius ventre salsa, vel china cum modico guaiaci, & simplicibus iam dictis sint consuta, per plures dies assumpto, quo eodem tempore loco vini aquam coctam cum China, & passulis bibere nobilem puellam oportebit.

Tandem ad Topica deueniendum; Embroca igitur ad Vertebras ex oleo communi, vel amygdalino dulci primum solo, deinde cum vulpino, & costino mixto, item, & insessus ex decocto Altheæ, fœnugræci, seminum lini, betonicæ, sampsuci, diptami Cretici, lini guaiaci, & salsæ, adiecto oleo communi, vel ex aqua thermali in comitatu Senarum existente, aut alia simili parati, sicuti & luta Patauina primũ D. Bartpolomæi, deinde D. Petri omnibus præferuntur. Emplastrum quoque filij Zaccariæ, & quod ex meliloto dicitur, in his progressu adiectis colocyntide, & puluere Iuę, necnon vnguentum de mucilaginibus per se, tandem verò cum Martiato, vel Arago- G ne permixtum, atque ceratum Diachilon gummatum addita aliqua portiuncula Cerati sacri huc referuntur.

Victus his omnibus addatur extenuans, & siccans, modestè tamen propter puerilem ætatem, ouis ideo, & carnibus optimis, assis tamen, passulis, amygdalis, fisticis, & pane cum modico salis, ac anisorum, puella vescatur; Vinoque cum guaiaco, & salsa medicato vtatur, & reliqua iam constitutis respondeant, Deusque Trinus, & vnus omnia fœcundet.

PRO IUUENE EGREGIO TERTIANA INTERMITTENTE exquisita laborante.

H

CONSVLTATIO XLV.

IVVENEM propositum laborare febre nemo esset sanæ mentis, qui denegaret, corripitur namque calore quodam extraneo supra naturæ modum ad modum excedente, ac per totum diffuso. Verum cum ex febribus alia sit diaria, alia hectica, alia putrida; febris hæc erit de genere putridarum, quoniam symptomata, quæ spectantur in hoc patiente non ad febres diarias, non ad hecticas, sed ad putridas attinent. Et quoniam febrium putridarum alia est continua, alia verò intermittit, hæc quia rigorem sibi coniunctum habet, est de serie intermittentium, ac Tertiana intermittens existit, non quidem notha, sed exquisita. Hoc autem ex forma, causis,

ſis, & ſymptomatibus cum Galeno ſecundo de Criſi, ſecundo, facile deprehendo; Ex forma primum, quoniam æſtus adeſt inſignis, calor eſt acris, idemque citò mouetur, atque durat circiter octo horas (huiuſmodi enim febris 12. horam non tranſcendit) Ex cauſis ſecundo quoniam bilis flaua peccat, quemadmodum vita anteacta, tempus anni æſtiuum, temperies biliosa, ac ætas Iuuentutis patientis ipſius perſuadent; Ex ſymptomatibus demum, ſicuti dolor capitis, ſitis clamoſa, rigor intenſus, & non extenſus, vomitus bilis flauæ ſincerè, ac vrinæ bilem flauam atteſtantes manifeſtè docent. A

Cauſa interim immediata huius febris eſt fuligo putrida cordi communiata, eleuataque ex minera biliosa ſyncera putreſcente in venis ambitus corporis, & quod ibi putreſcat non ſolum ſudor, verum etiam rigor inſignis ſuadere videntur, putreſcit autem ob prohibitum transpiratum ab obſtructione, generatur verò in hepate calidiori ob errores in ſex rebus non naturalibus inſignes perpetratos ad vnicam bilis generationem idoneos. B

Vt propterea ſcopi curatiui ſint refrigerare, & humectare, non ſolum ratione febris, verum etiam ratione iecoris feruidioris, præterea, & materiam putridam eradicare, putreſcentem per refrigerantia, atque ſiccantia corrigere, obſtructionesque reſerare.

Quos ſcopos obtinere non erit impoſſibile, nec arduũ quantum ego exiſtimo, quoniam febris intermittit, itemque ſymptomata omnia, finita acceſſione finiuntur.

Deueniens itaq; ad curationem, ſtatuo venæ ſectionem non probare, quoniã deficit ſanguis, nihilominus occaſione doloris capitis cucurbitulę ſcarificatę partib. infernis applicitæ, ſicuti & frictiones, deligaturæ, & lauationes earundem non improbantur.

Quantum verò ad pharmaca attinet primum lenienda eſt aluus ſyrupo violato ſolutiuo cum decocto tamarindorum, præparandi ſunt humores decocto endiuiæ, acetoſæ, lactucæ, ac hordei, addito in fine tantillo aceti propter obſtructiones; Purgandi denique ſunt infuſo Rhabar. & ſyrupo violato dicto, dummodo tamen ſudor non prohibeat, prohiberet autem, vbi cum aliqua morbi remiſſione proſequeretur, quo in caſu naturæ tamquam per ſe bene operanti totum eſſet opus curationis huius febris committendum; Quòd ſi fortè fortuna progrederetur quidem ſudor, ſed imminutè admodum abſque inſigni alleuiatione morbi, tunc ab aqua hordei cum cortice copioſè in fine acceſſionis aſſumpta pro ſudoris vigoratione, nullo pacto eſſet deſiſtendum. C

Atqui pro alteranti conueniet demum ſerum cum ſucco endiuiæ, & lactucæ ſumptum, exteriusque ſucco endiuiæ, & ſemper viui cum aceto iecur perfundi poterit.

Sed quoniam patiens de dolore capitis inſigni, de ſitique clamoſa præſertim querelas habet, ideò pro dolore capitis frontale ex lacte cum ſucco limonum, vel ex oleo roſato completo cum aqua roſacea, & aceto addito ouo integro mihi videtur opportunum, & eo magis ſi ſyncipiti quoque hoc remedij genus adhibeatur. D

Pro ſiti mihi arrident ſtillicidium ſupra linguam ex aqua ciſternæ frigida factum, aqua hordacea ſumpta, quantum vnico hauſtu ſumi poteſt, vel aqua acetoſæ, & violatum cum ſucco limonis; Hùc pertinet loch ex mucilaginibus ſeminum pſilij, atque cotoneorum cum ſucco limonis, & ſaccharo candido ex iuleb violato, fruſta etiam cucurbitæ, & caules lactucæ ſaccharo condita, & in aqua ciſternæ macerata ſupra linguam detenta mirificè valent.

Sed inter cætera victus refrigerans eſt addẽdus, locetur igitur patiens in aere frigido, cuius cẽſus, ſi naturalis haberi minimè poterit, arte erit pręparãdus, cuius occaſione patientẽ inſpirare ſupra vas magnum aqua frigida repletum maximè proficuũ erit, quemadmodum & eundem veſci ptiſana cum lacte ſeminum maiorum frigidorum,

necnon

E necnon pane ex iure, lactuca, endiuia, acetosa, & similibus alterato; Potus sit vini granatorum cum aqua cisternæ necesse est, reliqua verò omnia respondeant secundum proportionem. Et Deus patienti succurrat, sic etenim tutò, citòque, & non iniucundè præsidia medica operabuntur.

PRO EGREGIO VIRO BONONIENSI Ioanne Bauosio Melancholia Hypochondriaca, ac tumore abdominis affecto.

F CONSVLTATIO XLVI.

DVO sunt vitia, quæ virum egregium vexant. Primum est affectus Hypochondriacus, qui præter timorem, & mœstitiam (symptomata communia omnibus melancholicis) ex ventriculi dolore, flatuum eruptione, rugitu imi ventris, pulsatione arteriæ aortæ ad fundum ventriculi, sputo humido, ac tandem ex somnis turbatis deprehenditur.

Alterum verò vitium est tumor Abdominis secundum partem dextram versus os ischij, qui tumor durus est, & cum renixu ad tactum, modò maiori, modò minori, vt obseruare non semel licuit; De quo tumore duo porrò sunt inquisitione digna, quorum primum pertinet ad illius ideam, alterum ad locum affectum.

G Quantum ad primum attinet, ego sum in ea sententia, vt scilicet hic tumor non sit legitimus, sed spurius, atque ancipitis naturæ, quoniam puto eum conflari ex bile, pituita crassa, & melancholia, ita vt sapiat naturam scirri erisipelatodes. Quod etenim primum ex bile fiat, colligitur ab excretis alui biliosis, ex ægri natura biliosa, ex tempore anni calido, & ex morbo (febre inquam tertiana continua) pręgresso. Quod verò secundo ex pituita constet, ab excretis pariter per aluum, etiam pituitosis, ex ætate inclinationis, ac tandem ex affectu melancholico dicto, qui pituitæ maximè ferax esse solet, ex quo affectu subesse quoque humorem melancholicum non est quod aliquis dubitet. Est igitur tumor hic, quantum ad ideam attinet, scirrus illegitimus Erisipelatodes.

De loco autem affecto statuo humorem hunc musculos Abdominis obliquos adscendentes in dextris obsidere, atque etiam intestino colon, quod subest, secundum partem externam communicari. Quod autem musculi illi lædantur, ex pluribus conijH citur, primum enim dolor in superficie quasi deprehenditur; amplius inter respirandum, & egerendum dolor insæuit, ac exacerbatur: Atque non affici cutim, & membranam carnosam ex eo liquet, quod tumor non extuberat; Verum intestino iam dicto hanc labem communicari mihi potissimum persuadeo, quoniam vir hic egregius multos annos à doloribus colicis solicitatus valdè fuit, præterea alui excrementa pro maiori parte temporis liquida excernuntur, quam affectus intestinorum indicia esse solent. Mesenterium, & illius glandulas excludo, quoniam in partibus hisce tumores fiunt indolentes, & veluti in penitioribus partibus persentiuntur, secludo etiam vretera, ac vasa seminaria, quando nullam prorsus de actionibus harum partium querelam vnquam audierim.

Quomodo autem generentur hæc duo mala, non est difficile captu ei, qui naturam vtriusque nouit, fit enim flatulenta melancholia æstuantibus partibus abdominis intrinsecis

trinsecis propter obstructiones, à quo quidem æstu producto succo melancholico, atq; A effumatione in supernas partes concitata spiritus animalis tenebricosus redditur, quo sic affecto phantasma tenebricosum imaginationi offertur, vndè symptomata melancholica. Ab eodem etiam æstu constitutio caloris natiui partium abdominis lacessitur, ex calore autem hoc lacessito symptomata omnia, quę circa abdomen cootingunt, originem ducunt. Et quantum ad obstructiones attinet, has ipsas in præsenti ex crassitie, & lentore humorum oriri pro certo habeo; tumor autem generatur per fluxionem bilis, & melancholiæ à iecore, pituitæ à ventriculo, quamquam putem etiam, & pituitam in loco affecto ob caloris natiui languorem congeri.

Vniuersa igitur medendi facultas in scopos hosce referatur oportet, vt scilicet obstructiones reserentur, materia impacta discutiatur, fluens retrahatur, ac illius generatio per alterantia conuenienter viscera iam dicta prohibeatur, prius tamen toti est prospiciendum. B

Ad quos scopos Medicum peruenire vix possibile existimo, nam affectus hypochondriacus iam consumatus existit, sicuti colligitur ex macie insolita, atque ex pulsatione arteriæ aortæ ad fundum ventriculi; Tumor & ipse est quasi inueteratus, & difficultas, ac periculum occurrit, ne materijs medicis haud cedens ita augeatur, vt comprimendo intestina, possit angustando voluulum (licet nothum) excitare; quibus omnibus accedit, quod egregius vir in ætate senili, saltem quoad primum senium est constitutus, quæ ætas in tanta malorum colluuie resistere minimè potest, & eo magis, quoniam cum causis insignis actiuitatis ipsi est agendum, verum tamen quoniam prudens, ac obtemperans est, nonnihil spei superest, qua plurimum fretus has materias medicas in medinm adduco.

Et primum ex fonte chirurgico (postquam occasione febris tertianæ pręgressæ secta vena fuit) nullam interim necessitatem rursus secandi venam sese offerre video, C quamquam tempore autumnali venarum podicis apertionem per hyrudines conducturam fore summoperè putem. Bina etiam cauteria, vnum in brachio, aliud in femore dextro secundum partem domesticam infixa, laudo, quemadmodum, & frictiones partium superiorum.

Quoad pharmaca attinet, quoniam occasione febris, totius est habita prouidentia, quantum scilicet spectat ad materias ecxrementitias iam genitas, nunc solum de alterantibus medicamentis, quæ nouam earundem generationem respiciunt, atq; de alijs medicamentis priuatis, & particularibus est agendum.

In genere igitur alterantiũ, gratia iecoris ego laudo succum cicorij non solum assumptũ, verum etiam & exterius hypochõdrio dextro cũ aceto sub forma perfusionis adhibitũ, itẽ & confectio ex trib. sãdalis, conserua cicoracea, atq; rosacea maximè cõuenit.

Gratia verò ventriculi aromaticum rosatum, & cariophyllatum, grana mastiches, D cydoniatum pipere albo alteratum mihi non parum arrident, sicuti exterius ceratum, & linimenta stomatica non improbantur.

Capitis quoque est habenda ratio, quocirca hora somni conseruæ capitales cum Mithridatica confectione in hunc finem poterunt assumi: Caputque cum lixiuio aliquo medicato cum simplicibus cephalicis, maximè verò siccantibus abluere expediet.

Quod medicamenta priuata, gratia tumoris laudo emollientia, & discutientia tum interna, tum externa. In serie internorum est ammoniacus, & chinæ decoctum, in genere autem externorum est fotus factus cum lana non lota, oleo amygdalino dulci imbuta, est & embroca cum oleo eodem, ac seminum lini facta, quibus in progressu radicem peucedani, cucumeris agrestis, itemque similia incoquere licebit, atque loco olei aqua lanarum substitui non inutiliter poterit. Emplastrum filij Zaccariæ, ceratum Diachilon gummatum, & ex Espomirifice valent.

Merito

E Merito denique obstructionum partium abdominis propono medicamenta calybeata, ius galli bimuli, vel columbi turrialis medicatum cum diureticis, & deobstruentibus, ac emollientibus.

Ac postremò adijcienda est compar victus ratio, vescatur itaque vir egregius cibis bonis, atque laudatis, & vinum bibat cum china medicatum, radicibus buglossi, & melissa. Atqne hæc pro curandis, aut saltem præseruandis malis à principio propositis dicta sint satis, quæ Deus vtinam fœlicitet, & facilitet.

PRO EGREGIO VIRO LAVRENTIO *Fachineo Ciue Foroliuiensi scabie ferina, tumor extremarum narium, necnon vlcere internarum, & vueæ detento.*

F

CONSVLTATIO XLVII.

DVO ni fallor sunt vitia, quæ virum egregium malè habent, vnum est scabies per totum corpus repens, vt ex cutis asperitate, & euidentibus tumorib. paruis, pruriginosis, cum, & sine scalpellatioue, vel affricatione pus, ac saniem humidam valdè, corpusculaque furfuracea emittentibus.

G Alterum vitium est vlcus tum narium internarum cum tumore externarum rubente, ac crustis referto, & cum deperditione pro maiori parte interstitij, tum columellæ, cum eiusdem ad anteriora non parua abrasione, cuius vtriusque vlceris non tantum pus prodiens, verum etiam & visus ipse fidem facit.

Verum tamen scabies, vt ex dictis liquet, non sicca, sed humida valdè, quia nempè insignem copiam inchoris tenuioris emittit, est constituenda, sicuti est in habitu, & veluti hectica, quoniam à pluribus annis patientem afflixit, itemque contumax, & ferina existit, quoniam tametsi generosis admodum, & efficacibus valdè præsidijs fuerit tractata, non modò non cessit, sed magna potius incrementa suscepit, & quod peius est suscipit in dies, vt parum absit, vt in lepram permutetur, sicuti enim pruritus est via ad scabiem, ita scabies, potissimum vbi peruicax nimis erit, est via ad lepram.

Vlcus verò quoniam saniem fetentem profundit copiosam, sordidum ideò, & aliqua ex partæ malæ naturæ; cachoeteque erit constituendum, non tamen cancerosum H adhuc, cum dolor illi non associetur, & pus nigricans haud emittat.

Horum autem malorum principia generationis immediata ex parte agentis, & ex parte passi non sunt meo iudicio difficilia cognitu, si quidem ex parte agentis constituerem ego succum serosum, salsum, quia sanies tenuis, & alba, prius iugi, ac perenni pruritu infestante prodit, mixtum tamen aliquãdo cum ichore melancholico, vt color subnigricans cum rubore suadet, hæc enim succorum miscela copiosa, humore crasso, & viscido referta in cuti recepta, & non mota, ob idque putredinem aliquam nacta non tantum asperitatem, sed intemperiem calidam, & siccam, tumoresque paruos, & pruriginosos parit, quod à Galeno secundo de Symptom. causis sexto, & à principio 11. simplicium decantatum fuit. Pariter eadem excrementorum colluuies ad nares, & columellam decumbens, vt abradint vlcera corrosiua infert, vt verò copiosa tumores illos externos circa nares efficit.

Vbi

Vbi autem localem, & propriam habeant generationem excrementa iam dicta sic decerno. Profectò cum sint meri partus caloris vehementis, vt nemo potest in dubium reuocare (nam pituita salsa ab exusto vapore, siue per putredinem, siue per ipsam exustionem concitato, cum humiditate aquea permixto producitur, sicuti & succus melancholicus exustus, ichorque biliosus ab insigni feruore fiunt) & cum in visceribus illis, in quibus non solum alimenta, verum etiam & excrementa generantur, generari quoque debeant atque inter alia viscera iecur primas partes habeat, in eodem ideo fieri pro maiori parte certum habeo, quoniam in capite succum salsum procreari non dubito.

Principia ex parte passi penes temperamentum totius corporis calidioris, habitusq; similis proprietatem, ratione psoræ, penes autem conditionem locorum affectorum, ratione vlceris, ac tumoris, quando partes narium, & oris internæ valdè humidæ, ac putredini noxiæ sint, attendantur oportet.

Cæterum his principijs proximioribus remotiora quoque sunt addenda, quæ omnia refero in errata externa, potissimum verò in potum immodicum, & intempestiuũ ipsius vini meracioris.

Sed iam de Methodo curandi est agendum, quæ in scabiæ primum, quantum ego existimo indicationibus præseruatorijs est perficienda; quocirca antè omnia danda est opera, vt materia fluens per euacuantia à cuti retrahatur, secundo materia fluxa vt putrida, & copiosa est euacuanda, ea tamen ratione, vt quæ hæret in superficie, ripticis abstergatur, quæ est impacta ecatarticis discutiatur, sicceturque, vt qualitate nocet eadem materia est in contrarium alteranda; Deinde & curatoriæ indicationes occurrant, vt propterea pruritus, qui est species doloris anodinis sit amouendus, ac intemperies viscerum malos humores generantium alterantibus sint dimouenda. Verum & vitales indicationes haud sunt negligendæ, saltem ratione partis affectę, hinc cutis tonus est confirmandus subadstringentibus, modestè tamen vsurpandis, à quibus ne medicamenta impediantur, vt altius penetrent, tenuia tamquam vehiculum addere oportebit, quo nomine Auicenna acetum, & acida, Galenus verò nono Simpl. capite de sulphure, sulphur tamquam tergens, & poros absque adstrictione purgans omnibus aliis admiscebat. In vlceribus pariter ablata omni occasione fluxionis, ipsisque detersis, & exiccatis ad consolidantia est deueniendum.

Quas indicationes explere posse Medicum vix credo, quando mala omnia cum suis causis sint in habitu, & inueterata vt lepra, vlcera cancerosa, deglutio, ac respiratio vitiata immineant, nullaque sit pars corporis, quæ ab aliqua labe sit intacta, vt propter has rationes indies magis ingrauescant, & proinde difficilius tolerentur, quãdo etiam ex Platone in Philebo scabies præter turpitudinem dolorem inferat, qui vigilijs adiunctus vires ipsas plurimum deijcere consueuit. Danda igitur est opera, vt egregius patiens à maiori saltem ruina præseruetur, quod forsan haud erit difficilè consequi, si illius ætati vegetæ prudentia, & obsequentia eiusdem adiungatur.

Quocirca si animum ad materias medicas conuerto, ita de chirurgicis autumo, vt scilicet quamprimum sanguis copiosè per sectam venam in cubito, non quidem vnica vice, sed repetitis vicibus educatur, propterea ex vtroque cubito meo iudicio sanguinem mittere præstabit, deinde habita totius prouidentia; Coti tum hyrudines, tum cucurbitulæ paruæ, seu corniculi dicti (quos magis probo) numerosi tamen appliciti mihi quam maximè arrident, sicuti & fonticuli in brachijs, & femoribus inusti non improbantur, quinimmò & si alter in sincipite, vel ocipite de more excitetur, ratione vlceris narium ac vueæ plurimum proderit.

Pharmaca respiciunt materiam, & morbos, si materiam, vel fluentem, vel fluxam, si fluentem sunt lenientia, vt syrupus de polypodio magistralis, & rosatus solutiuus,

E sunt & præparantia, sicuti est decoctũ scabiosæ, sonchi, hepaticæ fumariæ, lupulorum, & betonicæ, adiectis syrupis de succo cicorij, de fumaria simplici, de succoque betonicæ, sunt demum & purgantia, in quorum serie, quod fit ex infuso hellebori nigri, agarici trociscati, & senæ cum syrupo de polydod. magistrali est opprtunum.

Verum tamen repetenda erunt & præparantia, & purgantia, fortiora tamen, quare syrupi de fumaria compositus, sabor regis, de cicorea compositus diluti cum decocto simplicium antedictorum in sero caprino parato, & purgatorium ex confectione hamech, ac hicra aliqua magna aloe (quæ tantoperè in scabie inueterata ab Auicenna celebratur) donata, necnon electuarium ros. Mes. cum lenitiuo vocato paratum, esse poterunt ex vsu.

Cœterum & sudores mouentia huc referenda, quapropter maximè conducturum esse crederem, si salsæ, chinæ, & sandalorum cum tantillo guaiaci decoctum, adiectis F cicoraceis pararetur, & bis in die sumeretur, manèque instrumento ligneo sudor (vt in lue Venerea fieri solet) moueretur, noui etenim quamplurimos similibus morbis laborantes hoc remedij genere sanatos fuisse; Atque vt magis, ac magis medicamentũ roboraretur, curarem, vt bolus ante syrupum matutinum & extracto guaiaci trociscis viperinis cum speciebus confectionis ex tribus sandalis paratus deglutiretur, ac eo tempore, quo simili medicatione patiens vteretur, eundem vt singulo quinto, vel sexto die syrupum de polypodio sol. assumeret, etiam atque etiam hortarer.

Medicamenta interea ad materiam fluxam sunt tum interna, tum externa, in genere internorum decoctum viperarum in aquis hæpaticæ, scabiosæ, fumariæ, & betonicæ excoctorum, omnibus esse præferendum confirmo; quinimmò & ipsamet viperarum Caro in conserua cicoracea esset assumenda, huc referatur & medicamentum, quod & auctoritate grauissimorum virorum, & experientia ipsa est præstantissimum, & me G numquam in similibus casibus fefellit, est autem Pilosellæ decoctum ad quadraginta dies ebibitum, sal quoque theriacale sub aere frigidiori in conserua boraginis assumptum mihi non displicet, quod scio etiam cum fructu aliàs ab egregio patiente sumptum fuisse.

In coordinatione externorum primum irrigato totius corporis cum aqua stillatitia therebintinæ, primum sola, deinde cum modico oleo sulphuris permixta, vsu, & experientia mihi valdè est comprobata, quò refero thermas Pisanas sub forma lauacri adhibitas, ea tamen ratione, vt quater balneum ex illis aquis, bis verò illud ex aqua dulci tepida, ac ita alternatim successiuè adhibeatur. Et vnguentum, quod mihi in scabie ferina, atque contumaci est in vsu proficuo, non subticebo.

H ℞. *Aluminis Rochæ vsti*
calcanti vsti } *an. onc. 5.*
Aristolochiæ rotundæ
Viridis Aeris } *an. drag ij.*
picis naualis onc. 1.
pinguedinis Anatis onc. 5.
succi enulæ onc. 1.
olei rosati completi
butyri antiqui } *an. onc. 3.*

M. & f. vnguentum s. a.

Probo

Probo item medicamentum, quod conficitur ex sulphure, succo tabacci, vnguento A rosato, oleo tartari, & camphora; & cum Auicenna ad inunctionem ex hydrargirio, at cum Galeno ex radice Camaleontis, vel sublimato adscendere non abhorrerem, nam sub hisce casibus melius est remedijs paulò ancipitibus vti, quam patientem deserere.

Medicamenta ad vlcera varia sunt, & primum occurrunt, quæ erosionem emendant, inter quæ, quod fit ex succo plantaginis, & alumine vsto tum naribus, tum vueæ adhibitum maximè probo, secundo tum virgę aureæ succus, vna cum vrina Asini destillata, tum liquor stillatitius mellis in quo myrrha, thus, aloes, ac puluis ireos sint macerata, si per nares attrhantur, vel cum catetere inijciantur, opportuna videntur, quorum calor etiam succo plantaginis castigari poterit, & si maiori attemperatione opus sit, ab illorum vsu lac Asininum, vel serum lactis Vaccini iniectat vel vnguentum ex succis per se, & vna cum vnguento albo vsurpatum conducent, sicuti & B pro agglutinatione vnguẽtum ex pompholige præcipuè conueniet, tandem ad venam sanandam oris collutio ex aqua Villensi decoctionis boracis mineralis, tutiæ præparatæ, & corticum granatorum, fieri poterit; Exterius autem pro naribus medicamentum ex plumbo vsto, succo solani, & oleo rosato cum cera erit opiferum.

Post hæc verò studendum, vt morbi auferantur, aut mitigentur saltem, idcircò ratione pruritus nihil præstantius excogitari potest ipso Philonio Romano aliquot interuallis ad scrup. j. hora præcipue somni deuorato. Et præter Balneum aquæ dulcis probarem, vt patiens egregius hora pruritus manibus inunctis oleo amygdalino dulci in aqua endiuiæ loto se scalperet.

Intemperies verò iecoris thermis à Valle Sancti Marini, Porrectaneis veteribus, & Ficoncellensibus, seroque caprino, cui scabiosa, fumaria, betonica, sonchus, & pilosella sint immacerata, satis emendabitur. At intemperies capitis vsu conseruæ C violaceæ, & cicoreaceæ hora somni deuoratæ, item & lotione eiusdem, ex aqua thermali Lucensi, decotionis sandalorum adiecto aceto commodè corrigi poterit.

Et ne alia remedia sint irrita, vna cum Galeno addenda est proba viuendi ratio, erit autem hæc si patiens tempore localium detineatur in aere calido, alias verò intemperato, vt vescatur ouis, carnibus optimis, & piscibus petrosis elixatis, caueat à cibarijs crassis, calidis, acribus, vt propterea illi plantæ, fructus, & semina eius conditionis, quæ refrigerare, & humectare valent, possint esse ex vsu perutili. Et si ad certum aliquod tempus abstineret à vino, & loco ipsius, vel Ficoncellensem vel Lucensem aquam biberet, in aqua solum passulæ fuissent incoctæ, sibi summoperè proficuum esset, quemadmodum & si in aquis illis propria cibaria coqueret non parum prodesset.

Victus tempore salsæ, & chinæ, sit ille, qui in vsu communiter esse solet, poteritque commodè ab Excellentissimo curante præscribi, semper tamen aluus respondeat necesse est, quod si spontè non succedat, arte erit agendum, idcircò prunæ, D passulæ præparatæ, atque clysteres ad vsum deducentur. Animi accidentia omnia molesta vitentur, sicuti immodicum, & intempestiuum exercitium, somnus sit moderatus, omniaque secundum proportionem iam dictis respondeant, quibus illud non possum non adijcere, vt nempè ab omni cibo vel saccharum rosatum antiquum, vel cydoniatum sine mosco, ad iuuandum coctionem, & reprimendos vapores vir egregius assumat. Deus autem optimus maximus ille sit, qni prædictis malis potissimum medeatur.

E

PRO PERILLVSTRI ET NOBILISSIMO EQVITE NICOLAO Rondanino Fauentino doloribus scapularum, Articulationum, & Musculorum humeri, atque aliarum partium affecto.

CONSVLTATIO XLVIII.

F QVAMQVAM Perillustris, ac nobilissimus eques vnico affectu præter nacturam deprauationem actionis facultatis tactricis dolorem nuncupatam spectante detineatur, nihilominus hic ipse varius, legitimus nimirum, & spurius redditur, prout & articulos, ac internodia exercet, nam & partes supernas, scapulas inquam, Articulationem, ac musculos humeri ad cubitum vsque vexat, & infernas, tibias nempè, atque suras obsidet. Amplius variatur, qua ille & recens cum sensu frigiditatis, hic verò est antiquus cum sensu caliditatis, & veluti mordicatiuus, qui cum motu exacerbetur, quiete mitescit.

Quorum dolorum, sicuti varia est natura secundum speciem, ita & varia eorundem existit generatio; Nam quantum ad priorem attinet, certum est ipsum à materia humorosa partes sensitrices, potissimum autem internas (quia non adest tumor) distendente pendere, quam materiam & frigidam esse suadent sensus frigioris, ac iuuamen tum ex vsu calidorum perceptum, & à capite in partes dolentes decumbere. Descensus à perillustri patiente manifestissimè perceptus ostendit, à capite verò descendit, quoniam ibidem generatur ob actionem facultatis concoctricis cerebri vitiatam, tum à læsa facultate propter intemperiem frigidam (quando portio eiusdem ad os per palatum descendens sit insipida, & caput ab ambiente frigido irritetur) tum ab errore externo, ac perenni in caput ex iecore feruidiori effumatione à cerebri frigiditate crassefacta.

G

Nec obstat quod caput nobilissimi viri ob caluitiem, & capillorum colorem nigrum calidum videatur, quoniam idipsum tale à primordio ortus esse fateor, sed propter errores externos, & propter calorem natiuum à lue venerea antea lacessitum frigidum euasisse non dubito.

De secundo verò dolore ita sentio, vt a materia vaporosa menbranas musculorum mordente fiat, quæ materia vaporosa cum in motu irritetur, conciteturque & eo magis, si aliqua secreta qualitate sit infecta (vti censeo) non est mirum, si dolor hic motu insæuiat. Verum an solus vapor, an verò præter vaporem minera subsit in cruribus, an potius in alio loco minera existente, vapor ibidem concitatus ad crura transmittatur, meritò dubitari potest. Putarem ego dolorem hunc à solo vapore absque præsentia mineræ in cruribus excitari, quoniam subitò accedit, ac inseuit, subitoque etiam delitescit & mitior redditur absque crurum aucta magnitudine; Quòd si aliqua fortè subsit minera, hanc ipsam calidam, tenuem, & paucam esse non hæreo.

H

Vtcumque tamen res se habeat, à iecore feruidiori & mineram, & vaporem transmitti vt plurimum credo, nam & leuia, in statu morboso descendunt coadiuuante partium recipientium imbecillitate.

Quòd si quæratur, an dolor hic posterior à destillatione à capite suscitari potuerit, nulla destillationis nota præcederem quod postquam tempore, quo primum inuasit, nulla destillationis nota præsens fuit, ab alia causa ortum habuerit, non negarem tamen nunc à destillatione fomentum aliquod suscipere posse.

Ex quibus

Ex quibus vniuersa medendi ratio in hoc potissimum insistit, vt caput exiccetur, & A moderatè calefiat, iecur verò refrigeretur. Tollenda tamen sunt prius impedimenta, materia inquam fluens, fluxa, necnon dolor, meritò cuius anodinis erit vtendum, sicuti merito materiæ fluxæ discutientibus, ac propter materiam fluentem retrahere oportebit, demumque prauę qualitatis suspicionem Alexipharmacis amouere necessarium existimo.

Quos fines maxima cum difficultate Medicus obtinebit, primum quoniam destillationes, sicuti in vltimis senibus non coquuntur, neque sanantur, ita & in primis difficulter admodum submouentur, in quorum classe perillustris patiens secundum annum agens sine dubio numeratur; Accedit quod secundo ille dolor iam quasi hecticus existit, vt propterea frustra multa præsidia, & hæc ipsa generosa fuerint hucusque tentata; quinimmò cum ob contrarios affectus contrariæ quoque occurrant indicationes Curatiuæ, visceraque principalia afficiantur, difficilior adhuc, B mea sententia redditur curatio; Danda tamen est opera vt quamprimum perillustri viro omni ex par meretissimo quantum fieri potest succuratur, vt si ma a hæc ex toto non finiantur, saltem pro maiori parte imminuantur, quod nobilissimi patientis prudentia, eiusdem obtemperantia, ac robur secundum facultatem regitiuam totius pollicentur.

Deueniens ideò ad materias præsidiorum de chirurgicis ita determino, vt nunc basilica dextra, in autumno verò sequenti, venæ podicis hyrudinibus aperiantur, quin & quamprimum setaceum ceruici infigere plurimum expediet, & post aliquot dies cauterium in femore sinistro antea excitatum est sanandum, quæ verò in brachio sinistro, & femore dextro cauteria retinet nobilissimus patiens, sunt conseruanda.

Quantum ad pharmaca attinet, hæc sunt euacuantia, & alterantia, in genere priorum primum occurrunt lenientia, inter quæ mel rosaceum solutiuum cum C manna probatur, deindè sese offerunt purgantia, quocirca infusum agarici trociscati, & Rhabarbarum cum manna dilutum decocto cordiali, & senæ Orientalis, vel capatocia de Agarico Mesue mixta cum pilulis de tribus cum Rhab. probantur. Ac per interualla perillustris patiens pharmacum similiter aliquod placidum sibi familiare habeat necessè est, quare tempore calidiori infusum myrob. chebulorum, & citrinorum, tempore verò temperatiori cydoniatum ex pulpa cydoniorum cocta in infuso polypodij, senæ ac seminum cartami ex vino subnigro facto, puluere radicis mechiochani adiecto paratum, tum quod turbit, ac modico diagridij est refertum, assumat.

Sed interim huc spectant, quæ caput peculiariter ab excrementis, & per nares, & per palatum expurgant; Idcircò herrina, & masticatoria primum mitia, deinde fortiora erunt ex vsu.

Huc etiam referuntur, quæ insensibiliter euacuant in quorum serie duo tempore D accomodato mihi videntur opportuna, vnum est decoctum guaiaci, & salsæ, cicoraceis, ac sandalis rubeis castigatum, alterum est terebintina cum puluere iuæ & sandalorum dictorum.

Verum & quæ exterius partibus recipientibus applicita discutiendo euacuant non sunt negligenda; quare merito partium superiorum lotiones ex thermis salsis, & sulphureis inunctionesque ex oleo salito accomodatas existimo, sicuti & gratia partium infernarum vsus recrementorum vuarum suo tempore, nunc verò ventriculorum veruecum maximè arridet.

Ex alterantibus primum occurrunt præparantia humores, quæ parari poterunt ex decocto betonicæ, iuæ, & cicoraceorum, cum sirupis appropiatis, deinde succedunt, quæ viscerum intemperantias auferunt, quare pro capite hoc tempore embroca cum aqua Porrectanea noua conueniens mihi videtur, cuius calor (si opus erit) cum

E portione Porrectaneæ veteris poterit commodè remitti, à quibus lotiones etiam ex lixiuio decoctionis simplicium capitalium moderatè calefacientium, & insigniter siccantium, loco saponis Agarico substituto non displicent: Atque hora somni nunc saccharum rosatum cùm bolo Armena, & conserua Anthos, tempestate verò anni futura, conseruæ capitales cum Mithridato, aut etiam ipsa theriaca proderunt.

Pro iecore thermæ Porrectanæ veteres epotæ omnibus præferuntur, quocirca, vt patiens Perillustris locum adeat, vbi spontè nascuntur etiam atque etiam hortor, nam ibi tum sub forma potus, tum sub embrocæ forma maiori cum fructu poterit vti. Succus pariter cicorij per se, & cum sero caprino probatur assumptus, quo succo, adiecto aceto, & puluere cerati sandalini hypochondrium dextrum superfundatur, maximam præstabit vtilitatem.

Et si aliquando dolores vrgebunt, pro cruribus lauacrum aquæ dulcis tæpidæ, pro F humeribus, & scapulis omenta veruecum primum in oleo lumbricato calefacta, deinde pulpa Cassiæ cooperta mirificè valent.

Sed inter cœtera victus congruens est necessarius, omnis itaque aeris iniuria fugiatur, eligantur cibi boni succi, ac vinum subrubrum, quod tempore vindemiarum guaiaco, & salsa cum sandalis parabitur. Et ab omni cibo, ac potu cydoniatum, vel saccharum rosatum, seu puluis coriandrorum de media cooperta assumatur, reliqua verò omnia respondeant, prout decet. Faxit autem D. O. M. vt hæc cedant in salutem perillustris, & nobilissimi equitis, quemadmodum ab ipso enixè præcor.

G PRO QVODAM EGREGIO PATIENTE ICTERITIA NIGRA, *obstructione lienis, & dolore eiusdem grauatiuo laborante.*

CONSVLTATIO XLIX.

SI casum propositi patientis diligenter intueor, cogor affiirmare nec locum affectum, nec affectum ipsum curandum vnum esse, nam meritò illius coloris fedi, & praui, qui in toto obseruatur, Cutis tamquam locus affectus est constituenda, sicuti ratione symptomatum, quæ ad hypochondrium sinistrum obseruantur, lien pro altero loco affecto censendus existit. Affectus autem cutis, vt de se patet H nullus est alius, nisi qui à vulgo mediocrum icteritia nigra nuncupatur, symptoma inquam in qualitate visibili mutata; Affectus verò lienis non est vnus, nam & obstructione ipsum laborare, vti tensio regionis eiusdem suadet, & à dolore grauatiuo solicitari satis constat, qui dolor grauans proprius est visceribus, quæ sensum habent ob membranas inuestientes, cuius prorsus naturæ lienem esse nemo est qui neget, & quam quam dolor prædictus morsum nonnum quam inferat, id ratione flatuum contingere non dubito.

Quibus ita sese habentibus generationem horum vitiornm huiusmodi fuisse puto, quod nimirum ex mutatione loci, atque habitationis ex comestione item piscium paludosorum, patiens noster alioquin melancholicus, à prædominio facilè sanguinem sibi melaucholicum copiosum comparauerit, qui in liene adauctus insignes, & contumaces pepererit obstructiones, propter quas repleto viscere humore crasso, ac terreo dolor grauans occurrerit, lacessito autem calore innato flatus interdum excitentur,

vnde

vnde aliquando morsus illi; Amplius propter easdem obstructiones impedita lienis facultas atractrix non potuerit (sicuti neque potest) sanguinem à succo limoso, terreoque depurare, hinc succus huiusmodi recurrens ex iecore in venas, & ex venis in cutim eandem colore illo fedo infecerit, quemadmodum sensus ipse demonstrat. A

Quare vt æger subleuetur, habita totius prouidentia Medicus totum studium ad aperiendas lienis obstructiones per attenuantia, & detergentia, ad roborandum calorem innatum eiusdem visceris potissimum, & ad discutiendum succum, qui cutim apprehendit, tandemque ad prohibendum ne de nouo generetur conuertere debet.

Verum tamen quoniam succus melancholicus propter sui peruicaciam, non ita facilè cedit materijs medicis, arbitror non nisi cum difficultate insigni Medicum sui voti compotem fieri posse; multum tamen spei remanet propter ætatem florentem, atque etiam propter id, quod mala hæc à causa extrena originem duxerunt.

Curatio ideò sectione venæ basilicæ sinistræ, apertione venarum ani, & inustione cauterij in crure sinistro pro parte erit absoluenda. B

Quocirca alia etiam pro ista curatione perficienda erunt necessaria, hinc lenita aluo syrupo de polypodio, & melle rosato soluentibus, præparatis humoribus decocto citrac, capillorum veneris, agrimonij, boraginis, fumariæ, lupulorum, additis syrupis conuenientibus, ijsdemque deturbatis infuso hellebori nigri cum melle ros. sol. aut confectione hamech cum electuario lenitiuo, deuenirem ego ad deobstruentia; Inter quę summoperè laudo ius Galli antiqui medicatum cum simplicibus iam dictis, atque etiam cum radicibus aperientibus filicis maris, liquiritiæ, & altheæ, item & cum tamarisco, prassio, ac ligno sassafras. Secundò laudo trociscos de capparibus, & de agno casto. Tertiò medicamenta calybeata, quibus omnibus puluis lienis equuli esset addendus, ac tempore vsus horum molienda est purgatio aliquot interuallis cum pilulis de helleboro.

C

Exterius pro toto corpore propono inunctionem factam ex oleo camomelino nitrato, pro liene verò fotum factum cum lapide molari ignito, aceto superasperso, probo & embrocam factam cum oleo amygdalino amaro, rutaceo, & nardino, sicut & ceratum Diachilon gumminatum cum trociscis de capparibus.

His omnibus addatur victus extennans moderatè, vnde mutato aere ad siccum, patiens debet vesci optimis carnibus, ouis, fisticis, capparibus sale conditis, amygdalis dulcibus, vinum bibat medicatum guaiaco, sassafras, ac tamarisco; Aluum lubricam seruet pilulis de aloe in prima mensa acceptis, quò pertinet & vinum medicatum cum sena, & reliqua omnia iam dictis respondeant, ac Deus patienti faueat.

D

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI FOEMINA sterili.

CONSVLTATIO L.

POSTQVAM omnibus est perspectum, nobilem, & illustrem fœminam infæcundam simpliciter, & non ad tempus existere, mihi interim circa causæ inuestigationem est laborandum. Quocirca cum sterilitas sit actio facultatis conceptricis vteri ablata, necessariò vel facultatem endem vitiatam, vel errorem aliquem externum sequetur & quorum vtrumque in casu proposito locum habere existimo.

E Coeterum quoniam facultas læditur ob vteri morbum, morbusque multiplex est, illam à morbo in intemperie frigida, & humida labefactari, non dubito, quando rugitus imi ventris circa regionem vteri fiant, flatus ab vtero erumpant, ac ab eodem aliquid albidioris materiæ stillet, quæ omnia soboles intemperiei frigidæ, atque humidæ existere solent, cui & diuturnitas vitiorum prædictorum sola attestatur. Verum tamen facultatem conceptricem in illustri muliere non ex propria natura tantum, modo iam explicato, sed etiam ex accidenti, læsa inquam retentrice frustrari existimo, vterus enim plusquam par esset, madidus, semen eiaculatum non retinet, semine autem non retento necessarium est, facultatem vteri conceptricem à proprio scopo deuiare, quod nobili fœminæ contingere dicunt, post coitum enim immediatè seminis portio ab vtero prolabitur, & post aliquot horas reliquum exit, quod in retentionem abolitam vteri referri oportet.

F Atqui eadem vteri facultas conceptrix ob externum errorem læditur, quoniam vix fieri potest, quin in muliere intemperie vteri frigida, & humida quasi natiua donata, bonum, & optimum semen generetur, atque ea ratione, quæ ad fęcunditatem est necessaria, eiaculetur.

Cur autem purgamenta illa alba ab vtero prodeant cum renum, ac dorsi dolore Illustrem etiam mulierem tempore mensium vexante, non est difficile intelligere ei, qui statum totius corporis eiusdem agnouerit; nam cum temperamento totius sit sanguineum cum subdominio pituitæ, facilè fit, vt pituita in toto coaceruata ad vterum, tanquam ad locum omnium recrementorum vna cum sanguine demittatur, atque sanguinis fluore subsequatur albida illa excretio, cui etiam non parum fauet vteri intemperies frigida dicta, merito cuius, calore natiuo lacessito necessarium est excrementa cruda coaceruari, quæ purgamentis illis albis citra omnium controuersiam

G præbent occasionem; Ac interea ab eadem pituita tempore mensium commota, agitataque, & in vapores resoluta per partium distensionem prædictum dolorem inferri non est, quod aliquis dubitet, quamquam etiam alia ratione dolorem hunc inferri affirmare possim, qua scilicet tempore mensium materia copiosa cum impetu ad vterum transmissa, vasa plus iusto replet, partesque adiacentes comprimit, ac proinde dolorem illum infert.

Vt ex his omnibus pateat, ad Medicum attinere vteri intemperiem calefacientibus & siccantibus amouere, ijsdem ventriculum, merito cuius pituitosus succus in toto redundat, alterare, prius tamen à colluuie pituitosa toto expiato; Atque vbi per alterantia iam proposita Medicus intentum obtinere non poterit, materiam, quæ iugiter ad vterum decumbit, in aliam partem deflectere studebit, tandemque vsui medicamentorum fęcunditatem iuuantium, insistat.

H Quas intentiones expleri vix posse autumno, quando vitia proposita natiua veluti sint, ac vteri malè temperati ex Galeno difficulter admodum concipiant; Quoniam tamen ætas florens, prudentia, obsequentiaque illustris sœminæ multum spei pollicentur, idcircò præsidiorum materiæ proponendæ.

A chirurgica itaque exorsus, statuo lenita aluo secandam esse basilicam dextram non solum, vt iecur euentetur, verum etiam vt reliquum corporis ad vsum, atque beneficium aliorum remediorum aptius reddatur; fonticulus quoque duplex, alter inquam in brachio sinistro, alter verò in femore dextro secundum partem domesticam inustus mihi probatur, quin immò & iuges extremorum frictiones, ac deligationes non displicent.

De pharmacis autem statuo, vt alia sint euacuantia, alia alterantia. In genere euacuantium, primum occurrunt, quæ id agunt sensibiliter, & sunt tum lenientia, tum purgantia; In serie lenientium, & cassiam cum speciebus hieræ, & mel rosatum soluens,

uens, præcipuè seligo, sicuti & in ordine purgantium agaricum trociscatum, Diaphenicum, & mel rosatum solutiuum cum decocto cartami diluta probo, atq; his, vel alijs similibus interuallis quibusdam constitutis vterer, in quem vsum præter iam dicta, & Diacartamum, & puluerem radicis Mechiocani summis laudibus extollo. A

Post hæc de pharmacis insensibiliter euacuantibus cogitandum, atque inter cætera tum decoctum sassafras, vel guaiaci cum china, & simplicibus matricalibus paratum, tum sal theriacale cum conserua saluiæ, vel altera Antidotus magna mihi vehementer probantur, quæ eo magis proderunt, si vna sudor promoueatur.

In genere alterantium primum sese offerunt præparantia, quæ ex betonica, artemisia, pulegio, origano, boragine, cicorio, coriandris præparatis, adiectis syrupis accommodatis parantur.

Secundò sunt alterantia viscera per contrarium, ideo ratione ventriculi præter decocta iam dicta, thermas calidas non solum bibitas, verum etiam & sub forma stillicidij ventriculo adhibitas maximè probo, sicuti & Ceratum ex mastiche, ac aromatibus confectum eidem applicitum; quò pertinet & ius galli, vel columbi Turrialis medicatum cum simplicibus stomaticis ad plures dies assumptum, nux quoque myristica, & radix Zinziberis saccharo condita deuorata sunt miri vsus. B

Pro vtero thermæ commemoratæ valdè proficuæ esse solent, inter quas Porrectanas nouas potissimum seligo, quibus non solum in potu, verum etiam & sub forma insessus nobilis patiens vti poterit.

Postremò & quam in serie alterantium conceptioni prestò esse possunt, haud sunt negligenda, mihi autem experta propono.

Et primum R. iuris Caponis consumpti, decoctionis Pulegij onc. 7.
pulueris seminum Ameos Orient. aureum. 1. C

M. & post mensales purgationes septem, vel nouem vicibus alternis diebus exhibeatur, atque tribus mensibus continuis hac ratione repetatur.

Alterum R. medullam nucis vnius Indicæ magnæ in parua frusta incisam.
Rasuræ eboris onc. 1.
matricem vnam leporis in furno siccatam, & pulueratam.
Nuces muscatas numero 2.
Cinnamomi electi drag. 2.
Cariophyllorum drag. 1. D
Radicis bistortæ onc. 2.

M. & bulliant in iij. lib. aquæ artemisiæ ad tertias, deinde fiat colatura cum f.e. & singulo mane post fluxum menstrualem per 16. dies lib. s. assumatur, super dormiatque patiens, vel saltem in lecto quiescat, Ac tempore vsus huius medicamenti interdicatur coitus, singulisque quatuor diebus de nouo idem paretur medicamentum.

Postremò succus saluiæ bibitus ad plures dies in eundem vsum facit, quibus, & suffitum cum trociscis subscriptis factum addo,

R. Sty-

E

℞. *Styracis Calamitæ drag. ij.*
ligni aloes drag. 1. ſ.
balſami drag. 1.
ambræ griſæ ſcrup. ſ.
muſci ſcrup. 1.
biſtortæ drag. 3.
Maſticis ſuillæ fæcundæ onc. ſ.
M. & cum ſucco ſaluiæ f. trociſci.

Peſſarium etiam huiuſmodi eſt opportunum.

F

℞. *foliorum Hyperici* }
Raſuræ eboris } *an. Exagium vnum.*
ambræ orient. }
muſci } *an. ſcrup. 1.*
ſpicæ nardi ſcrup. 4.

cum ſucco Nepitæ, & poline orobi excipiantur, atque ſerico coccio infecto-rio tincto, & ad formam peſſarij redacto illita ſubdantur.

G Illitio quoque ex balſamo naturali ante congreſſum facta mihi placet.

Tandem & inſeſſus ex thermis iam propoſitis ſolet plurimum iuuare, ſi in illis coquantur Daucus, radix biſtortæ, flores geniſtæ, been album, & rubeum, Artemiſia, Matricaria, lingua Auis, crocus Xylobalſamum, & Carpobalſamum, adiecto non nihil Muſci, & Ambræ. Oſſa etiam cordis Ceruini ſiniſtro brachio adligata plurimum valere, tanquam Amuleta referunt.

De victu nihil dico, quando ſciam curationi huius illuſtris mulieris præeſſe virum vndequaque doctiſſimum, & diligentem, qui nil omiſſurus eſt, quod tum ad viuendæ rationem, tum ad reliquas materias præſidiorum attineat. Deum autem O.M. precabor, vt illuſt. & nobilis hæc mulier ſui voti compos fiat.

H

PRO EGREGIO IVVENE PVLMONVM *inflammatione laborante.*

CONSVLTATIO LI.

IVVENEM egregium laborare ſecundum pulmones, indicatur ex tuſſi, difficili ſpiratione, item ex molli pulſu, & ex dolore grauanti, qualis obſeruatur in viſceribus, quæ ſenſum ex propria natura non habent, ſed tantum merito membranæ, qua circumuoluuntur, & quoniam præcipuè in parte dextra thoracis dolor percipitur, idcircò pulmones ſecundum dextram tantum partem laborare cenſeo.

Sed quisnam sit affectus illorum, sic breuiter declaro, vbi febris, & dolor coniunguntur, & præter hæc sensus caloris adiungitur, necesse est fateri partem illam, quam dolor, & calor occupant inflammatione tentari: Cum itaque in pulmonibus secundum partem dextram prædicta sentiantur, & febris continua comitetur, statuo pulmones inflammatione detineri, quæ nil aliud est, nisi tumor calidus; vt propterea interim circa morbum iu mala compositione versari, mihi onus impendat, circa tumorem scilicet, cui etiam adiungitur intemperies calida. **A**

Causa verò immediata huius tumoris est sanguis, non quidem biliosus, sed pituitosus, nam pulmones sua natura laxi vix humorem alium susceptum detinere possunt, & si illum detineant, necessariò crassus esse debet, & proinde pituitosus, qui sanguis putridus copiosus, ac nimis calidus existit, non generatur autem in loco affecto, sed fluit à toto, in nostro quidem casu, quantum ego puto per modum attractionis, nam, vt refertur, prius in thorace excitatus fuit calor, qui inter causas attrahentes principalis reponitur, euadit autem pituitosus ob materiam Catarrhalem à capite in pulmones decumbentem. **B**

Pro curatione igitur oportet, materiam fluxam euacuare, refrigerare, atq; dolorem lenire, eam verò, quæ fluit, retrahere, & prouidentiam ipsorum pulmonum habere.

Quas operationes absoluere, ac optatum finem obtinere, est valde periculosum affectus enim hic citò ad perniciem terminare solet, ac iure quidem, quoniam cum sit de genere acutorum maximum vitæ periculum habet adiunctum, quoniam maximus est in eo recessus à statu naturæ, & causæ morbificæ sunt insignis actiuitatis, summa ideò diligentia Medicus vti debet, vt (si modo fieri poterit) ad sanitatem patiens perducatur.

Quam primum ergo ad venæ sectionem basilicæ dextræ deueniat, quòd præsidij genus nullo pacto, nullaque ratione est differendum, quoniam quamquam virtus non sit admodum robusta, nihilominus omninò succumberet, vbi ab hac venæ sectione Medicus desisteret, vt ob id liceat venam etiam statim secare non lenita aluo, à qua postmodum frictiones, & ligaturas, aliaque præsidia retrahentia circa partes infernas non improbarem. **C**

Quoad pharmaca, si ad materiam fluentem dirigantur (vt primum dirigi debent) magis retrahentia materiam à pulmonibus ad intestina vsurpanda, in cuius genere sunt clysteres, sunt & pharmaca per os exhibita, inter quæ ego potissimum laudo Casiam, & mel violaceum solutiuum.

Ad lambendum autem pro interceptione materiæ ego probo præsertim iubeb violatum, Diatragagantum frigidum, & loch de mucilaginibus, atque pro eodem scopo adimplendo posset mane patienti dari syrupus, seu decoctum hordei, endiuiæ, violariæ, & pulmonariæ cum iuleb violato. **D**

Deinde ad euacuationem materiæ fluxæ vti licebit syrupo de capillis ven. de liquiritia, de farfara; de Althæa, loch item de farfara, pariter & de Althæa, atque de pulmone Vulpis, quod postremum semper omnibus alijs ad conseruandam pulmonum proprietatem erit immiscendum.

Exterius in principio mitigantibus dolorem est vtendum, quæ minimè vehementer repellere debent, ideò conuenit placentula ex vitellis oui facta in oleo rosaceo completo, sicuti & omenta in eodem loco calefacta, & Cataplasma ex lacte, pane trito, & oleo prædicto conueniunt, deinceps ad vnguentum ex Althæa cum puluere cumini, & ad Cataplasma ex radicibus Altheæ, atq; liliorum alborum, cum farina hordeacea, fabarum, oleo camomelino, & liliaceo descendendum, ac vt vno verbo rem ipsam complectar, quæ in pleuritide conueniunt, huc sunt referenda.

Quod non solum de medicamentis, verum etiam de victus ratione intelligere oportet,

E tet, solum illud de vino adnotare debet Medicus curans, vt omninò ab eo abstineatur, etiam si affectus in declinationem tendere incipiat. Deus verò ille sit, qui patientem in pristinam reducat sanitatem.

PRO QVODAM NOBILI IVVENE FEBRE TERTIANA CONTINVA nota proportionata correpto.

CONSVLTATIO LII.

F QVOD iuuenis propositus laboret febre ita de se constat, vt nulla penitus indigeat confirmatione, calet enim in toto plusquam conueniat secundum naturam; Quòd rursus febris hæc sit putrida ex præsentibus Symptomatibus colligitur, quæ sunt perpetui comites febris putridæ, non autem diariæ, neque hecticæ. Et quoniam febrium putridarum aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes, febrem, de qua interim agitur esse continuam, quia est immunis à rigore, dignoscitur; Quoniam rursus continuarum aliæ sunt continentes, aliæ proportionatæ, febris nostra est proportionata, nam alternis diebus habet exacerbationem, sine qua febris continua continens existit, vt vnica accessione contineatur; Demum quoniam febris proportionata, vel est tertiana, vel quotidiana, vel quartana febris præsens est tertiana, nam pendet à bile, quod cognosco ab ægri temperie, dolore capitis, G siti, inquietudine, ac tempore anni æstiuo, quæ omnia in vnius bilis generationem, & collectionem conspirant; Verum ob vitam anteactam pituitæ, ac humoris crudi feracem (plurimum enim in vsu fructuum, ac lacticiniorum patiens deliquit) puto febrem hanc non legitimam, sed spuriam esse constituendam.

Vtcumque tamen causa immediata eiusdem est fuligo putrida cordi communicata, causa verò remota est minera biliosa, & aliquo modo pituitosa, à qua fuligo illa putrida eleuatur, quæ quidem minera putrescit in venis medijs ob prohibitum transpiratum inductum ab obstructione illarum venarum, atque hanc obstructionem oriri tum à multitudine sanguinis, tum à crassitie, & lentore humorum existimo; A multitudine quidem sanguinis, quoniam patiens est temperamenti sanguinei subdominantis, hinc excernit quoque vrinas crassas, & rubras; A crassitie, & lentore humorum ob vitam progressam. Tandem causa remotissima est intemperies calida iecoris bilem multiplicans.

H Quibus ita constitutis, ad Medicum attinebit refrigerare, & humectare, materiam putrefactam eradicare, putrescentem per refrigerantia, & siccantia corrigere, obstructiones per euacuantia, attenuantia, & detergentia auferre, iecurque attemperare.

Cœterum intentum assequi, non erit vndequaque tutum, febris namque est continua, nulla autem febris continua periculo vacat, & summa cum ratione, quoniam sub ea maior est recessus à statu naturali, putredo est in venis, plura Symptomata coniunguntur, imminet tabes, & vires sæpius non resistunt.

Ideò (quantum ad materias medicas attinet) omnis prorsus diligentia est necessaria, quare lenita prius aluo clysteri venam cubiti dextri secandam esse statuerem, & si febris vltro progrederetur, ita vt vigesimum diem transcenderet, & saluatelam sinistræ manus secari posse non absque fructu putarem. At si opus fuerit ob capitis dolorem, extrema fricari, deligari, atque lauari poterunt.

De

De medicamentis verò statuo, vt leniatur aluus ante venæ sectionem clystere ex decocto hordei, & herbarum communium, oleo, melleq; violaceis, saccharoq; rubro paratis; post venæ sectionem cum syrupo rosato solutiuo, & sero, addito modico mellis rosati soluentis. Deinde pro humorum præparatione probo decoctum ex sonco, endiuia, acetosa, hordeo, & boragine, adiecto modico aceti in fine, interdum verò serum depuratum copiosum, & cum succo cicorij, ac acetosæ datum ad remittendum feruorem febrilem non improbo. Et ad humorum euacuationem omnibus præfero infusum Rhabarbari, & modicum Agarici trociscati cum syrupo rosato soluente, postquã euacuationem alterantibus vti licebit, inter quæ ego primum omnibus præfero idem serum cum succo sonchi, deinde laudo conseruam cicoraceam cum puluere confectionis ex tribus sandalis. Exterius valet irrigatio hypochondrij dextri cum succo sonchi, endiuiæ, & aceto cum puluere sandalorum. His non conferentibus, ac febre vltrò progrediente, necesse erit deobstruentia mediocria propinare, inter quæ mihi arridet, vel ptisana facta cum radice. Apij rec. vel oxymel simplex cum iure pulli, decoctionis agrimonij, vel decoctum agrimonij, Capillorum ven. citrac, radicis Apij rec. cicorij, & boraginis cum aceto, quibus non conferentibus, ad trociscos de Rhabarbaro, de eupatorio, de rosis, & de absynthio deueniendum, tandem repetenda purgatio pilulis de Rhabarbaro, vel aggregatiuis, adiecto item Rhab. Febreque progrediente, & absente prohibente, balneum aquæ dulcis omninò laudarem, Ac viscera tandem corroboranda Diarhodone Abbatis, & confectione ex tribus sandalis.

Pro victu autem primum eligendus est aer frigidus, deinde nutriendus est æger Ptisana, & pane ex iure pulli; pro potu verò dandum est vinum granorum aqua dilutum, quò pertinet & decoctum prunorum, vel passularum. Aluus mollis est seruanda clysteri iam dicto, somnus (si fuerit opus) lacte seminum papaueris cibarijs immixto conciliari poterit, Demumque corporis, & animi quies imperabitur. Et hæc Deo auspice cedant in salutem ægrotantis.

PRO EGREGIO VIRO PHTISI, destillatione calida, acri, & maligna, itemque singultu, ac siti clamosa detento.

CONSVLTATIO LIII.

TAMETSI vir egregius plura patiatur mala, primarium tamen, ac magis formidabile Phtisim esse censeo, quam præter pedum tumorem œdematosum, indicium mali habitus totius corporis comitis ipsius, colligo ego ex vnica eiusdem natura à Galeno proposita 7. Aphor. 16. quæ tribus potissimum proprietatibus continetur. Prima est, quod adsit extenuatio totius corporis, seu malus habitus, nam cum propter febrem adiunctam calor cordis, & proinde totius plurimum langueat, non attrahitur alimentum, non concoquitur, nec assimilatur, hinc extenuatio, & malus habitus.

Altera proprietas est febris lenta, quæ hectica dicitur, solet autem febris hæc accendi, quoniam propter viciniam pulmonum, incendium cordi secundum substantiam solidam communicatur, huic autem febri, in casu nostro, attestatur calor mitis primo occursu, cui accedit & illud, quod patiens se febrire non percipit.

Ad

E Ad hæc quoniam valdè consumptus, & emaciatus est, & pulsus etiam indurescit, dubio procul febris hæc secundum gradum attingit.

Tertia, & vltima proprietas est vlcus pulmonis, veræ affectrix causa omnium aliorum malorum in Phtisi, vlceris autem huius in præsenti fidem facit sputum purulentum, graue olens.

Et si quis quæreret an vlcus in aspera Arteria, ac in thorace, quod sæpius fieri solet ex 4. de locis affectis, possit esse causa Phtisis.

Dico, quod in partibus illis dubio procul fieri potest vlcus, sed quod peculiari ratione ad Phtisim attinet est vlcus pulmonum, quale hic propriè locum habet, quoniam nullus persentitur ab egro dolor ad pectus, & sputum copiosum eijcitur, quæ non euenirent, si vlcus esset, vel in thorace, vel in aspera Arteria; his & illud accedit, quod quia patiens non decumbit supra partem dextram, necessarium F esse nemo sit qui dubitet, partem pariter pulmonum dextram laborare, cuius eam censeo rationem, quod pulmonis pars sana, dum in latus dextrum decumbit, ægram comprimit.

Cum igitur in pulmone adsit vlcus, arbitror in substantia illius, non autem in vasis residere, quia non præcessit sputum sanguinis: Quod si etiam vasa apprehenderet, & sputum ab omni cruore esset liberum, non mirum videri deberet, quoniam sanguis à proprijs vasis egressus in pus conuertitur, atque sic nullam sui notam præseferre potest, sicuti licet obseruare in vlceribus partium externarum cum vasorum corrosione.

Quoniam ergo proprietates ipsius Phtisis à Galen. loco cit. propositæ in egregio viro obseruantur, merito Phtisicum esse, ac merito huius mali pulmones affici tertio de præsag. expulsibus supra decreui.

G Et quamquam Galenus in libro de Marasmo primo dixerit totius extenuationem supponere prius cor affectum esse, Dico id quidem verum existere, sed ex consequio quodam, prius enim pulmo, deinde cor afficitur, præterquam quod diuersa est affectio pulmonis, & cordis, nam pulmo vlcere, cor verò extenuatione laborat, etsi minus toto extenuetur, quoniam natura prouida cordi tamquam forti, & origini vitæ nostrę attractricem vehementem contribuit.

Sed alterum malum iam proposito in patiente nostro coniungitur, & est destillatio calida acris, & maligna, vt non sit mirum si partes oris abradat, & sputa flaua, atque rotunda patiens reddat.

Nec obstat, quod non persentiat salsedinem, primum quoniam ab assuetis non fit passio, secundo quia errata externa in aeris, & alimentorum vsu perquam commodè possunt salsedinem, atque acredinem ipsius destillationis obtundere, ac imminuere.

H Atqui & singultus sæpius etiam virum egregium infestat, itemque postremò sitis clamosa eundem exercet.

Quorum omnium præternaturam affectuum causæ sunt perquirendæ. Causam itaque proximam Phtisis eam esse, quæ vlceris est causa non hæreo, quæ duplex ex Galen. 1. Epid. 17. existere potest, altera affectus pulmonum, altera defluxus à capite, in præsenti non prima, quia vas aliquod pulmonis incisum antea fuisset, & præcessisset sputum sanguinis; sed postrema locũ habet, defluxus inquam à capite, salsus, quem passus æger fuit, cui accedit, quod materia catarrhalis ob moram in pulmonibus acredinem à putredine suscipit, qua media corrodit, quam etiam causam nunc fouere, augereque vlcus arbitror.

Causas verò remotas internas in intemperiem hepatis calidam, & capitis potissimum humidam refero, quibus habitus corporis per se pronus ad Phtisim addi debet; Externos autem errores in victũ fuisse non dubito.

De-

Destillationis causa agens meo iudicio est calor putredinalis, at materialis est pitui A ta excrementitia in capite congesta, necnon vapor exustus à iecore eleuatus, itemque flaua bilis transmissa.

Singultus causam, materiam imbibitam in partibus neruosis oris ventriculi, noxiam, & infensam naturæ censeo, hinc refugiens natura motum contractionis, expellens verò tensionis motum efficit, in quò propriè singultus consistit.

Sitis interim causam, quæ ex Galeno primo simpl. tertio duplex esse potest, Caloris copiam existimo propter obstructiones insignes ad hypochondria, sicuti indicio esse potest pulsus Arteriæ magnæ ad ventriculi fundum perceptus, qui etiam si in extenuationem referri possit, in obstructiones tamen eo magis refero, vnde putredinalis calor, & quasi exurens ortum ducit.

Ex quibus omnibus necessariò patet, quales nam debeant esse scopi curatiui, merito namque vlceris principalis est consolidatio, sed prius vlcus detergendum, & siccandum, parsque deficiens restituenda. B

Merito destillationis eam siccare, & finire tenetur Medicus per ablationē inquam intemperierum hepatis, & capitis præsertim, quod si non posset consequi, atque destillatio progrederetur, aliò conuertat oportet. Merito singultus materia in ore ventriculi impacta est discutienda, merito denique sitis, obstructiones sunt reserendæ.

Sed negocium hoc absoluere (quantum ego puto) est impossibile, nam quod spectat ad Phtisim, hæc est insanabilis, primum quoniam vlcera curantur in quiete, & pulmo vlcere causa Phtisis immediata detento continuò mouetur. Secundò, quia si deberet sanari, oportet per sputum, ac tussim pulmones expurgare, tussis autem vlcus auget. Tertiò demum, quoniam remedia vndequaque conuenientia non possunt adhiberi, nam si adstringentia, non penetrant, si calida, & sicca, inflammationē augent, & febrem, si calida, & humida, putredinem fouent. Sed neque destillatio sanari poterit, quoniam est in habitu, itemque contumax, & maligna existit. Et quamquam ratione singultus, & sitis facilè sit intentum assequi, non tamen propterea patiens non periclitabitur ob rationes adductas. C

Cui vt vita, quantum fieri possibile erit, producatur, & prorogetur, harū materierum medicarum vsus illi est necessarius. Quocirca ex chirurgicis cauterium duplicatum, quod setaceum dicunt, in occipite factum, & vesicantia suturis adhibita probo.

Ex pharmaceuticis, lenita aluo cum manna, & mel. viol. sol. præparatis humoribus cum iure medicato betonica, violis, fartara, capillis ven. hordeo, liquiritia, pulmonaria, purgandi sunt humores cum decocto cartami, in quo infusus fuerit agaricus trociscatus, vel cum trociscis de violis absque scammonio, & manna.

Pro euacuatione particulari probantur lambitiua euacuantia sensibiliter, & loch de pulmone vulpis, sanum, & expertum, & de succo caulium; Quòd si insensibiliter sit D euacuandum probatur decoctum chinæ cum simplicibus dictis in ventre pulli iunioris decoctæ, probantur & Mithridatus, & Theriaca antiqua cum conserua violarum exhibita, extra conueniens est emplastrum ex farina lupinorum, fabarum, erui, & hordei cum oleo anethino, vino, melle, & aceto.

Ad detersionem verò therebintina lota cum aqua Violarum, & puluere liquiritiæ, ac ireos, & si fortiora sint necessaria oxymel, & acetum medicatum cum Scylla erit opportunum, quod si timeatur mel, quoniam corpora extenuata inflammat 10. Metho. & libro de Marasmo, saccharum substitui poterit, lac item asininum cum saccharo valet ad detergendum per aliquot dies repetitum, nam & caprile post illud, quia magis est crassum, ac terreum puluere mastiches, olibani, & sacchari ad restitutionem eius, quod deperditum est in vlcere probatur.

Tandem pro falsa consolidatione, seu callo inducendo secundum aliquos, idem lac

caprile

E caprile cum puluere boli Armeni, & sacchari est accommodatum, sed ego in similibus casibus ab eo abstinere soleo, & saccharum rosatum antiquum cum puluere boli Armenæ, itemque serum calybeatum, prius tamen destillatum cum radice consolidæ maioris, & equiseto; Tandemque ad extenuationem lac humanum, destillatum caponis cum limacijs, ac testudinibus nuceque Indicæ, item & quod restauratiuum dicunt ex carne horum animalium cum pineis, fisticis, amygdalis dulcibus, auellanis, & speciebus Diatragaganti frigidi, adhuc & syrupus de testudinibus, sicuti & balneum aquæ dulcis summoperè conueniunt.

Verum pro capite cherrina, ac per nares euacuantia primum vsurpanda, in quem vsum facit decoctum hordei, & anagallidis cum mel ros. sol. deinceps ad euacuantia insensibiliter, & alterantia descendendum; Embroca ideo, vel lotio exiccans in actiuis temperata, sicuti & ceratum capitale de betonica, & puluis capitalis ex stecade, F cariophylis, myrto, rosis, mastiche, sandaraca, syncipiti apposita probantur, hora verò somni saccharum rosatum cum bolo Armeno, ac modico theriacæ erit opiferum. Pro embroca valet aqua Aquariana, in qua alumen, stecas, atque sampsucus sint incocta, pro lotione autem lixiuium dulce decoctionis rosarum, myrti, baccaræ, hederæ terrestris, sandali albi, & stecadis esse poterit ex vsu, quemadmodum & pro feruore iecoris compescendo, præter genera lactis, & serum iam dicta, succus cicorij cum iure pulli consumpto valebit.

Victus ratio huiusmodi sit oportet, vt scilicet patiens omnes aeris iniurias aufugiendo, aerem siccum, & crassum inspirandum seligat, vnde habitatio maritima proderit, hinc veteres illi sapientiores Phtisicis nauigationes in Aegyptum ex Celso præscribebant, tanquam opiferas. Cibus ex ptisana, alica, oriza, millio farre, amilo, & lacte conueniet, lacitem amygdalarum, pinearum, & quod ex amygdalis dulcibus fit cum G melle, sacchoro, & butyro proficiet, quemadmodum ptisana ex millio maximè proderit. Inter carnes probo pullum, perdicem, vitulum, atque hœdum, sicuti limacias, testudines, & gambaros. Ea tamen ratione, vt cibus parum, & sæpè patienti offeratur. Vinum sit album, tenue, & subausterum, medicatum tamen cum cl[illegible], ac pulmonaria. Aluus non admodum, sed mediocriter irritetur; Somnus fiat moderatus; motus animi, itemque corporis euitetur, gestationes tamen non improbantur. Deus autem O. M. patienti misero propria benignitate commotus succurrere non dedignetur.

PRO NOBILI ASCVLANO VLCERE intestini recti ad natem sinistram pertingente detento.

H

CONSVLTATIO LIV.

MEDICVS non semper medetur, vt sanet, sed vt quandoque miseris ægrotantibus vitam producat, idcircò in casu nobilis viri proposito, si non primum, secundum obtinere studebit, quibus autem instrumentis id assequi possit, manifestum fiet, si quid faciendum per indicationes adinueniatur, dicationes verò à suis indicantibus, potissimum ab essentia morbi sunt desumendæ non immeritò Galenus aliquando dixerit in instituenda medicatione exordiendum esse à rei natura.

Morbus

Morbus itaq; quo nobilis patiens detinetur est vlcus intestini recti ad natẽ sinistram pertingens, eandem perforans, putridum, virulentum, sinuosum, atque fistulosum; putridum quando saniem; virulentum, quoniam ichorem flauum, prauum, & malignum emittit, fistulosum, quia dolor non infertur, nisi ex magno humorum affluxu, qui potius in adiacentibus partibus dolorem excitat, sinuosum tum propter loci capacitatem ex parte natis, tum propter copiam exeuntis; Verum intestinum esse affectum, & perforatum stercus bis à foramine natis excretum persuadet. A

Cuius vlceris principia fouentia eadem omninò sunt cum his, quæ fuerunt excitantia, adusti nimirum humores cum ichoribus permixti, humores autem partim attracti, partim illuc transmissi fuere attracti quidem, saltem primis diebus vi doloris, à toto verò transmissi, quandò Galenus in libro introduct. Vlcus callosum totius corporis affectum esse dixerit. Sed à toto praui illi succi merito iecoris ob feruorem eosdem aggenerantis transmittuntur, quem quidem feruorem iecur nactum fuit occasione febris pestilentis de ardentium serie, quam patiens diebus superioribus passus fuit, quare succos prauos, copiosos genitos fuisse post febrem illam, sicuti & antea, non est quod aliquis dubitet, qui primum per totum corpus propagati, deinde naturæ infensi tandem ad intestina expulsi sunt, quo vbi peruenerunt, partim cum impetu excreti sunt partim verò intestino recto hærentes vlcus magnum excitarunt, & sic in dies magis, ac magis aucta fluxione, perforatum fuit intestinum, materiaque per natem propagata, eandem totam obsedit, & abscessum induxit, qui cum non potuerit ob continuam materiæ tum humoralis, tum stercoralis subministrationem ab eodem intestino recto sanari, necessariò fistula subsequuta fuit. Verum & varia in victu errata, & corporis temperies biliosa, genusque vitæ laboriosum malo prædicto haud exiguam suppeditarunt occasionem. B

Vt ex his quid sit faciendum innotescat. Primum etenim prouidendum est, ne humores, & ichores fluant, quod Medicus assequetur, vbi eorumdem generationem prohibebit, aut saltem eosdem genitos aliò conuertet, & quantum fieri poterit absumet; generationem, si intemperies calida iecoris amoueatur, amouebit, quibus peractis vlcus ex 3. Meth. per detergentia, incarnantia, exiccantia, & consolidantia curandum esset. C

Verum tamen hæc opera perficere ex parte vlceris intestini, non est possibile, primum quoniam tota substantia eiusdem membranosa est exæsa, secundo quia pars hæc propter continuam abster sionem à stercore, & ab humoribus factam medicamentorum vsum non admittit, sicuti neque beneficium eorundem admittere potest.

Ex parte verò vlceris natis pariter opus Medicum est si non impossibile, saltem valde difficile triplicem ob causam, propter fistulam scilicet, saniem ichorosam, quę nimis humectat, & demum quoniam a b intestino recto continuò pars affecta suscipit excrementa. At ex parte impedimentorum, quæ occurrunt (siue hæc ad materiam prauam iam genitam, siue ad eiusdem nouam generationem attineant) puto illa Medicum curantem pro maiori parte remouere posse. D

Quocirca, si materias chirurgicas animaduerto, primum, vt gratia euentandi iecur basilica dextra aperiatur etiam, atque etiam laudo, immo verò fonticulos in vtroque brachio, frictionesque, ac deligationes partium supernarum summis laudibus extollo, & meo iudicio locus ille affectus in nate vsque ad intestinum esset aperiendus, ita vt apertio (si possibile fuerit) ad collum vsque pertingat. Poterit autem locus ille, vel cum ferro incisorio, vel candenti, vel cum caustico medicamento aperiri, factaque apertione, primum cum stupis lineis albumina oui sunt admouenda, deinde ad alia medicamenta inferius proponenda deueniendum, verum, & vlceri etiam intestini consulendum erit, prout infra dicetur.

E Quòd si ad materias pharmaceuticas me conuerto, lenita aluo cum syrupo de polypodio, præparatisque humoribus decocto fumariæ, lupulorum, boraginis, cicorij, hepaticæ, ijsdemque deturbatis infuso hellebori nigri facto in decocto rerum cordialium, & myrobolanorum indorum, adiecta manna, & syrupo de polypodio, modicoq; Rhabarbari in substantia, à diureticorum vsu nullo pacto recederem: Quare serum destillatum copiosè bibitum cum syrupo de liquiritia mihi maximè arrideret, insisterem etiam vomitui à cibo, per certa quædam, constitutaque interualla facto, tandêq; mea sententia enitendum esset, vt reliquiæ prauorum succorum decocto salsæ, chinę & sandalorum citrinorum cum cicoraceis absumerentur, in cuius decocti vsu ad plures dies patiens prosequeretur, At vbi Medicus præsens aliquam ad sudorem inclinationem naturam habere, cognouerit, illi præsto esse debebit. Sed ante huius decocti vsum, vt aquam Tettuccianam per quattuor, vel quinque dies æger ebiberet, F summoperè probarem, sicuti & tempore decocti, si eadem aqua sæpius cum caterete inijceretur, demumque facta diligentia abstersione, iniectionem ex decocto aut linguæ serpentinæ, aut equiseti, aut ex succo virgæ auræ, aut ex aqua Villensi decoctionis aluminis, & boracis, mineralis plurimum probarem.

Cœterum & ad medicamenta vlceris natis est descendendum, detractis ideò albuminibus superius dictis, materia circumfluxa, & circumbibita, vnguento digestiuo loto, ac therebintina est suppuranda, & suppuratione absoluta, durities, vel puluere radicum hellebori nigri siccatarum, seu calcitidis est delenda, in quem vsum faciunt trocisci de Minio Ioannis de Vigo, præcipitatum, viride æris, vnguentum Aegyptiacum Auicennæ, ac tandem oleum calcanti. Sinus verò, atque cauitas abstergentibus, quæ leuiter exedant, est amouenda, idcircò & mulsum cum aloe, & Aristolochia, vnguenta Iside, & Damascenum maximi videntur vsus; à quibus vlcus abstersum, sarG coticis repleatur, ac denique ad cicatricem accomodatis medicamentis perducatur; Puluis ideò sarcotius ex Aristolochia longa, thure, & myrrha parari poterit, & pro cicatrice inducenda ceratum Phœnicinum erit opportunum.

Post quæ omnia vni iecoris alterationi incumbendum per aquæ Villensis potum, per vsum perennem conseruæ cicoraceæ, ac tandem per perfusionẽ cum succo cicoraceorum cum puluere confectionis ex tribus sandalis, & aceto hypochondrio dextro adhibitam.

Studendum tamen inter cœtera, vt victus exiccans, minimè verò calefaciens instituatur, quare cibi facilis coctionis, boni succi, carnesque assæ patienti offerantur oportet, quod si elixæ, in aqua calibeata coquantur; fercula item ex oriza, farre, millio, & panico cum ouis parentur, atque dulcia omnia (passulis exceptis) salsa, acria, amaraque deuitentur, olera tamen aliqua siccantia, & adstringentia, sicuti H & fructus eiusdem census concedantur. Vinum eligatur pauciferum, & subausterum, potius rubrum, quàm album calybeatum, vel auratum cum sandalis, & salsa medicatum, ac (vt omnia vnico verbo complectar) reliqua his omnibus respondeant. Deusque patienti præsto esse ne dedignetur.

PRO

A

PRO ILLVSTRISSIMA BEATRICE ESTENSI DE BENTIVOLIS Paruo hæmitriteo, febre inquam putrida quotidiana continua, necnon tertiana intermittenti, ac puerperio imminuto laborante.

CONSVLTATIO LV.

POSTQVAM à viris clarissimis constitutum fuit, Excellentissimam Matronam à sexdecim diebus febre laborare, & à septem iam puerperam esse, habuisseque partum in mense octauo, qui per biduum tantum vixit, mihi interim meas partes agenti quattuor erunt examinanda. Primum quales nam sint illi propriè affectus, qui eam infestant. Secundum an sint sanabiles. Tertium quibus remedijs. Qurrtum quibus remediorum materijs.

E

De primo statuo febrem, & hanc ipsam putridam (vt fatentur omnes) necnon puerperium valde imminutum esse vitia, quæ Illustrissimam Matronam affligunt, & circa quæ mihi interea est digredienum, ea tamen ratione, vt cum Galeno initio primi ad Glauconem ex medendi Methodo remedia illis conuenientia inuenire, inuentisq; rectè vti possim: sed cum remedia varientur pro varietate essentiæ, ac existentiæ morborum, idcircò morbi propositi considerandi erunt quoad propriam tùm generationem, tum læsionem, nam illa ad essentiam, hæc verò ad existentiam attinet; Ad hæc quoniam generatio supponit quidditatem, & morbi lædunt cum intensione, seu remissione, sub aliquo more, ac in tempore præfinito, ideò non tantum mihi de quidditate, & principijs generationis horum morborum est agendum, verum etiam de intensione, more, ac tempore, seu motu, nam tempus, vt numerus motus, ex motu innotescit.

G

Vt igitur à primo exordiar, ad febrem me conuerto, quam tanquam putridam ab omnibus receptam & ipse recipio; verum quoniam febrium putridarum aliæ continuò, aliæ cum interuallo affligunt, febrem hanc nunc esse mixtę naturæ puto continuò namque affligit, vt nemo iugi pulsus frequentia, celeritate, ac inæqualitate febrium putridarum proprius ductus negare potest; cum interuallo autem, quoniam alternis diebus horror quidam inuadit, qui à continuis, ex Galeno, non modò si intensus, sed etiam perseueret est seiungendus. Vt ex his pateat, febrem hanc interim esse de genere hæmitriteorum, nam primis diebus fuit febris tertiana simplex interprolata, sed valdè extensa.

H

Et si quis obijceret nnnc forsan etiam extensam esse, ac paroxismum alterum alteri subingredi. Dicerem primum non dari tertianam, quæ nouum paroxismum attingat, nam accessio tertianæ ad quadraginta horas tantum extenditur, & amplius extensa dicitur. Secundò, dato quod hoc esset, iam non appareret ratio, cur ea die, qua horror non accedit, febris præsens circa Vesperas exacerbaretur, cum accessionem præcedentem cum horrore ingruentem suam exacerbationem citius habuisse par sit.

Febris igitur nostra est composita ex quotidiana continua proportionata, ac tertiana intermittenti, qui complexus semitertiana etiam, atque paruus hæmitriteus vocari solet ad medij, & maioris hæmitritei, differētiā ille enim ex tertiana continua, & quotidiana intermittente, hic verò ex tertiana continua, & quartana intermittente componitur. Nostri autem parui hæmitritei meminit Hippocrates primo Epid. Commentario primo t. 23. & primo eiusdem Comm. 3. Tex. 5. qui cum duplex sit, equisitus,

E & non exquisitus, ille fit ex pituita, ac bile ex æquo putrescentibus, hic verò ex ijsdē humoribus, quorum vnus alteri dominatur.

Pituitam in Illustrissima Matrona prædominari, ab hora motus, nam febris quotidiana putrescentis pituitæ soboles circa Vesperas (quo tempore pituita mouetur) exarcerbatur, item ab vrinis, & alui excrementis pituitosis facilè est intelligere, in cuius confirmationem facit sitis non molesta, & mador quidam lentus, ac viscidus per totum erumpens, vita sedentaria, atque etiam totius habitus subpituitosus, quinimmò (vt accepi à viris doctissimis) non tantum excrementa potissimum alui sunt succo pituitoso, & hoc ipso vitreo referta, verum etiam & vomitus, quem superioribus, diebus nobilissima patiens habuit, eodem penè humore scatebat, quibus omnibus & illud addo, quod Mulieres vtero gerentes huiusmodi succi colluuiem ob menstrui retentionem vitiata prima coctione sibi comparare solent, vt ex his alicui mirum videri non F debeat, si nobilissima Matrona vtero gerēs in fine septimi mensis, generationem prædicti humoris excrementitijs, & ab huius generatione febrem quotidianam incurrerit, quæ (vt illud etiam non ommittam) videtur quoque sapere naturam illarum febriū quas Galenus contra Lichum, Tiphodes, & Elodes vocabat, sub quibus ægrotantes ferè iugiter sudant.

Cœterum, tertianæ febris notæ, sunt quæ bilem putrescentem ostendunt, calor inquam satis mordens, qui alioquin mitis esse ob pituitæ copiam deberet, atque hic circa meridiem, qua hora bilis mouetur, accedere solet, dolor etiam capitis punctorius, vomitus biliosus, sitis aliqua, quamquam non molesta ob pituitæ præsentiam, ætas primi floris, atque Archigenis coniectura, quoniam scilicet istis diebus tertianę vagatæ fuerunt.

G Atqui dicet ille tertiana hæc dubio procul erit de genere notharum propter pituitæ redundantiam, ita vt tertiana maioris famæ dici mereatur, quo dato iam insignis occurrit difficultas, quod videlicet cum denominatio fiat à prędominanti, & pituita, vt statutum fuit, longè, lateque prædominetur, potius febris hæc intermittens quotidiana, quam tertiana vocanda erit.

Dico respectu febris quotidianæ pituitam non tantum copia, sed etiam virtute dominari, respectu autem tertianæ copia tantum, bilem verò virtute; modo denominatio à prædominio virtutis fieri debet, & summa cum ratione, ideò cum bilis in casu nostro secundum virtutem præualeat, iure febrem propositam tertianam dixi.

De puerperio ita sentio, vt citra omnem controuersiam sit imminutum, quia tametsi illustrissima fœmina non sit sanguine repleta, vt hac ratione non videretur hoc mali genus pati posse, nihilominus, quia iam septem tantum dies à die partus distat, puerperium adhuc emanare debere rationi esset consentaneum, & eo magis, quoniam H corpus illius valde cacochimium prauisq; succis redundans obseruo, quibus accedit quod vltra solitum mesta nobilissima patiens existit, quæ duo hoc morbi genus insequi solent.

Cum igitur hæc sint vitia curanda, puto ea ipsa à communi causa, vnica nempè pituita pendere, hæc enim in venis ad vterum attinentibus recepta parit obstructiones, à quibus expultrix vteri impedita in proprio opere frustratur, atque sic puerperium, quod est Symptoma secundarium in genere excretorum in quantitate decenti non expellitur. Rursus eadem pituita in venis medijs totius corporis suscepta pariter illas obstruit, transpiratum prohibet, putredinem in pituita, in ijsdem venis existente parit, à putredineque fumi exusti cordi communicantur, hinc occasio febris quotidianæ continuæ proportionatæ nam, vt omnes norunt, in febribus continuis proportionatis locus putredinis sunt venæ mediæ; Ad hæc eadem pituita per venas capillares ad ambitum corporis attinentes propagata, similiter illas obstruit, &

modò

modò iam dicto febrem in humoribus pituitoso, ac bilioso simul mixtis accedit. A

Et si quis quæreret, quo modo fieri possit, quod in venis medijs aliqua bilis portio non subsit, quoniam in his febribus absque dubio humores ij simul mixti transmittuntur à venis maioribus ad medias ad capillares, nam febres cum accessionibus pro maiori parte ortum habent à transmissione materiæ.

Dicerem id contingere, quoniam transmissio bilis, & pituitæ simul non sit eadem hora, quà transmissio pituitæ tantum, quoniam bilis propter sui acrimoniam facultatem expultricem irritando, est sibimet causa, vt ad venas vsque extremas expellatur, cui fauet & agilitas eiusdem humoris ad motum, necnon habitus corporis admodum rarus.

Et si rursus aliquis quæreret, cur nõ fiat rigor, sed paruus horror, ac frigus, quando bilis ob rationes dictas soleat rigores efficere.

Dicerem hoc euenire, quoniam portio bilis, quæ à venis capillaribus ob concitatũ motum expultrici egredietur, ac per partes sentientes discurrit, permixta est cum aliqua pituitæ tenuioris portione, à qua & ipsius acrimonia, & ad motum promptitudine imminuta rigor de more non succedit. B

Iam verò febrem hanc ratione saltem Symptomatum concomitantium nullam intensionem habere existimo, quando hæc ipsa in casu nostro nullam magnitudinem præseferant; non nego tamen ratione essentiæ, qua scilicet febris duplex est, atque altera continua existit, magnam dici posse.

De more illud pro certo habeo, quod nimirum febris proposita sit bene morata, atque à malitia immunis, nulla namque Symptomata, quæ prauitati attestantur, hucusque magna superuenerunt, magna inquam, & in propria essentia, & ratione præstantiæ partis laborantis, ac malæ tolerantiæ.

Tempus autem eiusdem febris ex motu morbi, motus ex alteratione; & coctione materiæ, coctio autem, ex Galeno nono Meth. capite quinto, non tantum ex vrinis à posteriori, verum etiam à priori ex pulsu innotescit; Quare cum vrina signa coctionis manifesta, sed imperfecta præseferat, patet febrem hanc non ità citò esse terminaturam, vt meo iudicio ad quadragresimum diem possit peruenire, nam quamquam sit in augmento vniuersali, quod immediatè ipsum statum præcedit, quoniam tamen augmentum in morbis, qui à materia crassa, & lenta dependent, semper protrahi solet, non abs re ideò ad quadragresimum diem, & forsan etiam paulò vltra morbum hunc pro maiori parte à materia crassa pendentem deduci posse sum arbitratus; Idem etiam ex pulsu liquet, quia hic ipse in Illustrissima Matrona non vsque adeò validus obseruatur, vt huiusmodi caloris natiui robur præseferat, quod citam humorum coctionem, & proindè proximum morbi finem possit polliceri. C

Sed iam (quod pertinet ad secundum propositorum) explicemus quisnam sit futurus hic finis, vt igitur liberè loquar, puto finem salubrem futurum, quoniam Illustrissima fœmina facilè spirat, dolore non angitur, benè dormit, atque morbum hunc facilè tolerat, præterea prudens, & obsequens est, vt his omnibus rationibus adductus sanitati restitui posse confidam. Et quamquam febris hæc, vt dicam, aliquod sibi periculum adiungat, & in longum protrahi multum possit, nihilominus anni tempus æstiuum, atque Medicorum curantium solertia, & diligentia satis insignis hæc duo poterunt quam facilè emendare. Prouintia tamen hæc ab omni difficultate, & periculo immunis minimè censenda est, nam præterquam quod plures morbi simul complicantur, & contraria remedia exigentes, agendum est contra febrem continuã, & quę tertiò quoq; die fortior fit, quam periculo non vacare scribebat Hippocrates. D

Quæ nam autem sint remedia in hoc casu conuenientia sic adinuenire licet. Morbi ij habent suæ occasionis inicium à pituita copiosa, lenta, & crassa genita in ventriculo

 frigidiore

E frigidiore, necnon à bile copiosa à iecore feruidiori producta, & vtrisq; ad locum putredinis transmissis, ergo hosce succos oportet euacuare, sed eosdem prius calefacere, refrigerare, detergere, ac attenuare, oportet etiam & eos à loco putredinis retrahere, ad quem vbi peruenerint, si sint putrefacti oportet illos eradicare, si putrefiant refrigerantibus, & siccantibus corrigere, atque puerperium fluxile reddere, & vt nobilissima Matrona magis, ac magis præseruetur ventriculū calefacere, ac iecur refrigerare necesse erit; Interimq; calor febrilis attēperādus, & virtus alimonijs erit cōseruāda

Postremò quantum ad materias Medicas attinet sic procedendum arbitror, vt lenita aluo clysteri communi mane, qua hora febris remittit, vena tali aperiatur, deinde partes infernæ iugiter fricentur, deligentur, atque ventosentur, vt scilicet puerperium imminutum iam euocetur.

F Verum & medicamentis vtendum, quæ ad euacuantia, & alterantia redigo; In genere euacuantium tum lenientia, tum purgantia propono. Et quamquam lenita fuerit aluus medicamento accomodato ante partum, puto tamen interea leniri iterum deberi tum clysteribus emollientibus alternis diebus iniectis, tum medicamento per os dato (transacta inquam secunda die) ex melle rosato sol. & diacatholico composito. Apparentibus verò signis concoctionis, componendum est pharmacum ex infuso Agarici trociscati, & Rhabarbari adiecto melle rosato soluente, quod progrediente morbo pluries repetendum erit, nam in hisce morbis corpora delicatiora obsidentibus (quale est corpus illustriss. fœminę) per epicrasim est procædendū, in quē finem præter pharmacum propositum, mihi maximè arrident, vel catapocia de tribus cum Rhabarbaro, vel quod ex infuso agarici præparati in decocto cartami facto adiecto syrupo de cicorea cum Rhabarbaro componitur, nam à valentioribus ob rationem

G etiam de epicrasi adductam, est abstinendum. Ad hæc & medicamenta insensibiliter euacuantia, febre nimis in longum tendente videntur ex vsu; Idcircò ius Galli tantoperè à Dioscoride celebratum maximè probo, & eo magis si Gallus iunior in pręsenti seligatur, & china, aut etiam salsa cum tantillo ligni sassafras alteretur.

Medicamenta autem alterantia sunt, quę materiam morbificam, atque viscerum discrasias respiciunt. Priora sunt quæ & materiā crudā prę parant, & sanguinē nunc immobilem, veluti fluxilem paulò post reddunt, quapropter in casu nostro mihi maximè arrideret, vt manè nobilissima patiens. onc. 1. s. oxymellis simplicis assumeret, ac statim apozema biberet ex iure decoctionis cicorij, betonicæ, boraginis, pimpinellæ, capillorum veneris, & cicerum rubeorum, eo tamen constituto, vt ipsis vteretur quousque coctio in vrinis apparet. Peracta autem prima hac præparatione, ad validiorem deueniendum erit, quocirca & oxymel longum cum decocto simplicium iam dictorum, necnon quinque radicum aperientium, cuscutæ, camedris, & artemisiæ

H paratum, ante cuius assumptionem trociscos de Rhabarbaro, vel de eupatorio deuoratos oportuna existimo: Hunc ius Galli prædictum omnibus ennarratis simplicibus medicatum, itemque oximel, vel acetum scyllinum syrupo de pomis, vel de corticibus citri castigatum veniunt referenda, scio etiam & veluti experimenta quædam pulueres ex camedri, vel ex millio solis, vel radice gentianæ paratos plurimum valere in finiendis febribus huius census nimis in longum protractis. Verumtamen & ad putredinem corrigendam, ne scilicet in venenatam, ac perniciosam qualitatem abeat, ea, quæ citra adstrinctionem operantur, ex vsu proficuo esse posse existimo, sunt autem lapis Bezar (qui menses etiam euocat ex sententia Mercati) datus ex aqua scorzonere, necnon aqua cordialis, quæ in febribus pestillentibus vsurpatur, tandéque acidum citri cum puluere boli Armeni lutei, & scordij veri, quemadmodum etiam aqua scorzoneræ stillatitia bibita.

Coeterum & iecoris feruor compescendus erit succo cicorij depurato tum interius

assumpto

assumpto, tum exterius, speciebus adiectis cerati sandalini, modo dico spicæ, & aceto sub forma perfusionis adhibito. A

Ventriculus quoque calefaciendus tum decocto a[illegible]tij pontici in iure columbi parato, vel cortice citri condito, vel aromatico rosato sine musco, & ambra assumptis, tum vnguento ex oleo amygdalino dulci cum vino Cretico, Cinamomo, absynthio, & mastiche in duplici vase ebullito, & facta colatura adiectis succo absynthij concreto, & cera. Ceratum quoque ex mastiche cum aromatibus aliquot maximè proderit; Atque his non conferentibus ad stillicidium ex oleis cum simplicibus stomaticis, ac aromatibus, bezoino, mirrha, & ligno sassafras medicatum erit deueniendum.

Quibus omnibus & victus compar adijciatur oportet, quare maximè arridet, vt prosequatur in vsu ptisanæ, quam audio pipere medicatam esse, laudó etiam vt ferculis vtatur cum ouo, atque acetario cicoraceo cum floribus boraginis, in progressu antem ex Capparibus salitis erit opportunum, & sicuti nunc iuribus sunt incoquenda B pimpinella, & acetosa, ita posthac petroselinum, feniculum; Bibat interim nobilissima patiens iusculum tenue, febris enim, & materiæ copia, atque cruditas, vinum prohibent, sicuti puerpelium aquam vetat; At febre remittente, cocta materia, atq; etiam minorata vinum fuluum, aut etiam subrubrum propter consuetudinem tenue, pauciferum, & non austerum concedatur: Aluus in proprio munere seruetur clysteribus alternis diebus iniectis, paratis ex decocto communi adiecto furfure in linteamine deligato, ex melle ros. sol. oleo communi, saccharo rubro, ac similibus, quibus in progresso & hieram simplicem adijcere præstabit.

Amplius danda est opera, vt animò, & corpore illustrissima fœmina quiescat, & si aliquando sub hoc morbo corpus esset exercendum, exercitio substituantur frictiones, quæ meo iudicio, sicuti & alia omnia Deo annuente nobilissimæ Matronæ sanitatem restituent. C

PRO PERILLVSTRI ET NOBILISSIMO ADOLESCENTE *imminuta valdè visione, necnon dolore oculorum per interualla detenta.*

CONSVTATIO LVI.

VISVM inter cœteros sensus plurimi facimus, idcircò eiusdem custodiæ potissimum intenti sumus; hinc non mirum, si perillusti, & nobilissimus D adolescens vigesimum primum annum attingens temperamenti calidi, habitus sub gracilis; Epilepsiam, dolorem capitis, grauedinem, & vertiginem pati solitus, nunc secundum oculos malè habens, de eorum sanitate recuperanda valdè solicitus existat, non mirum si efflagitet, an medicationem alteram (postquam ex alterius vsu melius habet) denuo subire debeat; Cui pro viribus ipse satisfacere cupiens, prius quænam propriè sint oculorum vitia, quibus detinetur; Secundo an sint sanabilia, Tertio, quibus remedijs ijsdem occurrere liceat, mihi perpendenda propono.

Quantum ad primum attinet, duo sunt, ni fallor, oculorum præter naturam affectus qui sicuti in genere remoto, & quasi generalissimo conueniunt, ita in proximo differunt, primum autem est imminuta valdè actio videndi, Amuliosis, seu offuscatio dicta secundum vtrumque oculum, præcipuè verò secundum dextrum, ita vt vix, &

 confusè

E confusè admodum colores, ... cernat. Alterum est dolor acerbus vtriusque oculi per interualla, quæ di... ptomata reponuntur, ut patet, in genere actionis sensitricis læsæ. Primum sine ... o in frustrationem facultatis animalis in humore crystallino contractæ, quæ uisoria dicitur, referri debet; frustratur autem uisoria facultas ob læsam facultatem, & ob errorem externum, facultas autem læditur in humore crystallino, uitiato, & uiolato interim ob intemperiem (sed non ob malam cōpositionem, quoniam huius non adsunt propriæ notæ) intemperiem inquam calidam, & humidam qua etiam à multis diebus cœteræ oculorum partes detinentur. Cognoscitur uerò hæc intemperies ex imminuto splendore, nam oculi sunt opaci, & subfusi.

Frustratur pariter facultas uisoria ob errorem externū, qui pertinet ad partes, uel in oculo, vel extra oculum, in oculo aut ad membranas, humores, aut spiritus. Quantum ad membranas attinet, certum est adnatam primum morbo in magnitudine aucta, F ophtalmia nimirum, sicuti ex rubore, & dolore partis patet, laborare: Cornea secundo propria luciditate caret, nimisque dura existit: Vuea postremò & ipsa male afficitur, quoniam iris est obscura, & humore perfusa. Humor pariter aqueus impurus ad sensum apparet, ac in eodem humor albus veluti concretus cernitur, qui suffusionem parit: Spiritus quoque vitiatos saltem secundum qualitatem esse constituo, quoniam in cerebro humido spiritus generatur humidus, & impurus, cerebrum autem nobilissimi patientis frigidum, & humidum esse, nemo negabit, vt propterea spiritus ineptos visioni producat: Non adesse verò eorundem spirituum vitium secundum quantitatem, ex eo facilè colligo, quòd sicuti antea quæ vitiatæ quantitati spirituum attestantur signa abfuerunt, ita nunc etiam absunt, inter quæ præcipuum illud existit, quod nimirum melius proximiora, peius autem remotiora videat: Cœterum non tantum partes oculorum aliquas, sed vtrumque oculum secundum totum laborare intempe- G rie calida, & humida, ex humiditate eorundem, ardore, punctura, & colore rubro colligitur.

Postremò partes extra oculum sunt caput, nerui optici, iecur, & ventriculus: Caput quidem intemperie frigida laborare, ex affectibus prægressis liquet, hinc spiritus aptos visioni generare non potest, neruos autem opticos non male habere ob multas rationes, maximè verò ob eam, secundum quam malum subitò haud ingruit, facilè intelligo. Cœterum iecur feruidius, & ventriculum frigidum citra controuersiam obseruo, merito quorum humores excrementitij geniti cuiusque generis, ad oculos partim attracti ab eorum dolore, atque calore, partim vero ad eosdem, tamquam ad imbecillos transmissi confluunt.

Porrò, quod sanguis peccet, ex colore rubro, quod pituita, ex nebulis, & lacrymis, quod flaua bilis, ex mordacitate, quod atra, ex fusco colore dignoscitur.

H Est vt dicebam & alter affectus, dolor videlicet oculi vtriusque, qui partim ab intemperie iam proposita oritur, partim à materia illa multiplici copia distendente, & qualitate mordente nascitur.

Quos affectus (vt secundum propositorum explicē) incurabiles esse existimo, quando ferè sint in habitu, contumaces, grauioraque mala minantes, quibus accedit, & illud, quod plura viscera, eaque principalia malè habent, nihilominus quoniam audio remedia aliqua prius vsurpata contulisse, sperandum puto, vt aliqua ex parte saltem imminui debeant, & à maiori labe patiens preseruari possit.

Quibus autem præsidijs id assequi liceat, ita declaro, primum.n. fluxio est cohibenda, deinde quicquid fluxum est, ac fluxile existit deriuandum, quod verò impactum est, discutiendum, semper tamen oculorum proprietas ocularibus est conseruanda.

Curatio itaque auspicanda meo iudicio à sectione venæ communis in cubito, deinceps cucurbitulæ dorso cumscarificatione, hyrudines ano, naribus, & post aures sunt apponendæ.

apponendæ. Et, si vsus postulabit, vesicantia quoque ad caput, setaceum ad ceruicem, A & in progressu cauterium ad fœmur dextrum non sunt despicienda, sed interim ventosationes siccæ, frictiones, deligaturæ, & lauationes cum calida extremorum non negligantur; Quòd si aliquando cataracta eò peruenerit, vt completa, & perfecta videatur, à depositione etiam per punctionem facta non abhorrebo.

De medicamentis verò ita statuo, vt communia nempe præmittantur, quæ omnem cacochymiam respiciant, ac vt statutis quibusdam interuallis pilulæ sine quibus, atq; lucis vsurpentur, & ad euacuationem insensibilem nil præstantius decocto salsæ, vel chinæ, & modico guaiaci cum sandalis citrinis; Eufragia, & cicoraceis medicato, atque eo magis, si vel trocisci viperini, vel sal theriacale cum conserua aufragiæ, & cicoracea assumantur, Balneum quoque aquæ dulcis suo tempore adhibitum miram habet in hunc vsum prærogatiuam.

Præter medicamenta verò vniuersalia, particularia in casu nostro locum habent, idcircò quæ respiciunt caput, oculos, iecur, & ventriculum, sunt in medium adducenda; B Si caput euacuantia, & alterãtia sint oportet; In ordine priorum connumerantur tum catapocia iam dicta, tum masticatoria facta ex puluere mastiches electæ, feniculorum, & pulpa passularum, cum cera exceptis, Alterantia interna, & externa conueniunt, interna hora somni rotulæ esse possunt cum speciebus dianthos paratæ, quò pertinet tueriaca mediæ ætatis, exterius verò lotio sicca ex furfuribus calefactis, vel humida ex lixiuio cineris ficus, & radicum hederæ terrestris sit illi in vsu, ac tempore suo de embroca in agro Patauino, seu Lucensi habeatur consideratio.

Medicamenta oculorum pariter intus, & extra administrantur, intus quidem, vel ad discutiendam materiam impactam, uel ad proportionem oculorum confirmandam. Pro discussione nil præstantius reperiri unquam poterit decocto uiperarum in aquis ocularibus parato: Ad proprietatem oculorum puluis carnis accipitris assæ cum puluere Verbenæ & fœniculorum ex aqua eufragiæ datus est miri usus, qui pulueres ex C conserua item eufragiæ poterunt offerri, & præ cæteris ego usitatum habeo florem nucis muscatæ cum conserua dicta.

Medicaméta uerò ocularia externa primum gratia unius, & solius doloris sunt adhibenda, quocirca præter fotum ex decocto fenugræci abiecta prima, & secunda ebullitione cum spongia factum, præter cataplasma ex carne pomorum dulcium sub cineribus concoctorum, uitello oui asso, puluere sacchari, tantillo croci, lacte muliebri, & aqua fœniculi exceptis, ego mirum in modum laudo fotum factum cum frusto carnis vituli in aqua camomeli calefacto, ac puluere sacchari superasperso, vel cum vesicula hœdi, vel agni, oleo amygdalino dulci recenter parato repleta.

Sedato dolore si Cataracta non videatur perfecta ita vt medicamentis discutientibus auferri posse commodè videatur, præter collyrium ex fellibus ipsius Rhasis, lau- D do aquam viridis æris, vel quæ ex sale ammoniaco per destillationem, & calcinationem paratur, laudo & Medicamentum Galeni quarto local. quod ex felle cum melle, & succo marrubij conficitur; linctus etiam, & insufflatio non sunt improbanda, potissimum si fiant masticato semine fœniculi dulcis.

Verum & externis medicamentis in oculum instillatis proprietas eorundem seruatur, inter alia liquor stillatitius ex conserua eufragiæ, ac tandem ex trociscis viperinis, prius in succo chelidoniæ maceratis mihi probatur.

Postremò iecoris, atque ventriculi est habenda ratio: Quare etiam, atque etiam laudo, vt iecoris feruor attemperetur, vel thermis frigidis, vel sero lactis optimè depurato, & cum succo sonchi assumpto; Exteriusque vnguento ex succo cicoraceorum, puluere sandalorum cera, & aceto parato, ac Hypochondrio dextro illito.

Deinde ventriculus calefaciendus his, quæ iecur non attingunt, quocirca piper album

E album crasso modo contusum ex cidoniato, corticem citri conditum, & grana mastiches electæ data, mihi mirificè placent; sicuti extra valet oleum masticinum, & ceratum pariter masticinum cum puluere cariophyllorum aromatizatum.

De victu nil aliud dicam, nisi quod nobilissimus adolescens omnes aeris inclementias aufugere debeat, & aeri libero liberè non se se exponat, moretur vt plurimum in aere subobscuro, caueat ab edulijs crassis, viscidis, dulcibus, salitis, & acribus, & pro ciborum condimento vtatur puluere oculari temperato, sicut esset, qui paratur ex mace, eufragia, saccharo, & margaritis præparatis, bibat vinum mediocre, tenue, si non album saltem subrubrum, atque tenuium partium, medicatum cum china, eufragia, & similibus, ac ab omni cibo saccharum rosatum antiquum assumat, in reliquis verò ita se gerat, vt secundum proportionem iam constitutis in sui gratiam respondeant, quod si effecerit, Deo fauente melius in dies habebit.

F

PRO NOBILI, ET ILLVSTRI MVLIERE *vteri profluuio, virium languore, ac visus imbecillitate correpta.*

CONSVLTATIO LVII

G MVLIEREM propositam mensium fluore, qui est symptoma à toto genere præternaturam detineri, ita de se patet, vt nulla prorsus indigeat comprobatione; Conandum itaque solum est, causam huius fluoris indagare, quod vt commodius fieri possit, illud tamquam ratum, & firmum interim supponendum, fluorem scilicet propositum esse symptoma secundarium, quod necessariò in actionem aliquam læsam referre oportet.

Actio autem hæc nulla alia esse potest, nisi retentio vasorum vteri, quæ læditur ob morbum, vel in mala compositione, vel in soluta vnitate: Mala compositio duplex, diapedesis, & anastomosis, illa quidem, vbi tunicæ vasorum rarefiunt, & sanguis transcolatur, hæc verò, vbi hora venarum aperiuntur, & sanguinem perfundunt. Morbus in soluta vnitate duplex est, erosio, & fractio vasorum, hæc Dieresis, illa verò Diaurosis dicitur.

H Cum itaque tot sint morbi, ob quos retentio vasorum lædi potest, puto ego factionem in casu nostro locum habere, nam præter id, quod præcessit abortus qui aliquam naturæ, vim, atque organis solet inferre, præter id, quòd sanguis copiosus ferè semper fluit, accedit, quod signa aliorum morborum absunt, nam in diapedesi quãquam sanguis tenuis prodeat, sensim tamen, & paucus exit, at in casu nostro sanguis copiosus effluit; In anastomosi pręter id quod sanguis copiosus excernatur, requiritur etiam vt quæ sanguinem multiplicantes, aut saltem ipsum mordacem efficiẽtes præcesserint, quæ in casu proposito non præcesserunt, cum etenim mulier hæc nullum morsum persentiat in exitu sanguinis, dubio procul sanguinem ab omni acredine immunem esse, est constituendum, pariter quia nullæ notæ sanguinis redundantis adsunt, anastomosis in præsenti locum non habet: Sed neque erosio ob rationem adductam, quia scilicet excretio sanguinolenta, quæ fit per erosionem, coniunctum semper habet morsum, atque dolorem, relinquitur ergo vt vitium hoc ob fractionem alicuius vasis vteri, aut etiam plurium vasorum eiusdem oriatur; Quæ fractio cum fieri possit, & à multitu-

dine

dine sanguinis, & à violentia non tantum maturi, sed & immaturi partus, ex dictis A patet, fractionem hanc in secundam causam referendam esse.

Cœterum hunc nimium sanguinis fluorem, quod insignis languor virium subsequatur, non miror quoniam sanguine præternaturæ modum euacuato, calor, & spiritus plurimum dissipantur, quibus dissipatis; vires omnes languescere necessarium esse neminem latet. Amplius, quoniam dissipato calore humorem pituitosum, & frigidũ multiplicari contingit, non miror pariter, si sanguis, qui prius floridus prodibat, nunc veluti decolor, & similis loturæ carnium exeat. Postremò quoniam deficientibus spiritibus visio etiam lacessitur, non est mirum, si fœmina hæc secundum oculum vtrumq; diminutam habeat visionem, ad quam etiam apprimè conducit quædam pupillæ dilatatio, quam ego in prædicta fœmina obseruaui, quam etiam pupillæ dilatationem puto ego referri posse in causam communem horum omnium symptomatum, caloris inquam inopiam, ob quam multiplicatis humiditatibus excrementitijs in corpore non tantum B dilatatio pupillæ suboriri potest, verum etiam & quilibet alius affectus.

Vtcumque tamen danda est opera, vt sanguis ab vtero retrahatur, caloris natiui iactura reparetur, & vasa disrupta agglutinantibus vniantur,

Quæ omnia adimplere, apud me est impossibile, quia tantus obseruatur recessus à statu naturali, & causæ sunt eius actiuitatis, vt cæcitas, cachexia, ac hydrops immineant, accedit etiam, quod mulier hæc adeò est ceruicosa, adeò imprudens existit, vt nullum ferè medicamenti genus admittat, aut certè maxima cum difficultate.

Instituenti igitur mihi curationem (quantum ad Chirurgiam attinet) nulla videtur adesse necessitas secandi venam, quoniam quamquam sanguis motu peccet, hic tamen deficit, amplius vires sunt valdè confractæ, loco itaque sectionis venæ frictiones, deligaturas, ventosationes siccas, & lotiones partium superiorum, sicuti & cucurbitulas sub mammis appositas substituendas esse, censeo; Atque vbi fluor supprimeretur, gratia dilatationis pupillæ, non esset abs re, Cauterium in ceruice, vel etiam in brachijs C inurere.

Subsequuntur medicamenta, quæ si fuerint vniuersalia, referri debent ad materiam tum pituitosam, tum melancholicam, hinc pro leniente laudo mel ros. sol. cum diacatholicone dilutum decocto myrob. Chebulorum, & Indorum, deinde pro præparante probo decoctum cicorij, boraginis, mentæ, passularum, cum syrupo de boragine, de menta simplici, & de succo cicorij; Pro purgante autem propono infusum senæ cum Rhabarbaro in substantia, & melle ros. sol. adiecto decocto superius dicto.

Verum tamen, quoniam vix fieri poterit, vt fluxus huiusmodi sistatur, nisi sanguis crassefiat, idcircò præparanti iam dicto, quæ sanguinem incrassant poterunt immisceri, in quorum genere ego summis laudibus extollo ophioglossum, plantaginem, portulacam, semina coriandrorum præparat. Nec mirum alicui videatur, quòd in fluxu sanD guinis aquosi, & melancholici huiusmodi incrassantia, quæ refrigerant, in medium adducam, quoniam incrassatio verè fit hisce medicamentis, pręterquam quod & illud addere licet, quod menta, atque coriandri absque frigiditate constringunt.

Sed præter medicamenta, quæ proposita fuere, ad totum etiam attinent, quæ membra principalia, potissimum verò iecur roborant, ideò finito omninò, vel saltem admodum remisso fluxu, probo trociscos de Rhabarbaro, de Eupatorio, cypheos dictos. & electuarium cyphoides cum puluere hepatis lupini, & mastiches, atque hæc sunt medicamenta quæ superius vniuersalia dixi.

Subsequuntur modò, quæ motum, seu fluxum saugninis peculiariter emendant, quæ sunt trium generum, nam assumuntur, adhibentur, & inijciuntur, inter assumenda laudo succum plantaginis cum puluere mastiches, laudo item theriacam mediæ ætatis, quibus non conferrentibus, ad Philonium Persicum cum trociscis de terra sigillata,

& puluere

E & puluere mastiches deueniendum. Inter adhibenda verò exterius varia probo, potissimum autem fotum lumbis factum cum succo solani, plantaginis, aceto, ac speciebus cerati sandalini; Manibus interim, & pedibus solet etiam cum aceto decoctionis scoriæ ferri præparatæ ablutio fieri. Injcienda tandem in vterum duo tantum seligo, vnum est succus plantaginis, alterum est (quod cœteris non conferentibus injciatur oportet) Porri succus cum modico olei ex calcanto. Atque suppresso sanguine puto necessarium esse ceratum, quod pro crepatis vulgò dictis, confici solet, lumbis apponere.

Postremò ad fractionem vasis agglutinandam mirum in modum valet aqua therma lis frigidæ mineræ, vel simplex, vel cui incocta sint alumen, borax mineralis, malicorium, & gallæ, ac in huius aquæ defectu serum calybeatum substitui poterit.

His omnibus addatur victus accommodatus, qui erit vt patiens in summa animi, &
F corporis quiete detineatur, vt potet vinum subrubrum, vt vescatur extremis vituli, in aqua calybeata decoctis, ferculo ex oriza, farre, millio, panico, necnon ouis induratis, atque in prima mensa offeratur saccharum rosaceum antiquum cum puluere mastiches, reliqua respondeant, vt decet, ac vtinam proficiant.

PRO IVRIS PRVDENTIÆ STVDIOSO MANTVANO febre pestilenti affecto.

G

CONSVLTATIO LVIII.

IN omni consultatione quod primum considerandum occurrit, est morbi idea, quam in illustri & nobili studioso nullam aliam esse existimo, nisi morbum in intemperie calida totius corporis, febrem nominatum, cuius essentiam, quæ in calore consistit, quam facilè ex respiratione magna, celeri, & frequenti, itemque ex pulsu eidem coniuncto, pariter magno, celeri, & frequenti colligo, quam febrem de genere putridarum esse eiusdem pulsus inæqualitas, insignis vrinæ, præcipuè verò ad crassitudinem, & rubedinem mutatio docent, esseque febrem continuam absentia rigoris demonstrat, immò & proportionatam (vt inquiunt) de cholera, & exacerbatio alternis diebus accedens ostendit; quin & de genere pestilentium existere præter id quod similes nunc febres vagantur) ex multis ego deprehendo, primum quidem ex
H tempore partium externarum, teste Galeno nono Simpl. cap. de terra Samia, Secundo ex circulo liuido in suprema vrinæ superficiæ spectato, Tertio ex delirio, Quarto, & postremo ex mira pulsus inæqualitate, atque vicissitudine.

Ad quam febris ideam constituendam occurrunt causæ tum proximæ, tum remotæ, proximæ referuntur omnes in vnam fuliginem putridam, & venenatam, cordi impartitam, Remotæ verò sunt externæ, & internæ; causa igitur interna est putredo venenata insignis, & vehemens, sicuti inditio existunt notæ caloris insignis, & exurentis, non quidem in partibus externis, sed internis, notæ autem hæ sunt respiratio, & pulsus iam dictus, linguæ intensa ariditas, & scabrities; Etenim noui putredinem venenatam, quæ febrem pestilentem accendit, duplicem esse, vehementem inquam, & mitem, noui adhuc priorem supponere calorem insignem, posteriorem verò mitem, in vtraque tamen calor corrumpendo, & non alterando tantum agit, quoniam ex actione illius venenum generari debet, sed posterior materiæ prauitatem requirit, & quod huiusmodi mate-

ria à natura non regatur: quoniam ergo nunc adsunt notæ caloris insignis iam dictæ, prior putredo in illustri nostro patiente locum habet. A

Huius autem putredinis seminarium tres esse constituo cacochimias, biliosam inquam, pituitosam, & melancholicam, quemadmodum in excretis per aluum, & per vrinas obseruare licet, locũ verò eiusdem putredinis, venas medias (quæ immediatè subsequuntur magnas) esse arbitror, quæ cum aliquantulum distent à corde, non est mirum, si ad hanc vsque diem sextum satis bene patiens morbum tolerarit.

Sed causa putredinis agens est calor insignis corrumpens, qui in casu nostro ex prohibita transpiratione facta ab obstructionibus ob sanguinem subdominantem, atque etiam ob crassitiem, & lentorem humorum ortum habuit.

Causæ verò externæ remotæ tum in multitudinem pluuiarum, quæ ab hinc per plures dies copiosissimè irruunt, tum in potum aquæ ardentis patienti a multo tepore ferè consuetum referuntur, nam meritò illarum materia, merito huius agens putredini suppeditatum fuit. B

Post ideam in consultationibus consideranda est morbi magnitudo, Idcircò quoniam ego in præsenti obseruo symptomata concomitantia magna, & statim prima die suborta, vigilias nempè, impotentiam ad motum, pulsum maximè inæqualem, & celerem, inappetentiam, & vrinas crassas, febrem propositam magnã esse cogor affirmare.

Immò verò si morem (qui tertio loco perpendendus occurrit) animaduerto, febrẽ hanc malè moratam esse mihi videor videre, sicuti ex symptomatibus magnis, quæ superuenerunt, partium scilicet externarum tepore, atque delirio manifestè cognosco.

Postremò in morborum consultatione, celeritas eorundem, ac tarditas in motu sunt animaduertenda, solent autem hæ artificiosa coniectura ex signis coctionis, & cruditatis deprehendi. Quia igitur signa coctionis in vrinis satis aperta, & manifesta sunt, febris nostra erit in augmento. C

Sic itaque cognitis omnibus iam propositis, de scopis curatiuis est agendum, si ergo respicio virtutem, ad quàm in omnibus morbis (maxime verò in pestilentib.) Medicus prudens oculum dextrum dirigat oportet, hanc ipsam bonis, & laudatis alimentis merito substantiæ præcipuè caloris innati, roborantibus, & vnientibus præsidijs ratione motus eiusdem caloris conseruare necessarium existimo, quod si specto causam febris, humores putrefacti sunt eradicandi, qualitasque venenata iuncta, alexipharmacis domanda; humores verò non putrefacti ratione copiæ sunt minuendi, ratione qualitatis alterandi, & præsertim ob humiditatem illos ad putredinem maximè disponentem sunt exiccandi; Verum quoniam putredo fit ab extraneo calore propter obstructiones concitato, merito illius est refrigerandum, merito harum euacuandũ, attenuandum, & detergendum. Febris tamen & ipsa propria remedia postulat, ideò ratione sui, refrigerare, ac humectare oportet. Postremoque impedimenta, duo præsertim delirium, & vigiliæ sunt remouenda, illud per retrahentia, hæc verò per soporifera præsidia. D

An autem liceat hosce scopos explere non licet ita liberè affirmare, quando periculum impendeat à febre continua, quod magis, ac magis à magnitudine, atq; pestilentia eiusdẽ intenditur, & præter id, quod huiusmodi febris causam habet intensissimę actiuitatis, quæ est venenum, plura etiã symptomata, & hæc ipsa magna sibi cõiungit, corque origo ipsius vitæ pessimè habet, & quamquam vires de præsenti satis validæ consistant, paulò tamen post ne collabantur subest periculum; Verum tamen quoniam flos ætatis, quo gaudet patiens illustris, & vires nunc robustæ, quæ accommodatis præsidijs sub hac ætate facilè conseruantur, multum spei pollicentur, spero D.O.M. auxiliante, patientem sanitati tandem posse restitui, & eo magis, quoniam hucusq; (quantũ ego puto) adhibita sũt ea remedia, quæ maximè opportuna fuisse pro certo habeo.

E Deueniens igitur ad id, quod reliquum mihi videtur pro hac curatione, quantum attinet ad materiam chirurgicam, postquam secta est vena, apposita sunt vesicãtia partibus infernis, & venæ podicis apertæ fuerunt hyrudinibus, iugiterque extrema fricantur, nihil remanet agendum, nisi, quod vesicantia illa diutius, quam fieri posset aperta seruarentur, per appositionem cerati diachilonis gummati, vel sacri, & quòd assiduò eadem extrema deligarentur, & fricarentur.

Quod verò ad pharmaca spectat, postquam à venæ sectione die sequenti aluus lenita est casia, ac tamarindis, adiecto puluere seminum citri, & ad præparandos humores datum est decoctum sonchi, cicorij, boraginis, pimpinellæ, quinque folij, & frustorum limonis syrupo acetoso simplici, & in vespera pro alexipharmaco bolus ex quatuor conseruis cordialibus, acidi citri, bolo Armena lutea, & puluere scordij veri cum folijs auri paratus exhibitus fuit; Exteriusque epithemata cordialia vulgaria, & inunctio pro corde ex vnguento nenupharino, atque theriaca est adhibita, mea sententia F esset, vt posthac in vsu eiusdem syrupi manè patiens prosequeretur, vesperi verò nouum aliquod alexipharmacum assumeret, maximè autem probo primum, puluerem smaragdi, cornu Cerui vsti, & margaritarum cum succo limonum præparatarum, ex aqua florum arancij, vel citri datum; alterum est Aqua cordialis, quæ Bononiæ parata habetur in Officina Monachorum Sancti Saluatoris.

R. autem limonium decorticatorum num. 12.
corticum aranciorum num. 10.
boli Armeni lutei coloris onc. 5.
G *pulueris cordialis pro cibo onc. 1.*
theriacæ optimæ onc. 3.
mithridati onc. 1.
foliorum acetosæ
boraginis } *an. M. 3.*

M. & extrahatur liquor per Alembicum, & detur onc. 1. ac tantundem aquæ boraginis, mirificè namque prodesse solet, quemadmodum et mirum in modum prodest subsequens aqua, quæ sicuti ab hac haud valdè dissimilis existit, ita eodem prorsus modo propinatur.

H

R. pulueris cordialis pro cibo onc. 2.
boli Armeni lutei coloris
theriacæ optimæ } *an. onc. 1.*
succi glaregæ
scordij
acetosæ
citri } *an. lib. 1.*
M. & destillentur in balneo Mariæ.

Tertiam

Tertium triphera Persica cum bolo Armena. Quartum confectio alchermes, vel A hyacintina cum conserua rosacea exhibita. Quintum, & postremum, quod omnibus antepono, est ipsa Theriaca, castigata tamen vel acido citri condito immixto, aut post theriacam assumptam, aqua acetosæ stillatitia per modum apozematis bibita.

Exterius oleum florum citri cum gallia muscata videtur maximè opportunum, à quo sericum purpureum, imbutum aqua florum citri, vel arancij, superasperso puluere sandalorum, & ligni aloes superadendum erit.

Deinde ad compescendum feruorem febrilem, etiam, atque etiam laudo, vt aliquando syrupo superius proposito neglecto, serum copiosum cum succo limonum, & albumine oui depuratum exhibeatur cum succo sonchi, & acetosæ. Tandemque remittente febre, ac domata qualitate venefica, si natura per se nullam euacuationem moliatur, signaque coctionis appareant, ad purgans aliquod deuenire erit necessarium; Inter cœtera verò seligo quod fit ex infuso Rhabarbari, agarici trociscati, & senæ, adiectis B manna, ac triphera Persica, post quod, si cessarit febris, solum alterantibus viscera insistere oportebit: Quocirca confectio ex tribus sandalis cum aliqua portiuncula, Diarodonis; Abbatis sub forma rotulorum exhibita mihi maximè arridet, & eo magis, si iusculum pulli cum cicorio, & boragine medicatum insuper bibatur.

Exterius autem iecur aquis stillatitijs cicorij, endiuiæ, hepaticæ, adiectis aceto rosato, ac speciebus cerati sandalini profundi quoque poterit, à qua perfusione adhibenda est inunctio ex succo cicorij, sonchi, & hepaticæ oleo rosato completo, puluere sandalorum, & mastiche, cum cera lota in aceto tacta.

Quòd si vltrò progrederetur febris ad deobstruentia fortia erit deueniendum, oxymel ideò Zuccarinum factum cum decocto agrimonij, capillorum veneris cuscutæ, betonicæ, cicorij, boraginis ex iure pulli, cum radice apij recenti medicatum maximi erit vsus, atque vsu postulante, trociscos de Eupatorio, vel de Rhabarbaro vti oportebit, C eo tamen constituto, vt interuallis quibusdam purgationem, vel pilulis de Rhabarbaro Mes. vel aggregatiuis adiecto Agarico, & Rhabarbaro moliatur Medicus curans; Præter quæ, absentibus prohibentibus balneum aquæ dulcis non erit contemnendum.

Pro delirio præter hyrudines, & vesicantia laudo, vt patiens prosequatur in vsu repellentis syncipiti, fronti, ac Temporibus appliciti, quod fit ex oleo rosato omphacino, aqua, & aceto rosatis, & puluere sandalorum, quo non conferente Cataplasma ex pulpa cydoniorum in aqua rosata cocta, farina lentium, oleo rosato omphacino, & aceto paratum mirifice valet; Immò verò ad mitigandam, & compescendam materię acrimoniam a Cataplasmate ex mica panis in lacte vaccino cocta, oleo prædicto, & puluere opij (quod vigilias etiam corrigere poterit) adiecto modico croci non recederem. Deniq; pro vigilijs pręter syrupum de papauere cum aqua lactucę hora somni exhibitum si opportunum videbitur, pilulam cynoglossę hora somni deuoratam probo, quinimmò vrgente necessitate Cataplasma ex farina lolij excepta cum recocta, item & D embroca ex duabus partibus aquæ solani, & vna lactis vaccini esse poterunt ex vsu.

Verum enim verò dum hæc omnia ad vsum deducuntur seruanda est victus ratio instituta; Quocirca à Ptisana hordeacea, à pane ex iure pulli dato non recederē, dummodò cum carne acetosa, frusta limonum, vel citri coquerentur, atque cibarijs species cordiales pro cibo quibus nunc etiam vtitur, aut lac ex margaritis in succo limonum liquatis immiscerentur, sicuti & succum limonis, aut etiam emulsionem seminum citri, vel arancij cum ptisana permiscerem. Transacta autem septima pro virium conseruatione (si modò erit opportunum) & vitellus oui, & succus carnis caponis, perdicis, vel phasiani poterunt exhiberi. Potus hoc tempore sit vini granatorum cum aqua simplici cocta, vel stillatitia scorzonere diluti, cuius loco oxisaccarum factum cum aqua

eiusdem

E eiusdem scorzonere maximè probo, eandemque aquam omnibus cibarijs immixtam, tamquam eam, quæ non solum à tota substantia veneno aduersatur, sed etiam febres omnes debellat, summis laudibus extollo. Reliqua secundum proportionem respondeant, ac D.O.M. salutaria misero patienti reddat, quemadmodum enixè precor.

PRO ILLVSTRI FOEMINA RAVENNATE cordis Palpitatione, ac rudimento strangulatus ab vtero laborante.

F

CONSVLTATIO LIX.

MVLIERES ob vitium multiplex humiditatum ad vterum attinentium, multiplex etiam morbi genus, potissimum autem cordis affectum, & præfocationem ab vtero incurrere solent, vt non sit mirum, si perillustris, & nobilissima fœmina cordis palpitatione, & rudimento strangulatus vteri satis insigni corripiatur; Priorem affectum, cum multa alia, tum verò maximè motus prauus ab Excellentissimo curante obseruatus, ac sensus punctorius ex decubitu in latus sinistrum ab Aegro perceptus ostendunt, at posteriorem calor inflammatorius faciei, instante accessione, cum frigore, ac veluti conuulsione totius, desipientia quædam G cum risu, præcipuè verò sensus quidam strangulationis à nobilissima fœmina in dorsum decumbente cognitus, vna cum insigni angustia anxiosa ex decubitu in vtrumque latus percepta demonstrant.

Quorum affectuum generatio in vapores tetros cordi, cerebro, ac ferè toti communicatos referenda est, quos vapores pro maiori parte frigidos esse existimo, quando palpitationem exquisitam secundum Galenum esse frigiditatis effectum, vteri verò strangulatum, vteri, atque totius refrigerationem quandam existere certo sciam. Minera autem vaporum est in ventriculo, præsertim autem in vtero, in illó quidem, quoniam eo ipso à colluuie excrementorum per vomitum expiato perillustris fœmina à palpitatione leuatur, in hoc non solum, quia Medici præsentis intentio fuit venam thali secare (quæ potissimum in mensium purgatione suppressa, vel saltem imminuta, ac alijs vteri vitijs maximè probatur) verum etiam quoniam suspicio seminis retenti aliqua subest.

H Ventriculus igitur humoribus crudis refertus, vterus verò succo prauo, & veluti naturam veneficam frigidam redolente ob obstructionem vasorum ad ipsum attinētium ex menstruo, & semine aliquo modo retentis scatens fumos in supernas partes, ac totũ emittitunt; quibus intra cauitates cordis conclusis, commotisque non patet exitus, vnde cor incomposito, ac deprauato illo motu ex depressione, & eleuatione mouetur, eisdemque sua copia partes implentibus sensus punctionis ob pressionem à decubitu factã persentiatur oportet; Pariter toti impertiti illius refrigerationem adferunt, cui & retractio spirituũ, & caloris innati ad sua viscera principalia in tanta, ac tali malorum syndrome roboranda conducit; Coeterum, & ab ijsdem fumis qualitate irrita, ac partibus sentientibus infesta affectum conuulsionem referentem pendere nun est quod aliquis dubitet; Pariter & iidem fumi sua copia, atq; frigiditate meatus cerebri obstruentes calorem extraneum, ac veluti inflammatorium ipsi inferunt, cui & vapores

feruidi

feruidi à iecore æstuante, & à ventriculo ob alimentorum corruptionem bilem porraceam aliquando coaceruante non parum fauent, à quibus etiam non parua occasio destillationi præbetur; verum cum præfatus spiritus vaporosus in eodem cerebro ob aliquod melancholiæ vestigium affectionem tenebricosam inducat, non est mirum si desipientiam, & hanc ipsam, ob sanguinem in capite calido, & humido, in corpore, cui menses sunt imminuti redundantem, cum risu efficiat, quinimmò & sua copia tum os ventriculi, tum septum transuersum perstringens angustiam cum anxietate, ac veluti strangulationem producit. A

Quare danda erit opera, vt omnis occasio gignendi vapores auferatur, & qui iam geniti sunt dissipentur, ac retrahantur; Primum autem numquam assequi licebit, nisi prius minera vaporum existens detrahatur, ac eiusdem noua cohibeatur generatio. Quocirca si ad ventriculum attineat illa est euacuanda, ac post ventriculus alterandus, atque corroborandus, si ad vterum menstruum, & semen sunt euocanda, quod saltem per desiccantia absumendum, rursusque per attenuantia, ac detergentia (vt illa denuò non retineantur) obstructiones vasorum vteri erunt reserandæ, aut saltem per reuellentia harum augmentum inhibendum. Caput tamen & ipsium destillationis ferax, sicuti & iecur feruidius, atque cor ad suscipiendum aptum negligere haud oportet, ideò siccandum caput, refrigerandum iecur, & cor erit roborandum, quę omnia totius prouidentiam præsupponunt. B

Sed an hos scopos attingere liceat, nec ne, non est difficile cognitu ei, qui nouerit sub palpitatione, ac ab vtero strangulatu ob menstruum, præcipuè verò semen retenta patiente quam maximè periclitari, nam in palpitatione cor vitæ principium afficitur, & in præsenti afficitur ex causa flatulenta, frigida, crassa, & copiosa, quæ agit, ac diu durat, præterea sæpius in syncopem deducit, hinc Galenus affirmabat eos, qui hoc vitio corripiuntur ante senectutem mori: In perfocatione etiam calor natiuus vsque adeò languescit, vt & pulsus aliquando deficiat, ac respiratio auferatur, præsertim vbi à semine oriatur. Nihilominus quoniam strangulatus hic non est confirmatus, palpitatioq; aliquod habet interuallum, ac nobilis fœmina est in ætate florenti constituta, prudens, ac obtẽperans erit, & ab imminentib. grauioribus longe malis per materias præsidiorum vsurpandas præseruari, atq; à præsentib. etiam pro maiori parte vindicari possit. C

Qua spe concepta, si ad materias medicas, & primum ad Chirurgicam descendo sectionem venę tali instante tempore mensium maximè conducturam prænuncio; Cauteria quoque in femoribus secundum partem domesticam inusta probo, quinimmo si destillatio à capite vrgeret, aliud cauterium in altero brachiorum infixum non displiceret; Iuges autem frictiones, deligationesque artuum inferiorum erunt maximi vsus, quibus etiam aliquando, & cucurbitulas affigere præstabit, Ac tandem, vbi nulla spes menses euocandi subsiderit, venas podicis interdum aperire per hyrudines applicatas non erit inutile. D

Pharmaca respiciunt materiam, vel viscera, si materiã aut in toto, aut in parte determinata existentem. Respiciũt materiam in toto primum lenientia, in quorũ genere cassiam cum speciebus Hieræ, vel mel. rof. sol. cũ syrupo de polypodio propono, post quæ subsequuntur præparantia, quæ in præsenti ex betonica, artemisia, boragine, seminibusque citri vna cum cicoraceis parari poterunt, Postremo occurrunt purgantia, quæ ex infuso Agarici, Senæ, & Rhabarbari parata, adiecto melle rosato soluente, valdè accõmodata erunt; atque vt per interualla aliquo placido purganti patiens vtatur etiam, atque etiam hortor; Quocircà pilulæ masticinæ adiecto puluere veratri nigri præparati, Vinum cum cartamo, & sena medicatum tandemque cydoniatum, quod fit ex carne cydoniorum cocta in vino decoctionis polypodij, epitimi, & cartami, cum suis corrigentibus adiecto puluere radicis mechiocani mihi summopere arrident.

E Cœterum & Medicamenta insensibiliter euacuantia huc referenda, quo circa decoctum guaiaci, & chinæ cum modico ligni visci quercini, castigatum cum cicoraceis, medicatumque cum simplicibus cardiacis, & matricalibus, de more ad plures dies bibitum, sicuti & sal theriacale cum lachryma Therebinthi Ciprij, & pulpa seminum citri adiecta conserua boraginis datum mihi summoperè probatur, quin & ipsamet Theriaca mediæ ætatis, quam serenam Andromachus vocat cum conseruis cardiacis deuorata erit plurimi vsus.

Pharmaca, quæ respiciunt materiam in parte determinata pro varietate partium affectarum varia etiam occurrunt; Gratia itaque materiæ in capite genitæ tum herrina, tum cerata cephalica, vti de betonica syncipiti applicita, vrgente necessitate, vsui proficuo esse poterunt, sicuti & ad euaporationem materiæ vaporosæ in corde existentis, theriaca prædicta, tum assumpta, tum cum croco in aceto liquata, & regioni cordis F admota valet, quod etiam & de Mithridatica confectione intelligere oportet, confectiones odoratas consulto prætermitto, quando hæ omnibus ferè fœminis, præcipuè verò his quæ ex vtero patiuntur, sint valdè aduersariæ; Quòd si materia noxia, & morbifica in ventriculo subsit, Vomitus præsertim à cibo interuallis quibusdam factus mihi non parum arridet. Pariter & materia seminalis in vtero absumi dissiparique poterit decocto supradicto, additis tamen sandalis, ac seminibus rutæ; quò pertinet medicamentum ex crystallo montano præparato, seminibus peoniæ nigræ, ac triphera magna sine opio paratum; Odoramenta quoque fœtida, ceratumque ex Galbano pubi subtus vmbilicum applicitum, nec non pessus ex lana molli efformatus, oleo cariophyllorum, vel nucis muscatæ, cum musco, & ambra, vel zibetto imbutus maximè prodesse solent.

Gratia autem menstrui imminuti nil præstantius excogitari potest medicamento caG lybeato, vel diacalaminta Galeni, vel Castoreo ex aqua Artemisiæ dato: Pessus verò ex lana molli factus, ac Theriaca Diatesseron illitus, sicuti & insessus ex thermis calidis, decoctionis calamintæ, pulegij, origani, mentastri, squinanti, artemisiæ, matricariæ, sabinæ, mirrhæ, & huiusmodi plurimum valeant; Et postulante vsu suffitus ex trociscis de mirrha cum gallia muscata factus omnibus est præferendus; Antè quæ omnia illitio ex trociscis Alandal, & sabina cum felle taurino exceptis vmbilico est admouenda.

Tandem ad alterationem partium erit deueniendum, si igitur opus videbitur.

Caput alterari poterit lotione aliqua, vel sicca ex furfuribus cum rosis modice calefactis, vel humida ex thermis frigidis, vel saltem in actiuis temperatis, in quib. fuerint incocta rosæ, mirtus, sandali, & betonica; A cęna quoque conserua saluiæ cum sacharo rosato, vel violaceo exhibita erit opportuna. Pro corde verò proderit, si propineH tur aqua stillatitia ex succo boraginis, in quo crocus fuerit immaceratus, vel medicamentum ex conseruis cardiacis, corticib. Citri conditis, seminibus melissę, corde lupi, vel accipitris, lapide bezoartico, smaragdo, & margaritis cum modico croci paratum.

Pro ventriculo, & vtero thermæ calidæ, vti primum Tettuccianæ, deinde Porrectanæ nouæ non solum in potu, sed etiam extra sub forma stillicidij, ac insessus vsurpatæ optimæ habentur.

Sed frustra hæc omnia, nisi compar viuendi ratio iungeretur, quæ ab Excellentissimo curante poterit institui, illud tamen haud subticebo, victum scilicet extenuantem maximè esse conducturum. At inter omnia; vinum patienti tempore vindemiarum cum radice buglossi, & guaiaco, seu ligno sassafras adiecto modico sandali albi; vel cum floribus anthos, & china erit præparandum; nunc verò vinum cum aqua decoctionis chinæ diluere perillustris fœmina poterit; Atque hæc vtinam conferant.

PRO QVADAM ILLVSTRISSIMA, ET EXCELLENTISSIMA *Principessa ad tempus infœcunda.*

CONSVLTATIO LX.

POSTQVAM superioribus mensibus ab illustristus Acquistapace, atque Fiamberto Medicis clarissimis, necnon à me infoecunditatem ad tempus Illustrissimæ, & Excellentissimæ Principissæ ab intemperie vteri frigida, & humida, ob rationes tunc excogitatas, ac adductas pendere, eamque à semine Illustrissimi, & Excellentissimi Principis, impuro, excrementoque pituitoso (quo plurimũ scatet) referto, foueri sancitum fuit; pro tollendo (si recte recolo) hoc vitio indicationibus curatorijs à causis prædictis, in viro Illustrissimo à vasorum præcipuè spermaticorum, in fœmina verò Excellentissima ab vteri calore insito, atque proportione petitis insistentes, constituimus vtriusque corpus tempore debito à colluuie pituitosa maximè per medicamenta purgantia, præmissis præparantibus, & lenientibus accommodatis expiare, ea tamen ratione, vt interim copia sanguinis in Excellentissimo Principe per sectam venam minueretur, & ab vtrisque conueniens viuendi ratio seruaretur; Vlterius vt, post hanc totius corporis prouidentiam, Vir Illustrissimus, chinæ decoctum, vel salsæ cum modico guaiaci, liberaliori, quam de more soleat, seruata dieta per dies aliquot assumeret, vnanimes decreuimus, sicuti vt ab his omnibus Pataium adirent, vbi & thermarum, & lutorum, fouearumque vsu frui commodius possent, eo tamen constituto, vt sicuti illorum vterque Thermis, Excellentissimus quidem Princeps sub forma lauacri pro seroto, Illustrissima verò fœmina sub forma insessus vteretur, ita ille luti beneficio pro fouendo scroto, hæc verò foueis pro vtero suffumigando frueretur.

Quibus peractis, iam nil nobis agendum superesse videbatur, nisi vt Pharmaca conceptionem iuuantia, ac proinde vteri proportionem pptissimum seruantia in Excellentissima Principissa experiremur, quæ cum varia, ac plura essent, vnusquisque propria, sibi vsitata, & experta proponere pollicitus fuit, qua in re, vt meas agam partes, hæc ad assumenda, & admouenda redigo, in serie priorum occurrit primum hoc profecto efficacissimum.

℞. Medullam nucis vnius Indicæ magnæ in parua frusta incisam.
Rasuræ eboris onc. 1.
Matricem leporis vnam, in furno siccatam, & pulueratam.
Nuces muscatas numero 2.
Cinnamomi electi drag. 2.
Cariophyllorum drag. 1.
Radicis bistortæ drag. 2.

M. & bulliant in tribus libris aquæ artemisiæ ad tertias, deinde f. colatura cum f.e. singulo mane per sexadecim dies sex vncias eiusdẽ nobilissima mulier assumat, superdormiatq; vel saltem in lecto quiescat, atq; singulis quatuor diebus prædictum

E decoctum fiat, accipiendo semper noua componẽtia. Tempus vsus erit post fluxum mensium, ac tempore, quo hoc medicamento vtetur, à coitu abstineat, transactis verò sexdecim diebus cum Viro Illustrissimo coeat semel tantum in nocte.

Alterum R. Viperas præparatas num. 2.
Columbum vnum turrialem.
Artemisiæ
matricariæ
seminum fœniculi
Dauci } an. onc. ß.

F

M. & fiat ius, cuius pro singula vice onc. 8. assumantur, at in vsu huius prosequatur per viginti quatuor dies.

Tertium R. radicum testiculi maioris canis
limaturæ eboris
Testiculorum vulpis in vmbra siccatorum
testiculorum apri
matriticis suillæ fœcundæ in vmbra siccatæ
coaguli leporis
seminum erucæ satiuæ
Pastinacæ siluestris
sileris Montani } an. drag. 1.

G

Conseruæ florum citri onc. 3.
succi nucis muscatæ drag. 1. ß.

cum syrupo de Corticib. citri cuius exhibetur onc. ß. pro vice ad plures dies

H

Quartum R. iuris consumpti caponis decoctionis pulegij onc. 7.
pulueris seminum ameos Orient. aur. 1.

M. & propinetur post purgationem per tres menses, septem, vel nouem dies alternis diebus, & viro etiam detur.

Postremum mihi probatum, & pluries expertum, est illud, quod

R. seseli onc. 1.
Rasuræ eboris onc. 2.
sacchari fini drag. 20.

M. &

M. & cum succo saluiæ f. trocisci, quorum drag. 2. capiantur in aurora per mensem, statimq; per modum apozematis bibantur onc. 4. aquæ stillatitiæ saluiæ, et hoc eodem tempore in prima mensa Illustrissima fœmina sumat puluerem matricis leporis exiccatæ ex ouo sorbili. quæ omnia magis proderunt, si à purgatione mensium assumantur.

A

In serie admouendorum primum illitionem genitalium in vtroque ex Leporino sanguine, in Excellentissima verò fœmina ex balsamo præsertim naturali ante congressum summoperè laudo. Suffitus quoque aut ex Sazenea sine opio descriptione Auicennæ, vel Serap. aut ex trociscis subscriptis super carbonibus accensis iniectis conuenit.

B

Trocisci verò recipiunt styracis calamitæ drag. 2.
ligni aloes drag. 1. s.
balsami drag. 1.
ambræ grisæ drag. s.
musci drag. 1.
bistortæ drag. 3.
matricis suillæ fæcundæ onc. s.

M. & cum succo saluiæ formentur trocisci.

C

Sed & Pessarium, quod tanquam secretum apud Soranum probatur, mihi placet.

℞. foliorum hyperici }
Rasuræ eboris } *an. Exagium vnum.*
musci }
ambræ Orientalis } *an. scrup. 1.*
speciæ nardi scrup. 4.

cum succo nepitæ, & poline orobi excipiantur, ac serico coccio infectorio tincto, atque ad formam pessarij efformato illita subdantur, quinimmò & purus laudani succus concretus in eundem vsum facit.

D

Insessus etiam mihi pluries expertus huc referri potest, paratur verò sic ℞. radicum bistortæ, dauci, Xylobalsami, Carpobalsami, linguæ auis an. M. ij. florũ artemisię, & matricarię an. M. iiij. Croci M. j. been albi, & rubei, florũ genistę an. M. j. s. Musci scrup. s. ambrę scrup. j. M. & in libris centum aquæ communis s. a, decoquantur ad tertianas.

Tandem & ossa cordis Cerui sinistro brachio alligata mihi probantur.

Atque hæc sunt, quæ habui proponere medicamenta peculiaria, quæ tum conceptionem iuuare, tum vteri proportionem tenere alias valde consueuerunt, faxit modo Deus, vt huius virtutis existant in Illustrissima, & Excellentissima Principissa, quemadmodum vna cum Illustrissimo, & Excellentissimo Principe ab eodem vehementioribus, quibus possum precibus efflagito.

E

PRO EGREGIO VIRO TVSSI HVMIDA, vomitu, febribus catarrhali, atque hectica, macie totius, & hypochondriaca affectione detento.

CONSVLTATIO LXI.

QVAMQVAM casus egregij viri doctè satis, atque eleganter à viris Excellentissimis, & quoad contemplationem, & quoad actionem fuerit pertractatus, vt mihi potius tacendum, quàm loquendum esse videatur, ne tamen F omninò inutilis videar, tria tantum explicanda propono. Primum qui nam verè sint affectus à quibus vir propositus solicitatur; Alterum an affectus isti sint sanabiles. Tertium, & postremum quibus remedijs.

A primo itaque exorsus dico, affectus à quibus vir egregius miserrimè torquetur esse numero quinq; tussim scilicet, vomitum, febrem duplicem, maciem insolitam, & affectum hypochondriacum.

Quantum ad primum attinet statuo tussim hanc nunc humidam esse, quoniam copiosa materia, insipida, crassa, lenta, & veluti vitrea excernitur, quæ quidem tussis antea fuit sicca, ob materiæ forsan tenuitatem, quæ tunc temporis vigebat, aut illius impræparationem, siue tenuis, siue crassa fuerit, & nunc magis noctu, quàm die patiẽtem infestat, quoniam tunc temporis destillatio à capite viget, vnde natura eo tempore maximè irritata coacta est etiam ad expellendum insurgere.

G Quantum verò ad vomitum, statuo ipsum partim pituitosum, partim alimentosum esse, sicuti euidentia docet; De febre tamen aliqua subest difficultas, nam, quod adsit febris, ex calore insolito per totum sparso conuincitur, sed cuius nam sit generis febris hæc, non ita facilè distingui potest. Ego autem saluti nostri patientis tantum incumbens, quid liberè sentiam in medium adducam.

Puto itaque febrem hanc esse catarrhalem dictam putridam scilicet, atque etiam hecticam; quod etenim primũ sit putrida catarrhalis persuaderi potest ex descensu quẽ singulis diebus ad modum pluuiæ circa Vesperas patiens persentit in vniuerso corpore. De Hectica verò ita sentio, quod nempè non sit essentialis, quoniam nec adsunt signa illius, existimo tamen hecticam illam esse, quam Fernelius Symptomaticam appellabat, quam ex duobus potissiumm colligo. Primum ex macie. Secundò, & præcipuè ex sputis, quæ quamquam non sint purulenta, vt patet ab experientia facta circa H illa in aquam immersa, nihilominus colorem quendam purulentum referunt, quem sibi ob putredinem absque dubio comparant.

Putredinem autem nanciscuntur ob longam, quam in pulmonibus moram trahunt, ab illis etenim sic inspurcatis eleuantur fumi, atque vapores, qui cordi communicati ipsum secundum solidas partes ponunt in calefacto esse, & proinde febrem excitant. Tabes vnicuique est conspicua hypochondriaca verò affectio primum ex communibus vnicuique melancholiæ, deinde ex proprijs notis suadetur. Communes sunt timor, tristitia, solitudinis amor; propriæ sunt murmur imi ventris, flatuum eruptio, ac somnia turbata.

Horum autem omnium affectuum generatio in vnicam à capite destillationem, tanquam omnium ferè malorum occasionem refero, nam hæc ipsa in varias partes decumbens, uarios etiam præternaturam affectus gignit, quod ut pateat prius uidere oportet, cuius naturæ sit hæc destillatio. Quoniam igitur materia, quæ per sputum excernitur

nitur est insipida, crassa, lenta, & ponderosa, ac uitri speciem refert, idcirco eam esse frigidæ naturæ minimè dubitandum, & ob id eandem à facultate cerebri concoctrice propter frigidam intemperiem à scopo aberrante pendere firmiter est tenẽdum, quo constituto quanam ratione occasione destillationis huius mala iam dicta fiat perpendere est necessarium. A

Primum ergo tussim à destillatione per asperam Arteriam decumbente fieri, tanquam omnibus conspicuum ab omnibus conceditur; solet enim materia catarrhalis in pulmonibus nimia, quàm par sit per destillationem à capite collecta facultatem pulmonum expultricem irritare, quæ postmodum ad expellendum insurgens est in causa; ut excitetur tussis: Sed an in casu nostro materia prædicta colligatur etiam per congestionem, meritò aliquis dubitaret, cui responderem in præsenti congestionem ob intemperaturam frigidam pulmonum, à materia illa frigida à capite destillante productam locum habere. Et si quis obijceret, quomodo fieri possit, quod in iuuene sint refrigerati pulmones. Respondeo hoc utique contingere posse ob longam moram, quam in illis trahit materia illa frigida, tunc enim necessariò intemperiem sibi cognatam inducit. B

Amplius & propter eandem moram materiam illam putrescere, propter putredinem autem fumos, & uapores in cor eleuare, & proinde febrem illam hecticam accendere, non dubito, sicuti & pro certo habeo, eandem materiam à capite in uentriculum descendentem uomitum parare, ubi namque in uentriculo materia peregrina colligitur, facilè fit, ut cibus ingestus suprenatet, ac supernatans nauseam, & uomitum inducat, cui pariter & conatum quem patiens inter tussiendum sustinet, non parum fauere certo scio, solet enim meritò talis conatus uentriculus subuerti, & proinde ad uomitum disponi, ut non sit mirum, si tussientes facilè etiam euomant.

Macies quoque in eandem destillationem ea ratione est referenda, qua decumbens in uenas per uentriculum sanguinem impurum & ob id ineptum reddit nutritioni, merito cuius totum macie corripiatur; A qua destillatione item produci hypochondriacam affectionem pro certo habeo, quandò ab ipsa venæ hypochondriorum obstruantur, obstructæque calorem quendam præternaturam nanciscantur, qui sanguinem exurens simul vapores atros gignit, qui cordi, & cerebro communicati Symptomata melancholica inferunt. C

Quare vt mala hæc omnia auferantur, ad Medicum attinebit primum destillationem illam finire, aut saltem aliò conuertere, illud assequetur Medicus, si caput ad calidum, & siccum alterabit, hoc autem obtinebit, si materiam ad locos affectos fluentem in alias partes deflectet, sed & materiam fluxam euacuare obstructiones reserare, humiditatemque substantificam perditam reparare opus erit, ante quæ omnia toti perspiciendum.

Sed ita operosam, ita difficilem futuram esse hanc prouinciam Medicam existimo, vt vix aliquid spei meo iudicio subsit, mala etenim hæc fouentur à causa frigida, quæ grauiora longè mala, vasorum inquam pulmonum erosionem, media putredine, & exinde sputum sanguinis, tandemque Phtisim ipsam minantur, quibus accedit quod cerebrum domicilium facultatis animalis afficitur, totumque corpus contabescit. Quoniam tamen patiens est prudens, atque se obtemperaturum præceptis Medicis ad vnguem pollicetur, idcircò aliqua ratione sperandum, mala prædicta (si non finiantur) saltem imminui debere. D

Quapropter in curatione de materijs chirurgicis decernens, dico, summoperè conducturum setaceum in ceruice factum, non solum quia materia crassa, & frigida per eam partem commodius euacuari potest, verum etiam quia syncipiti à cauterio immuni aliquod aliud remedij genus poterit adhiberi, sicuti esset vesicatorium, & embroca;

E A quo setaceo per plures dies gestato in vtroque brachio cauterium inurere conducet interim autem dum hæc peraguntur frictiones, ligaturæ, lotiones, ventosationesque, siccæ partium extremarum probantur.

Medicamenta omnia ad quattuor capita redigo, ad reuellentia materiam fluentem materiam fluxam euacuantia, alterantia, atque tabem corrigentia. In reuellentium genere laudo pilulas de tribus, de hyera cum agarico, de agarico Mes. & ipsummet agaricum trociscatum, præ cœteris verò mannam cum trociscis de violis absque scammonio summoperè laudo, quæ medicamenta quibusdam interuallis constitutis sunt vsurpanda, præmissa tamen aliqua humorum præparatione cum decocto betonicæ, farfaræ, hysopi, capillorum ven. cicorij, boraginis, adiectis syrupis conuenientibus. In genere autem euacuantium materiam fluxam laudo expectorantia atque insensibiliter euacuantia. Expectorantia varia iam est patiens expertus, ego autem po-F tissimum probo coagulum leporinum cum syrupo de hysopo, necnon loch de succo caulium cum mirrha, & croco; Quæ vero euacuant insensibiliter tria propono. Primum est ius galli medicatum cum simplicibus iam dictis, & china, quod etiam obstructiones reserabit: Alterum est therebintina cum melle, & puluere radicis ireos, & liquiritiæ; Postremò gummi Ammoniacum.

Alterantia verò Medicamenta non solum remouent intemperies viscerum, verum etiam & viscera roborant, in quem finem pro capite laudo conseruas capitales assumptas hora somni, lando, & embrocam factam cum decocto ex simplicibus calefacientibus, & siccantibus, cui substitui potest lotio facta cum lixiuio decoctionis eorundem simplicium, præter hæc ceratum montagnanæ super syncipput gestatum approbo. Pro pulmonibus præter pulmonem vulpis omnibus alijs Medicamentis immixtum vsum etiam storacis, & opoponacis hora somni summis laudibus extollo. Tandem ad tabem G præter balneum aquæ dulcis conueniunt & inunctio spinæ, ac thoracis cum vnguento pro spina dorsi, item & lac asininū cum speciebus aromatici rosati assumptum, necnon morselli facti ex nuce Indica, pulpa caponis, & perdicis, speciebus Diatragaganti frigidi, ac puluere cinnamomi cum saccharo dissoluto in iure pulli exceptis, sed quod in hunc vsum mirificè proderit, est hic puluis.

R. *farinæ cicerum in lacte infusorum, & cicatorum bis, deinde*
tertio coctorum lib. s.
or ze bene lotæ drag. ij.

tritici, hordei decorticatorum sæpe lotorum, & siccatorum, sæpiusque in lacte
H *infusorum & siccatorum an. onc. iij.*

Amygdalarum dulcium onc. s.
papaueris } *an. onc. iiij.*
panis albi biscocti
sacchari albi lib i.

f. puluis s. a cuius detur cochlearium vnum ex iure, seu vino fuluo.

His adijciatur victus accomodatus, idcirco patiens caueat ab omnibus aeris, præcipuè verò frigidioris inclementijs, alatur ptisana, carnibus probis, & ouis, bibatque vinum

vinum, chinæ decocto, & passularum dilutum, aut saltem vinum de se pauciferum, & A subdulce, atque in omnibus alijs rebus non naturalibus dictis mediocritatem seruet. Deus autem O. M. illi præsto sit.

PRO ILLVSTRI, ET REVERENDO ADMODVM PRIORE D. ANTONII Mirandulæ, melancholia hypochondriaca, & sanata sponte fistula cum suspicione aliorum malorum laborante.

CONSVLTATIO LXII. B

ILLVSTEM ac Reuerendum admodum virum detineri melancholia indicio sunt timor, atque tristitia, hanc autem esse, quam flatuosam vocant, Symptomata ad hypochondria, vti ventriculi dolor, æstus ad fundum illius perceptus, rugitus imi ventris, pulsatio Arteriæ magnæ, sputum humidum à cibo, somnia turbata, vigiliæ quę demum suadent, quem affectum, cum per multos annos passus vir Illustris fuerit, factum est, vt post longam equitationem abscessus quidam ad anum circa partem sinistram fuerit subortus, qui tractu temporis in vlcus, calloque obductum (quando ichorem flauum saniosum, indolens quasi continuò velut euomuerit) degenerauit. Contingit tamen, vt vlcere aliqua ratione exiccato, materia illa & in caput, vnde vertigo suborta est, & in thoracis musculos ad sinistras, vnde vlcuscula quædam per cutim emanarunt, retrocesserit, vt nunc denuò cum idem vlcus sit exiccatum, & mala C tamen iam dicta non superuenerint, meritò eiusdem omnimodam exiccationem factã fuisse aliquis possit arguere, non quidem occasione febris, qua patiens illustris præteritis diebus correptus fuit, propter debitum viuendi regimen, & propter purgationẽ habitam, causa nempè vlceris morbifica expurgata, sed spontè, quoniam antequam febris inuaderet, vlcus delitescebat, ac secundum ipsum vir admodum Reuerendus melius habebat.

Vtcumque tamen sit, quoniam forsan causæ eædem illius vlceris in corpore vigent (quamquam interim delitescant) iure suspicari licet, eodem vlcere non reuiuiscente, ne mala, quæ aliàs vir illustris passus fuit, reuiuiscant, ea propter vt ab his præseruetur, causas iam dictas amouere est necessarium, quod vt tutius fieri possit, vnde nam ortum duxerint sciendum prius, existimo, verum tamen quoniam puto ego ob affectũ melancholicum suscitatas fuisse, ab hoc exordium sumere oportebit. D

Melancholia igitur est actio læsa quæ fit in casu nostro non vitio facultatis imaginatricis, sed propter errorem externum tum proximum, tum remotum, proximus sunt vapores melancholici, qui obscurando non modo spiritus animales, sed forsam & vitales, eosdemque funestos reddendo tenebras inferunt animæ rationali, vnde perturbata aliquod malum futurum corruptiuum timet. Error remotus obstructiones venarum inter mesereum, & ventriculi fundum, necnon iecoris, propter quas calor ingens ibi excitatus, sanguinem atque humores ibidem existentes exurit, ac vapores ab illis atri prodeuntes in cor, & cerebrum feruntur, atque Symptomata melancholica efficiunt.

Obstructio fit tum à sanguine ob calorem iocinoris crassefacto, tum a ventriculo plurimum pituitæ congregante, quod contingit tum quia humor melanoholichus frigidus, & siccus calori natiuo, & proinde coctioni omninò aduersatur, tum quia iecur

& absu-

E & absumendo humidum ventriculi natiuum, & in eundem ventriculum difflando, coctionem adhuc perturbat, vndè plurimi ichores, ac pituitæ plurimum gignuntur, propter quod Hippocrates 6. Epid. 28. in pauidis sanguinem ichorosum esse meritò dixit, & alibi melancholiam aquam vocauit, quemadmodum & ipsemmet Aristoteles quarta Probl. sanguinem lienosorum aquosum nuncupauit.

Quod cum ita sit, facilè factum fuit, vt ichores isti plus vltra in hepate cocti salsedinem acquisiuerint, atque ad anum demissi primum abscessum, deinde vlcusculum callosum excitauerint, vt non sit mirum si in exitu illius materiæ nobilis patiens calorem, & acredinem persenserit; Quoniam itaque causæ hæ adhuc in corpore vigent, atque materia illa haud amplius ad illum locum iam affectum confluit, imminet periculum, ne mala superius recensita redeant.

Vt igitur à præsenti maló patiens nobilis liberetur, ab imminentibusque præseruetur, F horum ichorum, generationem oportet cohibere, quod fiet, si iecoris, & ventriculi intemperamenta corrigantur, cerebrum, atque cor roborentur, obstructionesque hypochondriorum reserentur, quæ si non assequatur Medicus, conuertendi erunt ichores illi ad locum consuetum, aut saltem in aliam partem ignobilem pariter deducendi, quæ omnia vt commodius, ac citius eueniant prouidentia primum totius erit habenda.

Verum scopos propositos attingere erit valdè operosum opus, ne dicam impossibile, primum quoniam plurimum obseruo recessum à statu naturæ, vires paulo languidiores existunt (sicuti in melancholicis ob defectum spirituum euenire consueuit) adhuc & ætas inclinans obsistit morbusque sua natura materijs præsidiorum reluctatur, his accedit, quod membra principalia laborant, trahuntque totum in consensum, vltimò tandem vigentibus adhuc supradictis causis insignis actiuitatis mala capitis G satis grauia superimminent, & eò magis cum caput nobilis patientis imbecillum valdè à natura, imbecillimum iam propter morbos existat. Præseruari tamen posse spero, qua bona spe fretus ad materias medicas descendo.

Et quantum ad chirurgicam attinet, Vere venarum sectionem in manu dextra, sed parcam propter ætatem non omninò improbo: Autumno verò, & nunc præcipuè hyrudines ano applicitas, Cauteria item in brachio sinistro, & in femore dextro inusta sicuti & frictiones extremorum probo.

Medicamenta vel erunt lenientia, atque hæc esse poterunt manna, casia, & electuarium lenitiuum, vel mel rosatum soluens cum syrupo de polipodio solutiuo, vel præparantia, sicuti decoctum boraginis, lupulorum, cicorij, melissæ, betonicæ, & agrimonij cum syrupis de boragine, de lupulis, & melle rosato Zuccarino; vel purgantia quemadmodum infusum Rhabarbari, Agarici, hellebori nigri, aut senæ cum melle ro H sato pariter soluente; Quæ medicatio bis in anno repetatur oportet; sed interuallis quibusdam cydoniatum cum pulpa cartami, & puluere hellebori præparati detur necesse est, præparatur autem helleborus hac ratione, pululeratur subtiliter, deinde succo rosarum ter irroratur, atque in vmbra semper siccatur. A quibus medicamentis euacuantia insensibiliter, deobstruentia, & quæ vrinas etiam mouent, erunt opportuna, ius ideo Galli antiqui cum aperientibus moderatè, & citra calorem ingentem, cum china, sassafras, ligno visci quercini, vel chinæ decoctum, sassafras, & ligni visci quercirni, cum simplicibus accomodatis esse poterit ex vsu: Oxymel quoque longum pro delendis obstructionibus factum ex decocto melissæ, betonicæ, agrimonij, capillorum ven. citrach, cuscutæ radicum asari, liquiritiæ cum aceto, & melle plurimum valet: huc etiam succus absynthij concretus referri potest.

Mouentia deinde ad locum affectum sunt vsurpanda, quocirca iniectiones ex aqua Tettuciana, muria, ac alijs huius census, suppositoria item cum hyera, insessus adhuc

ex

ex laxantibus, vltimo demum pilulæ de aloe ſuccotrina non lota ſæpius deuoratæ mirificè conducunt. A

Poſt quæ omnia alterantibus medicamentis erit inſiſtendum. Ad refrigerationem igitur iocinoris ſerum cum ſucco cicorij hæpaticæ, lac aſininum, vel caprinum cum ſaccharo, & ſpeciebus aromatici roſati medicatum aſſumpta, extra perfuſionem ad hypochondrium dextrum ex eodem ſucco cum aceto, balneumque aquæ dulcis ſummoperè probo. Pro ventriculo ceratum ex maſtiche cum ſpeciebus Diambræ, ſtillcidium ex oleo maſticino, abſynthio, & mentino, exterius adminiſtrata, intus nux myriſtica, & radix Zinziberis ſaccharo condita arrident: Aquas medicatas ratione ſiccationis non propono, quādo patiens noſter ſit valdè ad imum uentrem emaciatus. Pro corde intus conſeruam ex carne pomorum apiorum cum ſpeciebus lætificantis Almanſoris, itemque Theriacam Mediæ ætatis laudo ea tamen ratione, vt regio cordis oleo florum citri, vel caryophylorum, in quo galliæ muſcatæ grana aliquot fuerint diſſoluta, inungatur; immo & ſacculum ex ſerico purpureo, puluere ligni aloes, florũ cordialium, croci, ſeminum, & corticum [illegible], Muſci, & ambræ repletum mihi placet nec pro roborando capite ab vſu conſe[illegible]m capitalium cum Mithridato, puluere cranij humani, & ligni viſci quercini ho[illegible] ſomni deuoratarum diſcederem. Atque dum hæc ad vſum deducuntur, vt meliorem ſortiantur finem, patiens illuſtris victui accommodato ſtudeat eſt neceſſariũ, caueat ergo ab edulijs craſſis, viſcidis, flatulentis, dulcibus, acris, ſalitis, A vino nimis generoſo prorſus abſtineat, bibat itaq; ſubrubrum, aureatum, vel cum china, floribus Anthos, atque cordialibus medicatum, & reliqua iam dictis, quoad fieri poterit, reſpondeant, atque vtinam conferant. B

C

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI PVERO DE GRYPHONIBVS Bononienſe linguæ hæſitantia, ſpinæ ſubluxatione, tenſione viſcerum naturalium, Achore, ac tinea in capite detento.

CONSVLTATIO LXIII.

POSTQVAM perſpectum eſt nobilem puerum 10. annorum vitioſè admodum loqui, neceſſario ſequitur, quod vel diminutè, vel deprauate, vel vtroq; modo vitioſè loquatur, quod vt innoteſcat, ſciendum prius eſt locutionem multipliciter vitiari poſſe, & primum quando patiens loqui aggrediuntur, & ita linguam exeruntq;, vt apice extra dentes producto articulare ſermonem non poſſint, cum verò intra dentes linguam continent, ſine aliquo vitio loquuntur, & hic affectus eſt tale quid, quod linguæ incontinentia ſeptimo Aphor. quarto vocatur. Secundò vbi litteram, vel ſyllabam omittunt, & vocatur balbuties, Græcis Pſellotis. Tertiò vbi properè litteram litteræ, & ſyllabam ſyllabæ haud coniungere valent, & dicitur hæſitantia, Græcis Iſchonophonia, qui omnes vitioſi loquendi modi ſunt diminuti, de quibus Ariſtoteles 11. Probl. 30. Sed & alio modo locutionem vitiari poſſe contingit, vbi ſcilicet litteram aliquam determinatam patientes non proferunt, atque hic loquendi modus Bleſitas Latinis nuncupatur, Græcis Traulitis, & eſt deprauatus. D

Quibus

E Quibus ita constitutis, iam de se patet patientem nostrum, linguæ hæsitantiâ, & Ischnophonia detineri, iam inter loquendum patitur quandam interceptionem, prætereà quoniam qui sic malè loquuntur, semper hęsitando, & dubitando loquuntur, ideò pedibus, & manibus, quandoque toto corpore mouentur, quasi putent membra hęc futura in subsidium animæ ad loquendum, quod nobili nostro puero contigit. Et quibus etiam quænam sit pars affecta sub hoc vitio patet, nam etsi linguam gratia gustatus naturæ effecerit, gratia tamen adhuc locutionis, & articulationis vocis effecit, inseruientibus dentibus, labijs, foraminibus narium, palato gurgulione, & vinculo linguæ; lingua itaque interea non secundum propriam substantiam, vt sensu patet, sed secundum musculos ipsam vltrò, citroq; mouentes sic afficitur, vt diminutè loquatur.

Cui linguæ vitio rudimentum etiam subluxionis spinæ ad regionem thoracis ad posteriora, & parum ad sinistras adnectitur, illa Chifosis, hæc verò Scoliosis dicitur, non F enim est Lordosis, quoniam ad anteriora non fit luxatio, nec scisis, quoniam tota compago vertebrarum à propria sede non dimouetur tertio de Articulis in principio.

Postremò subest & tensio in vtroque viscere naturali, ac affectus capitis Cutaneus mixtus ex tinea, & achore.

Horum omnium præternaturam affectuum causam tum communem, tum vnicuique determinatam est assignare; Communem destillationem frigidam à capite in subiectas partes existimo, adesse destillationem ex redundantia sputi, grauedine capitis, & alijs quamplurimis agnosco, frigidam autem esse, illud quod nempè patiens hyeme peius habeat, satis superque sufficiat argumentum, frigidam verò cerebri intemperiem huius destillationis causam effectricem errores externi, coagentibus mala dispositione ex parte passi propter semen paternum imbecillum, & capitis magnitudine du G bio procul induxerunt.

Causa determinata modò & primum respectu hæsitantiæ, quæ est actio læsa, necessariò vel in vitium facultatis, aut communis, aut determinatæ, vel in errorem externum est referenda, non primum, quoniam facultas communis est intellectus, & imaginatio, quæ hic locum haud habent, propterea quòd imperant, vti secundum naturam imperare debent, vt apparet ex illo motu manuum, & pedum, nam locutio est mentis interpres ex Lucretio, vel si Communis facultas læditur, solum ratione instrumenti, spiritus inquam crassefacti læditur. non in errorem externum (quandoquidem hic nullus reperitur) hæsitantia est referenda, ergo necessariò in vitium determinatæ facultatis vocem formatricis propter morbum in intemperie humida cum præsentia materiæ, propter quam musculi promptè, & expeditè proprio munere fungi non possunt, ad mentem Galen. 6. Aphor. 32. nostram hæsitantiam referre H oportet, ad quod respiciens Aristot. 2. de partibus, & 4. de Historia animalium dicebat, linguam ad benè loquendum liberam, & expeditam esse debere. Non negarem tamen dispositionem paternam (parens enim nostri patientis impedimentum patiebatur, dum loqueretur) quemadmodum & angustiam neruorum virtutem deferentium, hic locum habere.

Causam autem determinatam respectu subluxationis in tractionem refero, in qua sunt trahens, instrumentum, & quod trahitur, trahens est tuberculum ibi in ligaminib. à materia catarrhali excitatum, instrumentum est ligamen, tractum demum est vertebra, ex Galen. 3. de Articulis, cum quibus & causa coadiiuuans locum habet, paterna nimirum dispositio, nam pueri nostri parens gibbus erat.

Causa deinceps determinata tensionis viscerum naturalium est obstructio ex humoribus crassis, & lentis in ventriculo genitis, ob destillationem coctionem eiusdem vitiantem, quibus etiam voracitas, & ingluuies occasionem præstiterunt.

Affectus

Affectus denique capitis cutanei causa determinata est materia acris non ex propria natura, sed ex accidenti ratione putredinis. A

Quamobrem inter coetera Medicus destillationem. Primò, per alterantia caput ad calidum, & siccum omninò remouebit, quod si præstare non poterit, materiam saltem destillationis persistentia, atq; reuellentia præsidia ab affectis locis deuiabit. Secundò, materiam musculis linguæ insidentem, & imbibitā discutiet. Tertiò, obstrutiones reserabit. Quartò, cutim capitis absterget, at nunquam meo iudicio sanabit, quinimmò potius vlcuscula conseruanda, atque excitanda, habita tamen prius totius prouidentia.

Quibus scopis vix pro maiori parte satisfacere poterit, nam affectus huiusmodi ferè omnes sunt in habitu, præsertim verò linguæ hæsitantia, & spinæ subluxatio, quæ quasi natiua existunt, præterea plura mala simul complicantur, & causæ morbificæ sunt eius actiuitatis, vt Aphonia, atque gibbositas, pluraque longè grauiora mala immineant, quibus accedit, quod viscera principalia sunt affecta, & virtus non admodum resistit; sperandum tamen aliquid est occasione mutationis ætatis, atque etiam quoniam commodè satis puer benè moratus medicamentorum vsum admittit. B

Quoad materias igitur medicas, & primum ad chirurgicas attinet, cauterium denuò in Ceruice, vel setaceum potius experirer, nec debilitare potest caput (vti consanguinei timent) quoniam primum non in capite, sed extra caput infigitur, adde, quod ignis actualis, (quo infigeretur) tantum abest, vt debilitet, quin potius omni iure partem roborat; Inustiones deinde ad vertebras probo, atque amiculum primum ex papiro, deinceps ex ferro, vel primum ex panno lineo crasso duplicato, & pluribus suturis referto, vesicantia pariter, pluresque capitis inustiones cum ferro lenticulari conueniunt; quinimmò & venarum sectionem sub lingua proponerem, nisi ætas rcelamaret. C

Medicamenta omnia ad vniuersalia, & particularia redigo, vniuersalia sunt primum lenientia, vti esset mel. ros. sol. secundo præparantia ex decocto betonicæ stecadis, cicorij, atque syrupis accomodatis parata, tertio purgantia, inter quæ infusum agarici cum mel. ros. sol. itemque pilulas de hiera cum Agarico Mes. & cochias cum masticinis correctas, potissimum seligo; quam medicationem, vel huiusmodi, si puer bis in anno subiret, non esset non proficuum. Atqui & insensibiliter euacuantia in casu nostro sunt opportuna, decoctum ideò guaiaci, & salsæ, extractaque ex eisdem ante syrupum matutinum in boli formam exhibita mirificè proderunt.

A quibus ad particularia medicamenta est deueniendum, pro capite ergo primum nasalia dicta liquida ex mulsa cum succo betæ, & solida ex Agarico cum therebintina parata, deinde ceratum sacrum cum cerato betonicæ suturæ admotum, lotio cum lixiuio ex cinere ficus decoctionis brioniæ, lupinorum, amygdalarum amararum, furfurum, & herbarum capitalium cum absynthio, & rotis plurimum conducent, sicuti intus conseruæ capitales cum Diamusco dulci, item syrupis de Calaminta cum aqua sampsuci assumpta miram præstabunt vtilitatem, Mastiche ad sistendum nil erit opportunius, quemadmodum & inter lauandum caput lotione iam dicta. Agaricus loco saponis est præstantissimus. D

Pro lingua secundo. Primum Collutio oris cum aqua Thermali, sulphurea, salsa & nitrosa, vti Tettucciana, vel cum decocto guaiaci, origani, vel cum vino Scillino, vel tandem muria. Secundò, Illitio cum confectione Anacardina. Tertiò, Esus brassicæ ex Serapione. Quartò, nucis Myristicæ conditæ masticatio. Quintò, aquæ Ardentis in ore detentio. Sextò, ceratum sacrum mento admotū multum præstabit, quemadmodū ex more Demosthenis parua saxa in ore detinere plurimum conducet.

Tertiò prò spina fomentis, & ceratis, illis quidē cum spongia madefacta in decocto

Alteæ,

E Alteæ sem. lini, iuæ, steccadis, aristolohiæ, radicis Peucedani paratis, ceratis verò primum Diachilone cum gummis, deinde oxicroco cum radicibus Peucedani, & Bdelio essem contentus.

Pro hepate, & liene tertio loco medicamenta calibeata interius assumpta; extrà primum pro hepate fotus ex absyntio, eupatorio, camomelo, spica, & rosis calefactis, acetoque aspersis; innunctio deinde ex oleo de absynthio, de spica, cum trociscis de absynthio, vel Eupatorio, addita cera pro vnguento efformando, ceratum etiam ex Diachilone gummato, speciebus emplastri de meliloto, cum trociscis dictis erunt accomodata.

Pro liene secundo fotus cum spongia madefacta in decocto radicum filicis maris, facto in aceto extinctionis lapidis pirites, linimentum deinceps ex succo cyclaminis, & senecij, oleo nardino, & butyro recenti in duplici vase ad consumptionem succo-F rum ebullitis, & addita cera ad formam vnguenti mirificè valebunt.

Victus moderatè sit attenuans propter ætatem, vinaque medicata rore marino, & guaiaco præ cæteris erunt vtiliora, quemadmodum & carnes assæ, cum rore marino, & saluia conditæ magis proficient; Corpus tempestiuè multum exerceat puer, At linguâ potissimum Carmina recitando, sic etenim in dies Deo fauente melius habebit.

PRO QVADAM NOBILI PVELLA EPILEPSIAM EX VERMIBVS incurrente.

G CONSVLTATIO LXIIII.

QVOD puella nobis proposita sit Epileptica, præterquam instante accessione cadit, conuellitur secundum totum, ex eo etiam potissimum deprehendo, quod motu, sensu, fructioneque animæ principali interim destituitur, atque spumat ore, sed an per essentiam, vel potius per consensum sit Epileptica, meritò dubitari potest, nam ipsam essentiam laborare Paroxismus longior, & vehementior, spumaque copiosiòr, quam si per concensum laborarea, suadent adhuc & pars corporis dextra ferè semper prius conuellitur, accedit dispositio hæreditaria ex parte matris, quæ ad musculos faciei conuellebatur. Ex aduerso tamen quoniam patiens adscensum quendam, & dolorem prius circa ventriculum percipit, H atque vermes excreti ab accessione puellam præcauent, Epilepsiam hanc per consensum accedere vnusquisque facilè distinguet. Puto itaque ego per consensum hoc morbi genus propositam patientem affligere, nec mirum, si illa Symptomata sint adeò intensa, quoniam causæ morbificæ plures agunt, nam præter vermes quasi mordentes, vapores etiam huius mali causas agentes existere puto, aliter ab accessione, non ita puella stuperet per aliquod temporis interuallum; Amplius huiusmodi causæ, potissimum autem vermes sunt maximæ actiuitatis, vt ex conuulsione, quam ferè semper patiens incurrit clarius innotescit. Accedit demum, quod perspicacia illa ingenij, & propensio ad munia animalia solita, nullam materiam morbificam per essentiam cerebrum obsidere demonstrant, vt necessariò hoc Epilepsiæ germen aliundè originem ducat, & per consensum caput afficiat.

Vtcumque tamen huius Epilepsię causam duplicem esse, mediatam inquam, & immediatam constituo; Immediata meo iudicio duplex existit, vapor scilicet, & qualitas dolori-

dolorifica, vaporem interim à vermibus mortuis, & à materia cruda in intestinis putrescente eleuari pro certo habeo, nam primum, quod vermes adsint, patet, quia illos puella sæpius excernit, patitur item omnia Symptomata vermes existentes subsequentia, pluries nempè si bimet scalpet nares, est iracunda cum delirio temerario, dolore intestinorum perforatiuo angitur, dentibus stridet; Quò secundo sint teretes, rotundi, atque longi, præterquam quod sensus visus persuadet, patet etiam ex noxa ad ventriculi fundum percepta, nausea, itemque siti; Ab his ergo vermibus existentibus vapor eleuatur sine dubio, quemadmodum & à putredine, quoniam ab hac vermes fiunt hæcque interim insignis existat oportet, quoniam numerosi vermes existunt. Qualitas autem dolorifica ex morsu vermium viuentium pendet. A

Sed vis interea harum causarum est perpendenda, vapor itaque vt motu vndoso mouetur, heretque parietibus ventriculorum cerebri, idem facit cerebrum contrahere ad expellendum, vnde & nerui contrahantur oportet, hinc oritur conuulsio, vt verò poros cerebri lædit est in causa, vt functiones animales auferantur. Vt verò musculi mandibularum immodicè agitati agant in pituitam descendentem vaporoso spiritui immixtam, spumam ad os fieri contingit. B

Quoòd si tertio loc. aff. Epilepsia ob pituitam, & melancholiam obstruentem fiat, tunc de Epilepsia per essentiam, quæ etiam ab humore, sed non fit absque vapores (vt notat Auic.) Galenus est intelligendus, quasi quod humor sit mediata tantum causa, quæ postmodum immediatam, vaporem inquam suppediet in Epilepsia, nunc autem de ea, quæ per consensum, sermo, prout occasio requirit, est institutus.

Verum præter causam immediatam illam duplicem, vaporem, inquam & qualitatem dolorificam, est & mediata, minera videlicet illius vaporis, necnon errata in victu, quibus habilitas passi ratione proportionis natiuæ à matre (vt dictum fuit) nec non etiam ratione ætatis propter redundantes humiditatem, & cruditatem est addenda, vapor autem ille à facultate non regente mineram generantur, ideoque causa vaporis erit illa eadem, quæ mineram gignit, & hæc nulla alia est, nisi ventriculi frigiditas, calor imbecillus, & materia cruda. C

Vermes pariter & sui materiam, atque causam effectricem præsupponunt, à quibus producantur, materia est putredo tertiò Aphorism. vigesimo sexto, & quarto Meteor. tertio. Idcircò pituita, quæ quoniam est humida, facilè putrescit, quoniam lenta, calorem intensum, & ob id putredinalem suscipit, quod Auicenna, & Paulus tradunt, ac ista putredo ad mentem Auicennæ in rotundis est remissa, in latis verò mediocris, in ascaridibus autem summa, & hæc pituita euadit pus pituitosum, causa verò vermiū effectrix est tum calor cœlestis tum proximus insignis, aliter ab alieno dissiparetur materia, neque mutaretur in vermes, calor verò hic est putredinalis, sed aliquo modo naturalis, quia rursus terminat humidum cum sicco, præter naturam respectu dissoluti mixti, vtcumque tamen debet esse insignis, hinc Auicenna vermes fieri à potente factore scriptum reliquit. D

Scopi itaque curatiui, si in accessione, erunt sensum ablatum remedijs dolorificis restituere, conuulsionemque membrorum retrahentibus deorsum emendare, & respectu causarum effectricum vapores fluxos discutere, qui verò fluunt, vna cum vermibus retrahere.

Extra accessionem autem scopi Medici sunt vermes iam genitos interficere, allicere, & enecare, eorum denuò generationem cohibere; Materiam putridam eradicare, copiosam minuere, viscidam detergere, ac humidam exiccare, causamque illius generantem per calefacientia, & siccantia ventriculum impedire.

Quò peruenire possibile quidem, sed difficilè admodum erit, periculum enim subest ne ex Symptomatibus magnis ex causa vehementi, atq; multiplici, per essentiã puella

fiat

E fiat Epileptica quod etiam hæreditaria veluti dispositio persuadet: præterea vermes sunt magni, pingues crassi, rubri, quia sanguinem exugunt, exeunt viui, signum multam alimenti copiā assumpsisse, amplius teretes generantur in intestinis nobiliorib. superiorib. inquā, nec obstat, quod Celsus dicat latos esse deteriores, quoniā hoc eo tantū nomine dicit, quo latorum generatio est irremediabilis. Sed quod timorem non leuem incutit, est facultas haud admodum resistens, quoniam multa Symptomata ferè semper finito morbo supersunt, adhuc, & domicilium facultatis animalis afficitur.

Plurimum tamen in ætatis mutatione fidendum, tum ratione morbi imminentis, tum ratione lumbricorum, & eo magis, quia patiens (etiam si puella septem annorū) quam facilè tamen admittit medicamenta.

Quocirca ad materias præsidiorum deueniens ex chirurgicis extra accessionem probo fonticulum in crure propter pituitam, sicuti in accessione frictiones deorsum F factas approbo.

Medicamenta extra accessionem aut vermes, aut pituitam, aut cerebri proportionem respiciunt, si vermes occurrunt primum quæ ipsos interficiunt, quæ cum varia sint, interim etiam calida, quia non adest febris admittuntur, sed non adstringentia, quia non adest fluxus; verum quemadmodum hæc tum interna, tum externa esse possunt, ita interna tum communia tum propria existunt; inter communia oleum, quo ego fælici cum successu vti soleo & huiusmodi.

℞. *absynthij pontici*
santonici } *an. onc. i.*
Abrotani

G *Hysopi*
thymi
Rutæ
Cardui } *an. onc. ſ.*
mentæ
praßij
Centaur. min.
corallinæ onc. ij.
florum Hypericonis onc. i. ſ.
succi galog. drag. ij.

H *Radicis ireos*
radicis enulæ } *an. onc. i.*
Gentianæ
Diptami albi
tormentillæ
myrrhæ *an. onc. ij.*
cornucerui vsti
Agarici
Rhabarbari } *an. onc. ſ.*
Aloes

Cardamomi } *an. onc. i. ſ.*
lupinorum }
ſeminum braſicæ }
portulacæ } *an. onc. i.*
coriandrorum præp. }
Amygdalar. amar. onc. i.
ſeminum citri onc. ſ.
ſeminum ſecalæ onc. ij.
Sebeſtem pinguium onc. ij. ſ.

M. & inciſis, & contuſis, incidendis, & contundendis, omnia in vaſe vitreo ponantur, addaturque olei oliuarum dulcium tantum, quantum poſſit omnibus ſupernatare, & per quadraginta dies vas ſoli ſubijciatur, vel ſi citius hoc parandum ſit, bulliant omnia in balneo Mariæ per duodecim horas continuò, deinde oleum coletur abſque forti expreſſione, cuius ego ſoleo drag. j. pueris exhibere, adultis autem drag. ij. exhibeo, & mirificè prodeſt, & eo magis, ſi partes etiam pulſatiles iniunngantur.

Syrupus præterea, vel oxymel, & conſerua ex floribus perſicorum ex ſcordio. Puluis ex Abrotano, Corallina, coſto, citri ſeminibus, nucleis perſicorum ex aqua graminis, & peoniæ datus ex Aetio, oleum omphacinum, nucleorum perſicorum amygdalarum amararum, ſulphuris, & calcanthi ex aqua graminis propinatum, & vinum infuſionis Mercurij ſunt miri viſus.

Propria verò Teretum Medicamenta ex abſynthio. ſem. ſancto, centaurio minore, lupinis, Diptamo albo, & ſecundnm Aetium ex puluere lumbricorum terreſtrium ex ſapa, vel mulſa conficiuntur.

Cœterum pro externis medicamentis variæ primum occurrunt inunctiones, tum ex oleo ad vermes iam dictos partibus pulſautibus, cordi, ventriculo, & vmbilico illito, tum ex oleo magni Ducis ad venena; Theriaca pariter cum aloe, ſcordio, & myrrha, eodem modo illita probatur; In hunc etiam vſum medicamentum huius cenſus præparatur.

Accipitur Arancium acetoſum, in quo per foramen imponitur puluis centaurij minoris, Diptami, abſynthij, lupinorum, aloes, & myrrhæ cum modico theriacæ, deinde infunditur oleum amygdalarum amararum, vel rutaceum, ac fel Bouis, demumque coquitur ſuper laterem ad ignem, ſuccus extrahitur, & vſui eſt opportunus. Emplaſtrum quoque ad vmbilicum cum ex folijs perſicorum, farina lupinorum, puluere aloe, oleo rutaceo, & aceto acerrimo exceptis conueniens erit, eo tamen ordine hæc externa ſunt adhibenda, vt ſcilicet partibus ſuperioribus prius admoueantur.

Atque interim quæ vermes alliciunt Medicamenta, non ſunt improbanda, vti clyſteres ex lacte, præcipuè aſinino, cum ſaccharo, & melle, vel ex iure pingui, ſapa, & butyro, vti glandes ex melle ſine ſale butyro illitæ.

Interfectos autem vermes educunt pilulæ Rufi ex hiera, aloes non lota, & Agaricus trociſcatus. Inteficicit verò ſimul, & educit aqua Tettucciana cum melle roſato ſolutiuo pota ad libram vnam in caſu noſtro.

Medicamenta quæ pituitam reſpiciunt lenientia, præparantia, & purgantia, tum ſenſibiliter, tum iuſenſibiliter ſint oportet; leniatur igitur aluus cum mel. roſ. ſol. cum

E syrupo de cicorea, cum Rhabarbaro, & aqua graminis, Humores præparentur decocto betonicæ, diptami, hysopi, cicorij, & radicum peoniæ, atq; graminis cum oxymelle simplici; Purgentur pilulis de hiera cum Agarico, vel infuso Agarici trociscati, mel. ros. sol. & modico Rhabarbaro in tota substantia, nam Rhabarbarum potius ad enecandos vermes, & absumendam humiditatem excrementitiam, quàm ad purgandum additur, alias detrahendo bilem, quæ suo amarore posset vermes intersicere, noceret, & hac ratione forsan Paulus scammonium laudauit.

Pro purgatione insensibili præter trociscos Andronis ex Aetio & oleum sulphuris vel calcanthi in minima dosi ex aqua peoniæ, duo præsertim propono, vnum est oxymel ex decocto hysopi cum aceto scillino destillato, Alterum, in quo maximè fido, est decoctum guaiaci, ligni visci quercini, & corticis guaiaci, additis peonia, hysopo, & cicoraceis.

F Tandem ad cerebri proprietatem indiuidualem seruandam, ac morbum profligandum præterea, quæ alijs superius sunt immixta, secreta quadam proprietate ab vsu olei Chymici ex cranio humano cum aqua peoniæ, & betonicæ, vel conseruæ saluię, & stecadis cum puluere cranij humani, aut asinini, ac Mithridato, vel florum rutæ caprariæ sacccharo conditorum non abhorreo.

Medicamenta accessionis vapores in capite existentes discutiant, & eos, qui extra caput, ac vermes repellant oportet, Pro discussione ergo nares internæ, atque palatũ Mithridatica confectione inungantur, fiant naribus euaporationes cum spongia madefacta in aceto acerrimo decoctionis thymi, pulegij, calamintæ, diptami albi, & origani, castoreum quoque, & assa fœtida ignita in eundem faciunt vsum, sicuti & allium atque Ruta.

Pro repulsione haustus aceti, succus absyntij concreti deuoratus, & oleum ompha G cinum bibitum summoperè valent, quo spectant & petiæ lienæ in aceto, & aqua absynthij madefactæ, collo, cordi, & ori ventriculi applicitæ.

Sed inter cœtera instituatur victus accomodatus, qui sit calefaciens, siccans, attenuans, & detergens, acris, vel acidus, ideoque carnes, pisceque saliti, modestè tamen commansi, carnes item animalium exercitatorum, oliuæ, fœniculum sale, ac aceto condita, cappares saliti, amygdalæ, nuces siccæ, brassica, cicerum ius, limones, arancia, citria, acetum, oleum, quod omnia animalia insecti generis ex Aristotele enecat, probantur; præ cæteris autem amygdalorum amarorum, emulsionem feminum citri mundatorum cum modico sacchari etiam, atque etiam laudo. Verum & simplicia Capitalia pro condiendis cibis haud sunt spernenda, huiusmodi verò essent saluia, anthos, sampsuccus, atque similia. Puluis quoque cibarijs inspergendus ex semine caulium, absynthij santonici, & peoniæ cum modico sacchari H factus. At victus nullo modo tenuis existat, ideò summoperè probo, vt sæpè, sed parum cibi detur. Potus sit vini granatorum medij saporis cum aqua graminis, quod si vinum commune sit offerendum, eligatur subrubrum medicatum cum guaiaco, vel absythio, vel rore marino, Reliqua sint huius census, ex quibus Deo annuente plurimum vtilitatis sibi puella comparabit.

PRO

A

PRO QVODAM EGREGIO VIRO MACIE TOTIVS INSOLITA Psora varia, figura item totius vittata, tenesmo alui stipticitate, necnon melancholia hypochondriaca detento.

CONSVLTATIO LXV.

NON de corpore morbis affecto, sed morbis confecto nobis interim est agendum, ideò maxima diligentia est adhibenda, vt secundum Hippocratem si iuuare non possumus, detrimentum ne inferamus, quod vt ego quoque agere possim, putaui satius esse à locis affectis exordiri. B

Dico itaque primum in hoc egregio viro omnia viscera principalia malè habere, primum quidem cerebrum ob imaginationes deprauatas, sensum hæbetudinem, ac impotentiam ad motum; Secundo iecur ob vrinas subrubeas sedimento tantum refertas, ac nimis tenues. Tertio cor ob pulsum per interualla inæqualem, celerem, & frequentem. Affectis autem hisce membris, per modum consequi, & partes inseruientes, ac totum ipsum necessariò afficiuntur, hinc varij præter naturam affectus, variaque symptomata patientem affligunt; Atque inter affectus, primus existit Macies, ac tabes, quæ ex Galeno lib. de Differentijs morbu cap. nono, est morbus in magnitudine diminuta; secundus est Psora, seu scabies, morbus in aspredine cutis, scabies inquam quoniam à cuti non squamæ, vt in lepra, sed veluti furfures separantur. Verum quoniam Psora duplex existit, humida scilicet, & sicca, & humida, vel ichorem tenuem, à quo psora tenuis, & imminuta, vel humorem crassum sequitur, à quo psora pinguis, quæ cum dolore interdum ægros infestat, vndè psora sanguinea cum inflammatione, vel sine dolore, vnde, psora à pituita salsa, & crassa prouenit, & sicca ea est, quæ non nisi cutim siccam, & aspersam reddit, ferèque nihil emittit; Hunc miscellam quandam locum habere, certo certius existt, est humida, quoniam ichor tenuis, sed quoniam linteamina hærent, ideò non nihil crassi subest, & eo magis quia cutis est aspera, & sicca (præcipuè descrescente luna) & colore nigricans. Quibus morbis, maciei inquam, atque Psoræ mixtæ naturæ, sicuti dictum fuit, figuram totius vitiatam, incuruationem videlicet quandam, siue stet patiens, siue decumbat, capite inclinato addere opportet. C

Inter symptomata verò primum tenesmus occurrit, qui tametsi diuerso modo à vero tenesmo ab ægro explicetur, hoc tamen referendum in deprauatam imaginationem arbitror, nam quamquam patiens referat à ventriculo nescio quid descendere ad intestina, puto tamen id esse posse quia flatus descendit, & quãuis præterea pondus percipere ad fundum ventriculi dicat, adesseque narret stercus induratum (quæ possunt quidem sensum quendam tenesmi inducere) existimo tamen, tenesmum verum esse in intestino recto ob tuberculum quoddam circa partem illius versus peripneum à leui quadam fistula sanata ante multos annos ortum. Secundum symptomata est alui stipticitas, nam cum difficultate, & non nisi ad longum tempus patiens excernit scybala dura. Tertium est melancholia hypochondriaca confirmata ob timorem, & mæstitiam, rugitum imi ventris, pulsationem Arteriæ magnæ, & flatus copiosos. D

Quorum omnium tum affectuum, tum symptomatum causam principalem arbitror extitisse melancholicam illam, à qua vt pateat, quomodò cœtera pendeant, videndũ est ex quibus causis ipsa fiat fit igitur à vapore ab hypochondrijs eleuato ob vstionem, quam ibi fieri contingit à calore inflammatorio propter obstructiones excitato quib.

E sic stantibus iam primam coctionem vitiari est necessarium, non tantum quia humor melancholicus in hypochondrijs genitus reluctatur, sed etiam quia vapores ventriculum hora coctionis adeunt, atque humorem illius primigenium absumunt, vnde & calor naturalis imminuitur, & proindè coctio labefactatur; Cæterum quoniam coctio prima vitiata. Secundam tandem, & hæc tertiam vitiat, puto omnes iam vitiatas fuisse communicata inquam sibi affectione, atque calore natiuo violato; quæ vitia sine dubio nunc etiam perseuerant, & primum ratione primæ coctionis, quia ab assumpto cibo summoperè vir egregius alteratur, deinde ratione secundæ, & tertiæ, quia corpus ipsius nil aliud est (vt dici solet) nisi pellis, & ossa, emaciatum scilicet admodum vltra solitum. Porrò sicuti ad hoc vt corpus secundum magnitudinem suum retineat esse naturale, necesse est vt sufficiens, ac debitum alimentum eidem subministretur ita à contrariò maciei, dimunitionis, ac tabis eiusdem causa erit defectus debiti, atque sufficientis alimenti, quod cum insufficiens, ac indebitum esse possit tum ratione copiæ,
F tum ratione qualitatis, ratione quidem copiæ dupliciter, vel quia nimirum non gignitur in debita copia ob imbecillitatem facultatum commutantium, vnde atrophia libro de causis morborum nono, vel quia genitum absumitur, vt in phtisi, febribus longis, & acutis; at ratione qualitatis, quoniam gignitur quidem, sed aut prauum gignitur, vt in cachexia, aut genitum inquinatur, vt quando in destillationibus pituita sanguini commiscetur; In casu nostro ratione tantum copiæ alimentum deficere existimo, quoniam non adest subtumescentia corporis cum fædo colore, ergo neque cachexia, non destillatio, ergo neq; secundo modo, ratione scilicet inquinationis alimentum deficit, non phtisis, aut febris, vt dictum fuit, ergo non eo quod absumatur, restat igitur, vt ratione copiæ tantum deficiat, atque sic Aegri nostri corpus contabescat: Causam incuruationis refero in siccationem inductam ab atrophia, ob quam menbra quasi con-
G trahuntur, & potius ad anteriora, quoniam ad posteriora spina renititur.

Ad hæc cum in hypochondriaco affectu obstructiones adsint insignes, multus calor præter naturam suscitatur, à quo plura mala fiunt, hinc putredo, hinc pituita salsa, & crassa, quæ cuti impacta, & ibi quiescens scabiem infert, quiescens quidem, alias rigorem excitaret ex Galeno, tertio de Sympt. causis.

Hinc soluitur dubitatio, quod cum scabies sit crisis omniũ affectuũ melancolicorũ, vndè nam sit qnod noster patiens non fuerit ab affectu melancholico sanatus, quia s. materia melancholica non excernitur, & si huius à principio nonnihil excretũ fuerit.

Sed & ab eodem extraneo calore siccantur fæces, hinc stipticitas alui, cui fauet flatus interclusus, ac pituita bilem intestinorum obtundes. Amplius & ob illas obstructiones à feruore humores exurente, vapores atri in cor, & cerebrum transmittuntur, qui symptomata melancholica, deprauationemque imaginationis inducunt.

H Tenesmi causæ humor forsan acris intestino recto insidens, quia salsa pituita redundat, atque tumor non quidem venarum ani, quoniam non adest dolor, sed tuberculum superius dictum occasione sanatæ fistulæ estcitatum existunt.

Quamobrem scopi curatiui plures occurrunt, primum enim ratione maciei oportet humidum substantificum reparare, calidum innatum augere, viscerum proportionem seruare, ratione scabiei fomentum detrahere, materiam impactam discutere, detergere, atque siccare, ratione stipticitatis alui fœces emollirre, & quoniam mala hęc, vt dictum fuit, ab obstructionibus hypochondriorum fouentur, illas ideo attenuantibus, & detergentibus reesrare opportebit.

Quos assequi scopos est negocium impossibile, maximum etenim obseruo recessum à statu naturæ, totum afficitur, facultas non resistit, vt patet ex animi deliquio, vbi de lecto patiens surgit, sed non ob id (vt saltem ipsum Medicus aliqua ex parte consoletur) materiæ præsidiorum non sunt proponendæ.

Quoad

Quoad Chirurgicas ego viribus recreatis venas ani hyrudinibus aperirem, nec tenesmus abducit, quia nullius valoris, præterea magis vrget tum ſucci fœculenti copia, tum calor extraneus, qui per hanc venarum apertionem commodè ſatis euentabitur. A

Medicamenta nunc ſint alimentoſa, ideò in vſu lactis meo iudicio proſequendum, de quo ſi aliquid dicere liceret, humanum magis probarem; Confectio quoque ex pulpa caponis, perdicis, vel phaſiani, fiſticis, amygdalis dulcibus, ſpeciebus diatragaganti frigidi, modico, cinnamomi, nuceque Indica recenti cum ſaccharo diſſoluto in deſtillato caponis, & modico vini, item & clyſteres renutrientes ex contuſo caponis vitellis ouorum, ac vino odorato conueniunt, ſicuti & inunctiones thoracis, ac ſpinæ, vel cum vnguento pro ſpina dorſi dicto, vel cum oleo amygdalino dulci, violaceoque lotis aqua, & modico vini.

Poſt hac vtinam recreatis viribus medicamenta medicamentoſa ad vſum perduci poſſint, quare pro totius prouidentia, primum probantur, quæ materiam genitam coquunt, & educunt, placida tamen, ac mitia; Coquentia igitur ſint iura alterata pulli, cum ſcabioſa, boragine, betonica, cicorio, & paſſulis, educentia parentur ex decocto ſeminum cartami, & polipodij quercini cum modico mannæ, à quibus reliquiæ humorum abſumendæ, & eorundem generatio inhibenda iure pulli, in cuius ventre lupuli, ſcabioſa, betonica, agrimonium, capillus veneris, ſcolopendrium, cicorium, paſſulæ, coriandri præparati, & modicum chinæ ſint incocta ad carnis vſque liquationem, ſuccus quoque boraginis, vel per ſe, vel cum ſero capræ depurato, ſpuma quæ remanet in vaſe vitreo minimè clauſo poſt vini pluries calybeati euaporationem, ſpuma inquam cum conſerua cicoracea, itemque conſerua roſarum cum puluere confectionis diarrodonis Abatis, & hepatis lupini præparati huc referenda. B

Quibus ad vſum addictis Topica etiam non ſunt improbanda; Ideo ratione pruritus laxantia eſſe deberent, interque balneum habet prærogatiuam, ratione plore mihi maximè arridet madefactio totius ex aqua ſtillatitia therebintinæ, vel linimentum ex therebintina lota, tartaro albo, vnguento roſato, & ſucco limonum, quibus vrgente & ſalem communem, & ſulphur etiam ſucco maluarum caſtigatum addere licebit. Ablutio quoque ex aqua ſalita decoctionis hordei, & lupinorum probatur, ſed parcè admodum his erit vtendum propter maciem, quæ balnea naturalia ſulphurea, ſalſa, atque nitroſa prohibet. Pro aluo adſtricta clyſteres emollientes ex iure pingui, butyro, & oleo communi, itemque caricæ pingues in prima menſa commanſę, vel puluis tartari albi ad onc. 5. ex iure maluarum, caulium, & Mercurialis probantur. Ad teneſmum valent iniectiones primum emollientes, vti ex decocto maluarũ, fęnu græci, altheæ, ſem. lini cum medullis, & pinguedinibus, deinde ex muria aut aqua Tettucciana, in quibus nonnihil aloes diſſoluatur, quod ſi pars irritetur, lacte placari poterit. C D

Interim autem nutriatur patiens ptiſana cum carne parata, contuſo, deſtillato, & ſucco carnis perdicis, caponis, luteis ouorum ex iure capi cum modico vini odorati; bibat vinum album, tenue aqua ſcabioſæ dilutum, atque omnia ſecundum proportionem iam dictis reſpondeant, & D. O. M. præſto ſit.

PRO ILLVSTRISSIMO, ET NOBILISSIMO COMITE HIERONIMO de Pepulis, Bononiensi, Vrinæ excretione sanguinolenta, materiaque sabulosa eiusdem, doloribus colico, atque Nephritico, rudimento Ramicis, Bubonocele, necnon glandula ad natem destram laborante.

CONSVLTATIO LXVI.

AFFECTVS præter naturam, quorum de causa Illustrissimus Comes malè habet, partim esse morbos, partim esse symptomata ex medicis vnusquisque cognoscet, morbus quidem, quoniam tum rudimento Ramicis, qui Bubonocele dicitur, nam inguem dextrum parum tumet, tussique, ac tactu pars illa læta deprehenditur; tum glandula quadam ad natem dextram è directo articulationi secundæ ossis sacri, quæ ad tactum dolet, illustrissimus patiens detinetur; symptomata verò, & in excretis mutatis, & in actione læsa, quando quidem post motum corporis, & vectionem super curru vir nobilissimus vrinæ cruorem incurrit, qui mutato situ variatur, propterea quod minus per vrinam sanguinis exit in curru stando, quàm sedendo, adhuc & eadem vrina similiter materia sabulosa est referta; Amplius & dolore quodam, vbi è lecto surgit, & parum corpus exercet, infestatur, qui incipiens à destris secundum posteriora abdominis sursum ascendit, ac nonnumquam in pubem decumbit, qui dolor sedatur potu, sedatur & vrinæ mictione; Qui omnes ferè affectus de se patent, cum de dolore aliqua sit difficultas, & quantum ego puto duplex existit, Nephriticus, & colicus, nam hi vt plurimum associantur; Et quod sit Nephriticus ex ijs patet, quod ad pubem perueniat, & finiatur, vel saltem ab assumpto cibo, excretaque vrina mitescat, vrinæ item sint sabulosæ, ac ante lapillos vir illustrissimus excreuerit: Quòd verò sit colicus ex positu doloris in regione infra renes, & adscensu ad partes superiores innotescit; nec obstat quod à cibo, potuque sedetur quoniam primum solus haud infestat, sed Nephritico iunctus, vti dictum fuit, præterea post cibum facultas sensitrix ab obiecto improportionato, & contristanti distrahitur, & hæc etiam est causa meo iudicio, propter quam, mutato situ iam dicto dolor minus percipiatur, ex motu verò exacerbetur, quoniam tunc perducitur materia ad locum affectum.

Causæ horum omnium tum morborum, tum symptomatum sunt & internæ, & externæ internæ principalis, ac immediata, illam in vnicam destillationem à capite refero genitam ob intemperiem cerebri valdè humidam, sicuti ab expuitione frequenti satis apparet, nam ad palatum materia decumbit, quæ saliuationis est causa, destillationem autem haud esse calidam constat, quia nulla salsedo, acredoquè nulla in sputis ab illustrissimo patiente percipitur, quare aut frigida propter diuturnitatem affectus, aut saltem temperata; Intemperieri illius cerebri causæ fuerunt errores externi. Sed & errorem externum vocatum, vapores inquam à toto caput replentes eandem destillationem fouere, pro certo habeo, quæ postmodum in partes infernas decumbens, sicuti inter spacia membrorum glandulam, efficit, ita in ventriculum descendens coctionem perturbat, ad renes delata in arenulas, & lapillos commutatur, intestina verò petens colicum dolorem excitat.

Cœterum

Cœterum immediatam causam respectu excretionis sanguinolentæ esse vitiatam actionem retentricis, non quidem Renum, vasorum vrinariorum, atque vesicæ (quoniam tunc nullo etiam præcedente motu sanguis exiret) sed emulgentium venarum, quæ sanguinem ad renes deferunt, non est quod aliquis dubitet, vitiatur verò harum emulgentium facultas retentrix ob morbum in compositione, in via nempè dilatata, cuius meminit Galenus sexto loc. Aff. Secundo atque hoc ex eo potissimum confirmatur: quoniam vrinæ cruor, excretioque sanguinolenta prægresso motu, qui rarefacit, occurrit in præsenti; Quòd autem prodeat vrina hæc in curru sedendo magis, quàm stando, fit, quia tunc renes magis quoque laborant. Ad materiæ sabulosæ causa immediata est pituita crassa, & viscida à ventriculo & cerebro ad renes delata, quemadmodum & doloris Nephritici est solutio continui per abrasionem à transitu materiæ sabulosæ; Atque colici eadem continui solutio, sed à flatibus distendentibus genitis ex materia cruda, Glandulæ deinceps immediatam causam materiam à capite distillantem, sicuti ex dolore patet, qui aliquando ad articulum humeri sinistri cum descensu materię persentitur, esse constituo, Vltimoq; demum Ramicem à dilatatione peritonei propter motus immoderatos pendere non dubito.

Verum causas interim externas in colligentes mouentesque redigo, priores in casu nostro ad cibum, & potum copiosos, otium, atque abstinentiam à coitu referuntur, quemadmodum & posteriores ad errata in alijs rebus non naturalibus, at potissimum in aere referantur opportet.

Quamobrem Medicus curans totum studium eò conuertat, est necessarium, vt scilicet distillationem per ablationem intemperieri capitis auferat, quod si assequi non possit, vt aliò saltem ab affectis partibus eandem auertat, fluentem sistat, omninò curabit, ventriculum deinde (vt materiæ crudæ generatio arceatur) corroborare, atq; calefacere conabitur, arenulas educet, Renes refrigerabit, glandulam discutiet, emulgentes, & peritoneum adstringet, itemque corroborabit.

Sed quemadmodum hos consequi fines non est impossibile, ita est difficilimũ, quoniam plura mala simul coniunguntur, & quæ contrarias proponunt indicationes, adhuc non tantum partes principales afficiuntur, verum & illis inseruientes, imminent lapis vesicæ, vlcus Renum, & quamplura alia mala, vt de se patet, multum tamen spei remanet propter ætatem, & quoniam medicamenta generosa hucusque illustrissimus Comes non fuit expertus.

Quocirca aliqua spe ductus ad materias Medicas accedo, & quantum ad Chirurgicam laudo sectionem venæ cubiti, malleoli, apertionem hemorrohidarum cum hyrudinibus, cauterium in brachio sinistro, alterum in crure dextro, frictionesque partium extremarum, præcipuæ superiorum.

Inter medicamenta vniuersalia, primum locum habent, leniatur ideò aluus melle rosato solutiuo, diasebesten, & manna, præparentur humores decocto betonicæ, cicorij, boraginis facto in aqua calibeata cũ syrupis accõmodatis, deinde sensibiliter purgentur medicamento ex Agarico, Rhab. & manna, pilulæ de tribus sæpius sint in vsu, insensibiliter decocto chinæ, & salsæ, radicum pentaphili, sandali albi in aqua Villensi parato.

A quibus ad particularia pharmaca, & primum ad Renes expurgantia frigida deueniendum quare in hunc vsum serum distillatum cum lacte seminum melonum, vel aqua stillatitia ex succo parietariæ & limonis interea, post hac vero suo tempore aqua Villensis bibita sunt opportuna, immò verò & lac asininum haud est improbandum; Purgatis autem Renibus, statim ad adstringentia, & corroborantia descendendũ, quapropter decoctũ equisetis, serum calibeatum, lac caprile cum puluere boli Armeni, & sacchari, vel aqua Brandulensis, quam magis probo, erunt ex vsu, quin & stillicidium

 regioni

E regioni Renum, primum quidem ex Villensi, deinde ex Brandulensi aqua adhibitum mihi maximè arridet, sicuti & insessus ex eisdem aquis, vel ex aqua pluuiali decoctionis equiseti, consolidæ maioris, sandalorum omnium, adiecta octaua parte vini austeri. Solet etiam mirum in modum prodesse, si vnguento Comitissæ diligenter loto cum succo plantaginis addatur vnguentum Galeni, atque hæc simul mixta posca rursus abluantur, & Renibus illiniantur, lamina etiam plumbea perforata, & super Renes, gestata est optima.

Sed & pro capite saccharum ros. cum Mithridato, vel Theriaca cum puluere spicæ, & boli Armeni hora somni deuorata plurimum valent, sicuti & lotio, embrocaque temperata in actiuis, valenter tamen siccans artificialis, vel naturalis, quam magis probo, atqui puluerem ex Cariophyllis, baccis myrti, rosis, stecade syncipiti inspersum conuenire nullus dubitabit, omnibus autem emplastrum ex cochleis cum testa tusis, F adiecto aceto, ac thure dignum est, vt præferatur.

Pro ventriculo, cuius maximè est habenda ratio tamquam Regis nostri corporis, & præsertim in illustrissimo nostro patiente, in quo ventriculus est ferè origo, & omnis occasio omnium præternaturam affectuum, de quibus conqueritur, ante, & post potum aquarum thermalium frigidarum, etiam atque etiam opto, vt Tettuccianam per tres vel quattuor dies bibat, vt aliquando vtatur confectione aromatici rosati, cortice citri condito, syrupo de corticibus citri, extracto ex floribus anthos cum iuleb rosato castigato, & extra curet ventriculum sibi illiniri balsamo naturali, vel cataplasma ex pomo cydonio in vino Cretico cocto, mastichis, & cariophyllorum puluere adiecto, paratum adhiberi, vel stillicidium admoueri ex oleo Amygdalino dulci, in quo & vini Cretici modico in duplici vase bulliant cariophyli, nux muscata, polium montanum, squinantum, menta, sassafras, sandali coriandrorum semina, atque mastiche.

G Pro glandula deinde ceratum soluens, vti diachilon gummatum, primum solum, postea cum sacro est opportunum, sicuti pro Ramice ceratum de pelle arietina, vel de pilis leporinis combustis cum puluere consolidæ maioris exceptis oleo ros. omphacino, & pice est præstantissimum, quinimmo, & in hunc vsum deligatura summoperè conuenit.

His tamen omnibus victus ratio, partim extenuans, partim refrigerans, & adstringẽs est adijcienda. Vescatur ideo vir nobilissimus bonis carnibus assis aliquando, interdum elixis in aqua pluuiali, vel calybeata decoctis, comedat renes suillos, pisces etiam petrosi assi cum puluere coriandrorum non improbantur; Oua recentia sorbilia, & in ferculis vsurpata, butyrum recentissimum parcè, & oleum dulcissimum non sunt denegada; far, hordeum, oriza, millium, vuæ passæ, poma, & pyra cocta; melones, & alij fructus orarij ad gustandum tantum concedi poterunt, amygdalæ recentes, pineæ, fistici, semina coriandrorum, & melonum saccharo obducta, cydoniatum, conseruaque H persicorum ex vsu esse possunt. At ex oleribus cicorium, endiuia, borago, acetosa, ex quibus cum pineis, aceto, & saccharo intinctus, vel coctis aut in aqua acetamenta, rium, aut in iure ferculũ parari poterit; vitet verò Illustrissimus Comes cibaria omnia farina subacta, aromata, salsuginosa, agruminosa, dulcia, flatulenta, & huiusmodi. Vinum subrubrum, vel extinctionis auri, aut calybis, vel medicatum cum guaiaco, sandalis, coriandrisque bibat, quòd dilui poterit aqua Villensi tempore æstatis, Motus corporeus, & coitus immoderatus interdicatur; immò non nisi natura postulante coitu illustrissimus patiens vti debet, omnia animi accidentia molesta deuitet, in reliquis autem iam constitutis respondeat, ac D. O. M. illi faueat ad valetudinem.

PRO

A

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO PHILIPPO GIPSIO Bononiensi Aneurismate in flexura cubiti dextri occasione sectionis venæ detento.

CONSVLTATIO LXVII.

QVAMQVAM Aneurisma frequentissimè ad guttur, præcipuè in parturientibus ob violentam spiritus detensionem fieri soleat, in capite tamen, ac alijs corporis partibus ad loca arteriarum non rarò apparet, vt propterea non sit mirum, si in flexura, & cauitate cubiti dextri perillustri, & nobilissimi iuuenis propositi fuerit subortum, vti indicio sunt tumor mollis, atque pulsatio; de quo quidem affectu cum diligentissimè à viris excellentissimis fuerit pertractatum, quid mihi circa ipsum dicendum supersit, prorsus ignoro, ne videar tamen meas subterfugere partes, tria interim problemata breuissimè dilucidare contendam. Primum erit ad quodnam morbi genus Aneurisma referatur, hoc etenim cognoscere in Methodo medendi plurimum refert, in qua prima indicatio ab idea morbi depromitur. Secundum an malum sit sanabile, & si non, an possit præcaueri. Tertium, & postremum, quibus nam aut sanari, aut saltem auctio illius prohiberi queat.

B

Circa primum, etsi Galenum varium esse intuear, quando semel malam compositionem, semel verò solutam vnitatem Aneurisma dixerit, nam in primo libro fin. medic. statuit esse dilatationem Arteriæ (& ob id morbum in via) factam per dissultationem sanguinis, & spiritus ex arterijs sub carne dispersorum, & libro de tumoribus præternaturam vndecimo, tumorem dixit esse præternaturam, quo loci etiam Aneurisma ad solutam vnitatem reducit, Aetius verò quarto libro, capite decimo, dicit esset Anastomasim, quam Galenus meo iudicio in libro fin. medicarum sub nomine relaxationis proponit; Existimo tamen ego, rem hanc sic esse deceenendam, vt scilicet Aneurisma formaliter tumor existat, tumor quidem mollis productus à sanguine, atque spiritu sub carnem effusis ob arreriæ Anastomasim, vel vlcus, vel diapedesim, seu dissultationem, existimo etiam, vt effectiuè sit ulcus arteriæ, Anastomasis, & Diapedesis.

C

Quibus ita constitutis in casu nostro Aneurisma ortum habuit à vulnere ante sex annos occasione venæ sectionis illato in cubito dextro: Ad quod vulnus (quod pertinet ad modum generationis) vt plurimum subsequi solet hoc morbi genus, vbi vulneratur Arteria, & cuti superposita iam sanata remanet, & non agglutinatur arteriæ vulnus, & ad cicatricem non perducitur, neque carne repletur necesse enim est vt sanguinis, ac spiritus continuò ex arteria sub cuti effundatur, hinc tumor, hinc pulsus: Ad quem in casu nostro subsequitur stupor quidam in manu, præcipuè secundum digitos medios, quod arbitror ego duplici de causa contingere, primum quoniam ex dilatatione arteriæ, atque tumore per compressionem diffusio radiorum spiritus animalis inhibetur, secundo quoniam à cubito ad manum arteria protensa, necessaria spirituum copia destituitur, & proinde neruum comitem non potest vigorare, vt commodè in actum secundum possit exire, & hæc de primo propositorum: circa quæ tamen quædam occurrunt difficultates. Et prima si Aneurisma est tumor, vti constitutum fuit, ergo ipsi necessariò adiungitur intemperies, immò omne genus morbi, vt

D

patet,

E patet, sed hæc intemperies non est frigida, sicuti esse non potest, ergo calida, & tamen non adsunt signa tumoris calidi.

Secunda sanguis ille qui ex arteria prodit, necessariò inter tunicam, & tunicam continetur, idque ob murmur, ac strepitum quendam, qui pressa manu percipitur, ergò extrà arteriam in cutim non diffunditur, vt est superius dictum.

Ad primum dico quod notæ tumoris calidi non obseruantur, quoniam sanguis ille ob motum arteriarum ventilatur.

Ad secundum respondeo sanguinem esse extra corpus arteriæ, nec obstat quod si esset extra necessariò putresceret, quia esset extra proprium locum, quoniam dicerem sanguinem arteriosum extra arterias non putrescere, & eo magis, quoniam assiduè nouus sanguis, & spiritus demandatur, quasi fiat fluxus, ac refluxus quidam (à quo murmur, & strepitus ille propositus) & sanguis veluti in proprio loco

F conseruetur.

Circa secundum ex propositis, puto ego Aneurisma hoc esse irremediabile curatione vulnerum ob partis affectæ conditionem, quia quæ vulnerata est pars, spermatica existit, quæ vnionem non admittit, sed esto, quod admitteret ex propria natura, quia tamen irrequieto motu mouetur, curationi ideò reluctatur, etenim vulnera inquiete sanantur, sed adhuc etiam si quiesceret, quoniam latitat sub cuti, applicationeque medicamentorum gaudere non potest, proinde neque curatione. Quòd si huius mali curatio consideretur, non secundum quod per indicationes vulneris procedere solet, sed manuum opera, sectione inquam, & laqueatione, fieri poterit, quod curationem admittet, & præcipuè vbi vas paruum afficiatur, verum imminet gangrenæ periculum, præcipuè ob constrictionem loci ad supprimendum sanguinem.

G Poterit ne igitur præseruari? puto quod sic, cum difficultate tamen, quæ accidit ob situm partis, cui non immediatè medicamenta possunt apponi, & non sine noxa partium adiacentium.

Tertium denique propositum, vt appareat scilicet quibusnam præsidijs vitium huiusmodi sanari, aut saltem præseruari possit, proponenda sunt præsidia curatoria, & præseruatoria. Curatoria non à tumore desumenda, quoniam tumor, vt magnitudo aucta nihil ex vsu indicat, adhuc neque à materia, quoniam tantum copia, non autem qualitate peccat, vt non sine maximo iure nonnulli aliquos ex apertione huius tumoris obijsse obseruauerint: A vulnere itaque desumenda indicatio, vniendi videlicet quod discissum est, vnio verò, quoniam verè fieri non potest, propterea danda est opera, vt pars vulnerata adstringatur, coarcteturque, vt sanguis, & spiritus haud amplius exeant, quinimmò, & callus per indurantia inducendus esset, sic enim

H quendam diu vixisse cum Aneurismate arteriæ venalis, in quo substantia quædam ossea fuit adinuenta, recitat Ambrosius Pareus, cum tamen alias sub huiusmodi Aneurismate vix aliquod temporis spatium viuere liceat, ex illa namque substantia ossea, sanguinis, ac spirituum impetus facilè cohibitus fuit; sed ad rem nostram, antequam hæc induratio fiat, opus erit aliquali discussione; cœterum primum, & ante omnia totius habebitur prouidentia.

Hinc ad materias præsidiorum deueniens, si chirurgicas, specto & primum curatorias iam occurrit sectio facta modo exposito ab Aetio, vel Albucasi, qui curandi modus, quamquam ratione vasis affecti videatur maximè conueniens, quoniam adaptatur solum vasis minoribus, quale est de quo agitur, non tamen est tutus, tum quia non est sine periculo gangrænæ, tum quia secta, vt perhibent arteria sub axilla, brachium vita priuaretur, quoniam arteria illa ad cubitum fit multiplex, accedit, quod modus hic non est vsitatus; At propterea quamquam ipsum non recipiam, non tamen vitupero;

pero; ſed neque modus Pauli cum acu placet, quoniam ſi arteria ſecetur ex parte tantum, non poterit ſupprimi ſanguis, ſi ex toto pars vita deſtituetur. Quòd ſi ſecundo præſeruatorias intueor hæ vel totum, vel partem reſpiciunt, totum eſt ſectio venæ facta Vere, & Autumno, copia namque ſanguinis, quæ in patiente ſanguineo viget, ſic detrahetur, & calor ventilabitur, quibus plurimum indigemus in præſeruatione, ſicuti & in curatione eadem venæ ſectio neceſſaria creditur ad auertenda maiora mala. Partem verò reſpiciunt & deligationes variæ, quibus ſuppoſita ſit lamina plumbea, prçter quæ duo maximè conuenientia propono, vnum eſt Brachiale quoddam ferreum, quod exterius ad cubitum ſit perforatum, in flexura verò partes ſint contiguæ, & quæ ferro aliquo impulſorio (vulgo vna vite) deorſum paulatim ſingulo quoque die verſus partem affectam comprimi poſſint, quod eo magis proderit, ſi intra pelle canina condita gallis immaturis, & myrtis fuerit obductum. Alterum eſt multiplicata vſtio cutanea ad locum affectum, vt cutis inquam corrugetur.

Pharmaca reſpiciunt vel affectum, vel impedimenta, hæc præcedere debent, atque reſpiciunt, tum ichorem, & ſuccum melancholicum præſentes, tum illorum generationem, priora ſunt lenientia, præparantia, & purgantia dicta, poſteriora alterantia iecur ad frigidum, quæ de ſe patent.

Pharmaca pro affectu, ſunt adſtringentia, & indurantia, probo itaque emplaſtrum ex cupreſſo Aetij lib. 4. 19. ex ſanicula cum vino auſtero excepta, & quod ex granato auſtero cocto in ſartagine cum oleo myrtino, quouſque diſrumpatur, deinde apponatur; Cerata plura in hunc vſum habentur, inter cætera laudo illud Montagnanæ ex ſcoria ferri in ſuo Antidotario; emplaſtrum etiam ex cortice vlmi cocto, ſapa excepto, & appoſito, detentoque vſque ad ſiccationem eſt miri uſus, quemadmodum fotus cum ſpongia madefacta in aceto decoctionis ſcoriæ ferri.

Qui nam autem uictus conueniat, unicuique patet, atque ideò circa illius inſtitutionem haud immorabor, ſolum D. O. M. precabor, ut hæc omnia perilluſtri, & nobiliſſimo patienti ſint ſalutaria, atque proficua.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI VIRO IOAN. BAPTISTA à Santo Petro Bononienſi, vlcere fiſtuloſo ad gingiuam ſuperiorem partis dextræ, necnon monticulo ſcirroſo paulo ſupra verſus narium baſim in eadem parte detento.

CONSVLTATIO LXVIII.

VLCVS fiſtuloſum ad gingiuam ſuperiorem dextræ partis ſenſu ipſo facilè dignoſcitur, nam excretio colluuiei cuiuſdam ichoroſæ purulentæ obſeruatur, & ulcus longum, ac tenue, continuitasq; illius emanationis abſq; dolore oſtendunt præter ulcus adeſſe fiſtulam, cui accedit in comprobationẽ, & loci conſuetudo patiendi ſimilem affectũ, nã ulcus fiſtuloſũ in locis aptis ad receptionẽ fieri conſueuit, cuius cenſus arbitror eſſe gingiuas, quæ & ratione ſitus, & ratione propriç naturç ſpõgioſç, & rarç facilè deſtillationib. ſũt obnoxię. Huic ulceri adnectitur Monticulus quidam ſcirroſus paulo ſupra uerſus narium baſim in eadem parte dextra, qui potius

E potius Tophus, quoniam ossi inhæret, quam scirrus dici debet, sed cum sit indolens ad scirrum legitimum refertur.

Vlcus absque dubio suam habuit generationem ab acri materia, quæ partes eo loci diuidens, ac separans sinum induxit, qui non curatus in fistulam degenerauit, hæc autem materia acris reddita fuit à suppurato abscessu ibidem genito, quæ quidem materia idem malum & in præsenti fouet, & auget. Verum præter hanc proximam causam est & alia, veluti remota tum interna, tum externa ex parte agentis, interna est materia in locum abscessus decumbens, quæ partim ob partis imbecillitatem ibidem est congesta, partim à cerebro transmissa, & in eo prius genita ob vitium facultatis concoctricis, quod ei accidit ob intemperiem frigidam, sicuti absentia saporis, & id etiam, quod morbus hyeme incrementum suscipiat, omninò persuadent. Nec obstat, quod iuuetur à frigidis, quoniam à iecore F feruido bilis, & vapor calidus subministratur partibus ipsius capitis, præterea in loco affecto materia destillans putredinem nanscicitur, vt propter has causas necessarium sit illustrem Virum à frigidis iuuari: Causam verò remotam externam in varios victus errores, potissimum verò in aeris vsu referre non dubito. Postremò ex parte patientis licet & illud addere, quod pars præter situm, & substantiam spongiosam, vt dictum fuit, ob intemperiem ab hinc per multos annos acquisitam (vt quasi vlcere Cachoete detineatur) ad recipiendum maximè disposita existit.

Quantum verò ad Monticulum attinet, dubio procul à pituita pendere, destillatio, & copia sputi declarant, sed & melancholiam aliquam immisceri corporis habitus non dissuadet, quæ duplex materia duritiem illam scirrosam infert, tum quia per modum siccationis partibus nimirum subtilioribus ob continuam emanationem G ab vlcere factam euacuatis, tum quia per modum concretionis à frigiditate ossis (cui hæret) & humoris indurescit.

Enittendum igitur est, vt materia confluat non à iecore, sed neque à capite potissimum, quod fiet, vel illa ad alium locum transmutata, vel per calefactionem, & siccationem capitis, atque iecoris refrigerationem generatione illius impedita, quibus peractis vlcus erit detergendum, & siccandum, & callus eximendus, demumq; cicatrix est inducenda.

Cœterum, hoc in loco dubitandum occurrit; An vlcus illud ex toto sit sanandum, nec ne, quoniam eo sanitati restituto, dubio procul monticulus ille augebitur. Sed vt verum fatear, vbi destillationi consultum fuerit, vt dictum fuit, confido, quod & sanato vlcere, monticulus ille non augebitur, immo decrescet.

Verum quid sentiendum sit de euentu, his ita decerno, vix scilicet possibile fore, H vt in corpore valdè cacochimo (quale est illustris propositi patientis) in destillatione consirmata, & quæ ab ineunte ætate ipsum infestauit, mala iam dicta finiantur, nihilominus ab imminenti vlcere canceroso saltem auxilijs Medicis præcauebitur, & præseruabitur, ne in deterius labatur; Quocirca si rursus sanguis à venis ani (nam à cubitò iam missus fuit) per hyrudines miteretur, proficuum maximè esset; Cauterum item in occipite, si vellet admittere, mirificè prodesset iuxta mentem Hippocratis, qui in parte postica dolente capite, frontis venam secat; pariter vesiccantia capiti adhibita essent miri vsus, nihilominus, quia hæc, & similia scio virum illustrem non admissurum, Medicus cauterio in brachio lateris affecti contentus sit, oportet. Inustio pro delendo callo vlceris aperto prius ipso vlcere vix hic locum habet, tametsi sciam aliquos ex inustione facta cum instrumento ferreo subtili ad formam acus maioris persanatos fuisse; Iuges tamen frictiones extremorum summis laudibus extollo.

Medica-

Medicamenta lenientia, præparantia, & purgantia respiciunt pituitam primum, deinde alias cacochimias, ideò lenita aluo cum melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio præparatis humoribus decocto saluiæ, sonchi, buglossi cum syrupis, ijsdemque deturbatis pilulis cochijs, additis helleboro nigro, & pilulis masticinis, deueniendum est ad salsæ, & guaiaci decoctum castigatum, prout decet, agendum enim est in corpore non benè habito contra morbos iam dictos.

A quibus medicamentis cogitandum est de membrorum alteratione, & ijs, quæ vlcus, atque tuberculum iuuare possunt. Pro capitis igitur alteratione sine dubio embroca naturalis Lucensis esset valdè accommodata, castigata tamen, quam si nō admittat, substituatur lotio capitis cum aqua, & vino in qua simplicia capitalia calida, agaricus, cariophylli, folia oliuæ, & sandali sint immacerata, locoque saponis vulgati substituantur pilæ paratæ ex sapone Damasceno, puluere cariophyllorum, macis, ligni aloes, & sandalorum referto; In quem vsum etiam conduceret cucupha noctu gestata cum ijsdem simplicibus; Ad quam pariter alterationem capitis conserua saluiæ, & roris marini, cum Mithridato, ac Theriaca cum spica nardi addito his omnibus saccharo rosaceo, hora somni deuorata mihi placet. Pro iecore tabulæ confectionis trium sandalorum deuoratæ, & ab his ius pulli medicatum cum cicorio, & hepatica per modum apozematis bibitum, rursusque vnguentum sandalinum cum succo cicorij, & hepaticæ lotum, hypochondrio dextro applicitum arrident.

Pro vlcere primum fiat ablutio ad sui detersionem cum aqua Tettucciana deinde ad siccationem cum aqua Villensi decoctionis aluminis, & boracis mineralis, vel cum aqua stillatitia virgæ aureæ, equiseti, linguæ serpētinæ, & corticum pinearum, vel cum vino granatorum, in quo alumen sit dissolutum; sed huc pertinet & liquor stillatitius, qui fit ex infuso in vino granatorum acidorum, & succo plantaginis, boracis mineralis, aluminis, gallarum, balaustiorum, hypocistidis, radicum consolidæ maioris, acaciæ, nucum cupressi, corticum granatorum, plumbi vsti, & hellebori nigri: Et ad callum eximendum immittatur aliquandò oleum sulphuris, vel Calcanti, cum aqua rosacea, vel aqua viridis æris.

Tandem pro duritie illa tuberculi prius emollientia vsurpentur, in quorum genere fotus cum spongia madefacta in decocto seminum lini, & fœnugræci, emplastrum ex radicibus Altheæ, medullis, pinguedinibus, farina sem. lini, melle, & oleo amygdalino dulci exceptis, ceratum ex esipo, ex oleo seminum lini ad spissitudinem, cocto, ex mucilaginibus, tandemque diachilon gummatum probantur. A quibus resoluentia maximè proderunt, Ideò fotus cum spongia madefacta in oleo vetustissimo decoctionis radicum cucumeris agrestis, erit miri vsus, sicuti & emplastrum ex Aristolochia, & folijs caulium in oleo vetusto coctis, itemque ceratum isis, sacrum, & diapirites mixtum cum aliquo ex mollientibus dictis sunt opportuna.

Victus his omnibus iniungatur accommodatus, notus Excellentissimo curanti, vt mihi nil interim circà illum ferè sit dicendum, nisi quod vir illustris abstineat à cibarijs crassis, & viscidis, præcipuè verò dulcibus quæ ex Galen. lib. de bonis, & malis cibis scirris sunt aduersa.

Et si tota hyeme nobilis patiens biberit vinum alterans, & purgatorium, alterans quidem cum guairco, radicibus cicorij, & buglosi, vel cum floribus anthos, purgatorium verò cum hermodactylis, & sena paratum erit proficuum. Reliqua verò omnia, tamquam nota Excellentisimo curanti consulto prætermitto. Deus autem O. M. Illustri, & nobili patienti præsto sit, sic etenim iam præscripta erunt vtiliora.

E

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO BARONE GERMANO *luxatione sinistri femoris laborante.*

CONSVLTATIO LXIX.

QVOD Perillustris, & Nobilissimus Baro patiatur luxationem femoris sinistri multis potest comprobari rationibus, & primo motus læsione in ea parte, nam flexio, & ob id incessus læditur, vt claudicare cogatur, nam femur minus mouetur, quàm antea, & præsertim ab ea parte, à qua recessit Articu-F lus, cum non nihil moueatur, in quam venit.

Secundo femur sinistrum est dissimile dextro secundum figuram, situm, & longitudinem, ergo necessariò est luxatum; est quidem dissimile secundum figuram, quoniam cauitas insolita in eodem obseruatur secundum eam partem à qua os recessit, & eminentia, seu tumor in ea in quam excidit; secundum situm deinde, qooniam femur sinistrum ad genu spectat partem internam, sicuti crus, & pes; secundum longitudinem tandem, quia crus sinistrum est breuius, nam trahitur à musculis, cum nil resistat.

Cum igitur nobilissimus Baro laboret luxatione femoris sinistri, & luxatio duplex existat, perfecta, & imperfecta: imperfecta primo si quæ sunt iuncta separentur, & disiunctio Rasi dicitur, cum nimirum ossa dehiscunt, prius iuncta, ex Celso libro Quinto, vt sura à tibia, vel secundo quia ossa elongantur propter remollitionem ligamentorum, ita vt os non excidat à proprio sinu, sed aliquantulum promoueatur, vt facilè sit G postmodum ipsum excidere, vt carpo, & cubito accidit, Distortumque à Rasi nuncupatur. Perfecta verò si caput ossis excidat ex toto à proprio sinu, quæ differt secundum magis, & minus ex Quarto de Articulis primo, & fit in femore, ac humero, nunc ex intensione symptomatum facilè est intelligere perillustrem virum vera, perfecta, & intensa luxatione laborare, præterea quia non adest tumor, vt quando ossa dehiscunt, nec articulus est pensilis, nec vacillat, vt in elongatione, in præsenti imperfecta luxatio non habet locum, sed perfecta solum, sub qua ex toto excidit; Cœterum cum in varias partes femur excidat, nunc in externam partem excidit, primum quia crus affectum breuius est, quoniam caput femoris elatius est sinu, secundo in perineo cauitas, extra tumor apparet, Tertio, genu, pes, tibia interius spectant, Quarto crus sursum trahitur, & non potest flecti, quoniam musculi posteriores flexui repugnant, ita enim figurati dolent, & non distenduntur, calx terram non contingit, sed planta ima, hinc claudicatio, H quæ omnia tertio de Articulis habentur; ergo femur luxatum est in exteriorem partem, quæ luxatio sicuti frequens est, ita quæ in internam frequentissimè occurrit, vti quæ in priorem, vel posteriorem propter supercilia sinus elatiora rarissimè accidunt.

Vtcumque tamen omnibus luxatio habet causam tum efficientem, tum conseruantem. Efficiens duplex impellens, & incontinens, prior hic habet locum, nam cum nobilissimus Baro infans esset ex fascijs in terram cecidit, & ex hoc casu, tamquam causa violenta femur extra proprium sinum impulsum fuit. Causa incontinens, seu incontinentia & ipsa facit ad luxationem, non continetur autem femur in proprio sinu ob vitium, vel acetabuli, vel ligamentorum. Vitium autem acetabuli potest esse natiuum, & acquisitum, natiuum, quando supinum est, vt secundum superficiem promineat, & sursum spectet, vt habetur libro de causis morborum nono; estque vitium in figura, Acquisitum quando sup ercilia sunt confracta. At vitium ligamentorum est tum disruptio,

ptio, tum relaxatio à nimia humiditate, ex Galeno loco citato, & sexto Aphorismo. 59. A cum Hippocrate, Hic autem incontinentia ex parte ligamentorum relaxatorum ob nimiam humiditatem locum habet, quæ incontinentia in luxatione femoris eò magis potest, quia caput femoris naturaliter in cauo deorsum spectante inseritur, proindeque leui etiam de causa continentiam lædente fit hæc luxatio.

Causa verò conseruans luxationis est causa detinens os extra propriam sedem, quæ multiplex esse potest, præcipua tamen est callus obductus, qui etiam hic, vt & morbi diuturnitas, & impossibilis repositio declarant, adsit oportet, quem callum ex materia à capite defluente, imò verò & ex alimento ipsarummet partium ortum habuisse, non est quod aliquis dubitet.

Nam quantum ad caput attinet, est magnum, humidum, ergo destillationibus obnoxium, hanc autem destillationem fluere per modum transmissionis ad articulationem illam, non tantum sua natura, sed etiam occasione casus iam dicti nullus vnquam negabit. B

Quare in hoc morbo propulsando respicit Medicus, vel ad curationem, vel ad præseruationem, si ad curationem scopi sunt calli remollitio, & resolutio, collocatio, extensio, repositio, atque detentio, secundo, & tertio de Fracturis; præseruatorij fluxionis à capite in aliam partem conuersio, materiæ fluxæ euacuatio, cerebri siccatio, & partis recipientis confirmatio, habita tamen prius de toto prouidentia.

Verum scopi curatiui sunt impossibiles, nam vitium est veluti natiuum, cecidit enim ex fascijs, dum à nutrice contectaretur, accedit callus, qui materijs medicis non cedit, adesse autem callum ex eo liquet (vt etiam supra tetigi) quoniam luxatio est antiqua, quæ callo obdurescere solet, tum ob humores ad caput femoris fluentes, tum ob sinus repletionem; Immò etiam si recens esset hæc luxatio, femur adhuc repositum facilè excideret, non tantum ob eam rationem, quod sinus capitis femoris deorsum spectat, C sed etiam quia musculi alioquin imbecilles, propter femoris pondus illud non retinerent, & eo magis, si ligamenta sint læsa, ex Celso libro nono, capite decimo, sed non tantum ob hasce rationes scopos curatiuos impossibiles existimo, verum etiam quia quamplura remedia citra fructum adhibita hucusque fuere. At quamquam malum hoc non possit sanari, sub hoc tamen minus ægri patiuntur, quoniam sub luxatione femoris in partem externam melius corpus regitur, atque fertur, tertio de Articulis.

Cœterum scopi præseruatorij non sunt impossibiles, nam patiens est decem, & octo annorum, in mutatione ideò ætatis humidioris ad siccorem, multum est fidendum; præterea est obtemperans, vt nil sit vlla ratione omissurus, quod illi conducere possit, aliquid tamen difficultatis occurrit ob fluxionem, ac partis recipientis imbecillitatem, à quibus tum motus abolitus, tum deformitas affecti cruris, vti gracilitas impendet.

Atqui cum ex se nobilissimus Baro absque aliquo remedio præseruari possit (quantum ego existimo) non esset, quod ego materias medicas in hunc finem proponerem, nisi ab ipso cogerer. D

Quocirca ad materias chirurgicas primum accedens omitto curatorias, tanquam interim inutiles, nam cum repositio inter illas sit præcipua, & fiat palestricè, seu manibus, Methodicè cum vulgaribus, atque machinis quælibetque harum sit impossibilis, ideò iure omittendæ; Nihilominus ad tentandum aliqualem extensionem mihi summoperè probatur calceus pro pede sinistro, in cuius fundo intra super soleam sit lamina plumbea primum subtilis, ac leuis, deinde tractatu temporis crassior, & ponderosior.

Quamobrem quantum attinet ad materias præseruatorias, ratione sanguinis subdominantis singulo Vere venam secare conduceret, cauterium autem in crure sano, vel brachio eiusdem lateris esset opportunum; sed an vstio eiusdem cruris in loco affecto

conueniat

E conueniat meritò aliquis inquireret; Cui responderem quod sicuti Galenus ex Hippocrate sexto Aphor. vltimo, hanc laudabat inustionem, non solum vt mucus absumeretur, verum etiam & cuti corrugata, atque firmata facilè os femoris in suo sinu detineret, sic ne propter cutis laxitatem res interim in deterius laberetur, ea dem Vstio videtur opportuna, cutanea saltem.

Medicamenta præseruatoria, si quæ ex vsu essent, ad propria capita reduci commodè possent, quando hæc respiciant vel materiam, vel locum affectum, si materiam fluxuram, fluentem, & fluxam; quæ fluxuram, sunt quæ respiciunt totum, & caput. Merito igitur totius lenientia, præparantia & purgantia pituitam summoperè conueniunt, in genere verò purgantium pilulæ artriticæ sæpius etiam repetitæ sunt præstantissimæ, quo & medicamenta insensibiliter euacuantia, decocta nempè guaiaci, & salsæ, decoctum florum Hyperici, atque therebintina cum puluere florum hyperici, & iuæ referri debent.

F At medicamenta, quæ materiam fluentem respiciunt sunt intercipientia, hinc hora somni saccharum rosatum antiquum cum bolo Armena, ac theriaca recens erunt accommodata.

Meritò verò capitis lotio siccans, in actiuis temperata, & vrgente necessitate embroca huius census mihi probatur.

Materia tandem fluxa discutienda erit cerato Phœnicino, & Diachilone gummato, vel Oxycrocio, in quem vsum etiam, quod ex Laudano, gummi Elemi, galbano, & serapino paratur; est opportunum, pariter & oleum de spica odorata cum oleo Masticino, oleum laudani, stillicidium cum oleo Hyperici, fotus cum sacculo ex spelta, & floribus Hyperici; Insessus ex aqua sulphurea, & nitrosa, luta etiam eiusdem mineræ probantur.

G Postremò occurrunt medicamenta, quæ locum affectum (seu proportionem eiusdem dixeris) respiciunt, inter quæ oleum antiquissimum salitum, aqua ardens, in qua ebullierint lumbrici terrestres, oleumque ex ossibus humanis destillatum arrident.

Victus talis instituatur, vt aeris inclementiæ fugiantur, omnis repletio, atque cruditas deuitentur, cibique facilis coctionis, & nullius excrementi (si fieri potest) assumantur; Panisq; tempore frigidiori fiat ex farina cum decocto salsæ, & chinæ excepta, Cenaque semper sit partior prandio, Victusq; omnis (vt vnico verbo omnia complectar) sit extenuans: Vinumq; perillustri patienti sit in vsu subrubrum, medicatum cum guaiaco, & floribus Anthos, Deusq; his omnibus faueat.

H *PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO EQVITE CORRIGIENSI Bernerio, Paralisi ferè totius corporis, necnon pruritu plantarum pedum laborante.*

CONSVLTATIO LXX.

SENEX, qui pluribus, & his ipsis grauibus morbis laborat, à quibus grauiores, atque lethales (vti Apoplexia, ac similes) imminent, secundumque ferè omnia membra principalia, & proinde secundum totum corpus malè habet, nulli dubium est, quod à Medico tractari non debet, vt sanitati restituatur (quando hæc restituere sit negocium impossibile) sed benè vt præseruetur, hinc Medicus desperatis etiam

etiam aliquando Medicationem præstat, vt scilicet quantum fieri potest, illorum vitam producat, immo verò etiam, vt miseros interdum patientes consoletur; Quæ & ipse in casu perillustri, & nobilissimi Equitis animo voluens, paucula quædam ad cognitionem curandorum, & cognitionem cognitorum spectantia in sui gratiam in medium adducam.

A

Certum igitur est ipsum laborare primum impedita loquela, ita vt inter loquẽdum quandam patiatur interceptionem. Secundò, liquida præcipuè cum difficultate deglutit, existimo enim ego solida pondere, & consistentia sibimet ipsis viam parare. Tertiò, inuoluntariè feces reddit, & vrinam emittit. Quartò, plantæ pedum illi insigniter pruriunt. Postremò crura stupent, ita vt motus valdè sit imminutus, non.n. incedere, sed crura tantum eleuare potest, vt sit stupor impropriè dictus, & paralysis imperfecta, nam in vera simul etiam sensus aufertur, qui tamen hic remanet.

Cum itaque tot sint vitia in hoc nobilissimo sene, arbitrabor, me satis fecisse, vbi causam paralysis, & pruritus adinuenero, nam ab una paralysi, omnia alia uitia, uno excepto pruritu pendere existimo, ita ut meo iudicio, nulla pars in perillustri uiro reperiatur, quæ paralysi non laboret, ut non sit mirum, si loquela impediatur, deglutio difficulter celebretur, fecesq; & urina inuoluntariè exeant, atq; crura stupeant, quoniam Musculi, inquam linguæ, æphagi, ceruicis, uesicæ, ani, & crurum paralysi detinentur: Cuius duplex est causa, alia proxima, alia remota, proxima est frustratio facultatis motricis, remota adhuc duplex interna, & externa, interna est id, propter quod musculus per neruum facultate animali destituitur, quod nulla alia ratione contingit, nisi quia facultas, uel non suscipitur, uel non influit. Non suscipitur à masculo, quia ob intemperiem frigidam inductam à causis externis, uti ab aere, medicamentis, ac alijs huiusmodi musculus, ueluti densatus facultatem animalem non admittit. Non influit bifariam, aut quia transitus eius impeditur, aut quia non transmittitur; prohibetur quidem ob morbum nerui, uel spinæ, nerui existentis uel extra musculum, quo in casu per neruum intelligo neruum magnum, uel nerui in musculo existentis, atque tunc sermo est mihi de neruo paruo, imo de fibris, ob morbum & spinę, qui quidem morbus est angustia. Non transmittitur facultas in uitijs cerebri, ut in Apoplexia, in Caro, non transmittitur etiam in inflammatione musculorum temporalium, nam pars sana paralysi afficitur, quoniam uis animalis confluit ad partem inflammatione detentam.

B

C

Causa autem remota externa refertur in errata in sex rebus non naturalibus; stante igitur ista enumeratione causarum, puto ego musculos in perillustri Equite priuari facultate animali, quia prohibetur transitus eiusdem propter morbum neruorum, & spinæ; ob morbum quidem neruorum præcipuè in musculis existentium, in musculis primum crurum, quoniam crura sunt ualdè emaciata, & motus haud est ex toto ablatus; ob morbum etiam spinæ nempè semi angustiam aliquo modo puto transitum facultatis animalis impediri, quia nimirum materia frigida, crassa, & lenta in spina densationem quandam pororum, & crassefactionem efficit, quam puto fieri & in neruis musculorum. Materiæ huic attestantur senectus, morbi longitudo, atque excreta: Materia autem hæc in cerebro genita partim ad locos affectos transmittitur, partim etiam ob imbecillitatem caloris natiui in locis illis congeritur.

D

Nec mirum alicui uideri debet, quod materia imbibita in partibus neruosis aliquando paralysim, & non conuulsionem, aliquando conuulsionem, & non paralysim inducat, nam si sit in substantia medullari neruorum, facit paralysim, si in partibus externis, conuulsionem.

Vtcumque sit, errata externa ferè infinita in vsu aeris, cibi, & potus, quæ perpetrauit nobilissimus Eques, hisce malis insignem dederunt occasionem.

Tandem animaduertens pruritum, dico ipsum fieri ab ichore acri, & salso, qui a

E iecore per venas propagatus, vbi ad plantas pedum peruenerit, pruritum infert, genitus autem est ichor prædictus in iecore perillustri viri feruidissimo, quod pituitam plusquam par sit, excoquendo, ipsi salsedinem impertitur, proinde ac videmus Carnibus accidere, vbi longius elixantur.

Si igitur vir nobilissimus est præseruandus, toti prius est consulendum, & materia fluens est retrahenda, illiusque generatio cohibenda per alterationem cerebri ad calidum, & siccum, iecoris ad frigidum temperatè, deinde materia fluxa est discutienda, attemperanda, ac proportio neruorum habenda.

Quibus autem materijs hæc efficere liceat exorsus à chirurgicis ita decerno, setaceum, vel saltem cauterium in occipite est necessarium, sic enim commodius caput euacuatur, & occasio admouendi medicamenta syncipiti non adimitur, imò verò ad caudam, seu ad os sacrum cauterium excitatum non displiceret, cucurbitulæ etiam F cum Auicenna ad locum affectum in cruribus præcipuè probantur, sicuti & frictiones factæ cum manibus oleo ex saluia chymico intinctis, in cuius olei defectu substituatur oleum vulpinum, & costinum.

Medicamenta totius, si sint lenientia, mihi probantur pilulæ de hiera simplici, vel de aloe non lota, excepta cum syrupo de betonica; si sint præparantia, quoniam liquida Eques nobilissimus non assumit exhibeantur conseruæ capitales, & florum cicorij, densatæ cum puluere quatuor florum capitalium: in hunc vsum etiam probaretur confectio Dianthos vocata. Si verò medicamenta totius sint purgantia sensibiliter, seligantur pilulæ de Opoponace, fœtidæ, & cochiæ cum masticinis, vel alephanginis castigatæ, vel tanquam mitiores, quæ de hiera cum Agarico dicuntur, quibus sicuti, & illis, quas Assaiaret dicunt, sæpius per interualla quædam perillustris patiens vti debet; huc hiera Pachij referenda, quæ tutissima est, vt citra noxam aliquam G ferè semper operetur.

Verum & in præsenti, quæ insensibiliter euacuant haud contemnenda, idcirco, & extractum guaiaci, ac sassafras, & trocisci ex viperis, salque theriacalis, & confectio Anacardina, & vtraque antidotus magna antiqua, mihi videntur opportuna.

Medicamenta autem partium affectarum hoc in loco sunt proponenda. Ratione igitur capitis etiam, atque etiam laudo, vt capite euacuato per herrina parata ex mulsa, & succo sampsuci, deueniatur ad fotum eiusdem cum aqua Ardenti, vel elixire vitæ, itemque ad lotionem factam cum lixiuio ex cinere ligni visci quercini parato, ad ceratum etiam de betonica, tandemque ad Cucufam ex simplicibus capitalibus, Castoreo, & alijs paratam.

Pro oris collutione probo aquam Tettuccianam, aquam Iuæ, in qua nux miristica fuerit macerata, probo pariter nucem ipsam myristicam masticatam, confectiones H Anacardinam, & Mithridaticam illitas.

Pro cruribus fiat inunctio cum vnguento ex Bdelio, vel cum oleo therebintinæ destillato super data pelle vulpina suffumigata cum puluere nucis muscatæ, suffumigium quoque conuenit, si lapis pirites, vel molaris igniatur, & aceto decoctionis simplicium calorificorum aspergatur, fumumq; ad crura benè cooperta adscendere permittatur. Balneum ex oleo decoctionis canis rubei, seu vulpis cum betonica, steccade, saluia, sampsuco, iua, & huiusmodi est miri vsus, huc quoque referenda luta emollientia, & resoluentia, atque vinacei, quidam verò habent pro secreto illinire crura pinguedine, quæ decidit, ab ansere masculo antiquo in verru cocto, in cuius ventre prius Bdelium, Galbanum, Opoponax, Ammoniacus, & caro vulpis fuerint consuta. Quinimmo ego Sinapismis aliquando fœlici cum successu vsus fui.

Postremò sunt medicamenta proprietatis, in quorum serie maximè probo, quod ex cerebro leporis asso, Castoreo, & Pineis cum melle Anacardino exceptis paratur.

Sed

Sed remedia chirurgica, & pharmaceutica varia proposui, non vt omnia ad vsũ perducantur, sed vt muneri mihi imposito satisfecisse viderer, quando & ipse in ea sim sentẽtia, vt existimem paucis remedijs iniungendam esse vndequaq; accommodatissimam viuendi rationem quæ erit, vt nobilissimus patiens moretur in aere temperato, vtatur victu modicè extenuante, & proinde carnibus potius assis, quã elixis, qua penè ratione cocti pisces saxatiles illi concedi quandoque poterunt; ætati autem aliquid concedendum, & proinde oua, carnesq; elixæ non erunt denegandæ, comedat patiens panem cum sale, & anisis, ex optima farina confectum, fructus coctos parum degustet, Amygdalæ, pineæ, fistici, vuæ passæ, semina anisorum, & coriandrorum saccharo condita sint illi in vsu, quemadmodum & saluia, fœniculus, petroselinum, serpillum, borago, atque cicorium, intinctusque etiam sinapi refertos, & conseruam persicorum opportuna existimo: bibat vinum cum rore marino, saluia, guaiaco medicatum, & aliquando mulsam saluiatam potet: faxit autem Deus, vt hæc omnia ipsi sint vtiliora.

PRO EGREGIA FOEMINA ANGINA Cinanche dicta detenta.

CONSVLTATIO LXXI.

EGREGIAM Fœminam nobis propositam laborare affectu, qui communiter Angina vocatur, quæ nil aliud est, nisi angustia faucium propter inflammationem partium adiacentium, de se constat, vbi etenim Ægra conqueritur de angustia circa fauces, atque vel respiratio, vel deglutio difficilis redditur, necessariò hæc ipsa ex communi omnium Medicorum sententia Angina laborat.

Accedit etiam dolor acerbus, quæ omnia cum in egregia proposita fœmina obseruentur, ipsam à malo iam dicto solicitari non est dubitandum.

Cœterum cum Angina, vel sit spuria, vel legitima, arbitror ego eam, de qua agitur, legitimam esse, quoniam febrem continuam habet adiunctam. Rursus quoniam Angina fit laborantibus inflammatione musculis, vel gutturis, vel gulæ, & musculis internis, vel externis, propterea in casu nostro, quinam musculi laborent videre oportet, vt secernatur illa Anginæ differentia, quæ ad præsens facit institutum.

Si igitur musculi interni gutturis, qui laringem mouent ad efformandam vocem inflammatione tententur, fit Cinanche, in qua difficilis admodum redditur respiratio, vt ægri veluti Ortopnæa laborent, quoniam non nisi recta ceruice respirare possunt; præterea dolor est acerbus, & vehemens, atque in parte externa ceruicis, neque coloris mutatio, neque aliud Symptoma spectatur; si autem musculi externi gutturis sint affecti, fit Paracinanche, atque in hac respiratio non est ita difficilis, nec ita vehemens, tumorque vergit ad partes externas propter quod partibus illis manu compressis, dolor exacerbatur; At si musculi gulæ, seu esophagi interni afficiantur, fit Cinanche, in qua aliqua quidem difficultas respirationis accedit sed quod maximè vrget, est degluttiendi difficultas nam vix aqua permeare potest, & res aliquandò eo perducitur, vt liquores omnes, qui assumuntur, per nares egrediantur. Quòd si musculi externi eiusdem gulæ inflammentur, nulli dubium est quod sit affectus, in quo difficilis quidem est deglutio, sed minor admodum læsio inter respirandum obseruatur, Præterea tumor ad exteriora vergit, & contrectatis partibus illis, continuò dolor exacerbatur, & affectus hic solet vocari Parasinanche.

E Quibus ita constitutis, iam, ni fallor, apparet ex ijs, quæ in casu perscribuntur, patientem nostram detineri sinanche, nam difficillimè spirat, dolorque est valdè acerbus, ac in partibus externis nihil noui penitus apparet.

Sed iam modus generationis explicandus; quoniam igitur vitium hoc nil aliud est, nisi angustia, quæ in quinque partitur differentias, obstructionē inquam, constipationem, coalescentiam, subsidentiam, & compressionem, Angina est angustia, quæ compressio dicitur, vt vnicuique patere potest, & quoniam compressio fit à tumore partium adiacentium, idcircò causa effectrix immediata ipsius Anginæ, erit tumor non frigidus quoniam febris adest sed calidus, & inflammatorius; In nostro autē casu tumor musculorum internorum gutturis, relinquitur ergo, vt modus generationis huius affectus inflammatorij proponatur. Quælibet itaq; inflammatio generatur per fluxionē, vel trāsmissione, vel attractione, in præsenti ortum habuit ab attractione humoris sanguinei, F & biliosi simul, facta à calore musculorum iam dictorum: Quòd autem calor in illis musculis adfuerit, ac præcesserit indicio esse potest insolatio præterita, quæ alio nomine potuit eandem fluxionem fouere, attenuando nempè sanguinem in capite, meritò cuius attenuationis, sanguis etiam fluxior reddi solet, quod autem sanguis biliosus peccet, colligere licet à temperamento patientis, necnon ex tempore anni.

Quare vniuersa medendi ratio eo dirigenda, vt quicquid factum est ipsius inflammationis, euacuetur, quod verò est in fieri, per retrahentia præsidia prohibeatur, dolorq; anodinis mitigetur.

Quos scopos obtinere non est undequaque tutum, quoniam locus respirationi, ac immediatè deglutioni inseruiens afficitur, adest febris continua (etsi Symptomatica.) Accedit quod Cinanche est grauior omnibus alijs Anginis, quoniam respiratio summè lædltur, & propterea ægri sub hac spatio interdum 24. horarum moriuntur, ut ob G id maxima diligentia sit opus, citoque ad præsidia sit properandum.

Pro curatione itaque statuo, auspicandum esse à uenæ sectione, & primum in talo, non solum quia adest plenitudo, uerum etiam, quia iam menses fluere cæperunt, qui nullo modo cohiberi debent, quoniam tamen propter imminens suffocationis periculum, plus potest Angina ad indicandum, quam præsentia menstrui ad prohibendum, puto facta prima sectione uenæ iam proposita, necessarium esse uenam etiam cubiti cephalicam post quatuor, vel quinque horas tundere, deinde post alias quinque horas cucurbitulas scapulis, & dorso apponere, tandemque post breue tempus sub lingua uenam incidere. Illud tamen circa uenarum sectionem animaduertere oportet, ut ea sanguinis quantitas detrahatur, quam uires nostræ patientis admittant. Ideo prima uice sanguis ad onc. vij. aut etiam paulò plus extrahatur, secunda uerò uice tantumdem, aut paulò minus, & facta prima uenæ sectione, licet extrema, potissimum uerò in- H ferna fricare, ligare, & aqua actu calente lauare: licet autem & postremo loco cucurbitulam occipiti cum scarificatione adhibere, ac in periculo suffocationis licet pariter candelam ceream in fauces immittere illitam oleo rosato completo.

Quantum uerò ad medicamenta attinet, hæc diriguntur uel ad materiam extra locum affectum, uel ad materiam in loco affecto, vel ad dolorem, nulla tamen horum ante venæ sectionem sunt vsurpanda.

Priora igitur sunt retrahentia, & sunt purgantia tum assumpta, tum iniecta, idcircò secta vena, inijciendus est clyster factus ex decocto communi, melle solutiuo, & oleo violaceis, ac electuario de succo rosarum, atq; eodem tempore propinandum est pharmacum factum ex manna, & modico electuarij de succo rosarum cum sero dilutis. Et si patiens facilè secundum aluum subduceretur, sufficere posset syrupus rosatus solutiuus in magna dosi ex sero propinatus.

Medicamenta verò, quæ locum affectum respiciunt, sunt euacuantia, quibus & Anodina

Anodina etiam poterunt immisceri. Idcircò in genere euacuantium primum repellentia, deinde discutientia sunt vsurpanda; In classe igitur repellentium præter gargarismata communia facta ex Diamorore, vel Rob nucum, seu succo nucum cum aqua plantaginis, ego omnibus præfero succum pomi granati integri accidi saporis, dilutum cum aqua Thermali ferrea, & aluminosa, vel cum sero lactis, prius albo oui depurato, deinde calibeato, vel cum aqua aliqua stillatitia adstringenti, prout occasio ipsa concederet; sed vrgente dolore, hisce modicum sapæ addere erit opportunum; Præter gargarismata laudantur & lambentia, idcircò loch de mucilaginibus, Diatragagantum frigidum, conserua violarnm, præ cœteris verò syrupus factus ex succo violarum maximè probantur, à quorum vsu, si res (quod Deus concedat) ex voto succedat, deueniendum erit ad discutientia, ideo gargarisma probabitur ex decocto florum camomeli, anethi, altheæ, betonicæ, pulegij, stecadis, adiectis syrupis, vel de betonica, vel de stecade; & ad lambendum ijdem syrupi, necnon conseruæ capitales dari poterunt; exterius adhibeatur Cataplasma ex nido hyrundinum integro, & malnis coctis, exceptis oleo camomelino. Quibus si nou cedat inflammatio, sed tendat ad suppurationem (quod cognoscetur ex redditu doloris, & febris) licebit parare gargarisma ex decoctis caricarum, & altheæ, ac ad lambendum offerre loch de althea, exteriusque adhibebitur Cataplasma ex radicibus altheæ coctis, butyro exceptis; atque vel promota tussi, vel immissa candela, disrumpendus erit abscessus, & omni diligentia tentandum, vt materia purulenta expuatur, ac interim primum gargarisma ex aqua hordei cum mel. ros. simp. deinde expurgato vlcere, ex sero calybeato, & succo plantaginis erit parandum.

His adijcendus est victus accomodatus, qui erit, vt patiens detineatur in aere ad frigidum inclinante, vt vescatur pane ex aqua cocta cum lacte seminum melonum, atque hoc genere cibi actu frigido vtatur, (quod & de Medicamentis intelligere oporteret) bibat vinum granatorum cum aqua dilutum, abstineat à somno, & adsint continuò, qui illi inseruiant, cauenda tamen est frequentia, & multitudo visitantium, capilli etiam, si nimis quàm par sit longi fuerint incidantur; Aluus lubrica seruetur, tandemque animi, & corporis qnies imperetur; Cœterum & quæ à proprietate agunt in hoc malo non despiciantur, vt propterea statim vocatus Medicus iubeat, vt collo patientis alligetur filum sericum, quo vipera fuerit strangulata. Deus autem, vt hæc omnia cedant in salutem egrægiæ fœminæ, concedere ne dedignetur.

PRO NOBILI PVERO BONONIENSE DE FASIANINIS MYDRIASI *secundum vtrumque oculum, vlceribus fistulosis cum ossis corruptione cachoeticis, tum ad brachium sinistrum in articulatione cubiti, tum ad dorsum, scirro brachij sinistri lienis, ac hepatis, sinistri cruris elongatione cum dolore articulorum femoris, postremoque febre detento.*

CONSVLTATIO LXXII.

QVICVMQVE ex semine parentum vitioso gignitur, necessariò toto suæ vitæ curriculo ab aliquo morbo detinetur, ac valetudinarius existit, vt non sit mirum, si nobilis, & illustris puer ex parentibus malè affectis natus, in hac ætate tenella decem annorum pluribus, & his ipsis grauibus morbis detineatur. Primus est Mydriasis secundum vtrumque oculum, quæ vnicuique

E oculos illius inspicienti satis apparet; præterea non æque benè à longè videt; est verò hæc Mydriasis de genere earum, quæ stabiles, & firmæ secundum Aetium dicuntur. Secundò, patitur vlcera fistulosa cum corruptione ossis, & cachoetica tum ad brachium sinistrum, in articulatione cubiti, tum ad dorsum, de quibus vlceribus posset esse aliqua difficultas, an videlicet essent strumosa, necne; Causa dubitationis esset, quoniam, vt audio, in glandulis axillarum, & inguinum aliàs passus est vlcera nobilis puer, vt propterea nunc etiam strumis vlceratis eundem laborare aliquis posset affirmare. Puto tamen ego, vlcera prædicta haud esse strumas, nisi impropriè, quæ in quauis parte corporis ex humore crasso, & viscido nascuntur. Quòd vero eadem vlcera sint flatulosa, patet ex ichore tenuis ab illis emanante, quòd verò adsit ossis corruptio non est difficile captu ei, qui nouit illa, quæ os esse corruptum demonstrant; primum est quod vlcus sanatur, & redit, sanaturque cum cicatrice valde depressa, ex sexto F Aphor. 45. & Paulo lib. 4. capite 10. Secundò accedit vlceris diuturnitas. Tertiò, caro mollis superposita. Quartò, aspredo per immissum specillum obseruata. Quintò caro liuida, & corrupta. Sextò, & vltimò exitus humorum ex vlcere, plusquam conueniat fluentium, qui non modò tenues, sod etiam valde fętidi existunt, quæ omnia si diligenter obseruentur, hic obseruantur, præter carnem corruptam, & fœtorem, quæ quidem absunt, vel quia res adhuc eo non peruenit, vt carnem corrumpi, fœtoremque comitari, necesse sit; Vel dicendum etiam ob diuersos putredinis gradus hæc duo non adesse. Postremoque hæc esse cachoetica vlcera non est quod aliquis dubitet, quoniam vlcera vsque adeò diuturna crasim partium necessariò permutant, & hic ad humidum valde permutatam esse, non tantum ob temperiem, & habitum ipsius patientis, sed ob copiam excrementorum existimo.

Tertiò & scirrus brachij dicti ad cubitum, lienis, atque hepatis, vt docet durities ad G tactum percepta, cui & absentia doloris adiungitur, vera legitimi scirri nuncia.

Quartò adest elongatio sinistri cruris cum dolore articulorum femoris, qui dolor augetur compresso loco per digitum.

Postremò adnectitur febris, & hæc ipsa putrida ex diuturnitate, pulsus inæqualitate, & calore mordaci statim primo occursu cognita, quam febrem Symptomaticam esse, conuinci potest non ex eò, quòd nullum seruet typum, quia febris Symptomatica & ipsa typum habet, vt licet videre in febre pleuritica, quæ alternis diebus exacerbatur, sed puto Symptomaticam esse, quando, exacerbatis illis vlceribus eisdemq; placatis, exacerbetur, & ipsa, atque placetur.

Causæ horum, morborum pertinent vel ad passum, vel ad agens; ad passum, quia, si vlcera strumosa respicio, puer hic ob dispositionem hæreditariam ab Auo, & Patre, susceptam ad illa eadem valde propensus, ac habilis existit; Si verò ad alios morbos H animum conuerto, quia ex Patre infecto lue Venerea, & ex matre ferè semper valetudinaria genitus fuit, omnia membra principalia imbecilla sibi comparauit, vt merito illorum, ad alia etiam subeunda mala sit admodum pronus.

Causæ verò, prout attinent ad agens, variantur prout agens hoc, vel simpliciter, vel vt lædens corpus ægrotantis consideratur; simpliciter quidem, quatenus specie determinatum est, ac suas causas generantes habet; Quòd autem sit specie determinatum, facile est declarare, quia Mydriasis causa est pituita ad tunicam Rhagoidem decumbens, sicuti ex oculorum insigni humiditate, atque inuiscatione manifestè colligitur; Vlcerum verò humor pariter pituitosus, tenuis, mixtus cum acri humore causa existit, nam omne vlcus ab erodenti causa excitatur lib. de Causis Morborum vltimo. Scirrorum autem causa est humor crassus, lentus, ob frigiditatem concretus, propter copiam tum replens, tum vasa obstruens, à quo humore pituitoso ad articulũ decumbente, dolorem coxendicum oriri facta partium sentientium distensione, decumbenteq; in

ligamina

ligamina fieri elongarionem cruris per relaxationem ligamentorum, non est quod aliquis dubitet; postremò febris nascitur ex vapore putrido cordi communicato. A

Atqui principia generationis prædictarum causarum agentium varia sunt, nam humor crassus, & lentus ab intemperie frigida capitis, & ventriculi generatur, Melancholicus à iecore, consentiente liene; immo verò humores crassos in cubito copiosè colligi pro certo habeo, quoniam partes tenuiores per vlcera ibidem euacuantur, at humor acris à iocinoris caliditate producitur, est etenim flauus, qui maiorem adhuc acredinem à putredine nanciscitur, tandem vapor nascitur à materia purulenta vlcerum agente calore putredinali.

Si verò agens consideretur, vt lædit, sine dubio vapores, & humores prædicti, non tantum substantia, quia putridi, sed redundantia sunt infensi, immo humores motu etiam vitioso lædunt, nam à capite, ventriculo, atq; iecore ad partes laborantes transmittuntur, quamquam putem ego mala omnia enarrata maiorem suæ generationis partem à destillatione capitis accepisse. B

Quare pro curatione totum prius à colluuie prauorum humorum esset expiandum, deinde humores impacti essent discutiendi, obstruentes attenuandi, & detergendi, putridi eradicandi, fluentes retrahendi, vlcera abstergenda, siccanda, & agglutinanda, prius tamen osse à vita immune exempto, tandemque viscera prauos humores aggenerantia essent in contrarium alteranda.

Quæ Medicus obtinere non poterit, quin meo iudicio maximum impendet vitę periculum, nam in tanta malorum Syndrome, in ea causarũ insigni actiuitate, in hoc à statu naturali recessu, atq; vbi totum corpus, non autem solum membra principalia, malè habet, nulla spes salutis remanet, & curationi nõ datur locus, & eò magis vbi vires non resistunt, ex quo etiam vix præseruatio locum habet. Et quòd insignis admodum sit recessus, vt dictum fuit, non tantum remedia plura, eademq; varia, ac diuersa sine fructu vsurpata testantur, verum & caloris natiui paupertas, quę ex coctionibus (quarũ idem calor est auctor) ferè totius corporis vitiatis agnoscitur; Ex causarum item actiuitate mala, quæ impendent, sunt claudicatio, Hydrops, cœcitas, & alia quamplura. C

Curatio tamen per chirurgiam aliquo modo iam est habita per cauterium in ceruice à multis diebus infixum, in posterum vero cauterium in crure sano, quin probem efficere non possum. Verum ratione ossis corrupti abrasio, vel vstio conueniret, prima est impossibilis ob ossis profunditatem, posterior plenè non satisfacit, quoniam insignis est in osse corruptio, vt vix credam; totum inuri posse.

Medicamenta sunt vniuersalia, & particularia, priora lenientia, præparãtia, & purgantia sensibiliter, & insensibiliter fint oportet: Lenientia igitur ex melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio erunt opportuna, à quibus præparantia ex decocto betonicæ, Anthos, scrophulariæ, cicorij, agrimonij, citrac cũ oxymelle esse poterunt ex vsu, post quæ purgantia primum sensibiliter per aluum ex pilulis de tribus, de Rhabarbaro, & de Agarico Mes. uel de hermodactylis cum masticinis; per urinam (ad quam inclinat natura) ex sale absynthij, uel puluere rubeæ tinctorum, seu fœniculorum cum iure cicerum rubeorum parata summoperè conuenient, post quorum usum, insensibiliter euacuantia primum ex decocto in iure chinæ, uel salsæ, ligni uisci quercini, & guaiaci, uel sassafras cicoraceis, agrimonio, & floribus Anthos medicato. Secundò ex guaiaci extracto cum Mithridato in formam morselli exhibito arridebunt. D

Deinde ad Medicamenta particularia descendendum erit, quæ uaria sint pro uarietate tum affectuum, tum partium affectarum necessarium existit. Quocirca ratione ulceris, prius eiusdem os eximendum, eodem detento cum turunda ex spongia, uel ex radice gentianæ: eximitur autem ex Galeno 6. Aphoris. 46. siccantibus uehementioribus, vti est puluis Auicennæ ex Aristolochia rotunda, iride, myrrha, corticibus pa-

nacis, pumice vsto, scoriæ æris, & corticibus pini, huc radix Dracontij, & aqua vitæ refertur. Galenus libro octauo de Med. secundum genera tria proponit capite sexto, septimo, & vndecimo, quæ mihi probantur, quemadmodum Petasites, & Asphodelus, imò & trocisci ex Minio Ioannis à Vigo, euphorbium, oleum vitrioli, vel sulphuris, ac huiusmodi, quæ pyrotica dicuntur, maximè conueniunt. Osse exempto, vlcus implendum sarcoticis, puluere nempè iridis, aristolochiæ, thuris, sarcocollę, & aloes, vnguento de betonica.

Postmodum pro cicatrice inducenda conuenit ceratum ex minio, ex palma cum filamentis aridis; Quod si Medicus non obtinebit intentum, ita vt os haud eximatur, vnguentum Damascenum vsui erit opportunum.

Atque dum vlceri prospicietur, ac alia peragentur, licebit obstructiones reserare, in quem vsum ius galli antiqui, vel columbi turrialis Medicatum cum simplicibus aperientibus, Ammoniacus, succus eupatorij concretus, trocisci de eupatorio, & Capparibus, vel de Amygdalis amaris Tralliani, tandemque medicamentum calybeatum probantur; & cum varijs modis calybs præparatus offerri possit, mihi interim calybs ille fusus, qui apud Magnum Hetruriæ Ducem paratur, vehementer arridet, vel saltem in iure per noctem maceratus.

Ad scirrosos tumores primum valet emplastrum filij Zaccariæ, præmissa tamen embroca ex oleo seminum lini, cui pro hepate, & liene oleum absynthij, & Capparorum pro conseruanda partium proportione erit addendum: Cerata etiam ex Aesipo, & oleo seminum lini ad spissitudinem cocto probantur. Post vsum emollientium ad resoluentia accedendum, ideo emplastrum de meliloto, adiectis trociscis de eupatorio, & de capparibus, oleisque accommodatis, & præmissa embroca, ex ijsdem oleis, quibus sint incocta maiora resoluentia, vti radix cucumeris agrestis, Aristolochiæ, & Peucedani, tandemque ceratum sacrum, vel Diapirites valent.

Quorum omnium aliqua coxendici conferre poterunt resoluentia nimirum, atque siccantia, quibus addo luta sulphurea, salsa, & bituminosa, atque vinaceos, immo ad Sinapismum accedere licet, & emplastrum adhibendum ex axungia porcina.

Ad oculos probatur lotio cum vino Subaustero decoctionis rosarum, & Eufragiæ, in quo modicum aluminis fuerit disruptum.

Tandem ad alterationem capitis ceratum capitale Montagnanæ, vel de betonica, lixiuium pro lotione ex cinere quercus, in quo verbena saluia, absynthium, camomelum, folia hederæ, rosæ, & cariophyli sint incocta, summoperè conuenient. Embroca etiam accommodata naturalis, si duceretur puer ad loca thermarum, vbi posset vti lutis, mihi probaretur, sicuti pro stomacho ceratum stomachale cum mastiche, & speciebus Diambræ, stillicidium cum oleis stomaticis, aromaticum rosatum, vel cariophylatum intus assumptum opportunissima probo.

Victus is existat, vt scilicet puer omnes veris iniurias deuitet, vt cibis vtatur moderatè attenuantibus propter ætatem, & panis illi paretur cum puluere chinæ, salsæ, anisorum, cum passulis; carnes coquantur in aqua stillatitia salsæ, & chinæ, cum modico guaiaci, agrimonio, & citrac, vel pulli nutriantur pastillis paratis cum pulueribus dictis, quos postmodum puer comedat, qui etiam vesci poterit carnibus columborum turrialium, auium in montibus degentium. Vinum sit illi paratum cum rore marino, vel guaiaco, & ad aluum subducendam, cum hermodactilis, sena, myrobolanis, citrinis, indis, & chebulis, somnus fiat capite humili ad sistendam magis destillationem, reliqua verò omnia respondeant, prout decet, & Deus ille sit, qui nobilem puerum tum à præsentibus, tum ab imminentibus corporis ærumnis liberet, atque præseruet.

PRO NOBILISS. ET ILLVSTRISS. COMITE CAROLO DE PEPVLIS Bononiense diminuta visione, tinnitu auris dextræ, Ptielismo continuo, Coriza, necnon dolore articuli digiti maioris pedis dextri laborante.

CONSVLTATIO LXXIII.

PRIMVM vitium, de quo Illustrissimus Comes conqueritur, est diminuta actio videndi secundum vtrumque oculum, qua melius à propè, & in obscuro, quàm à longè, & in claro videt, quinimmo remota per velamen quoddam prospicit, vt illi suboriatur affectus, qui Glaucoma dicitur, sub quo ægri obiecta visibilia per fumum aspiciunt. Melius autem à propè, & in obscuro, quam à lõgè, & in claro videre, est vitium ipsi ferè connaturale, at per velamen, & nubem aspicere est eidem malum antè annum acquisitum, occasione Ophtalmiæ potissimum oculi sinistri.

Aliud vitium est auditio deprauata secundum aurem dextram, nam sonitum, atque tinnitum in ea ferè semper audit, qui affectus ab Alzarauio Tonitruus aurium vocatur.

Tertium malum est Ptyelismus, seu saliuatio, & copiosa expuitio. Quartum, est Coriza, seu excretio mucci per nares, quæ vbi finitur, in naribus obstructio quædam remanet cum grauedine capitis. Postremò dolor articuli digiti maioris pedis dextri Illustrissimum virum affligit.

Quæ omnia mala vnam habent communem causam internam, destillationem nimirum à capite in subiectas partes, quam ex vna parte calidam esse, sputum salsum, palpebrarum pruritus, nocumentum, quod ex calefacientibus experitur, ac intemperies sanitatis ipsius capitis calida, vti indicio sunt capilli flaui, demonstrant; esse verò ex altera parte frigidam, sputi viscíditas, obstructio illa narium, grauedo, atque stupor quidam in actionibus animalibus docent. Sed ego reuera existimo, destillationem prædictam calidam esse, neque ab hac sententia me auocant ea, quæ pro parte negatiua sunt adducta, nam quantum ad visciditatem attinet, & obstructionem, dico has accedere non solum ob continuam ferè victus mutationem, verum etiam quia partes tenuiores euacuantur, & crassæ manent, quæ à vaporibus calidioribus iecoris magis, ac magis incrassantur; Quòd verò ad grauedinem, dico eam pendere ab obstructione narium, & retenta materia in cerebro, de stupore autem statuo, ipsum accedere ob redundantem humiditatem. Porrò generatur destillatio hæc ob errorem facultatis concoctricis, plus, quàm par sit excrementi crassi aggenerantis, cui excremento vapores continuò à iecore feruidi transmissi immixti pituitam salsam producunt, cui maximè fauet prauus victus.

Cum igitur hæc materia in pedem decubuerit, seu per spatia inania, seu per venas, & neruos deferatur, ibi intemperiem, & extensionem facit, ac proinde dolorem excitat, ad fauces eadem materia destillans ptyelismum, sicuti ad nares Corizam inducit, & portio, quæ ad aurem dextram defertur, in vapores resoluta tinnitum efficit, nam vapores in spiris, & aurium cauernulis exitum quærentes sonitum illum edere solent.

Sed dicit ille si ex Aristot. 34. Problem. surditas fit ob pulmonum vitium, quomodo destillatio poterit auditionem deprauare?

Dicendum sine dubio è destillatione vitiari posse auditum, sed & secundum Aristotelem à pulmonibus malè affectis auditus deprauari potest, qua aer ingenitus quoquomodo

E modo reparatur, vel saltem ab aere expurgato in pulmonibus prius inspirato vigoratur. Præterea secundum aliquos reperitur foramen quoddam, quod ab aspera Arteria ad aures protenditur; accedit quod dicitur internam aurium tunicam esse continuam cum tunica asperæ Arteriæ, vt his omnibus rationibus pulmones maximum cum auribus consensum habentes possint etiam & ipsi malè affecti præter destillationem, aures violare.

Sed quomodo prædicta destillatio visionem malè possit afficere, videre oportet, quoniam non solum ad oculum transmissa, sed & in cerebro retenta, potest id mali facere, ideo res hæc paulo diligentiori indiget examine.

Visio itaque imminuitur ob vitium facultatis, vel ob errorem externum, læditur verò facultas, læso organo, humore nempè crystallino, spritibus visorijs pariter vitiatis insigniter; cumque humorem crystallinum pluribus modis vitiari contingat, puto F interim ex destillatione aliquo modo auctum, vel potius crassefactum fuisse, quoniam qui per fumum obiecta vident, splendore humoris crystallini aliquo modo destituuntur, quod ea ratione accidit, quia crassefactus fuit; Spiritus verò & paucos, ac tenues esse non dubito, quoniam à propinquo vir illustrissimus benè videt, sicuti & in obscuro, nam in claro spiritus pauci, veluti à magna luce dissipantur, quos quidem Spiritus in cerebro generari, non est quod aliquis hæsitet; sed quanam ratione patitur aliquã difficultatem. Ego arbitror, quod quia Spiritus animales generantur ex vitalibus, & hi pauci, ac tenues, nam à sanguine bilioso producuntur, ideò & animales paucos ac tenues generari; Accedit & capitis caliditas, quæ vitalem Spiritum attenuare magis, ac dissipare potest.

Imminuitur verò visio ob duplicem errorem externum, ob humoris inquam albuginei aliqualem crassitiem, ac vtriusque pupillæ dilatationem, crassities autem albu-G ginei est in parte inferna, vt visus docet, atque etiam, quia imago inspicientis cernitur, quod non fieret, si totus valdè crassus esset; Crassities albugineo accidit ob destillationem sibi communicatam, sicuti & pupillæ dilatatio ob affluentem eandem destillationem ad tunicam Rhagoidem suboritur, solet enim dilatari pupilla, vel per se, vel per accidens, per se, vel ob siccationem, vel ob tumorem præter naturam; per accidens ob augmentum albuginei, ob flatus inclusos, & ob humiditatem tunicam Rhagoidem pertingentem, admodumque vtris replentem, & hoc postremò modo dilatari pupillam in illustrissimo patiente ductus copiosa humiditate, & lippitudine ob oculis excreta puto.

Verum hic duæ occurrunt difficultates, Prima quomodo Glauccoma ex libro def. Med. possit fieri ab humore excrementitio adhærente humori crystallino, quando Aristoteles quinto de Gen. animalium & Aetius libro spetimo capite quinquagesimo H secundo, dicant Glauccoma fieri à siccitate. Secunda difficultas est, quomodo tunica Rhagoide humectata foramen illius pupilla vocatum, dilatetur, nam experientia patet, quod si pannus perforatus in aliquo loco humectetur, foramen angustatur, prẹterea si constrictio pupillæ fit ab humiditate, non patet quomodo dilatatio ab eadem causa fieri possit.

De prima difficultate dico Aristotelem aliam à Medicis habuisse sententiam, nam tenet albedinem oculorum fieri à paucitate humorum, Galenus verò ex magnitudine, & copia crystallini humoris, Aetius autem non loquitur de Glauccomate, sed de Glauccosi, quæ est albedo in humore crystallino ex euacuatione albuginei humoris.

De secunda verò difficultate dico, quod tunica Rhagoidis humectata, vt organum permittit foramen dilatari, at vt similaris nequaquam; vel dicendum quod tunica Rhagoidis humectata ab humiditate affluente tenditur, & veluti conuellitur, ad partemque posteriorem, tamquam ad suam originem trahitur, sicque necessariò foramen dilatatur;

dilatatur: Nec inconuenit quod dilatatio, & angustia fiant ab humiditate, quandò id accidat sub diuersis respectibus, nam humiditas relaxando facit angustiam, tenendo dilatationem, dilatatur igitur pupilla ab humiditate affluente; Et quamquam dilatatio in illustrissimo Comite mobilis obseruetur, quæ per se sola minimè lædit, quoniam tamen in casu nostro noxa spirituum adiungitur, idcircò dilatationem illam pupillæ magnoperè lædere existimo.

Postremò considerandæ occurrunt causæ externæ, quas omnes in motum refero corporeum immoderatum, ac intempestiuum, in aeris vsum in opportunum, tandemq; in alimenta quantitate, qualitate, ordine, tempore, atq; præparatione vitiosis assumpta.

Quantum ergo ad præsidia attinet, habita prius totius prouidentia cohibenda est ex toto destillatio per refrigerantia caput, & iecur, per siccantia idem caput, aut aliò est ab affectis locis conuertenda, tandemque materia impacta erit discutienda.

Quos assequi scopos non dicam impossibile propter ætatem, & quoniam hucusque non sunt tentata remedia aliqua generosa, sed operosum valde, atque difficilè munus erit, & hoc maximè de omnibus vitijs, vnica excepta diminuta visione, intelligere oportet, cuius curationem impossibilem futuram prænuncio, primum quoniam est veluti natiua. Secundo plures causæ morbificæ sunt simul complicatæ, pars affecta est nobilissima, & quæ non ita quæcumque admittat remedia, suffusioque, ac alia mala imminent: Aliorum autem vitiorum curam absolutam habere, erit quidem opus valdè operosum, quoniam morbi à destillatione, si non confirmata, saltem progressa, difficillimè remedijs cedunt, quoniam pars mandans transmissioni assuefacta, & recipiens debilis multum reddita cum difficultate corriguntur; accedit quod propter causarum actiuitatem surditas, & alia grauiora mala impendent, & quod nimirum in modum auget difficultatem, est, quod partes nobiles, atque præcipuè præsertim afficiuntur.

Nihilominus ad materias Medicas deueniens ex Chirurgicis, (qostquam vena in cubito secta fuit, & summa cum ratione, præcipuè verò, quia sanguis subpeccabat) nunc sectionem venæ frontis, hyrudines post aures applicitas, sicuti & cucurbitulas tum scapulis, tum occipiti scarificatas probo, at præ cœteris setaceum in ceruice ad plures menses, deinde fonticulus in brachio sinistro essent excitanda, & si vir illustrissimus cuperet à Podagra præseruari, inustiones cutaneas factas cum ferro lenticulari, non tantum in affecto pede, sed etiam sano probarem, perinde ac frictiones, & lauationes partium extremarum earum, quæ sanæ sunt, mihi non displicerent.

Medicamenta vniuersalia, quæ sunt lenientia, præparantia, & purgantia, quæ tum sensibiliter, tum insensibiliter agunt, necessaria primum existunt, quo circa pro lenientibus melle rosato solutiuo, cum Diapruno lenitiuo, vel Casia cum hiera erunt opportuna, sicuti & pro præparantibus decoctum ex ocularibus plantis, endiuia, betonica, & boragine cum suis syrupis ex vsu esse poterit; à quo purgans primum sensibiliter vel ex pilulis de Agarico, vel de hiera cum Agarico, vel aureis, cum pilulis lucis paratum propinare expediet, eo tamen constituto, vt statutis quibusdam interuallis pilulæ sine quibus, cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro, Illustrissimo Comiti sint in vsu. Interim tamen ad insensibiliter euacuantia ipsi erit accedendũ, quare decocto Chinæ, vel salsæ, cum guaiaco, & cicoraceis simplicibus ocularibus, ac sandalis citrinis nil præstantius est adinuenire, trocisci etiam Viperini in conserua Eufragiæ, quemadmodum & decoctum Viperarum in aqua Eufragiæ, & endiuiæ factum, itemque sal theriacale ex conserua eiusdem Eufragiæ, & florum cicorij exhibitum sunt miri vsus.

Post quæ ad medicamenta particularia deueniendum. Quam ob rem ratione capitis euacuantia per nares, vti decoctum esset hordei cum melle rosato solutiuo,

cui in

E cui in progressu betæ succus addi posset, per os, vti esset masticatorium ex solo mastiche, laudo. Atqui pro eodem capite ratione fluentis destillationis, intercipientia, vti saccharum rosatum antiquum cum bolo Armena, cum granis mastiches, cum Theriaca recenti, vel pilulæ de Cynoglossa hora somni assumpta conuenient. Alterantia demum interna, vti saccharum violatum, vel rosatum, & florum cicorij, confectio ex tribus sandalis, Diamargaritum frigidum à cœna per horam assumenda probantur, Externa verò erunt embroca ex aqua Villensi, in qua stecas, camomellum, rosæ, baccæ mirti, folia oliuæ, sandali, & alumen sint in cocta; aut lotio ex lixiuio cum cinere quercus, & aqua Villensi facto, locoque saponis adhibito vitello oui asso.

At ratione alterationis iecoris Potum aquæ Villensis, vel seri caprini cum succo cicorij, perfusionem ad hypochondrium dextrum ex infuso sandalorum facto in aceto, & succo cicorij conuenire decerno.

F Gratia verò auris affectæ suffumigationes primum, & euaporationes proficient factæ cum decocto cimini, anisorum, absynthij, cammomeli, fœnu Græci, & origani adiecto modico aceti, ac tracto fumo custodiatur auris gossipio, seu lana moli muscata. Secundo instillationes factæ ex pinguedine anguillæ, & oleo anisorum, vel fœniculorum destillato, irino, piperino, de euphorbio, ex succo expresso ab amygdalis amaris, nucleis persicorum maceratis in succo cyclaminis, & aqua Ardenti, vel succo expresso à Cœpa, in qua oleum anisorum destillatum, castoreum, & helleborus niger ponantur, & Cœpa ad ignem calefiat, vel ex theriaca in aqua Ardenti liquata, vel aqua stillatitia ipsius theriacæ summoperè conferent: Tertio collyria ex vtroque helleboro, nitro, cimino, anisis, vel ex theriaca cum albo oui, & gummi aliquo exceptis in auribus detenta.

In gratiam deinde oculorum faciunt primum ablutio ex Scribonio largo cum

G aqua marina, vel aqua salita, vel cum aqua stillatitia ex mica panis actu calente aspersa puluere Eufragæ, Chelidoniæ, seminum fœniculi, & rutæ, tutiæ præparatæ, boli Armeni, & salis, atque madefacta succo rutæ, facta maceratione per viginti quattuor horas.

Huc referenda aqua stillatitia nostra ex Viperis, quæ parata habetur in officina Monachorum S. Saluatoris. Secundò instillatio ex felle piscium, aut hircorum; deinde animalium rapina viuentium mixto cum aquis fœniculi; vel verbenæ, vel Chelidoniæ, vel rutæ, & rosarum. Inter cœtera tamen valet fel Perdicis cum croco, thure, & rosis in vino, huc referenda aqua Ardens cum decocto gallarum, vel gutta vna, vel altera olei ex calcanto cum aqua maluarum.

Tandem ratione pedis affecti ablutio cum aqua salita, vel decocto guaiaci, foliorum Lauri, & salis, vel vrina. Illitio ex oleo vetustissimo salito, vel ex cera, aut fauo mellis,

H vinacei, luta sulphurea, salsa, & aluminosa mihi arrident.

Postremoque victus est iniungendus moderatè extenuans, ac siccans, prout opportunum videbitur Medico curanti, præ cœteris tamen cibi præparentur puluere Eufragiæ, fœniculorum, coriandrorum præparatorium, & sacchari castigato puluere Diatriasandalorum. Vinum alteretur Eufragia, chinaſ, salsaſ, & guaiaco additis sandalis. Reliqua autem omnia respondeant prout conuenit, atque Deus illustrissimo viro sit propitius.

PRO

PRO EGREGIO VIRO MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, sudore copioso, tenui, ac sine odore noctu erupente, Punctionibus capitis, febricula, tarda coctione, tensioneque lienis affecto.

CONSVLTATIO LXXIIII.

QVAMPLVRES numero sunt affectus, qui virum egregium nobis propositum malè habent, Primarius tamen, & cui cœteri omnes suum esse acceptum referunt, est melancholia Hypochondriaca, quæ præter timorem, & mestitiam à somnis, & somnijs turbatis, sputo humido, pulsatione arteriæ ad ventriculi fundum, tandemque rugitu imi ventris innotescit, quam postmodum sudor copiosus, tenuis, non viscidus, sine odore noctu erumpens, Punctiones capitis, quæ speciem referunt doloris vlcerosi, vt menbranæ necessariò sint affectę febricula, quæ exacerbatur in vespera, tarda coctio, vt patet ab adscensu cibariòrum, tensio lienis, vti tactu cognoscitur comitantur.

Verum de febre esse potest dubitatio, num symptomatica, an vero, morbus existat, & puto ego esse symptomaticam, quantum potui obseruare; nec valet quod in vespera aliquam habeat exacerbationem, quoniam tunc omnia symptomata exacerbantur, quando humor melancholicus, cuius sunt soboles, eadem hora incipiat moueri, oritur autem ex leui putredine seri, nam fumi calidi in caput, & acres propter putredinem feruntur.

Quorum omnium causas facilè erit assignare, vbi causæ primarij affectus fuerint constitutæ, illæ igitur, vel respectu causarum externarum, vel respectu internarum consideratur, si respectu priorum iam occurrunt animi accidentia varia, atque molesta, errataque plura in victu, quæ patiens noster, vt retulit, sæpius incurrit; si autèm respectu posteriorum causarum affectus melancholichus perpendatur, iam sese offert tamquam causa principalis caloris natiui paupertas, extranei verò, & præter naturam redundantia, deinde tamquam immediata causa se offerunt vapores atri, & tetri eleuati primum in cor, circa quod angustiam, & læsionem percipit Aeger, tum in cerebrum, ratione quorum contristatur, ac timet.

Eleuantur autem vapores isti ab omnibus ferè venis ipsius chili, hepate, & liene, præcipuè à ventriculi fundo, ob calorem præter naturam illarum partium sanguinem ibidem exurentem, qui calor propter insignes obstractiones ibi excitatus, in mineram agit melancholicã, vt indicat calida iecoris temperies, succi huius valdè ferax, necnon ètiam quia vesperè omnia symptomata exacerbantur, quàm facilè cognoscitur, cum quibus causis omnibus generantibus lien in casu nostro, tamquam causa colligens locum habet.

Atque sic ex his ita constitutis, iam symptomatum concomitantium causæ facillimè innotescunt, nàm turbatio in somno ex phantasmate à vaporibus illis tenebricoso reddito suboritur, sputum à ventriculo labefactato, & non probè alimentum conficiente generatur, Rugitus ex transfusione aquæ, flatibus hincindè per intestina commotis, producitur, Pulsatio demum fit, quia pancreas, & aliæ glandulæ mesenterij tumefactæ magnam comprimunt arteriam.

Cœterum & aliorum etiam causæ notæ fiunt, eo tamen semper constituo, vt scilicet iactura illa caloris natiui supponatur omnium præter naturam affectuum causa principalis,

E principalis, in quam cœteræ omnes referuntur, & propterea sudor cum sit opus præter naturam, necessariò sequitur actionem læsam propter facultatis læsionem, vel propter errorem externum, propter læsionem facultatis, vel retentricis, vel expultricis, retentricis primum propter raritatem pororum cutis, vt in habitu calido propter humectationem partium ad ambitum corporis ex copia seri illuc per venas demandati prouenientem, expultricis deinde propter acredinem seri; ob errorem denique externum, copiam inquam seri, quo plurimo scatent melancholici, vt iure ipsorum sanguinem aquosum Hippocrates vocauerit, eo autem scatere solent propter calorem ventriculi debilem, nam iecur in melancholicis calidum existit, & ventriculum lædit,

Quæ cum ita sint, in casu nostro sudor fieri non potest vitio facultatis, nam Hippocrates quarto Aphorismo 41. dicit quod sudor noctu multus, vt est in patiente proposito, significat ipsum, aut vti plurimo cibo, aut indigere euacuatione, præcipuè si fiat citra causam manifestam. Galenus considerans illam particulam multus, dicit quod nisi addita fuisset, sudor fieret à raritate cutis, & imbecillitate facultatis, quasi Galenus velit sudorem nocturnum ab his non fieri, Ideò dico ego oriri ab errore externo, à copia nempè, atque tenuitate seri, cum plus cibi, quam conueniat, patiens haud assumat, coagit tamen calor internus noctu auctus, qui liquat, & expellit ad cutim; quod ex eo etiam confirmare mihi licet, quod corpora noctu sunt valdè constipata, atque conclusa, viresque naturæ sunt validiores, vt propterea noctu ab illis non possit fieri sudor, sed ab errore externo, vt dictum fuit. Fit itaque sudor in præsenti à copia, & acredine seri, vt indicatur à punctionibus capitis, & febricula illa fit & propter inflammationem, veluti concitatam in Hypochondrijs, & noctu auctam; augetur verò serum, quoniam Renes non benè trahunt succum alioqui crassum, & melancholicum, cum quo est serum, nutriuntur enim sanguine tenuiori, non autem crasso, & fœculento. Debilitat autem hic sudor, quoniam aliquid boni excernitur, & spiritus exhalant, sicuti in omni quorumcumque excrementorum euacuatione ex Galeno.

Punctiones interim fiunt à vaporibus acredinem nactis propter putredinem, cui fauet etiam & aliqua bilis portio habita ratione ætatis, iuuentutis, & victus, quæ punctiones magis in vespera exacerbantur, quoniam humor melancholichus, quem sequũtur ea potissimum hora moueri incipit; sed an huic qualitati manifestæ, aliqua occulta, ratione luis venereæ subsit quis posset propter duo meritò suspicari, primum quoniam adhuc nullum remedium vsurpatum contulit, secundum quia alias circa pudenda quædam nescio, passus fuit.

Febricula verò fit ex putredine seri in venis dictis, & cum sit serum humoris melancholici, vespere magis febris exacerbatur.

Coctio tandem vitiata ventriculi à calore debili eiusdem, nam qui hypochondriaca laborant affectione, ventriculum habent propria humiditate natiua destitutum propter iecur feruidissimum ob obstructiones, vt indicat vrina valdè transparens, hinc calor ventriculi languidus.

Postremò tensio lienis fit propter materiam duplicem pituitam inquam in ventriculo genitam, melancholiam autem à iecore calidiori productam.

Statim ergo calor natiuus reparandus, viscera ad suam temperiem reducenda, & secundum proportionem seruanda, vt prauorum succorum, & vaporum generatio adimatur, prius tamen obstructiones reserandæ, ac toti prospiciendum, & quoniam hæc Medicus vix assequi poterit, curabit ideò has materias alio retrahere cœterum inter omnia qualitatem venereum proprijs alexipharmacis domabit.

Quò peruenire posse medicum vix possibile prænuncio, cum potius grauiora longè mala

mala immineant, nam morbus est in habitu, cum maximo recessu à statu naturali, causæ sunt intensæ actiuitatis, & plura mala sunt simul iuncta, ita vt etiam multa sine fructu iam sint vsurpata præsidia, totum corpus est affectum, virtus non resistit, vt patet ex iactura caloris innati, curandum tamen erit, vt saltem miserrimus patiens ab imminentibus morbis præcaueatur. A

Atque idcircò, quod spectat ad chirurgicam, cum iam sanguis per venam sectam, per hyrudines hemorrohidibus applicitas fuerit eductus, cum iam cauterium in dextro crure fuerit infixum, probo iterum venæ sectionem in talo, denuo apertionem hæmorrhoidarum propono, quemadmodum & cauterium in altero crure dico profuturum, sicuti & in sincipite, ad euaporandos illos vapores acres punctionum causas, in quem finem etiam frictiones, & ligaturas partium extremarum, quin probem efficere non possum.

Medicamenta gratia totius in id potissimum tendunt, vt primum leniatur aluus cum syrupo de polipodio, ac manna, præparentur deinde humores cum dectocto mentæ, cicorij, agrimonij, melissæ, betonicæ atque simplicium spleneticorum cum syrupis accomodatis; demumque purgentur ex infuso agarici senæ, rhabarbari, cum manna, vel extracto hellebori, vel pilulis de helleboro, cum ea tamen conditione, vt patienti sæpius syrupus de polipodio cum manna, quæ serum educit, sit in vsu, vel infusum myrobolanorum citrinorum, Indorum, & epitimi, ac interea decoctom chinæ in ventre pulli iunioris coctæ cum diureticis temperatis (ne magis moueatur sudor) vti senecio, agrimonio, capillo veneris rec. scolopendrio, cuscuta, semine melonum, liquiritia, ac tantillo sassafras correctum cum sandalis citrinis, pro reparanda iactura caloris natiui erit multi vsus, nam insensibiliter, & per vrinas educit, & qualitatem veneream, si quæ subsit, vt suspicor, poterit emendare. B

A quibus omnibus ad medicamenta partium particularia, gradus faciendus erit. Atque ideò primum pro euacuatione capitis per repulsionem, oxirodinum, & Cataplasma propono, illud ex oleo rosato completo, aceto, & aqua rosaceis cum puluere sandalorum, hoc verò ex carne cydoniorum sub cineribus cocta, mica pànis in lacte vaccino cocta, pariter exceptis cum oleo rosato conficitur. C

Secundo pro obstructionibus medicamenta calybeata, vti vinum quod libram vnam calybis præparati, drag. 6. pulueris caryophilorum, & libras octo vini odorati recipit, ac in stupha furnaria ad macerationem per plures dies detinetur; Vel calybs præparatus ad drag. 1. ex conserua boraginis cum modico specierum aromatici rosati exhibendus. Exterius etiam lieni, ac toti abdomini deobstruentia conueniunt, propterea soleo huiusmodi oleo fæliciter vti; Accipio utrumque oleum amygdalinum cum modico uini Cretici, uel oleum commune cum aceto, eisque in duplici uase incoquo spicam, absynthium, rutam, corticem capparorum, filicis maris radicem, calamintam, pulegium, origanum, capillos ueneris citrach, liquiritiam, althæam, nucem muscatã squinantiũ, quousq; absumatur uinum, deinde totum uentrem hoc oleo iungi aut etiam embrocari iubeo, à quibus deuenio ad ceratũ sacrum diapiritè cum gummi ammoniaco, imo cum Aetio, ac Arabibus ad synapismos. D

Tertio pro mouendis urinis therebintinam non lotam cum puluere milij solis peculiariter laudo, sicuti & oxymel ex decocto radicis apij recentioris.

Quarto pro reparanda iactura caloris innati nil præstantius umquam theriaca recenti, uel non saltem ualdè antiqua hora somni exhibita, quæ & sudorem inhibere, reprimereque uapores poterit.

Quinto pro alteratione cordis conseruam boraginis cum speciebus letificantis Almansoris assumptam, ac illitionem cordis cum oleo florum citri maximè opportuna fore existimo; At pro uentriculo ualet idem letificans, extra uero stillicidium ex

oleo

E oleo amygdalino dulci, in quo cum vino Cretico sint incocta in duplici vase mastiche, polium montanum, squinantus, nux muscata, macis, myrrha, bezoinum, laudanus, & rosæ; Demum pro hepate serum cum succo cicorij, & boraginis, seu lac asininum cum saccharo, & speciebus aromatici rosati assumpta, extra verò, balneum non aquæ fluuij, quia hæc nimis subtilis, ac tenuis, sed pluuię, & cysternæ, quod valet etiam ad remittendum feruorem totius, ac temperandam vaporum acrimoniam, mirum in modum probo, à quo tamen statim fiat inunctio cum oleo rosato omphacino, ne sudor moueatur, quinimmo in hunc finem aqua posset calybeari, possentque in ea incoqui plantæ frigidæ, ac stipticæ naturæ, posset & immisceri oleum violaceum.

Victus rationem non proponam, quoniam melius ab excellentissimo curante instituetur, quàm ego possem in medium afferre, D. tamen O. M. precabor, vt hæc omnia in salutem cedant ægrotantis.

F

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI FOEMINA CAESENATE mensibus vitiatis, mulebri profluuio, atque sterilitate laborante.

CONSVLTATIO LXXV.

G AFFECTVS morbifici, à quibus illustris, & nobilis fœmina solicitatur, sunt menses vitiati, mulicbre profluuium, quorum existentiam, veluti perpetuus ferè comes, sterilitas comitatur. Vitiantur autem menses præcipuè secundum qualitatem, quà decolores, & nonnunquam mucosi prodeunt, vitiantur & penes tempus, quà semper remorantur.

Cum itaque tot mala nobilem mulierem obsideant, ab alijs postremum pendere existimo, vbi etenim vterus laborat intemperie frigida, & humida, facultas conceptrix, velit, nolit, necessariò à proprio scopo aberrare cogitur, non solum quia materia conceptus nec retinetur, nec coquitur, verum etiam, quoniam vis illius à frigiditate, veluti extinguitur, ac ab humiditate obruitur, huius autem census esse vterum nostrę patientis ex multis conuinci vel facile potest; nam præter purgamenta illa alba sine acrimonia, & calore excuntia, iam diu ipsa secundum vterum laborauit, minimè ad venerem prona existit, atque calor totius ita mutatus est, vt facilè sit captu vterum in discrasiam

H dictam lapsum valdè esse. Sed ratione etiam obiecti improportionati puto, eandem facultatem frustrari, quoniam menstruum, quinimmò & semen vitiosum, vt de se constat, eidem offertur, vt propterea nunc meæ solum sint partes modum generationis, & vitij mensium, & purgamentorum alborum perquirere.

Quare si causam aliquam principalem, & veluti communem statuere mihi necesse esset, hanc nullam aliam esse dicerem, quàm caloris natiui paupertatem, merito, cuius totum ferè corpus succi pituitosi valdè ferax euadit, qui ab expultrice viscerũ ad vterum, tamquam ad cloacam, & sentinam omnium recrementorum in corpore propulsus, & menses vitiat, ac profluuium illud excitat, & fouet. Nam quantũ ad menses attinet, succus ille sanguini permixtus, non solum decolores, verum etiam mucosos menses parit, quinimmò vterum refrigerando, ac vasa illius obstruendo est in causa, quod ijdem menses remorentur, cui & humor melancholicus plurimum fauet; pari quoque ratione ille idem succus, copia, & qualitate expultricem vteri irritando, profluuium

mulicbre

muliebre parit, ea tamen conditione, vt partes crassiores retineantur, ex quibus obstru- A ctionibus datur occasio, vt tenuiores excernantur: Cœterum & in vtero refrigerato aliquam etiam succi huius portionem generari, nemo est qui neget.

Vt ex his omnibus pateat vniuersam medendi rationem eo dirigendam, vt iactura caloris innati calorificis reparetur, intemperies viscerum per contrarium alteretur, obstructiones attenuantibus, ac detergentibus aperiantur, succus pituitosus genitus euacuetur, ab vteroque retrahatur, ac tandem ea etiam vsurpentur, quæ conceptionem à proprietate iuuant.

Quos scopos adimplere erit prouincia ferè impossibilis, quoniam affectus sunt quasi confirmati, plures existunt, ac totum penè corpus afficiunt, accedit quod facultas regitiua in tanta malorum colluuie vix resistit, vt ex habitu totius mutato & à statu naturali admodum lapso suadere licet; quia tamen ex medicatione habita anno superiori aliquam est experta patiens vtilitatem, idcircò aliquali spe concepta, sperandum futurum, vt mala hæc saltem insigniter imminuantur, & eo magis, quoniam prudentia B illustris patientis, ac ætas id ipsum pollicentur.

De materijs ergo chirurgicis decerno, vt habita totius prouidentia, cauteriũ vnum in brachio sinistro, aliud in femore dextro secundum partem domesticam inuratur, sanguinis autem missionem sicuti per venam sectam cubiti (nisi necessitas euentandi occurrat) non laudo, ita per crurum scarificationem, instante tempore mensium non improbo.

Et quantum ad pharmaca attinet, lenita aluo cum melle rosato solutiuo, adiecta portione aliqua syrupi de polypodio magistrali, præparatisq; humoribus decocto betonicæ, artemisiæ, agrimonij, boraginis, cicorij, cum syrupis accommodatis, tandẽ erunt deturbandi pilulis de tribus, vel de hiera cum agarico, aut cum infuso agarici, & senæ, adiecto melle rosato solutiuo completo, quod de succis vocatur. Sed rursus humores C coquendi decocto hysopi, pulegij, calamintæ, matricariæ, capillorum veneris, boraginis, cicerum, & radicum rubeæ tinctorum, adiectis oxymelle composito, syrupoque de Artemisia, ac iterum purgandi pilulis fœtidis, de helleboro, cum portione alephanginarum. Quinimmò expediet, vt certis aliquot interuallis per hæc, aut per hieras magnas repetatur purgatio, ac vomitus accommodatis prouocetur.

Habita igitur modo dicto totius prouidentia, puto quamprimum deueniendum esse ad chinæ decoctum, adiecto guaiaco, vel sassafras, alteratum tamen cum aliquot ex simplicibus dictis; cui & incoquenda diuretica aliqua vera: Ius etiam galli antiquioris eisdem medicatum, mihi maximè arridet, sicuti & extractum tum guaiaci, tum sassafras cum sale theriacali, huc referantur thermæ calidæ suo tempore bibitæ. Et pro tollendis obstructionibus præter medicamentum calybeatum, quod cum aliquo fructu iam fuit vsurpatum, laudo Antidotum Hæmagogam, laudo, & puluerem radicis D gentianæ, ex aqua florum sambuci datum.

Ad conceptionem autem iuuandam tum viperæ decoctum, tum illud, quod fit ex matrice leporis, nuce muscata, nuce indica, rasura eboris, cariophylis, cinnamomo, & bistorta, facta prius horum infusione, summoperè laudo; Item & coagulum leporis maximè efficax, existimatur.

Exterius pro ventriculo alterando, & roborando laudo stillicidia accommodata; pro vtero probo insessus ex thermis propositis, quo pertinent & suffitus, iniectiones, ac pessi, ex supradictis parata, quibus addo succum saluiæ, succum stercoris asinini, & quod fit ex lolio cum polenta, myrrha, ac thure. Victus ab excellentissimo curante, prout decet, præscribatur, & D. O. M. hæc omnia secundet.

E

PRO ILLVSTRISSIMA, ET EXCELLENTISSIMA Marchionissa Felicita Gonzaga hæmicranico, seu potius cum Barbaris Monopagico dolore, immo & clauo morbo dicto per interualla detenta.

CONSVLTATIO LXXVI.

CERTVM est Illustrissimam Marchionissam iam à multis mensibus per interualla quædam ferè quintum mensem attingentia ad octo ferè dies vexatam fuisse, nunc verò per minora interualla, sed longè pluribus diebus à dolore partis sinistræ capitis musculum temporalem, oculumque potissimum affligente vexari, vt hæmicranicus, verius tamen (quoniam non totum capitis dimidium affligit) cum Barbaris Medicis Monopagicus dolor, immo & clauus, eo quod oculum exercet, dici possit, qui etiam si intermittat, nihilominus magnus non tantùm ratione propriæ essentiæ, verùm etiam & respectu causarum, atque symptomatum haberi debet, quando dolor hic qualitati dolorificæ valde infestæ sit iunctus, sub eoque temporales arteriæ, pulsent, & musculus temporalis conuellatur, vibrationemque patiatur insignem, quæ non nisi à vehementi causa pendere, pro certo est habendum; Et quamquam in partibus extra craniùm nec tumor cum tensione, atque duritie aliqua, nec sensus aliquis caloris percipiatur, non propterea non tantum membranam cerebrum duram inuestientem, verum etiam & inter partes externas musculum secundum fibras, & arterias laborare dubito, musculum inquam secundum fibras ob motum illum vibrantem, & conuulsiuum, secundum arterias verò ob pulsum, quem vltra consuetum Illustrissima Fœmina persentit: Nec quia dolor ad oculum pertingit, credendum est dolorem ad partem externam haud attinere, quoniam id ad hoc probandum non est sufficiens argumentum, cum ad foueam, & radicem oculorum, pericranium quoque pertingat. Cœterum quoniam aduersus dolorem hunc diuersis remedijs pugnatum fuit, & nunquam debellari potuit, existimandum, ipsum pendere à causa adhuc incognita, aut occulta, aut saltem valde pertinaci, si quidem, vt ex Hippocratis sententia Galenus docebat, nulla certior via ad morbi naturam pernoscendam ipsa curatione potest haberi.

F

G

Quamobrem in huius doloris causæ inuestigationem diligenter incumbendum. Primum itaque dolorem hunc ab obiecto improportionato, atq; excellenti, valde sensibili organum tactus in partib. iam dictis secundum propriam symmetriam corrumpente oriri nullus est qui neget, quod sensibile excellens, dum duplex esse possit, proprium nempè, vt intemperies, commune, vt soluta vnitas, si vera sunt, quæ de hoc dolore scribuntur, quemadmodum vera esse puto, quod nulla scilicet intemperies in partibus extimis dignoscatur euidens, cogor affirmare, vsque adhuc sensibile proprium excellens nihil prorsus cum hoc dolore, habere, fit igitur meo iudicio à sola vnitate soluta, quæ cum ab intemperie non tantum ob rationem allatam, sed etiam quia dolor hic ex toto delitescit, fieri non possit, reliquum est, vt à materia, non quidem humorali, sed halituosa fiat, alias non ita subitò intermitteret, non ita subito inuaderet, nec etiam ad lõgum valde tempus non finiretur; solet enim Auerroes ex Aristotele dicere, quæ citò fiunt, ac cito desinunt, à causa, quæ pariter subito fiat, illicoque euanescat dependere. Idcircò sicuti dolorem; de quo agitur, ex vapore generationem habere non hęreo, ita

H

ita vaporem hunc esse sanguineum, præter vitam, quam ducit Illustrissima patiens, **A** bonum corporis habitum, ac ætatem, quæ sapit adhuc naturam adolescentiæ (est enim in principio iuuentutis) hora inuasionis doloris manifestè suadet, hic enim circa auroram, quæ (vt inter omnes Medicos conuenit) est hora motui sanguinis destinata, accedit; in cuius confirmationem facit, & dolor pulsatorius ab Illustrissima patiente perceptus.

Verum nec obstat, quod quotidiè inuadat, & accessiones habeat, quæ à morbis sanguineis absunt, quoniam arbitror ob feruorem iecoris, coagente etiam ætate, sanguinem aliquo modo bilis naturam nancisci, merito cuius fiunt accessiones, & dolor etiam ad meridiem (horam motus bilis) accedit.

Sed an vapor generetur in capite, vel extra, non est difficile cognitu ei, qui capitis affectus periodicos fluxionis alicuius à toto, vel à parte soboles esse nouerit. Cum igitur dolor hic sit periodicus, vaporem, quem pro sui causa habet, ab altero illorum habebit, sed à quo præcipuè, ex litteris ad me missis haud satis liquet, liceat igitur mihi hac **B** in re vaticinari, ac affirmare potius à toto prodire, cũ ob multas rationes superius propositas, tum vero maximè ob eam, quod sanguinolenta quædam per venas podicis excretio, alias illi consueta (si bene audiui) nunc sit suppressa, nam vita frugalis, otiosaq; nimis, quam degit, plus sanguinis in toto coaceruat, quàm possit vterus singulo mense expurgare, vt propterea necesse sit adstruere, vitium hoc in materiam sanguineã, quodammodo etiam biliosam, tanquam in propriam causam, & hanc quidem vaporosam referri, quæ sua copia distendendo, veluti insensibiliter vellicat, & soluit continuum, sicque dolorem infert, sua verò copia, crassitie, adhæsuque circa fibras, motus illos conuulsiuos in musculo temporali parit, & quoniam pertinaciter hæret, non est mirum, si dolor sit valdè pertinax, vt remedijs medicis non cedat, propter quod & malam, ac malignam aliquam qualitatem nobis occultam, atque secretam in loco dolente contractam fuisse, posset aliquis suspicari, & eo magis, quando nulla circa causas **C** conspicuas adhuc obseruata (quam ego audierim) mutatione, dolor in dies augeatur, diutius duret, atque per plures vices redeat; solent enim dolorem capitis valdè pertinaces, tum à carie ossis, tum à maligna qualitate ortum ducere. At caries quamuis dolorem paruo loco circumscriptum sibi adsiscat, non tamen interpolato, sed perenni dolori præbet occasionem; quod cum in præsenti non obseruetur, ideò non caries, sed qualitas per interualla à vaporibus irritata concurrit, quæ etiam si à causis externis prodire possit, nunc ex longa insigniter patiendi consuetudine, & hac ipsa in loco nobili, atque præstanti ipsam ortum potissimum habere existimo, quamquam non ignorem, non modo humores, sed & vapores, etiam si non praui propria natura sint, ob longam tamen moram, ac detentionem in aliqua corporis parte, & quoniam à natura non reguntur, prauam quandam conditionem secretam nobis acquirere.

D Quibus ita sese habentibus, quæret aliquis, an dolor hic re vera sit merus fluxionis partus, an in capite quoque aliqua suborta fuerit intemperies, merito cuius per idiopathiam etiam caput laborare sit affirmandum; cui respondendum esse puto per id, quòd immo ob peiorem, quam in dies conditionem dolor acquirit, discrasiam aliquam ex sanguine feruido ibidem collecto contractam esse, necessarium sit, quæ quotidie aucta magis, ac magis sese patefaciet.

Vtcumque tamen sit, Ad Medicum curantem attinebit, fluxionis omnem occasionem adimere, quicquid fluxum est discutere, & euacuare, & qualitatem (si subfuerit) omninò delere, tandemque partem firmare, atque roborare.

Ad quos peruenire scopos non ita tutum, ac facilè erit, nam dolor non tantum ratione propriæ constitutionis, verum etiam ob partis affectæ præstantiam, vt liquet ex dictis magnus existit, accedit & illud, quod capitis dolores huius census vehementes,

E maiores ruinas minari solent, vt non semel me docuit experientia, quamprimum igitur succurratur oportet.

Ideo de materijs Medicis, & primum de chirurgica decernens, venam thali sinistri, vel mensalibus purgationibus de more naturaliter prodeuntibus, basilicam cubiti lateris eiusdem non semel, sed iterum, atque iterum interuallis quibusdam certis, tundendam esse statuo, mox verò, si opportunum videbitur, alijsq; non conferentibus, à sectione venæ humeralis, immò ipsius frontis non abhorrerem, sicuti nec hyrudines post aurem sinistram, ac parti dolenti applicitas, itemque neque cucurbitulam cornu dextro capitis cum scarificatione adhibitam improbarem, Ac hyrudines venis hæmorrhoidalibus appositæ (ni eædem mensium periodicam excretionem peruerterent) maximè arriderent; Fonticulos mulieres auersantur, res tameneo aliquandò peruenit, vt de illis etiam cogitandum sit, quocirca quamprimum vnum in parte domestica femoris sinistri excitarem; malo verò insæuiente, atque fœrociente, cauterium non modò cornu sinistro, sed etiam ceruici, quod setaceum communiter dicitur, infigerem, ac vtinam pars laborans admitteret inustionem, quoniam hac vna post alia omnia tentata, sanitati restitueretur, substituentur igitur vesicantia scapulis, & brachijs.

Pharmaca sint euacuantia, & alterantia. Pro euacuatione primum occurrunt ea, quæ totum respiciunt, & ichores sanguinis educunt, ideò pro aluo lenienda, manna, vel syrupus rosatus solutiuus, cum diapruno lenitiuo. Pro purgatione Rhabarbarum partim infusum, partim in propria substantia vsurpatum alteri illorum additum conuenit, quinimmò & pro secunda purgatione pilulas aureas maximè probo, sicuti & rotulas ex Rhabarbari extracto cum saccharo in succo rosarum liquato factas, itemque infusum myrobolanorum citrinorum, ex sero lactis caprini, aliquot certis vicibus assumpta non improbo, clysteres pariter acres mihi arrident. Hoc verò tempore, vt decoctum chinæ, sandali albi, radicis pentaphili, cum tantillo ligni visci quercini, cicoraceis, & betonica paratum ad quadraginta dies de more illustrissima patiens assumeret, etiam, atque etiam exoptarem, ea tamen ratione, vt singulo octauo die decoctum negligeretur, ac aluus cum manna, & syrupo de polypodio magistrali deijceretur. Quibus peractis, ad eius, quæ est in parte affecta materiæ, euacuationem, si opus esset, per discutientia medicamenta deuenirem, prius tamen caput sæpius euacuandum per aluum primum catapocijs, & clysteribus dictis, deinde per nares herrinis, & per palatum masticatorijs (quando Hippocrates capitis dolores hisce finiri 6. Aphorism. decimo declarauerit) sed mitioribus, nam quæ vehementiora dolorem irritare solent, & hæc maximè probarem, vbi excrementum crassum cerebri dolorem foueret, ideo aqua hordei cum melle ros. sol. & sola mastiche mihi arrident. Pro discutienda verò materia, & fotus ex spongia madefacta in decocto camomeli, anethi, betonicæ, verbenæ, in vino austero, atque aqua parato, & linimentum cum vna parte balsami naturalis, & olei rosati completi exceptis placent; Verum ea hora, qua dolor ingruere solet caput oxirrodino muniendum.

Tandemque ad alterantia accedendum: Quare si ad materiæ præparationem dirigantur, decoctum cicoreaceorum, & betonicæ cum syrupo de succo cicorij, & de rosis siccis probatur. Si ad dolorem, oleum ex vitellis ouorum cum lumbricato ex lana molli illota adhibitum, item & vnguentum alabastrinum, catapsma ex carne vitulina cruda trita, & ouis integris induratis, contusisque oleo rosato exceptis, ac puluere lumbricorum terrestrium aspersis, imò verò frustum carnis super carbones ignitos excalfactum maximè proderunt; Sed & caro coclearum ex Aetio emplastrata, oleum maioranæ ex rase cũ oleo rosato castigatum, & lapis Gagates ex Democrito collo apensus, & gestatus, vti medicamenta hemicranica mirificè valent. Ad qualitatem autem prauam. (si quæ subsit) delendam, & dolorem media proprietate recondita tollẽdum, omni-

omnibus præfero linimentum ex theriaca mediæ ætatis in succo betæ nigræ, & aceto liquata: Nec vsus eiusdem theriacæ recentioris, vel pilularum de cynoglossa per os, qualibet hora dolor insæuierit, inopportunus mihi censetur. A

Denique pro viscerum alteratione, ac primum iecoris, thermæ Villenses, vel Porrectaneæ nostræ veteres, itemque balneum aquæ dulcis suo tempore erunt maximi vsus. Pro capite autem conserua rosarum, & betonicæ cum puluere cranij humani iugiter deuorata, est accommodata, & perseuerante dolore, embroca pariter tempore conuenienti super commissuram coronalem: præcipuè ex thermis iam dictis, cui tantillum vini ad penetrationem, & caloris natiui conseruationem adijciatur, non erit despicienda, solet enim diuinus Hippocrates remedia naturalia magis, quam artificialia probare.

De victu nil habeo, quod proponam, quando sciam Illustrissimam Fœminam prudentissimam esse, ac proinde Medicis clarissimis, à quibus tractatur, se obsequentē præstare, inter cętera tamen præstabit omnem aeris calidioris iniuriam ipsam aufugere, & eum, quem nunc incollit aerem, aliquantisper mutare, abstineat autem ab omnib. edulijs prauis, vaporosis, calidis, ab omni repletione, & vini meraci potu, imò maximè sibi cōducturum esse putarem, si omni vini potu neglecto, se totam potui vini granatorum per plures menses cum aqua simplici diluti traderet, & ego sæpius cum fœlici successu aqua saccharata ex ligno visci quercini, in aqua Villensi prius macerato per balneū mariæ extracta vsus fui. Verum quoniam corpora delicata diu sine vino victitare non possunt, ideò vinum tenue, subrubrum, oligophorum, sandalis, & china medicatum offeratur, ac ab omni cibo, potuque semper cidoniatum, coriandros saccharatos, & pira subaustera saccharo condita nobilissima patiens comedat oportet. Aluus quoq; mollis seruanda, nam nihil est, quod vsque adeo hosce capitis affectus foueat, & augeat, sicuti est aluus adstricta; hinc vsus perennis panis ex tota farina modice, saliti, & in prima mensa commansi, vel conseruæ rosarum cum manna loco sacchari conditarum mihi vsitatæ probatur; Reliqua ad victum spectantia ab excellentissimis præsentibus præscribantur, prout decet, ego verò hæc satis futura spero, quæ vt fructuosa euadant mirum in modum opto, ac à D. O. M. precor. B C

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO FERRARIENSI ALOISIO de flumine, macie totius, vlcere pulmonum, ac hectica febre detento.

D

CONSVLTATIO LXXVII.

QVOD perillustris, & nobilissimus patiens detineatur tabe, non est difficile cognitu intuenti corpus illius insigniter, & præter solitum emaciatum; Veruntamen tabis quattuor sunt species ex Galeno, & Hippocrate. Prima Renalis, in qua pinguedo Renum liquatur, cuius meminit Hippocratis in libro de Affectiibus internis. Altera dorsalis, quæ in nuper desponsatis fieri solet, quam proposuit Hippocratis in secundo de morbis; Tertia marcor, quidam totius existit, factus ab intemperie calida, & sicca, sine vlcere pulmonum. Quarta, & postrema est illa, in qua præter marcorem totius corporis, vlcus pulmonum adnectitur, & hæc vere phtisis dicitur, quæ propriè nil aliud est, nisi macies totius

E cum febre hectica ab vlcere pulmonum pendente, sicuti colligitur 5. Meth. & 6. de sanitate tuenda, capite 9.

Cum igitur tot species tabis sint, & patiens noster laboret tussi sine dolore, pulsumque mollem habeat, sputum fœtens, & purulentum, vti experientia comprobatũ fuit, calorque mordax persentiatur, corpus & emaciatum, & colore plumbeo refertum, genæque rubeant, dubio procul patiens noster quarta specie tabis detinetur, hæc enim omnia sunt eius vitij certissima argumenta; Ad hæc quoniam hic affectus, vel in habitudine, vel in habitu esse solet, puto ego hunc ferè ad habitum accedere, ac febrem hecticam secundum gradum attingere. Primum colligitur non solum ex intensione symptomatum iam propositorum, verum etiam & ex morbi longitudine, alterum verò ex eo, quod febris hæc difficile toleratur ab egro, pulsus est aliquo modo languidior solito, ac macies est satis progressa.

F Et si aliquis obijceret gradum hunc hecticæ febris sibi duritiem, & siccitatem pulsus adiungere.

Respondendum, hoc verum esse de hæctica ab vlcere pulmonum distincta, nam pulmones vlcere detenti continuò sunt madidi, propter quem madorem mollities fit in pulsu, & hæc forsitan fuit causa, propter quam Fernelius febrem vlcera pulmonum insequentem, symptomaticam vocauerit.

Generatur autem vitium huiusmodi hunc in modum, nam ab vlcere in pulmonibus excitato vapores in cor feruntur, qui ipsum ponunt in calefacto esse secundum partes solidas, quo sic accenso, totum pariter accenditur, fitque febris hectica, à qua postmodum macies.

Remanet ergo vt generationem vlceris perquiram. Dicendum igitur, mea sententia vlcus pendere à materia abradẽti, vt colligitur ex primo de locis affectis, quæ materia G talis euadit ob acredinem tum naturalem, tum acquisitam, naturalem quidem, vt obseruare licet in materia salsa, & amara, acquisitam verò propter putredinem, & ad hęc respiciens Galenus dicebat, malum hoc à cacochimia, & humorum corruptela fieri. Quę omnia diligenter ego perpendens puto vtroque modo in casu nostro materiam abradentem dici posse; nam refert nobilissimus patiens, quod & amara, & salsa expuerit, atque fœtor, qui in sputis persentitur, corruptelam, ac putredinem attestatur.

Sed materia hæc abradens necessariò vel aliundè fluit, vel non; aliundè quidem fluit, vt à cerebro, quod in patiente nostro, vt ex dictis innotescit, destillationis acris, & malignæ satis ferax existit.

Et quoniam ante plures menses perillustris æger sanguinem expuit, merito cuius perbellè generationi ipsius phtisis datur occasio, idcircò verum est etiam materiam abradentem non solum in capite, verum etiam & in pulmonibus ob putredinem in-H grumis sanguinis excitatam generari. Causa autem, cur expuerit sanguinem facilè intelligitur, si præterita diligenter expendantur, nam inter alia cecidit ex equo, casus verò hic solet rupturam vasorum in pulmonibus adferre, & à ruptura, sanguinis sputum pendere, omnibus est perspectum.

Si igitur à malo iam proposito nobilissimus patiens vindicandus esset, oporteret vlcus ipsum agglutinare, & quoniam agglutinatio in simili casu impeditur, sufficiet callum inducere, rursus quoniam ex abrasione imminuta est pulmonum substantia, ideò indicatur sarcoticum, seu carnem regenerans, pręterea febris refrigerans, ac humectãs, sicuti & macies totius renutriens indicat. Amouenda etiam sunt impedimenta tum communia, tum propria, Communia sunt morbus calidus pulmonum, ac materia fluẽs à capite, & in pulmones fluxa, meritò igitur morbi indicatur refrigerans, merito materiæ fluentis repellens, intercipiens, deriuans, & reuellens, merito materiæ fluxæ non impactæ expectorans, merito verò impactæ discutiens.

Quos

Quos fines assequi gratia curationis impossibile puto, nam & macies insignis per se sola, potissimum autem iuncta cum pulmonum vlcere est irremediabilis, quandò & totum afficiatur, & vires huiusmodi affectum non tolerent, sicuti licet colligere ex pulsus languore, ac insigni pigritia ad motum; accedit quod morbus calidus pulmonum, solet carnis generationem, & agglutinationem, & ob id etiam calli productionem impedire: Gratia tamen præseruationis aliquis medicationi locus dabitur, sed cum difficultate, quandò contrariæ indicationes sese offerant, merito enim febris humectantia, merit vlceris exiccantia sunt necessarta, præterea redundat succus vitiosus, ac deficit humiditas alimentalis, & seminalis, quæ difficilem etiam faciunt præseruationem, danda tamen est opera, vt quantum fieri potest nobilissimus noster patiens præseruetur, quod eò sperandum magis, quoniam medicina est donum Dei, Deus autem media natura & præseruare, & ab imminenti morte patientes vindicare quandòque consueuit.

Quarè ad curationem descendens statuo de materijs chirurgicis vnam inter alias in casu nostro summopere probari, & est cauterium in syncipite inustum, ac per duos, vel tres menses gestatum, ibi enim, ac in alijs etiam locis cauteria ad longum tempus gestata vituperantur, vbi insignis macies corporis obseruatur. Cauterium autem per orbem in pectore inustum non propono, quoniam tale remedij genus præter id, quod statim à principio conuenit, requirit etiam patientem valdè robustum.

Pharmaca autem sunt tum communia, tum priuata, communia vix locum habere video, si tamen aliquando opus erit aliquo subductorio, præter clysteres emollientes iniectos, ego laudo, vt aliquot interuallis offeratur patienti syrupus rosatus, vel mel rosatum solluens, parata infusione rosarum in succis plantarum siccantium, vti plantaginis, poligonij, acetosæ, & pulmonariæ propter pulmonum proprietatem, quæ infusio hoc tempore potissimum, quo Rosæ habentur, parari potest.

Priuata verò medicamenta alia diriguntur ad vlcus cum suis adnexis, alia ad impedimenta, alia tandem ad pulmones, tamquam ad organum, quod merito vitæ custodiam requirit. A pharmacis igitur ipsius vlceris exorsus, quemadmodum medendi methodus postulare videtur, primum detergentia propono, in quorum genere mihi arrident primo lac asininum cum saccharo per plures dies assumptum, Secundo saccharum rosatum recens qcalibet hora deuoratum, Tertio therebintina cocta ex ouo data, Quarto & postremo oxymel scyllinum, Dein carnem regenerantia conueniunt, cuius census est puluis factus ex sarcocolla, thure, mastiche, & bolo Armena, ex ouo sorbili propinatus. Post quæ cogitandum est de agglutinantibus, in quorum serie sunt hæc; saccharum rosatum antiquum, trocisci de camphora ex aqua pimpinellæ dati, decoctum chinæ cum iure pulli paratum, ac tandem oleum calcanthi, trociscique Andronis; In vsum eundem faciunt odoramenta, ac linitiones partium internarum narium paratæ ex siccantibus, idcircò pro odoramento fieri posset puluis ex ligno aloe, cinnamomo, cariophylis, sandalis, rosis, baccis mirti, musco, & ambra, qui puluis aut in sindone rara deligatus, aut cum mucilagine tragagante in pilam redactus mirè valet pro odoramento. Illinitiones parari poterunt ex trociscis hædicrois, vel cypheis exceptis cum oleo nucis muscatæ, vel cariophylorum, ac aceto rosato. Pharmaca, quæ ad annexa, tum ad maciem, tum ad febrem referuntur, ratione maciei lac humanum, post asininum assumptum, ius paruæ pullæ medicatum cum hordeo mundo, amilo, gummi Arabico, ac tragaganta facta decoctione vsque ad carnis liquationem arrident; huc pertinent morselli ex nuce Indica, pulpa caponis, fasiani, vel perdicis, necnon ex amygdalis, fisticis, ac pineis cum speciebus diatragaganti frigidi, & modico cinnamomi parati, in quem vsum pariter facit distillatum, quod fit ex sanguine humano, vel suillo, limacis, cinnamomo, croco, &

E saccharo rosaceo, quinimmò & clysteres ex lacte, & iure caponis consumpto parati, item & vnguentum pro spina dorsi vocatum thoraci, ac spinæ illitum summoperè probantur.

Ad febren conducunt non solum lac, & ius pullæ iam dictæ, verum etiam succus cicorijs depuratus, nec non recuperatis aliquo modo viribus, balneum aquæ dulcis tepidæ.

Medicamenta, quæ impedimentis occurrnnt, varia pro varietate impedimentorum existunt, nam alia materiam fluentem ad vlcus, alia iam fluxam respiciunt. Ratione itaque fluentis materiæ tria prælertim seligo. Primum est ceratum Montagnanæ syncipiti adhibitum; alterum est herrinum paratum ex mulsa cum succo sampsuci, ac tandem ex elaterio in lacte humano dissoluto, Tertium & postremum est intercipiens hora somni deuoratum ex bolo Armena, ac succo liquiritiæ, iuleb violato exceptis, paratum. Gratia verò materiæ fluxæ non impactæ laudo expectorantia omnibus cognita, inter quæ mihi duo probantur. Primum quod fit ex coagulo leporino excepto cum syrupo de hysopo; alterum quod ex infuso botridis in aqua limaciarum paratur. Gratia autem materiæ impactæ decoctum Cinæ superius propositum meo iudicio omnibus præferendum. Tandem ad proprietatem pulmonum, vt omnibus prædictis medicamentis pulmo vulpis præparatus, cornu cerui vstum, atque pulmonaria immiscerentur omninò probarem.

Quibus omnibus postmodum addendus erit compar viuendi modus, qui erit, vt patiens degat in aere temperato, & fugiat omnes aeris iniurias, pariter vescatur ptisana cum carne parata, vitellis ouorum, bonis carnibus, gallinarum hepatibus, atque testibus gallorum lacte nutritorum.

G Pro potu verò vtatur vino albo tenui, paucifero, subdulci, quod magis proderit si alteretu cum china, & sandalis, in alijs ad victus rationem attinentibus mediocritas seruetur Interim autem D. O. M. enixe precabor, vt hæc omnia pro salute perillustris, & nobilissimi patientis fortunet, & fœlicitet.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI EQVITE SIMONE MERLINO Foroliuiense Vlcere intestini recti fistuloso, & sinuoso partem externam natis sinistræ vicinam apprehendente detento.

H

CONSVLTATIO LXXVIII.

SICVTI perennis desidendi cupiditas in illustri, & nobili patiente affectus intestini recti ad finem est indicium, ita & excretio portiunculæ ramenti intestinalis idem intestinum paulò supra laborare, præcipuè verò secundum partem sinistram tum noxa circa natem eiusdem lateris, tumor inquam, ac inflammatio quædam prægressa, tum immissa tenta, & in partem ea recepta demonstrant. Verum affectum præter naturam nullum alium esse, nisi vlcus, quod intestinum rectum ac partem externam natis sinistræ, vicinam apprehendit, præter fidem oculatam, ichor saniosus ad flauitiem inclinans, qui continuò effluit, satis superque suadet, quod & cauum esse ex tenta immissa, & affectu natis, item & fistulosum ex diuturnitate illius, iugique ichoris tenuioris emanatione (nam à multis annis talem effluxionem cum pruritu

pruritu intra, extraque anum passus est, quę indusia è regione ipsi ano semper infecit) A confirmari posse mihi videor videre: Atqui vlcus prædictum per totam intestini substantiam peruasisse, orificiumque vlceris in eodem reperi intestino, ex vicina nate affecta facilè suaderi potest.

Sed quid causæ sit quod dum mingit illustris patiens, vt plurimum egerat, ac antea intermingendum difficultatem persenserit, fœcesque semper liquidas excreuerit, non erit abs re cognouisse. Arbitror ego postremum ex humore acriori, & copiosiori tunc temporis ad intestina defluente, eorumque expultricem facultatem solicitante, accidisse; difficultatem verò lotij in aliqualem compressionem ob tumescentiam partium affectarum vesicæ proximarum factam, referendam esse censeo, atque tandē deiectionem tempore mictionis aliquando fieri puto, quia intestinum rectum secundum proprium musculum sphyncterem malè habens, facilè in redditu vrinæ afficitur, ac velit, nolit, egressum fœcum admittere cogitur. B

Principia autem generationis vlceris propositi sunt proxima & remota, proxima in vnius materiæ acrioris copiosum affluxum referre non dubito, materia namque acredine erosionem, copia verò sinum, & cauitatem efficere valet, & vbi diutius colluies saniosa detinetur, callo, ac proinde fistulæ datur occasio.

Principia remota pertinent ad causas generantes materiam prædictam, & genitam mouentes, in serie illarum tum intemperiem iecoris feruidam, vti calor flauus exeuntis iecoris calidioris soboles docet, tum errata in vita anteacta repono, in harum verò numero natiuam imbecillitatem partium ani, ob earundem laxitatem, & humiditatē, robur autem expultricis partium totius, præcipuè verò iecoris pono.

Vt ex his vnicuique facilè sit intelligere, ad Medicum pro curatione instituenda attinere, vt vlcus illud fistulosum amotis impedimentis agglutinetur; cœterum cum impedimenta & propria, & communia existant, ratione illorum oportebit orificium C ampliare, detergere, & siccare, callum eximere, & quod est deperditum sarcoticis reparare, ratione horum, communium scilicet, humorum affluxum inhibere erit necesse.

Quæ opera ad fœlicem exitum perduci posse non dubito, tametsi meo iudicio cum insigni difficultate, quia medicamenta opportuna prohibentur, aut saltem difficulter admittuntur, & partem affectam vndequaque non possunt attingere, parsque demum malè habens sua natura imbecilla existit.

Sed an hæc sit facienda curatio meritò dubitari potest, nam ex vna parte ętas patientis vltimi senij (est enim illustris eques septuagenarius) distantia loci affecti à partibus principus, tandemque præseruatio forsan à grauioribos malis, quam homines medijs hisce vlceribus fistulosis vt plurimum sibi nanciscuntur, facilè quemuis persuadere possent, remedia pro perfecta, & vera sanatione non esse tentanda; Ex altera verò parte, quoniam nobilis patiens viribus est valens, benè habitus, ac in cœ- D teris sanus, sæpiusque huiosmodi fistulæ multiplicantur, & concitata fluxione humorum inflammationem, dolorem, cruciatusque sibi insignes adiungant, tuberculaque dura in intestinis occasione illarum suboriuntur, meritò quorum exitus fœcum intercluditur, curatio absoluta videtur ex vsu opportuna, & necessaria.

At ego in ea sum sententia, vt si veræ curationi sese dare voluerit vir illustris, quod possit vtique curari, sin minus, Medicus in id imcumbat opportet, vt præseruetur, qua amputatis vel saltem refractis causis remotis, vlcereque continuò deterso, exiccatoq; malum non augeatur, sed potius reprimatur, quem curandi modum, tametsi fictum, & palliatum, gratissimi nihilominus viri insequuntur.

Deueniens ergo ad præsidiorum materias, & primum chirurgicas, statuo curationem ab aliqua sanguinis missione per sectam venam auspicandam esse, vena ideò in cubito, vel in manu secanda seligatur, sanguis enim in toto redundat, robur virium adest,

& cor-

E & corporis habitus ad crassum inclinat, deinde cauteria in brachio sinistro, aut femore dextro, secundum partem domesticam inusta, sicuti & perennes frictiones, deligationes, ventosationesque partium superiorum mihi summopurè probantur, apertionem verò loci ab experto chirurgo factam, medicamentis non conferentibus, non improbo.

Postmodum ad pharmaca, primum communia, dein priuata deuenio, quare si de communibus sit sermo, pro lenienda aluo syrupum rosatum solutiuum, ac de polipodio, pro humoribus concoquendis decoctum cicoreaceorum, boraginis, betonicæ, ac passularum cum suis syrupis; pro purgatione infusum Rhabarbari, Agarici, & senæ, cum manna etiam, atque etiam laudo: Quinimò & catapotia de tribus cum Rhabarbaro, tempore verò calidiori decoctum, infusumque mirobolanorum citrinorum, chebulorum, & indorum ex sero lactis paratum, interuallis quibusdam assumpta pro-F futura propono; Vomitum quoque, si patiens ad eum à natura pronus fuerit, semel in mense habitum à cibo non vitupero. Verum & de medicamentis insensibiliter euacuantibus, præmissa purgatione est cogitandum, decoctum idcircò guaiaci, & salsæ cum china, & sandalis erit miri vsus, & si sudor, modestè tamen, & placidè promouebitur, tanto efficacius reddetur medicamentum; Vrinalia quoque medicamenta, non vera (nam vera iecur magis accedunt) huc referenda, quare inter alia mihi tum termæ frigidæ, tum serum lactis distillatum, adiecto lacte seminum melonum copiosè bibitum tempore opportuno mihi maximè arrident, verum & ab oxymelle dilutiori ex decocto radicis apij recentis, capillorum veneris, scolopendrij, & eritroidis non abhorreo.

Demum de particularibus pharmacis cogitandum, quæ si referantur ad iecoris intemperiem, præter aliqua ex vrinalibus dictis, succum quoque cicoreaceorum non so-G lum assumptum, sed & sub forma irrigationis hypochondrio dextro vna cum aceto, & puluere sandalorum adhibitum, sicuti & conseruæ rosarum cum speciebus confectionis ex tribus sandalis vsum continuum non improbo; Quòd si medicamenta hæc ad vlcus attineant non solum à qualitate manifesta, sed & à proprietate quedam agere solent, quæ à proprietate, duo sunt, primum est puluis radicis gentianæ, vel aristolochiæ ex vino epotus, alterum est puluis ranarum adhibitus, verum à quibusdam radix hellebori nigri in fistula tribus diebus dimissa, item & elaterium terebintina exceptũ radixque cucumeris asinini summis laudibus extolluntur. Sed quæ à qualitate nota operantur, sunt detergentia, siccantia, callum absumentia, sarcotica, & agglutiãantia; Atqui orificium dilatandum turunda vel ex gentiana, vel spongia confecta, deinde ad medicamenta prioris ordinis deueniendum, sunt autem thermæ salsuginosæ, inter quas, veluti omnium regina est aqua Tettucij vocata, quæ non solum in potu per tres H vel quattuor dies ante decoctum guaiaci assumpta, sed & iniecta, ac per modum semicupij vsurpata plurimum valet; succus quoque apij cum vino Mulso decoctionis hordei, myrrhæ & aloes iniectus, est accommodatus, at pro callo eximendo nil præstantius vnquam succo herbæ Reginæ cum præcipitato, vel ærugine cum Ammoniaco aceto dilutis, & iniectis, sed quod omnibus præferendum, est vnguentum Aegyptiacum lixiuio dilutum, à quorum vsu, si pars nimium irritetur, inijciatur serum lactis, vel ipsummet lac asininum, & si ex voto callus auferetur, ad sarcoticorum vsum accedendum, qualia erunt vnguentum isidis, vel de tutia vino Mulso dilutum; item & succus pimpinellæ, virgæ aureæ, & Centaurij minoris, omnia iniecta. Pro agglutinatione fiat iniectio ex vino nigro austero decoctionis plantaginis, rubi, malicorij, hypocistidis, & acaciæ, huc referendum oxeleum Galeni, & ceratum barbarum.

Victus his omnibus vndequaque conueniens iniungatur, qui erit vt nobilis patiens vescatur bonis cibis, & abstineat à salsis, agruminibus, aromatibus, lacticinijs, cibis

farina

farina sub actis, piscibus paludosis, atque similibus acrioris, & crassioris naturæ, bibat vinum subrubrum subausterum, guaiaco, ac sandalis medicatum, tempore autem decocti instituatur victus se miattenuans, & vinum interdicatur, reliqua his ipsis respondeant, Deusque O. M. faxit, vt cedant in salutem illustris, & nobilis Equitis.

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO VIRO Chiragram & podagram pati solito.

CONSVLTATIO LXXIX.

PERILLVSTREM, & nobilissimum virum Symptomate facultatis tactricis secundum articulos in propria actione deprauatè læsæ sæpius detineri satis constat, quod quia articulos & manuum & pedum occupat, iure chiragra, & podagra dici meretur.

Cuius modus generationis, si perquirendus, sic exordiendum, Symptoma hoc est dolor, & proinde tristis sentatio, ergo necessariò ab obiecto organo tactus improportionato dependet, quod quidem duplex est, intemperies inquam inæqualis, atque soluta vnitas, intemperies à prædominio calida cum præsentia succi sanguinei, & biliosi existit, cui rubor cum calore, doloris vehemētia, habitus, ac natura patientis feruidissima attestantur; accedit & illud, quod finito dolore, nullus tumor remanet, quod solet potissimum obseruari in his, qui arthritide ex intemperie simili laborant, quamquam nonnihil succi pituitosi admixtum esse affirmare non sit à ratione alienum, quod tamen illico absumitur, quinimmo & omnes hosce succos in vapores à calarepartium affectarum resolutos, incrementum, ac imminutionem subitam doloris afferre nemo est qui neget. Sed & humores prędictos colligi per fluxionem, facta transmissione à ventriculo gratia pituitæ, à iecore gratia sanguinis, & bilis existimo, expultrix enim viscerum illorum robusta, & à copia, qualitateque materiæ morbificæ irritata eandem ad loca imbecilliora transmittit, qualia, in nobilissimo patiente articuli obseruantur, quos non solum à primo semine, sed & in progressu vitæ imbecillos redditos fuisse constituo, à primo quidem semine, qua ex parentibus arthriticis natus fuit, in progressu verò vitæ ob varios errores externos perpetratos.

At & soluta vnitas, vti dictum est ad huius doloris generationem conducit, hæc autem extensione, & compressione partium sentientium articulationibus adiacentium, ortum habet, compressio verò fit ex materia cauitatem articulorum replente, ac ligamenta in tumorem eleuante.

Quare vniuersa medendi ratio eò dirigenda, vt materiæ fluens retrahatur, ac ne imposterum generetur temperato iecore per alterantia in contrarium prohibeatur, adhuc vt materia fluxa euacuetur, dolor mitigantibus demulciatur, ac articuli, partesque circumsitæ firmentur.

Cœterum, quoniam affectus natiuus proponitur, qui à causis non solum à natura inditis verum etiam valenter agentibus fouetur; Patiensque ad illum magis, ac magis propter ætatem inclinantem habilis redditur, propterea eundem ex toto haud finiri posse existimo, imminui tamen, ac præcaueri poterit,

Quocirca si materias medicas, & primum chirurgicas intueor, nunc tempore Verno existente, sanguinis missionē per sectam venam in cubito dextro, ac Autumno futuro

E futuro repetitam probo, cauteriumque in parte domestica femoris dextri inustum laudo; quinimmo & secundum aliquos cutaneæ inustiones manuum, ac pedum, in Arthride præcauenda omnibus alijs sunt præferendæ.

Medicamentorum verò alia euacuantia, alia alterantia, alia mitigantia conneniunt, in serie priorum primum occurrunt euacuantia sensibiliter; idcircò pro leniente casia, tamarindis vel syrupo rosato solutiuo; pro purganti Pharmaco ex Rhabarbaro, & infuso modici agarici cum syrupo rosato solutiuo dilutis cum aqua, vel decocto cicoraceorum sub cœlo frigido, aut temperato patiens vti poterit; At sub cœlo calido syrupus rosatus solutiuus & infusum myrobalanorum citrinorum, atque chebulorum probatur, ac eo magis, si paretur infusum in sero lactis vaccini, vel caprini; Atqui hæc non semel, sed iterum, & iterum, prout opportunum videbitur, erunt vsurpanda. Quocirca myrobalani dicti sacchsaro conditi, & rotulæ, seu morselli ex extracto Rhabarbaro, habita tempestatum anni distinctione prædicta assumpta erunt miri vsus, & F eo magis si apozema ex cicoraceis, a pharmaco ex Rhabarbaro bibatur. Sed & secundo medicamenta insensibiliter euacuantia haud negligenda, quare si assumatur decoctum chinæ, ac sandalorum cicoraceis, atque betonica alteratum, maximè conducturum pro certo habeo, quod si admoueantur, duo occurrunt, oleum rosatum omphacinum salitum, ac aqua maris, vel quæ cum sale decoquitur, prius tamen cum laminæ calybis ignitæ extinctione medicata.

De alterantibus verò ita decerno, vt pro materiæ peccantis præparatione eligatur medicamentum, quod ex cicoraceis, ac betonica paratur, quibus & quæ intercipiendo materiam fluentem aliquo modo incrassent, viasque angustent admisceantur, vti rosæ, plantago, sandali, & huiusmodi, eo semper constituto, vt diluta sola absque syrupis, præcipuè tempore calidiori, vsurpentur, quando syrupi, atque dulcia in naturis valdè G calidis, ac tempestate calida soleant maximè inflammare; Pro altaratione viscerum aquas Villenses, ac Porrectaneas veteres potas omnibus præfero, interim tamen, antequam ad vsum illarum deueniatur, serum depuratum cum succo cicorij experiri præstabit; sed præter hæc & lac asininum præcipuè si calybeetur, accomodatum censeo, quinimmo & perfusionem ad hydochondrium dextrum ex succo cicoraceorum, aceto, ac speciebus cerati sandalini maximè vtilem existimo.

Tandem inter mitigantia Cataplasma ex mica panis in lacte vaccino cum oleo rosato completo, amplius irrigationem tum cum aqua stillatitia, vel decocto verbasci, tum cum aqua stillaticia ex stercore bouino factam probo.

De victu ita sentio, vt in omnibus rebus non naturalibus mediocritas seruetur, & quantum fieri potest omnis rèpletio, atque cruditas fugiatur, à potu vini patiens abstineat, locoque illius aqua calybeata sacchsaro rosaceo immixto H substituatur, & vbi vinum sit illi concedendum, tempore doloris, quod subrubrum est, ac subausterum seligatur, reliquis autem temporibus album, tenue, subausterum, pariter calybeatum, vel auratum offeratur, Venus omnino interdicatur, atque hæc omnia à Deo Optimo Maximo salutaria perillustri patienti precor.

PRO

A

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI IVVENE BONONIEMSE *lue Venerea secundi gradus cum doloribus crurum & pedum, Pustulisque faciei correpto.*

CONSVLTATIO LXXX.

ALVE Venerea, non quidem initiata, sed progressa, & consumata tanquam ab equo Troiano varij, & quasi innumeri præter naturam affectus prodire solent, quod ex natura illius venefica, & omninò formæ humanæ deleteria (quemadmodum experientia docet) confirmare licet, vt non sit mirum, si illustris, & nobilis iuuenis ea penes secundum gradum detentus, diebus superioribus varijs Symptomatibus correptus, & ab his pro aliqua parte ob medicationem accurratam, & diligentem adhibitam leuatus, nunc de doloribus pedum, & crurum conqueratur, & facies illius secundum frontem pustulis deturpetur. Cœterum cum dolorum luis binæ sint potissimum differentiæ, pruriginosus inquam, & vlcerosus, ille ad partes extimas, & cutim, hic ad intimas, & carnosas, musculosque ipsos refertur, in subiecto patiente dolores (vt audio) sunt secundi generis, nam musculi cum suis membranis, atque forsan etiam peryostia, prægressa eorundem solnta continuitate à materia cum tabo gallicano acri, & mordaci concitata afficiuntur, cui etiam forsam & intemperies aliqua cognata ibi contracta est adijceida; quamquam enim lues hæc sit seminarium morbificum calidum, in præsenti tamen calidius exstimandum, quandò sedes illius, ob ætatem iuuenilem, ac naturam patientis calidam, & siccam, sanguinem biliosum esse putem, vt potius menbranæ, feriantur, quam diuellantur. Verum quoniam materia luis aliquandò ob permixtionem materiæ crassæ, & viscidæ in partibus intimis detinetur (ob quam rationem hic fieri dolorem vlcerosum, & non pruriginosum existimo, nam materia ad extimas partes non mouetur) non inficias ibo, quin dolores hi ferociant ob menbranarum aliquam ab ossibus separationem, materiam autem prædictam admisceri ex eo conuincitur, quod noctu dolores inseuiunt, & iecur iusto seruidius si exurat, succum crassum, & melancholicum gignit, si ventriculum lacescat, ipsi gignendi succum viscidum (cuius caput etiam malè affectum est ferax) occasionem præbet, ex quorum succorum permixtione & pustulas circa frontem oriri, neminem qui neget, reperiri posse, confido; illud tamen discriminis videor mihi videre, quod crassities sit valdè refracta, nam ad extima, & præcipuè sursum fluit sanguis fluxilis, quare tenuis, aut saltem minus crassus.

B

C

D

Vndè nam autem sit, quod Gallici dolores noctu exacerbentur; dico id contingere, quia succi crassi, & viscidi, ferè semper perpetui comites luis, noctu, & propè noctem mouentur, qnare & dolores tunc temporis intenduntur, non solum quia succi illi ob frigiditatem noctis non diflant, verum etiam quia natura quietior eadem hora nitens succos prauos digerere, illos agitat, & commouet, qui sic affecti maiorem labem partibus obsessis inferunt. Vtcumque tamen succi omnes prædicti simul commixti ad locos affectos, vti ad suscipiendum aptos à visceribus gignentibus per venas, & arterias respectu iecoris, ac ventriculi, per venas, arrerias, neruos, ac spacia inania inter cutim, & carnes respectu capitis transmittuntur. Loca autem illa suscipiunt, quia sunt imbecilla, facies quidem ob raritatem, vt est videre in variolis ac morbilis, qui eàm ob rationem copiosiores circa faciem erumpunt, crura verò, & pedes ob distantiam ab origine, & principio caloris, & si quis cum Fernelio diceret solum per spatia

inania

E inania non autem per venas, ac neruos materiam morbificam à capite decumbere, alias sanguis alimentum totius inquinaretur; Dicerem hoc euenire posse, si materia illa moram traheret, verum quia simulac recepta fuerit, expellitur, vt etiam accidit, quando pleuritidis vomica ex Galeno ad vrinæ vias per sinistrum cordis ventriculum retrahitur, sanguis non inficitur.

Quibus ita se habentibus, cū lues de qua agitur, sit progressa, ac secundi gradus, poterit curari ad differentiam consumatæ, sed cum difficultate ad differentiam incipientis. Curationem cum prudentia, obsequentia, ac ætate floris nobilis patientis medicamenta superioribus diebus cum fructu vsurpata, & vsurpanda pollicentur; Difficultatem cum lapsu non leui à statu naturæ affectuum complicatio, & causarum contumacia, & peruicacia suadent, quibus & mala capitis, ventriculi, iecorisque dispositio non parum fauet, accedit & difficilis tolerantia, quę potissimum in naturis excar-F nibus, & gracillibus (qualis est nobilis propositi iuuenis, ni fallor) coadiuuantibus doloribus, & vigilijs in præsenti obseruatur, & eò magis, quia naturis huiusmodi Alexipharmaca gallica non citra noxam sunt opportuna.

Quamprimum igitur huic malo hisce præsidijs est occurrendum, vt scilicet seminarium venereum quatenus formæ humanæ per qualitatem veneficam, & secretam aduersarium Alexipharmacis dometur, quatenus putridū eradicetur, vt verò putrescit refrigeretur, & siccetur, vt acris, & mordens frigefiat, ac attemperetur, & qua crassitiei, ac visciditatis particeps est, attenuetur, ac detergatur, uerum quoniam ædit etiam medijs dolore, atque uigilijs, ideo anodinis, & soporiferis erit pariter agendum, & sicuti ante hæc toti per præparantia, & euancuantia, ita & post uisceribus intemperatis per alterantia erit prospiciendum.

Ad horum ergo præsidiorum materias deueniens pro certo habeo ex chirurgica, G tum aliquam sauguinis missionem, tum fonticulos maximè conductura, illam quidem ex uenis podicis per irrudines proximo Autumno applicitas, eo tamen studio ac diligentia, ut sanguis fæculentus educatur, quo tempore succus ille uiget, & eo etiam corpus nostri patientis scatere non hæsito, hos uerò femori dextro intus, & brachio sinistro inustos.

Pharmaca respiciunt sedem luis, luem ipsam, impedimenta, & uiscerum intemperantias. Priora ad sedem luis remotam in toto referuntur, quare post calores istos lenita aluo cum syrupo rosato solutiuo, & de polypodio magistrali; præparatisque humoribus decocto sonchi, hepaticæ, boraginis, fumariæ, & betonicæ, adiectis syrupis accomodatis, expietur corpus purgatorio ex infuso Rhabarbaro, Agarici, & Senę cum manna parato, alia fortiora in patiente non valdè robusto negligerem, cuius causa si interuallis quibusdam purgatione opus videretur, ab vsu syrupi de polipo-H dio, adiecto nonnihil mannæ mea sententia non esset recedendum, in quem vsum infusum quoque myrobalanorum citrinorum, chebulorum, & Indorum ex sero caprino aut etiam vino subdulci paratum mihi magnoperè arridet, quem admodum & Epitimi infusum, adiectis seminibus cartami.

Verum & reliquiæ humorum insensibiliter euacuantibus poterunt eradicari, hæc autem erunt illa eadem, quæ luem ipsam demant, & vincant, quibus addo vtramque antidotum magnam mediæ ætatis, cum saccharo rosato castigatam.

Quibus peractis deueniendum ad pharmaca luis, quocirca decoctum guaiaci vna cum salsa cicoraceis castigatum, & in iure pulli, aut etiam forsam cum carne (ob habitum sicciorem) paratum, & de more exhibitum mihi plurimum placet, & eo magis, si ante syrupum matutinū bolus ex trociscis viperinis, & conserua cicoracea, vel rosacea factus offeratur; & quantum ad sudores ciendos attinet, blandè admodum alternis diebus, & semel in die cum vasis vitreis aqua calida repletis corpori vtrinq; adaptatis

eosdem

eosdem monere expediet, atque in vsu horum medicamentorum eousque progrediendum, quousque Symptomata mitescant; & ab vsu decocti, pro absumendis reliquijs, ego confectionem in morsellis ex extracto guaiaci, & salsæ factam cum pulpa caponis, & perdicis, amygdalis, fisticis, & quattuor sem. maioribus frigidis, saccharoque dissoluto in iure caponis nutriti cum pastillis ex farina subacta cum decocto guaiaci, & salsæ omnibus præfero.

At doloribus non finientibus, mihi probatur ad plures dies exhibere medicamentum, quod

℞. radicis cucumeris agrestis exiccatæ, & pul. scrup. 3 s.
mulsæ decoctionis iuæ lib. s.

Infundatur per noctem, & mane colatura facta cum s. e. exhibeatur.

Temporeque vsus horum Alexipharmacorum, si Medico curanti opportunus videbitur, aliquot interuallis, purgatio aliqua leuis, vt non recederetur ab vsu syrupi de polypodio dicti, mihi opportuna maximè videretur.

Ad extirpandam autem tandem luem in facie, atque etiam cruribus, & pedibus in in ea sum sententia, vt spuma quæ à superius dicto decocto separatur pustulis admoueatur, quæ pariter & decocto madefieri poterunt, Crura verò, & pedes inungantur, vel oleo guaiacino, vel viperino, quinimmò & vsus vinaceorum cum decocto guaiaci dilutorum tempore vindemiarum proximè futuro valde erit opportunus.

Sed & impedimentis, doloribus inquam, ac vigilijs est occurrendum, per balneum olei communis, vel decocti rutæ caprariæ, & verbasci, theriaca quoque recens exhibita non solum in doloribus corrigiendis, verum & in vigilijs emendandis, præcipuè si hora somni deuoretur, plurimum est proficua; A quibus, si aliqua intemperies in visceribus remanserit, quæ opera medica opus habeat, eam emendandam iudicio, & diligentiæ Excellentissimi curantis omninò subijcio.

Victus ratio pariter ab eodem instituatur, quædam tamen breuiter notabo.

Primum maximè vtile futurum, si nobilis iuuenis pullis nutritis pastillis ex farina, & carne viperarum factis pro cibo vtatur. Alterum si tota hyeme futura vinum bibat cum modico guaiaci, & salsæ medicatum, pauciferum tamen, & oligophorum.

Tandem tempore decocti victus mediocriter extenuans præscribatur, & aliquandò caro elixa, ptisanaque offeratur: faxit modò Deus, vt prædicta medicamenta nobili iuueni integram, ac perfectam sanitatem impertiantur.

PRO

E

PRO ILLVSTRISSIMO, AC NOBILISSIMO COMITE FERRARIENSI Melancholia flatulenta detento.

CONSVLTATIO LXXXI.

SOLITVDO, qua Illustrissimus Comes delectatur, tanquam timoris, ac mestitiæ vestigium eundem melancholico affectu detineri, certò demonstrat, quem affectum eum esse, qui communiter hypochondriacus, atque flatulentus dicitur, Symptomata ad ventrem inferiorem spectantia non dissuadent, sitis inquam, sputum humidum, copia flatuum, qui supernè, ac infernè erumpunt, rugitus imi ventris cum grauedine quadam ad ventriculi fundum, qua finita coctione, delitescente, nausea succedit, tandem & vrinæ pro maiori parte aquosæ insignis excretio. Verum vitium hoc neque progressum, neque consummatum esse, hisce potest argumentis confirmari, quod nempè timoris, atque mestitiæ rudimenta tantum adsint, ac macies totius, pulsusque Arteriæ magnæ ad vmbilicum absint.

F

Quare si generationem illius animaduerto, eam ipsam in caloris natiui paupertatem extranei verò redundantiam referam oportet, huius etenim gratia iecur, ac reliqua viscera naturalia æstuantia sanguinem exurunt, fumos atros, ac tetros, feruidosque in viscera superna emittunt, propter quę solitudines, sitisque exoriuntur, merito verò illius alimenta ferè tota in flatus, & excrementa cruda permutantur, vt necesse sit flatus copiosos fieri, insignia murmura in hypochondrijs excitari, ventriculum ijsdem flatibus inter parietem internum illius, & cibum interclusis, cibum non amplexari, exindeque grauitate, & ob materiam impactam nauseare, vrinas ob cruditates aquosas reddi, tandemque ob flatuum insignem prouentum, fęcibus suspensis, aluum supprimi.

G

Verum tamen calorem natiuum depauperari, ac valde imminui non solum ob frigoris ventriculi occursum, & feruoris iecoris accessum, verum etiam & ob prohibitum transpiratum in Illustrissimo patiente decerno, solet enim calor natiuus, ex Hippocrate, Aristotele, Galeno, ac Theophrasto ob causas hasce, atque etiam ob pabuli defectum (qui in casu nostro adhuc non obseruatur) labem prædictam incurrere, quamquam & pabulum aliquo modo etiam deficere ob veneris vsum immoderatum affirmare liceat, cui vigiliæ inopportunæ, itemque cogitationes immensæ, quibus sæpius Vir Illustrissimus occupatur, plurimum fauent.

Sed ex qua causa illi ventriculus, qui veluti Rex totius corporis à Platone ex sententia Hippocratis constituitur, fuerit refrigeratus, non est difficile cognitu ei, qui nouerit patientem Illustrissimum maxima errata in victu perpetrasse, merito quorum humoribus crudis in ventriculo coaceruatis, ibidemque detentis necesse est, ventriculum refrigerari. Feruor verò iocinori accidit non tantum à primo semine, est enim habitus biliosi, & coloris rufi, verum etiam ob causam morbificam, nam iecur iusto calidius à primordio ortus alimenta non ex toto à ventriculo confecta attrahit, à quibus obstructiones insignes nactum, maximè incenditur, & sicuti in hoc ventriculus iecori fauet, ita & iecur incensum, dum veluti difflatur, fumos ventriculo impertitur, & proinde coctionem turbat, temperiemque ventriculi peruertit.

H

Postremò calor extraneus excedit, non solum quia ætas in illo consistentiæ hunc adferre solet, verum etiam quia vbi in corpore ad hypochondria contumaces fiunt obstructiones, necesse est vt ibidem pariter æstuationes, & veluti inflammationes exoriantur.

Curatio igitur sic instituenda erit, vt iecur scilicet, & ventriculus temperamento A naturali per alterantia conuenientia restituantur, ablatis impedimentis, quæ sunt obstructiones cacochimia pituitosa præcipuè, ac melancholica, merito quorum oportet attenuare, detergere, & euacuare.

Ad quos scopos, Medicum curantem peruenire posse non dubito, quando malum sit in initio, nonnihil tamen difficultatis ipsi obuiam ibit quoniam contra humores alioquin perticaces, atque rebelles est agendum, Illustrissimus patiens, ad hoc morbi genus valdè propensus existit.

Quapropter ad materias medicas descendens, de Chirurgica ita determino, vt stante latitudine venarum, detrahatur sanguis ex vena cubiti, vel tali, quam magis probo ob sanguinis subsistentiam, hyrudines quoque ano applicitas laudo, tamquam proficuas futuras, sicuti & fonticulus de more in parte domestica femoris dextri excitatus non tantum pro compescendo feruore iecoris, verum etiam & pro colluuie excremen B torum expurganda proderit.

Quod verò attinet ad medicamenta, statuo, vt lenita aluo cum melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio, præparatisque humoribus decocto betonicæ, boraginis, melissæ, cicorij, mentæ, & coriandrorum præparatorum cum syrupis accommodatis, tandemque ijsdem deturbatis infuso agarici, senæ, ac Rhabarbari cum syrupo de polypodio, assumat aquam Tettuccianam tribus diebus, adiecto in primo cyatho mel. rosato solutiuo, quam aquam ea ratione conuenire concedo, quia adhuc macies ea ventriculi potissimum haud præsens est, quæ similis aquæ potum valeat inhibere; ab illa verò ius columbi turrialis medicatum cum sassafras, china, ligno san dali al bi, menta, betonica, boragine, capillo veneris, citrach, vuis passis, & coriandris præparatis ad 20. dies exhibitum proficiet, eo tamen constituto, vt ab ipso statim eadem dicta mel rosato solutiuo, & syrupum de polypodio nobilissimus patiens assumat. C

Post quæ ad comprimendum iecoris incendium per alios 20. dies serum caprinum depuratum cum succo cicorij assumptum valebit, atque hoc eodem tempore probo, vt in vespera ante cœnam in aquæ dulcis tepidæ balneum vir illustrissimus sese immergat.

A quibus medicamentis, si non leuabitur, necessarium fore sentio, vt Autumno sequenti præmissa totius prouidentia, mane calybe ex conserua boraginis cum tantillo puluere cariophyllorum vtatur, vespere verò stillicidij, beneficio super ventriculum primum ex aqua Tettucciana, deinde ex oleo amygdalino dulci cum vino Cretico, menta, absynthio, rosis, pulegio, polio montano, mastiche, nuce muscata, mace, cariophyllis, cinnamomo medicati, & in duplici vase ebulliti gaudeat.

Quibus omnibus addatur postmodum victus conueniens, qui erit, vt bonis cibis, facilis coctionis Illustrissimus patiens vescatur, ac eis puluerem immisceat coctilem ex D pane biscocto, coriandris, agaloco, & tantillo cinnamomi cum saccharo paratur copiâ, & ciborum varietatem aufugiat oportet, sicuti proficuum valdè esset, vt incoenatus aliquando cubitum iret; Vinum bibat album, tenue minimè dulce, nec austerum; quod magis proderit, si nunc lamina aurea ignita in eodem extincta præparetur, ac tempore vindemiarum cum coriandris, radice buglossi, itemque china alteretur, Aluus mollis seruetur vsu aloes succotrinæ ante cœnam deuoratæ, vel conserua ex comis rosarum communium manna conditis, At in vsu veneris cautè admodum agat, ita vt non nisi celebrata coctione, ac tunc temporis etiam moderatus existat, Dormiat noctu capite eleuato, & cruribus retractis, sic etenim coctio melius habebit; Corpus ieiuno ventriculo exerceat citra sudorem, & animi accidentia molesta, præcipuè melancholica deuitet. Deus autem O. M. hæc omnia salutaria reddat.

E

PRO PERILLVSTRI, AC REVERENDISSIMO Salicino nobili ciue Bononiense Episcopo Ariminensi Empiemate spurio ob destillationem à capite correpto.

CONSVLTATIO LXXXII.

SI quæ Reuerendissimo Antistiti acciderunt, ita superficie tenus (vt dicunt) perpenderentur, facilè esset eorum, de quibus nunc conqueritur, affectuum rationem assignare; Cum etenim ferè toto suæ vitæ curriculo destillationi, vt plurimum ob cerebri discrasiam frigidam, & humidam insipidæ, aliquando verò ob iecoris feruorem subsalsæ fuerit obnoxius, atque pleuritidem ad costas nothas partis dextræ passus sit, à qua ferè citra aliquam per sputum euacuationem leuatus nunc tussiat, difficulter cum aliqua ad thoracem grauedine spiret, sputumque purulentum excernat, ac emaciatus existat, non immeritò eum Empium, & suppuratum esse aliquis posset existimare, quando omnia Symptomata proposita, sint vnius suppurationis vera soboles, sed intimius rem hanc ego animaduertens (vt ingenuæ fatear) illud vix audeo affirmare, quoniam nec pus verum, ac legitimum in aliquo abscessu extra thoracis cauitatem prius genitum, dein in hanc transmissum expui, neque fetorem in sputis obseruari, neque fluctuationem aliquam in thorace persentiri audio.

F

Et quamquam pleuritis illa absque aliqua per sputum effatu digna euacuatione finierit, puto id contigisse, quod maior pars (vt alias non semel obseruaui) vomicæ per vrinas expurgata fuerit, vt merito huius Reuerendissimum virum Empium minimè factum esse, astruere liceat, cui & id accedit, quod iam plusquam quatuordecim dies ab incipiente pleuritide transegerunt, & malum non nisi nunc ingruit, Hippocrates autem quinto Aphorism. 8. Pleuriticos, qui supernè quatuordecim diebus non expurgantur, Empios fieri affirmauit; non negarem tamen, malum hoc à fomite, & prauo post pleuritidem habitu in parte derelicto foueri, & occasionem aliquam suscipere; Quare puto ego vitium huiusmodi esse suppurationem, sed spuriam per materiæ purulentæ in thoracis cauitate præsentiam, occasione præfatæ destillationis in capite genitæ, nam Galenus cum D. Sene 7. Aphorism. 38. destillationem in ventrem superiorem (nisi viginti diebus expurgetur) suppurari dixit, quæ destillatio si in pulmonibus suppurationem nanciscatur, affectum Phtisi penè affinem, si in cauitate thoracis, Empiema spurium parit.

G

Cuius causa proxima, vt ex dictis liquet, est pus impropriè, quod potius mixtum purulentum dici meretur, ad differentiam puris veri, quod in abscessibus gignitur. Causæ huius materiæ purulentæ generantes sunt agens, & materialis, Agens est facultas coctrix thoracis, materialis est succus à capite destillans, qui cum præternaturam in cauo thoracis detineatur, sitque excrementitius, nec regitur, & proinde nec in alimentum à facultate coctrice verti potest, vnde necessariò in pus degenerat calore quoque naturali tanquam instrumento, vna quidem ratione naturaliter, alia verò præternaturam coagente; præternaturam quidem ob intemperiem à succo destillante inductam.

H

Ex quibus ni fallor omnium Symptomatum iam propositorum causa innotescit, vt circa eam mihi interim non sit laborandum. Solum autem noto maciem comitari hunc affectum, non tantum ob alimenti defectum, verum & ob eiusdem impuritatem, alimentum deficere puto, tum quia quod iam genitum à febre ob vapores à

materia putrida in cor eleuatos excitata dissipatur, tum quia facultas alteratrix quælibet labefactata á febre morbo longo, alimentum non conficit; fit verò impurum ob perennem à capitè destillationem, quæ in venis comixta sanguini, illud inspurcat, ac inficit necessariò. A

Quæ cum ita se habeant, si modo vir Reuerendissimus sanitati est restituendus, operæ precium erit, Primò destillationem illam vel penitus per calefacentia, & siccantia cerebrum, atque refrigerantia iecur absumere, quod si assequi non liceat, illam in aliam ab affecta parte auocare existimo necessarium. Secundò materiam in thorace contentam expurgare. Tertiò febri occurrere. Quartò per renutrientia maciem castigare, postremoque viscera thoracis roborare necesse erit, sed ante hæc toti prospicere oportebit.

Verum sicuti hæc præsidia adinuenire non fuit arduum, ita eadem explere erit difficillimum, nam præter id quod graues thoracis affectiones (quemadmodum hæc nostra, penè lethales existunt, accedit quod in præsenti contractus est fomes, vt & Phtisis, & febris hectica immineant, nec partes aliquæ tantum, sed ipsum corpus malè habet, malumque à destillatione contumaci, & habituata continuò veluti fouetur, tandemque & macies insolita, ac virium regitiuarum languor ferè semper ætatis inclinantis comes, difficilem tolerantiam posthac pollicentur: Verum tamen id, ex quo plurimum spei concepi, est, quod cum patiente Reuerendissimo, nil, quod ad propriam sanitatem faciat omissuro est agendum, cuti & illud accedit, quod quemadmodum qui ex vomica pleuritica malè habent, aut non sanantur, aut in grauiores affectus incidunt ita qui Empij ex suppurata destillatione fiunt, sepè sæpius euadunt, quod vt Reuerendissimo etiam Antistiti nostro contingat, quamprimum ad huiusmodi medicationem deuenire oportet. B

Quæ si per materias chirurgicas esset perficienda, ad Galeni imitationem in casu nobilis matronæ 8. Meth. mihi placeret, vt primum ad medicamentum ex tapsia, ac stercore columbino, vel ad vesicans ex cantharidibus summo capiti applicitum confugeretur, & hoc non conferente, ad cauterium in commissura coronali deuenirem, quo ad plures dies emanante seruato, in brachio dextro aliud perpetuo asseruandum excitaretur. Neque ab hisce remedijs me auocare potest, quod per illa in ætate inclinanti calor, & spiritus exoluantur, quoniam, id mihi nunquam in corporibus ægris contigisse potui obseruare, si quidem nil ex illis vnquã nisi purum ichorem mucumq; prodire obseruari, ex quo potius calorem, atque spiritum augeri puto. Sed ad rem, laudo etiam, vt scapulis, brachijs, & cruribus frictiones, ligaturæ, cucurbitulæque adhibeantur. C

De vstione ad partes thoracis à veteribus præsertim verò ab Hippocrates celebrata statuó, quod si alia non conferrent, & chirurgus peritus, audaxque multum esset in promptu, ad hanc deuenire non hæsitarem; verum remedium huiusmodi, quemadmodum & alia chirurgica præsidia præstantissima certè, & apud veteres vsitata, dissueuerunt. D

Hinc itaque ad alias præsidiorum materias me transferro, atque dico, curationem à prouidentia totius primum auspicandam esse; leniatur igitur aluus melle violato, vel rof. sol. & manua, deinde humores præparentur decocto betonicæ, hepaticæ, sonchi, boraginis, farfaræ, pulmonariæ, cum syrupis accomodatis; tandem infuso Agarici, adiectis manna, & decocto pectorali facto cum seminibus cartami deturbentur; A quibus reliquiæ humorum (si quæ superesse visæ fuerint) per Epicrasim, ac per vices educendæ pilulis de tribus, atque morsellis cum pulpa cartami, & mechiocani paratis, ea tamen ratione, vt intermedijs diebus decoctum chinæ factum cum simplicibus accomodatis exhibeatur; Atque interim ad particularia medicamenta descen-

E dere licebit, atque primum ad ea, quæ destillationem respiciunt. Sunt autem hæc tum euacuantia, tum alterantia.

Quæ euacuant, sunt Catapotia de Agarico Mes. aliquot interuallis propinata, sunt & herrina, inter quæ duo probantur, vnum, quod ex decocto sampsuci, & Agarici cum succo hetæ, aliud, quod ex decocto origani Orient. cum melle ros. sol. conficitur, præ cœteris verò, quod paratur ex lacte muliebri, in quo sit dissolutum elaterium. Sed & intercipientia, siccantiaque in hunc locum referuntur, in quorum genere tum saccharum rosatum antiquum cum bolo Armena, tum theriacam aut recentem, aut sal tem cum conserua violacea exhibitam hora somni summis laudibus extollo; Capiti etiam emplastrum ex cochleis, vel ostreis cum testa tusis, sicuti & ceratum de betonica cum portione cerati sacri, vel ex descriptione Montagnanæ applicitum maximè commendo.

F Pro alterando autem capite, præter lotionem, & siccam ex furfuribus, sale, & millio calefactis factam, & humidam cum lixiuio decoctionis simplicium capitalium, Agarici, & huiusmodi, laudo embrocam ex therma sulphurea, salsa, nitrosa, & aluminosa, vti est aqua Porrectanea noua, cui nonnihil (ad caloris temperationem) veteris adijciendum; vti etiam est aqua D. Petri Patauij, cum aliqua portiuncula aquæ B. Virginis, sed decoctum aliquod ex simplicibus capitalibus, guaiaco, salsa, cortice guaiaci, gallis. rosis, folijs oliuæ, sandalis, Agarico, sulphure, sale, & nitro paratum, pro stillicidio erit opportunum, quod stillicidium, medicatione illa per vices absoluta, maximoperè conueniret.

Cœterum & medicamenta particularia thoracis, dum destillationi prospicitur, veniunt vsurpanda. Pro expurganda igitur materia ibidem contenta per sputum oxymel cum Ammoniaco, coagulum leporis cũ syrupo de hysopo, loch de pulmone vulpis, vel

G de caulibus cnm puluere eiusdem pulmonis exhibeantur. Verum & per vias vrinę expurgantia propono, idcircò therebintinam cum puluere rubeæ tinctorum omnib. pręfero, ius quoque cum radicibus aperientibus, capillo ven. adianto, seminib. melonum, adiecto syrupo de liquiritia, de capillo ven. alteratum recipio, & his omnibus nõ sufficientibus, dissipanda est materia iure galli non valde antiqui, in cuius vẽtre China sit incocta, cui si expectorantia, diuretica, atq; purgantia immisceantur, medicamentũ parabitur plurimi vsus, quod vt magis, ac magis proficiat, ante syrupum matutinũ bolum ex floribus sulphuris, therebintinaq; in aqua violarum lota efformatum deuorare præstabit; immò qualibet hora eosdem flores ex syrupo violato de capillo ven. ac farfara datos ad lambendum etiam, atq; etiam probo; Exterius verò Cataplasma, quod fit ex farina erui, fabæ, & lupinorum, cumino, puluere radicis ireos, atque brassica in oleo li-

H iaceo cocta exceptis cum vino odorato, & oleo prædicto, admotum est præstantissimum, in eundem vsum quoque facit & ceratum sacrum, vel Diapitrites.

Pro iecoris autem temperatione feri vsum cum succo cicorij, & hepaticæ, balneumque aquæ dulcis opportuna existimo.

Ad maciem exterius præter balneum propositum probo vnguentum pro spina dorsi dictum, & oleum amygdalinum dulce toti illitum, interius autem lac, præsertim caprile, veluti minus ventriculo inimicum, & confectionem ex pulpa phasiani, vel perdicis, nuce Indica, seminibus maioribus frigidis, fisticis, amygdalis dulcibus, pineis, ac momento cinnamomi cum saccharo in destillato caponis dissoluto factam summoperè laudo.

Victus ratio his omnibus congrua præscribatur, & quantum ad aerem, Reuerẽdissimo patienti iam ab empiemate dicto libero, aeris mutatio multis rationibus cõducet, inter cęteras verò illa sit potissima, quod toto tempore, quo fuit Arimini nunquam sanus vixit, alium idcircò adeat aerem, qui ad calidum, & siccum vergat, quinimmo, &

muta-

mutatione hac ad aerem nostrum facta non erit forsan inutilis, cum sit illi natiuus, & quamquam maximè destillationum sit ferax, id potissimum hyeme contingere, alijs verò temporibus illis esse veluti remedium, non semel obseruatum fuit, & eo magis, si Ruri aliquam sibi seligat habitationem. In cibis illi sit in vsu continuò ptisana cum amygdalato, vel pineato, fugiat omnem cruditatem, & cœna sit parcior prandio; In potu ob destillationem & febrem, abstineat à vino, ac vtatur decocto pectorali adiecta china, in progressu tamen vbi vinum ratione virium, atque gustus erit concedendum, tenue sit, subdulce, oligophorum, vel saltem aqua cocta cum china dilutum, siue modo album siue subrubrum fuerit; Et quoniam vina adhuc in dolijs ebulliunt, ideò vinum ex china, pulmonariaque factitium pararem. A cibo verò, & potu Reuerendissimus Antistes assumat cydoniatū & coriandros semicopertos; aluus mollis casia fistulari ante prandium assumpta seruetur, aut pulpa seminum cartami, & caricarum, vel passularum in decocto polypodij maceratarum, aut oleo amygdalino dulci cum saccharo, aut clysteribus ex iure, oleo amygdalino dulci, & butyro confectis. Reliqua autem omnia, prout opportunum videbitur Reuerendissimo patienti ab Excellentissimo curante præscribantur, quæ faxit Deus, vt conferant, & proficiant.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO ACHILLE Blanchetto Bononiense Tumore Verrucali ad venas podicis, motibus conuulsorijs, ptielismo, alui stipticitate, Icteritia nigra cum tensione lienis, inflatione Abdominus, anxietate cum suspirijs, & rudimento syncopis laborante.

CONSVLTATIO LXXXIII.

PRO salute perillustris, ac nobilissimi viri tria mihi propono discutienda; Primum est, qui nam illi peculiariter sint affectus, à quibus magis affligitur, & an horum communem quandam causam, tanquam fontem, & omnium malorum occasionem sit assignare, an verò vnus ex illis sit causa cæterorum affectuum, ac in eo, veluti in seminario quodam omnes alij continentur.

Secundò videre oportet, an bonus, vel malus euentus sit expectandus.

Postremò an supersint aliqua remedia, post innumera ferè iam vsurpata pro salute perilustris ægrotantis.

Circa primum igitur statuo affectus, à quibus uir nobilissimus immaniter exercetur, plures esse, atque hos ipsos in genere Symptomatum, quorum primum est uenarum sedis iugis hæmorargia, quam abhinc per plures annos passus fuit, sine tamem aliqua noxa, quamuis ante menses aliquot coloris insignis mutatio, atque uirium iactura subsequuta fuerint, una cum tumore uerrucali, qui nunc adest, & suppressæ sunt hæmorrohides.

Alterum est motus quidam totius corporis, præcipuè uerò artuum, qui tremor dici non meretur, quoniam hic fit nobis erectis, motus autem, de quo noster patiens conqueritur, accedit, dum ipse decumbit, potissimum à cibo, atque noctu. Arbitror ideo ego hunc esse motum conuulsorium, nam primum fit motus quidam inordinatus, ac ueluti quædam corporis iactatio, qualis fieri solet in his, qui Cardialgia laborant, tandemque in conuulsorios motus omnium artuum manifestè degenerat.

E Tertium Symptomata est assidua expuitio matriæ pituitosæ, quæ communiter ptielismus, & à Celso Aureliano Saliuatio dicitur, quæ cum possit oriri & vitio capitis, & ventriculi, ex Galeno secundo Proreth. 12. hic vtroque modo fieri existimo, quando & ventriculi, grauitatem persentiat patiens noster; copiam pituitæ viscidæ euomat, flatus copiosos excernat, atque hora coctionis sputum hoc augeatur, sed & caput etiam affici in affectibus ventriculi antiquis necessarium esse puto, quemadmodum interim capitis grauitas attestatur.

Quartum est aluus adstricta, quæ nisi clysteribus irritetur, vix vnquam aliquid cernitur.

Quintum est icterus nigricans, cum tensione ad regionem lienis, quinimmo & iecoris; quibus & 6. loco adiungitur inflatio abdominis, meritò cuius in imo ventre percipitur sonus, adiungitur & 7. anxietas cum suspirijs, quæ rudimendum animi deliquij, non dicam syncopis, adfert, quoniam facultas vitalis non dissoluitur. Sed an F febris adsit dubitari non potest, quoniam sensu ipso deprehenditur, puto tamen hanc esse Symptomaticam, non essentialem, quoniam typus ab alijs affectibus separatus non obseruatur, neque insignis vnquam calor subsequitur; his denique omnibus extenuatio totius insignis est addenda.

Principia modò horum omnium malorum pertinent ad causam principalem, pertinent & ad causam immediatam. Principalis est caloris natiui penuria (vt vrinarum copia excedens cum pauco colore suadet) quæ hæmorargiam fuit subsequuta, quam ego omnium aliorum causam fuisse sentio, huic autem hæmorargiæ copia humoris melancholici præbuit occasionem, qui humor melancholicus propter caliditatem iecoris, & propter lienis obstructiones à pituita ex ventriculo debili à natura communicata (nam semper de eo querelas habuit vir perillustris) fuit coaceruatus, G ea ratione vt causa generans illius fuerit iecur calidius, colligens vero lien obstructus accedit & vita ærumnosa curis, ac solicitudinibus plena, quam degit.

Inopia itaque caloris natiui fuit in causa, vt vitiatis ferè omnibus coctionibus, at potissimum prima, prauus succus pituitosus fuerit collectus, nam alimenta ad bonam frugem non deducebãtur, ex pituita postmodum obstructiones, ac flatus copiosi, hinc immediata causa omnium affectuum, nam iecur obstructum incenditur, vt indicant sedimenta in vrinis cineritia, incensum humorem atrum gignit, ex quo vapores, qui in cerebrum originem neruorum delati, ac in musculos, extensiones pariunt, vnde iactatio corporis, pungunt, vnde motus conuulsorij, adhuc eadem pituita in ventriculo est causa continuæ expuitionis, cuius portio deorsum ad intestina demissa aluum adstringit, quia obtunditur bilis, ad quam pariter alui adstrictionem concurrere renum calorem nimis forsan feces indurando suspicor; Ad hæc succus ille pituitosus tumorem H verrucalem efficit, amplius lienem inficiens ictero ansam præstat, in flatus resolutus inflationem efficit, qui flatus deinceps multiplicati comprimendo Diaphragma, anxietatem, ac suspiria inducunt, hinc lipothimiæ rudimentum, febrem ex agitatione, vigilijs, atque alijs huiusmodi pendere existimo, sicuti & extenuationem ab impuro alimento, ob pituitæ cum sanguine mixtionem fieri non dubito.

Quibus omnibus tanquam concausæ, errata externa primum in animi affectibus, deinde in coitu connectere est necessarium.

Quod ergo spectat ad secundum à principio mihi propositorum, an scilicet sub hisce malis, bonus, malusue euentus sit attendendus, ita decerno, vt nempè casus timoris plenus existat, ac (vt liberè loquar) impossibile prorsus arbitror illis affectibus mederi, quoniam sunt in habitu, maximus est recessus à statu naturæ, corpus ad frigidum est lapsum, plura Symptomata, eademq; grauia coniunguntur, causæ ita intensè vrgunt, vt immineat hydrops sicca, suffocatio, & eo magis quoniam vires non resistunt,

nam

nam de maxima lassitudine patiens nobilissimus conqueritur. Studendum ideò quantum fieri potest, vt saltem præseruetur, vitaque ipsius in longius traducatur, atque ipsi consolatio præbeatur vt in hisce casibus docebat Areteus. A

Quocirca scopos omnes Medicos in vnicam reparationem caloris natiui referendos esse, pro certo habeo, prius tamen humores melancholici geniti, & pituitosi sunt educendi, deinde cohibenda eorum generatio per alterationem ventriculi ad calidum & iecoris ad frigidum, cuius prius, sicuti & lienis obstructiones attenuantibus, ac detergentibus reserare oportebit.

Quibus autem remediorum generibus? ijs inquam, quæ adhuc patiens non fuit expertus, & sunt huiusmodi, & primum quoad chirurgiam, ad flatus discutiendos ventosas magnas abdomini applicitas, quod si vltra motus illi conuulsorij progrediantur, ab inustione ceruicis, & caudæ minimè desistendum.

Medicamenta communia iam fuerunt vsurpata, sicuti & propria, Aqua nimirum Tettuciana decoctum sassafras, Aromaticum rosatum, Diagalanga, Mithridatus, embroca ventriculi cum oleo stomatico decoctionis simplicium stomaticorum, iunctio spinæ cum oleo costino, vlpino, & camomelino, lotio artuum cum vino decoctionis pulegij, & balneum ex oleo communi. Nunc quæ meo iudicio facienda supersunt pro salute perillustris viri, redigo ad alterantia, & euacuantia, quæ alternatim sunt vsurpanda. Alterantia respiciunt primo humores peccantes, ideò, omissis aquosis, quæ in præsenti non probantur, laudo syrupum acetosum, Diarrodon cum syrupo de boragine, item & oxymel scyllinum cum syrupo de fumaria. Secundò, Alterantia respiciunt obstructiones, quare cum trociscis de amygdalis amaris Tralliani, de capparibus, de eupatorio, Ammoniacus, electuarium calybeatum, vel potius calybs magni Ducis quem fusum dicunt, summoporè conueniunt. Tertiò, Alterantia ad menbra referentur, hinc ratione hepatis, hepar lupi, ratione lienis, lien Equuli siccatis, electuarium cyphoides, vtraque antidotus magna, vinum ex Carduo benedicto lignoque sassafras probantur. B C

Euacuantia vel sensibiliter, vel insensibiliter agant oportet, si sensibiliter à hiera Pachij, quæ summis laudibus à Scribonio Largo celebratur, non erit recedendum, verum quia humores melancholici pecant, à hiera per modum apozematis offerendus est syrupus de polipodio Magistralis, cydoniatum pariter, quo ego vtor cum decocto polypodij, epitimique, & puluere mechiocani adiecto, pluribus vicibus constitutis assumptum probatur.

Si verò medicamenta euacuantia insensibiliter ad vsum deduci debent, hæc vel gratia totius, vel partium determinatarum malè habentium erunt vsurpanda, si gratia totius, ius galli, uel columbi turrialis, longæ decoctionis cum sassafras, & china, ac simplicibus accommodatis in modica quantitate datum, sicuti & extractum guaiaci, atque sal theriacalis sunt præstantissima, si gratia partium, & primum tumoris, sabinę succus cum puluere corticum pinearum, succus verbasci cum oleo seminum lini, demum succus cyclaminis cum scoria ferri mihi videntur opportuna. D

Secundo ratione lienis oleum Chymicum ex radice cyclaminis illitum, vel medicamentum, quod ex succo radicis ebuli, ac larido liquato paratur sunt accomodata, sicuti & fotus cum lapide molari ignito, & aceto asperso, & frictio vehemens, & longa manibus inunctis oleo Capparorum, amygdalarum amararum, vel succo tamarici, & aceto erunt valdè proficua.

Tertio pro hepate oleum de absynthio chymicum, vel quod ex eiusdem absynthij succo, & eupatorij cum oleo nardino, & modico vini in duplici vase coctis, tandemq; adiecto puluere trociscorum de absynthio, & de rosis, & cum cera vnguentum reformatur.

Demum pro uentriculo stillicidium stomaticum, lana illota coccio infectorio tincta intra uerò, quæ supra, præcipuè tamen Diatrion pipereon atque Diacalamentum conueniunt.

Victus moderatè extenuans esse debet, boni succi, ac facilis coctionis, quare morselli ex pulpa carnis. Perdicis, caponis, fisticis, amygdalis dulcibus, pineis modico cinnamomi exceptis cum saccharo dissoluto in destillato caponis esse poterunt ex usu puluis coctilis ex agaloco, pane biscocto, cariophilis, coriandris, croco, & saccharo cibarijs inspersus plurimum ualebit, uinum cum absynthio, uel rore marino, uel melissa, & ligno sassafras medicatum proficiet. Ad aluum adstrictam pruna dulcia condita cum manna dissoluta in infuso senæ facto in decocto cartami, panis ex tota farina cum passulis, sale, & feniculo in prima mensa commansa, uinũ ex sena in prima mensa pariter bibitum, acetarium ex polypodio quercino cum pipere contuso, ultimoque F clysteres ex mulsa, oleo communi, & butyro aluum lubricam reddent, si singulo quoque die iniciatur, faxit modo Deus, ut hæc, & alia omnia, quæ huiusmodi sint opotet, in gratiam perillustris, ac nobilissimi uiri cedant.

PRO ILLVSTRISSIMO ET NOBILISSIMO COMITE Polono melancholia per essentiam, & à toto laborante.

G CONSVLTATIO LXXXXIIII.

CEREBRVM in hoc Illustrissimo uiro affici, cor uerò coaffici, ex unico timore quo ferè semper affiictatur non est difficilè captu ei, qui nouerit tum ex Aristotele, Timorem esse animi perturbationem ex imaginatione alicuius mali futuri corruptiui, tum ex Galeno proprietatem esse cordis frigidis, atque imaginationem in cerebro residentem ibidem propriam operationem obire.

Verum cor hac ratione affici solet affectu vel primario, uel cerebri, nunc, meo iudicio, utroque modo malè habet, primo quidem, quoniam cor ex me lancholico sanguine sibi à iecore suppediato spiritum uitalem, funestum, atque syluestrem gignit, scatet enim uir nobilissimus secundum totum, ut declarabitur, sanguine illius census, secundo modo afficitur cor, quando causæ cerebrum refrigerantes, nempè timores, ac H mœstitiæ una cum uigilijs, occasione filiæ charissimæ unicæ defunctæ præcesserint.

Verum tamen quoniam illustrissimus patiens timet uehementer, tristatur admodum solitu dinem amat, mortem sibi precatur, uitam propriam odio habet, & nnnquam se sanitati restitui posse putat, idcircò ipsum laborare melancholia, quæ est delirium sine febre, pro certo est habendum, timor enim, ac mœstitia tantum de hoc affectu fidem faciunt ex Hippocrate sexto Aphorismo. 23. qui quidem affectus, cum iam quater inuaserit (& si citius nunc redierit) non quidem initiatus, sed ueluti hecticus, ac inter polatus, uariusque pro imaginationis de prauationis uarietate constituendus erit; sed an sit per essentiam, uel per consensum à toto, aut potius ab hypochondrijs, meritò dubitari potest, nam ex una parte uidetur, quod sit per essentiam, quoniam ut Galenus docebat tertio locorum affectorum, septimo cerebrum in hoc malo per essentiam laborat, si sanguinem melancholicum generauit, quod illi bifarinm accidere potest, aut quia scilicet idem cerebrum à calipitate prius prȩter naturam afficiatur, & sic affectũ

partes

partes tenuiores sanguinis absumat, aut quia ab animi passionibus mœstis refrigerationes partes diaphanas, atque lucidas eiusdem sanguinis exprimat, & ipsum nigricantem, ac veluti melancholicum reddat, quod postremum, cum patienti nostro contigerit, iure melancholia per essentiam ipsum laborare, videtur affirmandum; ex altera verò parte quoniam sanguis ex vena detractus fuit nigerrimus, & crassissimus, qui à Galeno loco citato potius veluti signum, quam materia remedij, melancholiæ per consensum à toto proponitur, præsentem melancholiam à toto pendere, oportebit affirmare, quod autem non sit melancholia ab hypochondrijs, luce clarius existit, quando symptomata nulla ad hypochondria obseruentur, delirium sit maximum, tandemque causæ præcesserint cerebrum permutantes, vt supra dictum fuit. A

Dico igitur melancholiam, de qua agitur, esse per essentiam, & à toto ob rationes adductas, quod non inconuenit, cum id accidat diuersa valde ratione, quinimmo, & malum hoc, vbi à toto excitatur, non tantum per consensum, sed etiam per essentiam, vel saltem primaria affectione (quæ est ex vsu, & indicat) cerebrum afficere non ignoro. B

Atqui huic illud obstat, quod malum in præsenti non sit continuum, ieeò neque per essentiam. Sed respondetur ex Galeno secundo locorum affectorum vltimo, ad malum per essentiam non requiri necessario continuitatem, sed sufficit quod causa generetur in parte affecta, & extra hanc nulla alia afficiatur; vnde cum causa in parte affecta per interualla gigni possit, propterea fit (vt etiam hic accidit) quod malum sit interpolatum.

Vtcumque tamen, causa illius immediata est affectio tenebricosa secundo de symptomatum causis, & loco citato, quæ animam rationalem expauescere, tristarique facit, affectio autem hæc à Phantasmate tenebricoso in imaginatione efformato pendet, quod ab obiecto improportionato tnm interno, tum externo suam habuit originem; obiectum internum est spiritus animalis tenebricosus non solum ex propria natura, quoniam à spiritu vitali in corde funesto, ac syluestri genito eo modo, quo dictum est, producitur, verum etiam ex accidenti, admixto scilicet succo melancholico genito tum in cerebro, tum in hepate, & propagato per totum, proindeque per venas etiam capitis, in cerebro quidem à frigiditate exprimente, in hepate à causa agente, & materiali; Agens duplex principalis, & coadiuuans, principalis est feruor iecoris, qui vti magnus ignis multam copiam sanguinis fœculenti, tamquam multum cinerem producit, feruor autem hic ex alimentis calefacientibus potissimum habuit occasionem, audio etenim virum Illustrissimum in suis cibis & aromata, & salita, plusquam deceret, comedisse, vinumque tum potens, tum copiòsum potasse; Causa coadiuuans duplex adhuc, ætas inquam, & anni tempus, ætas quidem vigens, quæ & inclinationis dicitur, in qua vir nobilissimus est constitutus, nam in hac ætate calor ita viget, vt commodè possit melancholiam generare, tempus item anni Autumnale ratione æstatis præcedentis caloris reliquias in se retinet, atque sic ad idem conducit: sed cum interim in verno tempore simus, in quo sanguis veluti effloreſcit, & coactus sum asserere, tempus anni nunc non vt causam agentem, sed vt mouentem concurrere; Causa postremò materialis sunt alimenta crassa, quibus nobilissimus patiēs vtitur, ex quorum oblatione iecur calidum bilem atram producit, cum aliàs flauam bilem gignere deberet. Tandem obiectum externum fuit animi affectus immoderatus, mœrores nempè, atque mœstitiæ occasione mortis vnicæ dilectæ filiæ, ab his enim phantasma tenebricosum excitatur in cerebro. C D

Omne igitur studium adhibendum, vt cerebrū calefiat, iecur refrigeretur, vtrumque humectetur, eorum proportio seruetur, & calor ac spiritus viuificentur, sic.n. fiet, vt materia melancholica non amplius generetur, prius tamen quæ genita est euacuari,

E atque retrahi debet, quæ dum peraguntur permittunt vtique, vt per soporifera vigilijs occurratur.

Quæ haud obtineri posse puto, nam malum est in habitu, vt non mirum si remedia non conferant, & ex 6. Aphorismo. 56. stupor, cæcitas, conuulsio, & apoplexta immineant, ex tertio verò de locis affectis citato: & 6. Epid. ad finem, permutata materia ad ventriculos cerebri, epilepsia, tandemque putrefacta, & quouis modo excalefacta mania impendeant.

Accedit quod delirium hoc est cum fletu, qui peius ab Hippocrate sexto Aphorism. 53. habetnr, & eo magis, qnia patiens sanguineus potiue cum risu delirio laborare deberet, vt necessariò ex hoc ego colligam, causam insignem morbificam præcessisse, præterea cerebrum non tantum afficitur, verum etiam cor, & cerebrum non secundum imaginationem tantum, verum etiam & secundum discursum quoquo pacto F læditur; Quoniam tamen Medicina est donum Dei, sæpiusque etiam morbi pœnè irremediabiles continua medicatione superantur, non omninò diffido, atque saltem futurum existimo, vt malum plurimum (si patiens noblissimus obsequens fuerit) imminui, non autem augeri debeat, quapropter à remediorum vsu desistere haud oportet, ad quod respiciens Aristoteles in capite penultimo septimo Ethicorum dicebat melancholicos continua medicatione tractandos esse, quod corpora illorum semper mordeant, mordent verò ob flatus succi melancholici comites per corpus discurrentes, vel quia inter cœteras huius affectus miserias, ea forsam præcipua est, quod in tanta symptomatum syndrome, ægri se ab vllo remediorum vsu iuuari pesse imaginantur, cuius etiam causa, noua semper aliquando remedia sibi expostulant, vt præscribantur. Atqui in id incumbendum, vt remedia quæcumque placida sint, quoniam vt docebat Plato in Timæo, affectus melancholici, quo grauioribus tractantur medicamentis eo acerbiores euadunt.

G Accedens igitur ad euationem de chirurgicis decerno, & dico quod postquã sanguis per sectam venam est eductus, & adhuc aliqua subest sanguinis copia, patiens natura est valdè sanguineus, cum aliquo bilis subdominio, malumque quotidiè intenditur, nouam sauguinis propono detractionem primum per cucurbitulas dorso, deindè per hyrudines ano applicitas, ratione sanguinis extra caput, vel potius per saphenam apertam, quando sanguis crassus, & grauis facilius descendat, vt iure varices melancholiam soluant, tandemque per venam frontis dissectam gratia sanguinis in capite probarem, quæ sanguinis detractiones potissimum ratione melancholiæ à toto conueniunt, nam ratione eius, quæ per essentiam, non videntur opportuna, quoniam sanguis non peccat, vt ex hoc Galenus tertio loc. affectorum nullam proponat venæ sectionem, foramen verò magnum ob sanguinem crassum semper fiat. Quantum ad H euacuantia chirurgica alias materias sanguine diuersas, si ad materiam extra caput dirigantur, nunc vesicantia extremis applicita, post hac fonticuli, vnus in femore dextro alter in brachio sinistro mihi arrident; at si ad materiam in capite referantur, cauterium ab antiquis etiam celebratum in vertice inustum non damnc: tandem sicuti pro reuulsione cum attractione, & insensibili euacuatione laudo, vt brachijs, cruribusque frictiones, deligaturæ, lauationesque cum aqua actu calente, & sycie siccæ adhibeantur ita pro capitis euacuatione à pectinationibus, frictionibusque cum pannis asperis capitis in posticam partem factis non recederem.

Medicamenta respiciunt materiam melancholicam, & viscera, si materiam, iam lenita est aluus syrupo de polypodio solutiuo, & manna, præparatiq; sunt humores cum decocto boraginis, buglossi, melissæ, betonicæ, sponchi, hepaticæ, & liquiritiæ cum syrupo de boragine, de succo betonicæ, atque cicorij, tempestiuum ideo est, vt humores deturbentur meo quidem iudicio infuso Epitimi, senæ, & portionis Rhabarbari, adiecto

cto eodem syrupo de polypodio, Mox instituenda noua præparatio decocto buglossi, A melissæ, fumariæ, sem. citri, quinquefolij, betonicæ, cicorij, agrimonij cum syrupis de cicorea, de fumaria, & de betonica compositis, quorum loco tertio quoque die substituatur syrupus aliquis purgans vti de pomis comp. de Epitimo, vel polypodio, cum syrupo de cicorea cum Rhabarbaro, quibus ter, vel quater assumptis iterum purgetur corpus infuso veratri nigri, & Rhabarbari, adiecto syrupo de polypodio, vel confectione amech, & electuario lenitiuo, vel demum catapotijs cochijs cum helleboro, vel de helleboro castigatis cum portione eorum, quæ masticina dicuntur. Quinimmò in ea essem sententia, vt bis in anno vteretur simili medicatione, eo tamen constituto, vt Vere mediana vena cubiti, Autumno verò saphena, vel hemorrhoides aperirentur; Rursusque, vt interuallis quibusdam vigentibus anni caloribus, infuso Epitimi, vel myrobolanorum Indorum, & citrinorum in sero lactis parato, sub cœlo autem frigido puluere hellebori nigri prius modo consucto præparati, deinde ter cum succo B rosarũ irrorati, & in vmbra siccati ad scrup. s. ex ouo sorbili dato vteretur; Paulus dat Epitimi, & aloes scru. 2. quotidiè, pro diaphoretico balneũ aquę dulcis huc referatur,

Purgato corpore caput tum masticatorijs ex mastiche simplici, vel puluere hellebori nihri, ac turbit adiecto, cum cera, tum herrinis primum ex decocto maioranæ cum succo betæ, vel hederæ, deindè ex succo radicis ireos, vel cyclaminis cum lacte caprillo paratis erit euacuandum sensibiliter.

Cœterum & ad insensibilem totius euacuationem à decocto radicis chinæ in ventre pulli cum simplicibus iam dictis decoctæ non abhorreo, in quem vsum, & vtramq; Antidotum magnam non improbo, Galenus enim in quartana propinabat & ipse theriacam, huc etiam refero inunctionem totius, quæ est Aetij ex hydrelo, ac nitro.

Tandem ad medicamenta viscerum est accedendum, quare in serie admouẽdorum gratia totius corporis balneum aquæ dulcis tepidæ omnibus præfero, at gratia capi- C tis omentum in oleo camomelino, amygd. dulci calefactum, atque embrocam ex lacte capræ statim emuncto, modicoue vini subdulci addito, vel ex decocto maluarum, altheæ, violariæ, boraginis, buglossi, betonicæ, camomeli, extremorum, ac intestinorum veruecis supra suturam coronalem administratam, item & conseruam anthos, ac boraginis hora somni datam summoperè laudo.

Cor & ipsum propria habet, peculiariaque medicamenta, vti epithema ex aquis, vel succis (quos magis probo) boraginis, buglossi, melissæ, cum puluere cordiali pro epit. sem. citri, croci, aceto rosato, vino Cretico, ac aqua florum citri, & arancij, & ab epithemate inunctio ex oleo florum citri cum gallia muscata: Verum & internis corpus habet medicamentis, saccharum igitur boraginatum, & buglossatum cum puluere smaragdi, lapidis bezar, hyacinthi, & macis, folijsque auri, vel conserua florũ citri cum margaritis, & osse de corde cerui, seu limatura auri, & argẽti præparatorum, immixta D duabus portionibus pulueris cordialis pro cibo, & vna specierum diamusci dulcis in ouo sorbili sumpta maximè conueniunt.

Ad iecoris autem temperationem hæc habeo; Primum est capræ serum cum succo sonchi, & boraginis ab libras iij. datum per plures dies; Alterum est lac humanum, vel asininum. Tertium sunt thermæ refrigerantes, vti Villenses, Porrectaneæ veteres Bononiens. & B. Virginis, Patauinæ quæ quamquam ob siccitatem adiunctam non cõueniant in melancholia curanda, nihilominus quoniam in corpore non emaciato, quale est, quod tractatur, plus iuuamenti refrigerando, quam damni siccando præstant, ideò vsui patienti nobilissimo illę esse poterunt (quantũ verò existimo) valdè proficuo, sed & irrigatio regionis hepatis facta cũ aquis hepaticę, & cicoreaceorũ additis speciebus cerati sandalini, momento camphoræ, & aceto optimo, ac ab irrigatione vnguentum factũ ex oleo ros. succo cicorij, specieb. confectionis ex tribus sãdalis, & cera in aceto

lota

E lota illitum non sunt despicienda, sicuti nec balneum aquæ dulcis tepidæ vllo modo est ommittendum.

Verum omnis medicatio vana, irrita, & incassum futura est, nisi accomodata, perseuerasq; viuendi ratio adiungatur. Quare in primis maxima est aeris habenda ratio: nam cum in hoc vitio cor compatitur, Auicenna cordi semper esse consulendum mouet, nil autem est, quod ita facilè cor alterare valeat, atque aer, qui continno per inspirationem ad ipsum peruenit, eligatur ideo, qui in actiuis temperatus, in passiuis ad humidum inclinet. Aedes igitur orientem, vel occidentẽ spectantes vir illustrissimus inhabitet, & omni diligentia curet, vt clarus, & lucidus, odoratusq; domo varijs odorũ generibus referta, sit aer, non tamen damno, quod adeat natiuum. Cibi sint euchimi, quales existunt optimæ carnes elixatæ, oua sorbilia, & fercula ex his parata, pisces autem parui, friabiles, & qui in aquis dulcibus claris viuunt, non improbantur; At le-F gumina, caseus antiquus, vnaque lacticinia, edulia ex pasta, salita, frixa, & omnia cibaria substantia crassiora, excrementitiaq; deuitentur. Acetaria vero ex lactuca, endiuia, cicorio, acetosa, boragine, & buglosso coctis, & floribus eorundem crudis, sicuti & fercula ex eisdem oleribus in iure pulli decoctis parata, item & fructus horarij, poma, & pyra dulcia, atque etiam subaustera, cocta tamen, amygdalæ recentes, semina maiora frigida sàccharo obtecta concedantur, puluisq; cordialis pro cibo paratus, cui margaritæ, smaragdus, & hyacinthus addantur, omnibus edulis immisceatur, ac in vltima mensa semper aliquod adstringens ingeratur, sicuti sunt vel cydonium, vel pyrum aliquod subausterum sub cineribus coctum, aut ipsumet cydoniatum simplex, aut saccharum rosatũ antiquum, aut cornia & sorbæ saccharo condita; Vinum omninò concedendum, quia Zeno, hominum ingenia vino, vt lupinos aqna dulcescere, scribit, & Auer. Vinum animũ lætificare dicebat, eligatur ideò quod sit ætate media, leui odore G & pauciferum, vel aqua boraginis dilutum, tenue, rufum, vel vermilium, quod vlgò dicitur, & quantitate mediocri assumatur, quod magis proderit, si floribus cordialibus & capitalibus, boragine, buglossoq; pro calidiori cœli statu, radice verò enulæ, ac tantillo croci pro frigidiori factitium fuerit. Sedes quotidiè sibi procurabit vir nobilissimus, vel clysteribus, vti ex oleo amygdalino dulci, iure pulli cum simpl. emollientib. medicato, saccharo rubro, melle violato, adiecto etiam aliquando syrupo de polypodio magistrali paratis, & iniectis; Vel vino ex sena, aut myrobolanis Indis, & chebulis factitio in prandio primũ bibito; Vel pane ex tota farina cum passulis, coriandris, & modico salis parato, in prima mensa cõmanso. Somnus sit longior consueto, nõ meridianus, nisi noctu vigilarit, prouocetur autem à cena per horam lotionibus soporiferis illinitionibus ex oleo florum salicum partibus pulsantibus, & naribus internis adhibitis, ac odoramentis ex seminibns iusciami, & capitibus papaueris albi cum semine H modestè contusis in vino odorato decoctis; huc referatur embroca capitis ex lacte, aut solo, sed nuper ab vbere capræ, seu Vaccæ emuncto, aut mixto cum aqua solani, & parte vna vini subdulcis, vel ex oleo violato cum parte vna anethini, balneum quoq; aquæ dulcis in simili casu est efficacissimum, sed præter hæc & semina lactucæ cibis incocta, & vinum papauerinum in vltima cæna, amygdalatum cum seminibus papaueris tusis mixtum, per horam post cænam bibitum, vel tandem pilula de cynoglossa eadem hora deuorata maximè probantur: Corpus modestè, & ante cibum, & aluo inanita, exerceatur ambulationibus, vel gestatinnibus (quas magis probo, ne domi veluti clausus vir illustrissimus detineatur) vel etiam frictionibus. Tandem animi curæ, solicitudines, mœrores, solitudines, mœstitiæ, ac similes animi passiones longè admodum absint, animusque quantum licebit, hilaris, ac lætus existat, Deus autem, Deiparaque virgo viro illustrissimo, & nobilissimo faueant, vt hisce; ac alijs præsidiorum materijs ab hac animi, & corporis miseria, atque calamitate vindicetur.

PRO

A

PRO PERILLVSTRI, AC REVERENDO ADMODVM VIRO *Dilatatione pupillæ, Vertigineque tenebricosa, & rudimento stuporis partis dextræ totius corporis affecto.*

CONSVLTATIO LXXXV.

AFFECTVS, quibus perillustris ac Reuerendus admodũ Canonicus detinetur sunt dilatatio pupillæ vtriusque oculi, quæ ad sensum patet, ac tenebricosa vertigo, quoniam & visibilia obiecta circumduci, & oculis tenebras obuersari sibi narrat, ita vt casus in terram immineat, quibus adhuc vestigiũ quoddam stuporis partis dextræ, à quo annis superioribus immaniter tentatus fuit, vt constat, adiungitur. B

Quorum omnium affectuum primariam occasionem arbitror esse caput intemperatum, maximè quidem ad humidum, cui fauent & ventriculus frigidior, atque humidior, & iecur feruidius, quæ viscera vbi vapores in caput emittunt, sunt in causa, vt coctionis, quæ fit in cerebro excrementum augeatur, quod postmodum in oculos demissum mydriasim illam efficit, vt non sit mirum, si mane post somnum palpebras humore quodam veluti inuiscatas sibi patiens adinueniat; ex altera verò parte ijdem vapores cum spiritibus immixti ad oculos confluunt, dantque spiritibus ipsis occasionem vt & in orbem circum agantur, atque impuri reddantur, vndè vertigo illa, vnde oculorum obtenebratio. Quoad vestigium stuporis, puto ego illud in portionem excrementi cerebri ad originem neruorum secundum partem dextram decumbentem esse referendum, inducta namque ibidem semidensitate, non admittitur radius spiritus animalis, ac proinde stupidius affectus oboritur. C

Quare si à præsentibus curari, & à maioribus malis, cæcitate inquam, paralysi, atq; apoplexia præcaueri debet vir admodum Reuerendus, in id est incumbendum, vt viscera in contrarium alterentur, materia impacta discutiatur, totius præhabita prouidentia.

Quos scopos obtinere erit satis difficilè, ac operosum, quando affectus hi iam à multis annis patientem infestent, ac viscera principalia pro maiori parte sint affecta, & virtus sub hisce malis admodum langueat, & eo magis in his, qui tantum abest, vt animo, & corpore quiescant, quin potius continuò itineribus dediti, curis, solicitudinibus, studijs, lectionibus, alijsque similibus animi, & corporis passionibus impliciti, continuò quoque vires fatigant, nouisque morborum insultibus præstant occasionem quod vitæ genus in perillustri patiente potissimum obseruari, vt proindè scopis prædictis satisfacere iure opus difficilè dixerim, ac operosum. D

Et quamquam hucusque aliqua ex parte satisfecerim medicamentis primum vniuersalibus, deinde decocto guaiaci per triginta dies, euocato sudore alternis diebus, adhuc & hora somni conserua betonicæ, eufragiæ, cum Mithridato, & pulueribus capitalibus assumpta, sicuti statutis quibusdam interuallis pilulis masticinis, cum pilulis lucis deuoratis, quamquam & his omnibus addiderim non solum lotiones oculorum discutientes, & exiccantes, verum & alia quamplura, atque inter coetera victum, qui medicamentis responderet hucusque præscripserim, in posterum tamen aere frigidiori facto hæc meo iudicio erunt tum opportuna, tum necessaria.

Rursus præparari, & expurgari debebūt humores pituitosi, deinde ad quadraginta dies dandum erit medicamentũ ex extracto guaiaci, trociscis viperinis, puluere eufra-

giæ, &

E giæ, & florum capitalium, quo tempore infigerem setaceũ ceruici à quo per quattuor menses gestato pararem de more fonticulum in brachio sinistro, atque pilulas per interualla de tribus, ac lucis, præscriberem, pararemq; masticatorium ex mastiche mace, & puluere eufragiæ cum cera, præter hæc hora somni conserua eufragiæ cum mace assumpta summoperè mihi probaretur.

Hyeme autem futura bonum esset, si patiens ad plures dies vteretur castoreo, cui aliquando tantillum pilularum cochiarum adiungerem, verno verò tempore, præmissa totius euacuatione per venam sectam, & medicamenta purgantia, denuò, si mala perseuerarent, decoctum guaiaci in iure viperino paratum exhiberem, ac ante syrupum matutinum carnem illam viperinam cum conserua eufragiæ, betonicæ, saleque theriacali offerrem; medicamenta quoque externa ad vsum deducerem; ideò pro capite probarem lotiones cum lixiuio decoctionis betonicæ, stecadis, baccare, verbe- F næ, camomeli, atque rosarum, locoque saponis vterer agarico, vel sapone veneto alterato cum cariophylis, mace, nuceque muscata; probarem & cucufam duplicatam, in cuius medio consuerentur flores capitales, nux muscata, macis, cariophyli, sampsucus rosæ, atque sandali. Prodesset & hora somni internas partes narium cum Mithridatica confectione, cum oleo de nuce muscata inungere, & pro oculis conueniret lotio eorundem iugis ex vino albo, subaustero, simplici, vel medicato cum salsa, & eufragia, quo pertineret aqua salita, vel quę stillatur ab arundine fœniculi, in qua per horas viginti quattuor, in horto sal mineralis fuerit impositus. Et ad visionem acuendam nil præstantius aqua stillatitia ex vermibus ortis in carne viperina putrescente, & ex chelidonia, quæ singulo quoque manè in oculos instillata læsionem visionis emendare præsentem imminentemque præcauere posset.

Quæ omnia vt efficacius agerent, omninò oporteret, vt nobilis patiens, quantum G fieri posset, abstineret tum ab aeris inclementiis, tum ab alimentis crassis, viscidis, acribus, & vaporosis, quare cibis boni succi, & facilis coctionis vti deberet, quales essent carnes optimæ, oua recentia, pisces in petris, & aquis claris degentes, vino vteretur paucifero, hyeme autem medicato guaiaco, salsa, eufragia, chelidonia, verbena, atque fœniculo, vigilia esset longior somno; Aluus irritaretur pilulis de aloe succotrina, vel pane ex tota farina, cum fœniculis, sale, & passulis parato, ac in prima mensa assumpto, corpus moderatè exerceretur, ac animi passiones molestæ arcerentur, quę omnia etiam tutò pristinæ sanitati perillustri, ac admodum Reuerendum canonicum restituerent, vbi Deo Optimo Maximo sua ope eum iuuaret.

H *PRO EGREGIO VIRO VIRGINIO GVICCIARDINO CIVE Bononiensi doloribus Nephriticis detento.*

CONSVLTATIO LXXXVI.

DVO sunt, quæ pro recuperanda sanitate egregij viri apud me difficultatem habent, & digna sunt, vt intimius perscrutentur. Primum est, an habeat in vesica lapidem, alterum quomodo à Nephritide, quam per interualla patitur (vt calculi, & arenulę in vribis excreta declarant) possit artis auxilio præseruari.

Circa primum igitur, asserendum videtur lapidem in casu nostro in vesica reperiri ob tres potissimum rationes egregio viro propositas, necnon etiam ex rebus euidentibus

tibus desumptas, primum etenim bis inter minguendum quandam veluti interceptionem vrinæ incurrit, secundo vt ipse narrat, dum terram pede ferit, & percutit molestiam quandam circa vesicæ collum patitur, accedit quod & arenosa in vrinis continuò excernit, modò ex D. Hippocrate quarto Aphorismo. 79. Quibus in vrinis arenosa excernuntur, his vesica calculo laborat; Postremò inter minguendum, in finique mictus, ab aliquo vrinæ ardore, ac tristi sensatione patiens noster non est immunis.

Verum tamen, his non obstantibus puto ego hic vesicæ lapidem locum non habere ductus autem Galeni primo de locis affectis capite primo, vbi tria præcipuè signa, & pathognomica lapidis vesicæ proponit. Primum est quod vrinæ, veluti aquosæ excernuntur, alterum vrinæ eiusdem interceptio insignis, Tertium & postremum est scalptus quidam molestus ex pruritu glandis, ferè continuus illatus, quorum nullum iam video in casu nostro reperiri. Primò enim vrinæ substantia mediocres, colore subflauæ redduntur, deindè lotij interceptio ferè nulla præsens est, & eam (quæcumque sit,) quam patiens passus fuisse refert, potius refero in facultatis ob noxam inductam, ab aliqua vrinæ acrimonia retractionem, & forsitam etiam in aliquot flatus in grandosis illis corporibus ad radicem penis existentibus, vt vrinæ meatum ibidem angustantib; vt non sit mirum, si illa interceptio cito delitescit, vt quæ à flatibus, qui & ipsi citò euanescunt, inducta fuisset; De scalptu nil aliud habeo quod afferam, nisi quod egregius patiens nullam penitus de ipso querelam habet.

Neque rationes in oppositum adductæ aliquid contra hanc determinationem vrgent, nam quoad primam attinet, ex dictis iam liquet, interceptionem illam non esse eam, quæ vesicæ lythiasi laborantibus contingere solet, quod verò secundo loco dicitur de molestia occasione percussionis terræ cum pede percepta, dico eam ferè nullius esse momenti, & potius ob aliquam noxam ab vrinæ acrimonia partibus vesicæ communicatam persentiri sentio, præter quam quod inter signa lapidis vesicæ non maximum habet momentum. Ad tertiam verò dicerem, sententiam Hippocratis altero horum modorum interpretandam esse, primo modo quod arenosa, alba, læuiaque in vrinis vnico vesicæ lapidis attestantur, vt arenosa, aspera, rubra, vel flaua qualia in vrinis nostri patientis visuntur, lapidis Renum sunt mera indicia. Secundo sententia Hippocratis vera est secundum hunc sensum, quod qui lapidem habent in vesica, ijs in vrinis arenosa excernuntur, at conuersa, nempè qui arenosa excernunt, habent lapidem in vesica, non est necessariò vera; Vel cum Galeno dicendum, sententiam illam esse diminutam, ac addendum ijs vesica, aut Renes calculo laborant, addunt recentiores ijs aut nec vesica, nec renes calculo detinentur.

Quod autem postremo loco adducebatur de ardore, Dico hunc ipsum satis mitem neque noctu cruciantem, vt millies patiens sit coactus assurgere, non esse comitem lapidis vesicæ, sed potius sobolem, & partum existere acrioris vrinæ ob feruorem Renum genitæ, atquæ ob arenosa vias nimis detergentia.

Cum itaque nobilis patiens ab omni lapidis vesicæ suspicione sit immunis, studendum vt à calculo renum, ac arenulis in illis genitis præseruetur, ne ita frequenter in calamitatem illam Nephriticam incidat. Dato igitur quod calculi, & arenularum generatio sit à feruore, primum renum, deinde iecoris (vt facies hepatica pustulis rubris referta demonstrant) & ex materia pituitosa genita in ventriculo ob errorem facultatis concoctricis, non quidem ratione erroris externi (quoniam ipse in nulla ex sex rebus naturalibus delinquit) sed ratione intemperieri frigidæ (quam habent hi, qui iecur feruidius habent, hoc etenim ventriculi humidum, veluti depopulans, ac tempore coctionis in eundem effumans est in causa, vt frigidam intemperiem ventriculus incurrat) à iecore, ac renibus calidioribus attracta, adiecta bilis flauæ portione, vt color arenularum indicat, Tota præseruationis ratio in eo consistere videtur

vt intem-

E vt intemperies horum viscerum per contraria amoueantur, detracta prius cacochimia quod si assequi non licebit, studendum, vt mixta illa præter naturam genita in renibus continuò à corpore depellantur, quod si retenta cruciatus interdum inferant, agendum, vt D. Hippocrates ad initium primi Epid. loquens de scopis curatiuis nephritidis dicebat. Ad præseruandum ergo arbitror necessarium fore, vt suo tempore opportune leniatur aluus cum casia, & electuario diasebesten lenit, ac melle rosato solutiuo & manna, deinde præparentur humores decocto betonicæ, mentæ siccæ, cicoraceorum, radicum graminis, seminumque melonum, cum syrupis de melonibus, & oxymelle simplici, ea ratione, vt in medio vsus horum basilica dextra aperiatur. Tandem ijdem humores deturbentur infuso agarici trociscati, ac Rhabarbaro cum melle rosato solutiuo, vel cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro, qua totius prouidentia præmissa, ad aquã Tettucianã primũ tribus diebus, deinde ad Villensem, vel Porrectanam veterem per duodecim dies assumendam deuenirem, tandemque in fine gratia ventriculi rursus per duos dies ad Tettucianam accederem, quibus pariter cœlo accommodato permittente, non tantum balneum aquæ dulcis toti administratum, verum etiam & embrocam ex aquis refrigerantibus dictis super renes, ac iecoris perfusionẽ ex aquis stillatitijs cicoraceorum, speciebus confectionis ex tribus sandalis, superdato vnguento ex succo hepaticæ, sonchi cum puluere sandalorum, pauculo camphoræ, & ceræ parato adiungerem.

F

Pro ventriculo cydoniatum cum pipere albo ruditer tuso, vel mastiche deuorata, ceratum quoque ex eadem mastiche cum tantillo aromatici rosati exterius admotum probarem.

Pro arenulis verò, ac paruis calculis (si opus erit) iugiter expellendis, tum modicum casiæ in canna (vt dicunt) prima mensa deuoratum, tum puluis ex æquis portionibus seminum melonum, milij solis, gummi cerasorum, liquiritiæ, & radicum restæ bouis cum saccharo cando puluerato ad pondus omnium ex iure pulli vel cicerum rubeorum. Aut loco huius pulueris aquam mihi familiarem ex acido citri crudo, amygdalis amaris, gummi cerasorum in succo parietariæ maceratis summopre laudo.

G

Quorum vsus tempore, subductoria diuretica per interualla assumpta non improbarem, ideò electuarium benedictæ, vel cum casia, vel cum therebintina, adiecto puluere ossium mespillorum, vel corticum auellanarum syluestrium omnibus præfero. Hoc verò tempore hyemali primorum ductuum detracta cacochimia, cum casia, & hiera, præmisso vsu oxymellis simplicis, serum distillatum cum syrupo de limonibus per plures dies exhiberem, & aliquot interuallis dimisso serò modicum casiæ fistularis in primo prandio ad comedendum offerrem.

H Victus ille est seruandus, qui à patiente obseruatur, adeò enim accommodatè, conuenienterque viuit, vt nil sit addendum, nisi id quod in prima mensa ex Aetij præscripto modicum aquæ dulcis tepidæ, vel iuris pulli tenuioris non saliti singulo manè bibat. Vinum etiam illi cum sandalis, china, liquiritia, & seminibus Alchachengi erit præparandum.

Ad curationem autem, non est recedendum à D. Hippocrate loco citato, vbi scopos curationis Nephritidis proponens, primum eos, qui victus ratione perficiuntur, affert, dum dicit quiescere non conuenit, sed exerceri, non repleri, nam cum in corpore nephriticorum humorum adsit cruditas, hæc coquenda, & maturanda est, nulla verò commodior existit via, quam per motum corporeum, ab hoc enim humores, inducto calore attenuantur, item per cibum minuentem, vt omnis cruditatis occasio aufugiatur. Ad primum igitur respiciens Hippocrates dixit, exerceri, ad secundum, non repleri, cum itaque repletio sit deuitanda, ne crudi succi gignantur, supponit

Hip-

Hipp. vt alimentum ad ſucci illius generationem idoneum debitetur, deindè inſtituto victu ad remouenda duo impedimenta, quę ſunt in toto corpore, plethoria inquã, atq; cacochimia Hipp. accedit, merito illius venam in poplite ſecat, ego verò in talo interno venam ſecarem; merito huius veratro, ideſt medicamento valido iuuenes, ideſt robuſtos purgat, noſtrum autem patientem ſpecieb. eleſcoph cum diaphenico, vel benedicta, & caſia, vel mel. roſ. ſol. à principio, vt tutius agamus, præaſſumpto bolo hieræ, aut etiam aqua Tettucciana cum eodem melle roſato exhibita purgarem, Tandem Hipp. deſcendens ad calculum, qui Nephritim facit, & animaduertens eũdem à toto genere præternaturam euacuandum eſſe, ipſumq; cum ſit in renibus alia ratione non poſſe euacuari, quam medicamentis vrinarijs, & diureticis, habet Vrinarijs mundare. Verum quoniam remanet adhuc impedimentum quoddã non totius, ſed Renũ, quod duplex eſt, materiæ craſſities, & viarum anguſtia, ideo ſubdit, merito illius attenuare, merito huius mollire, ſeu laxare neceſſe eſt; & per attenuare, credo etiam Hipp. intelligere lapidis contritionem, quæ fit pariter medicamentis attenuantibus, Pro laxandis igitur vijs huc referẽda ſunt balneum, ſeu inſeſſus ex oleo communi, aut ſeminum lini, vel ex decocto maluarum, parietariæ, altheæ, violariæ, braſſicæ, fœnugræci, meliloti, abrotani, anethi, petroſelini, liquiritiæ, ſem. lini, & huiuſmodi, adiectis pinguedinibus, vel ex aqua lanarum; In hunc vſum conducit oleum amygdalinum dulce recẽs cum portione amari, vel aquæ fœniculi, aut ſcolopendrij bibitum. Tandem verò, quæ materiam craſſam attenuant, & vias vrinæ mundant, Orinaria ab Hippocrate vocata ſimul vſurpanda; Ideo in hos vſus præter ſuperius propoſita, lacrymam theribinthi cum ſpeciebus electuarij Iuſtini, ſeu litontribonis, adiecto puluere aliquo, à proprietate agente, vti ſanguinis hircini præparati, & ſiccati, aut lapidis Iudaici, item & coagulum leporis ex ſucco limonis, & aqua ſcolopendrij epotum, ac denique oleum cydoniorum completum vocatum pariter ſumptum etiam, atque etiam laudo.

Quibus omnibus Dei auxilio fretus, ſpero futurum, vt egregius patiens poſſit tum præſeruari, tum curari, nam affectus eſt recens, ſymptomata nõ adeò grauia adnectuntur, patiens eſt ita prudens, & obſequens, vt nil, quod ad propriam ſalutem conducat, ſit commiſſurus: accedit quod & hucuſque ferè illa remedia, & hæc ipſa generoſa ſunt adhibita: Verum nonnihil difficultatis occurret, quando cauſæ morbificę, nempè viſcerum diſcraſiæ ſint ſatis progreſſæ, atq; patiens ob victũ conſtitutum, quem continuò ſeruat ab hoc malo facilè ſe præſeruare deberet, verum tamen ipſum incurrit.

PRO EGREGEO IVVENE LVEVENEREA SECVNDI GRADVS CVM gonorrhæa antiqua, doloribus iuncturarum, defluuio capillorum, acpuſtulis per vniuerſum corpus erumpentibus correpto.

CONSVLTATIO LXXXVII.

QVOD patiens propoſitus laboret Virulentia Gallica, præter concubitum habitum cum muliere ſuſpecta, ſuadent effectus illius, qui potiſſimum ad pudenda ſpectantnr. Cœterum quoniam virulentia hæc præterquamque in ſerie rerum præternaturam habet rationem cauſæ, eſt etiam veluti Pandora, ac vberrima mater, quæ morbos omnes in humano corpore gignere ſolet, non

est mirum, si in corpore iuuenis propositi tot obseruentur mala; Ad hæc quoniam istius virulentiæ tres gradus existunt, nam ipsa vel est incipiens, vel progressa, vel demum consumata, & absoluta: ac incipientis inditia sunt caries penis, gonorrhæa recens, & bulo, prægressæ verò sunt gonorrhæa antiqua, dolores iuncturarum, defluuium capillorum, pustulæ, ragades, verrucæ, faucium exulceratio: Consummatæ denique sunt gummata, & ossium corruptiones, puto patientem nostrum secundo gradu luis detineri, dolet etenim secundum articulos, pustulæ per vniuersum corpus erumpunt, capilli defluunt, & gonorrhæam patitur satis antiquam, prius namque abijt, ac postmodum redijt.

Reliquum modò est, vt generationem huius luis perendam, hac enim cognita, facilè etiam erit rationem reddere generationis omnium symptomatum, de quibus patiens conqueritur. Lues igitur hæc generatur & ab agenti causa, & à causa materiali, causa agens est extrinseca, nam venenum istud Gallicanum non spontè generatur in corpore, sed extrinsecus accedit, & extrinsecus accedit, vel dum homo adhuc est in vtero matris, vel cum iam in lucem est editus: In vtero quidem, quatenus semen Patris, aut Matris, est infectum, maximè verò, si vterque ipsorum gonorrhæa Gallica laboret, amplius vbi pro alimento suppeditatur sanguis infectus: Extra autem vterum concurrit concubitus, & quid à concubitu diuersum, concubitus quidem, quatenus per ipsum aperiuntur pori, & sic vapores à minera Gallicana eleuati facili negocio ingrediuntur: quid diuersum à concubitu est lactatio, deosculatio, dormitio in linteaminibus infectis, ac huiusmodi.

Causa autē materialis luis, seu seminariū illius est duplex, contentū inquā, & continens, contentū est tū alimentū, tū excrementum, & si excrementū, vel est ichor, & serum, vel est humor, lac, & semen: Continens est pars nostri corporis, tum sanguinea, tum spermatica, quælibet enim pars nostra in qualitatem veneream mutari potest.

Quibus ita constitutis in casu nostro, quantum ad causam agentem attinet, iam concubitum, coagente etiam contagio locum habuisse de se patet: quantum verò ad causam materialem, puto seminarium luis ichorem esse sanguineum, & biliosum simul, atque partes carnosas, & nerueas, vt constat occupare. Quòd etenim primum per concubitum hic morbus accesserit, ex eo conuincitur, quod post concubitum cum fœmina suspecta, superuenerunt symptomata iam scripta: quod pariter seminarium iam propositum hic locum habeat, apparet ex temperie patientis sanguinea cum subdominio bilis.

Vt ex his omnibus vnicuique iam perspectum sit, pro curatione huius mali ad Medicum attinere tum luem, tum symptomata luis debellare, ratione itaque luis oportet seminarium illius euacuare, veneficam qualitatem proprijs alexipharmacis corrigere, ratione verò symptomatum necesse est ortum capillorum promouere, pustulas detergere, atque siccare, dolores mitigare, callos emollire, gonorrhæamque demum finire, atque dissipare,

Quos scopos attingere, sicuti non erit impossibile, quoniam morbus non est habituatus, non erit attamen facilè, quoniam est progressus, ac ferè totum corpus est infectum; nihilominus quamprimum danda est opera, vt miser hic iuuenis, qui falsam nouit delectationem, auxilio Medici degustando iniucunditatem sanitati restituatur.

Deueniens ergo ad materias medicas dico, in fonte chirurgico primum occurrere materiam sanguinem euacuantem, idcirco & sectio venæ in cubito, & venarum ani cum hyrudinibus apertio mihi probantur, sicuti & pro euacuatione materiæ diuersæ à sanguine fonticuli tum in cruribus, tum in brachijs arrident; quinimmo his peractis si videbitur opportunum, pro pustulis illis corniculi dicti, toti corpori possent adhiberi cum scarificatione.

Pharmaca

Pharmaca vel respiciunt seminarium luis, vel qualitatem veneficam, vel symptomata. Priora sunt lenientia, præparantia, purgantia, & alterantia, Aluus ergo leniatur Casia, electuario lenitiuo, vel syrupo de polypodio, vel rosato solutiuis: humores præparentur cum decocto endiuiæ, cicorij, sonchi, hepaticæ, boraginis, fumariæ cum suis syrupis, demumque detur bentur pilulis aureis, uel de fumaria, uel infuso senæ, & Rhabarbaro, adiecta manna. A

Nec mirandum est, si proponantur medicamenta, quæ humorem respiciunt exustum; quoniam lues hæc aliquam semper adustionem adfert. In genere alterantium sunt thermæ frigidæ, serum caprinum depuratum, & exhibitum cum succo cicorij, necnon etiam perfusio hypochondrij dextri cum succo eodem, & aceto.

Alexipharmaca qualitatis ueneficæ, quæ etiam materiam impactam discutiunt, referuntur omnia in unum guaiaci decoctum, & sallæ, quod ut magis uigoretur, putarem ego maximè conducturum, si ante syrupum matutinum exhiberetur bolus ex extracto guaiaci, ac trociscis viperinis paratus, ea tamen ratione, ut castigaretur decoctum cicoreaceis, bolus uerò cum speciebus confectionis ex tribus sandalis, studendumque ut patiens inter decoctum sumendum sudet, atque etiam interuallis quibusdam purgetur syrupo de polypodio primis vicibus, deindè verò cum pilulis de Nitro Ac vbi malum non cederet hisce præsidij, primum experirer decoctum iam dictum, aucta dosi ligni supra consuetam, adiecto etiam modico vini odorati, deinde, vrgente necessitatem, deuenirem ad hydrargirium administratum sub forma inuctionis, quousque promouoretur sputum, eo tamen constituto, vt si patiens spatio septem dierum non expuat, nulla salus sit ex pectanda ab vsu huius medicamenti, post quod ego laudo, vt assumat conseruas capitales cum auro foliato. B

Medicamen ta autem Symptomatum varia sunt. Et pro defluuio capillorum primo post decocti vsum, ac repetitas purgationes laudo vnguentum factum ex laudano, vrina pueri distillata, fauo mellis, oleo spicæ odoratæ, & caryophilorum, necnon guaiaci, laudo & lixiuium factum cum ciuere guaiaci, & abrotani, in quo incoquantur tapsia, radices cannarum, absynthium, betonica, camomelum, capilli veneris, & rosæ. C

Pro pustulis oommendo ablutionem cum decocto iam dicto, adiecto alumine si fuerit opus.

Pro doloribos conuenit fomentum cum stupis cannabis in decocto guaiaci madefactis, cui decocto incoquere licebit camomelum, anethum, & fœnugræcum, conuenit pariter oleum guaiaci cum camomelino, & lumbricato.

Pro callis probatur fotus factus cum decocto guaiaci, altheæ, maluarum, & liquiritiæ, probator & ceratum diachilon gummatum adiecto oleo guaiaci.

Pro gonnorrhæa nil aliud erit agendum, quoniam vsu ipsius decocti solet auferri. D

Victus tempore purgationis sit moderatus, tempore autem decocti sit qualis consueuit à Medicis præscribi; Dum purgabitur igitur patiens domo exeat, caneat tamen ab iniurijs aeris, quantum potest, vescatur bonis cibis, carnibus, ouis, piscibus petrosis, & bibat vinum oligophorom, quod magis proderit, si pro toto anno paretur cum guaiaco, & salsa; Aluus seruetur mollis cum prunis, vel passulis preparatis, vel pilulis de aloe lota cum decocto guaiaci; corpus exerceatur moderatè, & si aliquando sudor excitabitur, siccetur, & detergatur prout decet; Somnus fiat moderatus, ac animi passiones molestæ fugiantur.

Tempore autem decocti morabitur patiens in aere conuclnso, idcircò non egredietur domo, mane comedet onc. iiij. panis, onc. ij. vel iij. Carnis assæ, In vespera eandē quantitatē verò panis comedet, & onc ij. passularū, itemq; duas amygdalarum. Aluus tunc temporis irritabitur clysteribus com. mane dormiat supra syrupum, in vespera

E verò vigilet, poterit tamen in vespera ab assumpto syrupo decumbere, & parum quiescere, Corpus ambulationibus, & frictionibus exercebitur, ac tandem hoc tempore potissimum, læto animo viuat, & Deus illi faueat.

PRO ILLVSTRISSIMA, AC NOBILISSIMA Alexandra Maluetia de Gypsis Bononiensi Tonsillis detenta.

F

CONSVLTATIO LXXXVIII.

GLANDVLAE iuxta linguuam ad finem oris, & initium faucium tumores præternaturam inter alia mala frequentissimè solent incurrere, sed cum hoc discrimine, vt interdum tumores ij inflammatorij sint tonsillæ, & à Græcis paristmiæ vocati interdum verò scirri naturam redoleant, à Paulo Aniades dicti, interdum denique Oedema ex Aetij sententia præseferunt, quorum omnium priores ad anginosos affectus reuocari posse non dubito, nam fauces attingunt, quarum angustia verè angina dicitur, quinimmò ibidem etiam angustiam aliquam pariunt aliquandò, vt propterea sint affectus à periculo non omnino liberi, quando locum, non tantum locutioni, sed & deglutioni, atque respirationi (à quibus humana G vita est inseparabilis) inseruientem occupent, quod periculum eo magis augetur, vbi vehementer atque frequenter ingruunt, accedit & id, quod tunc Aegri ex longa patiendi consuetudine ad veram Anginam disponuntur.

Quæ omnia cum (vt audio) illustrissimæ, & nobilissimę Adolescentulę acciderint, nam ei à pueritia mala hæc accesserunt, à quibus in dies magis, ac magis tentata est, & nunc pariter tentatur, vt facta etiam suppuratione ad incisionem deuenire necessũ fuerit, Illam ideò cum periculo laborare certo scio; spero tamen Dei auxilio primum deinde vsu remediorum, vt mala hæc imminuantur, & quantum fiere potest nobilissima fœmina præseruetur, quod facilè erit assequi, vbi parumper circa historiam illorum disgressus fuero.

Tumores itaque prædictos esse de genere inflammationum, vt calor, color, dolor atque febricula aliqua adiuncta suadent, omninò constitno, ea tamen ratione, vt natu H ram Oedematis redoleant, tales enim in fœminis fieri consueuerunt, & eò magis si capite, ac ventriculo pituitæ feracibus, fuerint, quæ omnia in illustrissima nostra patiente mihi videor, videre, quando copiose expuat, & sputi copia cerebri, ac ventriculi vitiati ex Galeno secundo proret. 12. mera soboles existat.

Cœterum tumorum horum generatio, sicuti & quorumlibet aliorum præter naturam à toto genere est à materia, copia, & qualitate peceante, ex Galeno ad initium lirbri de tum, præter naturam, materia autem hæc duplex est, sanguinea à prædominio, necnon pituioosa in sipida, quarum vtraque non generatur in glandulis, sed colligitur qua non per se, sed ab alio tractu, & pulsu, siue per Elxim, & oxym mouetur; Tractu quidẽ, prout pars recipiens, nempe glandulę medio calore, & dolore, attrahunt, calor autẽ ibi producitur à sanguine defluxo, ab igniculis, qui iugiter ab hepate eleuantur, ac ab erroribus externis, pręcipuè à gestatione rerũ ad ornatũ capitis attinentiũ, dolor verò tum ab intemperie calida, tum à soluta vnitate partium earuudem inducitur.

Sed

Sed & pulsu eadem materia mouetur à parte mittente, quà primum robusta; deinde à copia, & qualitate materiæ irritata, coagente etiam capitis excalefactione (prout subtilitat, ac habilem ad motum materiam morbificam reddit) ad glandulas expellit; Pars autem hæc est caput, quod supediat & sanguinem, & pituitam, sanguinem quidem, quem à toto recipit, pituitam verò quam ob intemptriem cerebri potissimum humidam, aberrante à scopo facultate coctrice, coadiuuantibus etiam ex iecore effumationibus à cerebri frigiditate densatis, & veluti in aquam commutatis gignit. Verum humores prædicos ad glandulas confluxos, non tantum qualitate prima, verum etiam & secunda putredine inquam lædere, præter suppurationem superioribus diebus atque etiam nunc factam, colligitur à Galeno libro de Tumoribus præter naturam capite secundo, & secundo de Crisi. A

Quare Medici studium in id est conuerrendum, vt quandocumque tumores prædicti præsentes erunt, materia in illis contenta euacuetur, amotis prius impedimentis, quæ sunt materia fluens, intemperies, ac dolor partis recipientis, materia ergo fluens retrahenda, & prouidendū, ne de nouo fluat, quod vtiq; fiet, si caput præcipuè ad siccū alterabitur, sanguis à capite retrahetur, iecurq; refrigerabitur, intemperies autē refrigerantibus, & dolor mitigantibus poterunt auferri, quos impedimentorum scopos ad præcanendum nobilissimam mulierem ab hoc morbo pariter conducere non hæsito. B

Quare ad materias præsidiorum descendens sectionem venæ basilicæ dexteæ bis in anno vere inquam, & Autumno factam ad pręseruationem commendo, sicuti & malo reuiuiscente, primum sanguinis missionem ex vena mediana, aut cephalica, deinde ex venis sub lingua, & ex occipite per cucurbitulam scarificatam non damno, (venas infernas non propono, quando exactè, & de more mensales purgationes fieri certò sciam) quibus non conferentibus, nec à vesicantibus capiti adhibitis, neque à cauterijs primum in ceruice, deinde inbrachio sinistro, ac fæmore dextro excitatis adhoreo; sed ad curationem, atque præseruationem iuges, frictiones, ligationes, lauationes ex calida, & ventosationes inanes mihi maximè arrident. C

Pharmaca sunt euacuantia, & alterantia, ac aut nunc tempore Hyemali, aut post hac Verno, & Aestiuo temporibus vsurpanda, si nunc, postquam toti iam est consultum, atque prospectum, laudo, vt ipsum euacuetur insensibiliter decocto chinæ, vel satsæ cum guaiaco, adiectis cicorèaceis, vel sandalis, & betonica, quo tempore purgatio per aluum secundum interualla catapotijs de agarico Mes. vel de tribus cum Rhabarbaro, per nares verò iugiter cum herrinis ex succo anagallidis, vel hæderę terrestrs vel radicum cyclaminis, adiecto decocto hordei, sampsuci, & betæ paratis est facienda. Mox de euacuantibus caput pariter insensibiliter est cogitandum, quocirca quem admodum Theriaca mediæ ætatis cum saccharo rosaceo ac tautillo nardi, aut saccharum rosaceum, & anthosatum cum bolo Armena hora somni deuorata, item & ceratum capitale, aut quod ex cinere cochlearum cum testa vstarum, puluere thuris cum aceto prius exceptis syncipiti applicitum, & lotio facta toti capiti cum lixiuio cineris sarmentorum, & decoctionis rosarum myrti, foliorum oliuæ, salicum, verbenæ, betonicæ, anethi, & camomeli, adhibito vel vitello oui asso, vel agarico vel saponis mihi valdè probantur. Et si nunc subsit in glandulis aliqua materia, gurgarismis absumatur, docente Dioscoride, ex succo Helcinæ, vel verticæ, ego præ cæteris in hunc vsum laudo illum, qui ex decocto virgæ aureæ, vel origani in aqua thermali Brandulæ facto paratur; Illitus quoq; ex calcythide, vel secundū Dioscoridem ex squama æris cum melle, haud est improbandus, extra emplastrū ex nido hyrundinū, vel cinere earundē, althea cocta, puluere origani, pulpa cassię, melle, & oleo anethino exceptis est opportunum; A quibus roborandę glandulę gargarismo ex succo totius pomi granati accidi, vel medij saporis aut ex Rob nucū, vel diamorrone, cū aqua Villensi, aut Brandulensi. D

Sed ad præseruationem nil præstantius aliqua lęui purgatione repetita, facta vel infuso myrobolanorum citrinorum, & chebulorum in sero, & modico vini subdulcis, vel cydoniato facto cum puluere radicis mechiocani.

Pharmaca interim, quæ subsequentibus tempestatibus vsurpanda, erunt pariter euacuantia, & alterantia, in vtraque igitur serie eo tempore pro totius prouidentia à Medico curanti poterunt seligi, quæ sibi opportuna videbuntur, post quæ in alterationem capitis incumbendum, & iecoris. Capitis, embroca artificiali, vel naturali, qualis est illa tum in agro Lucensi de corsena, tum Senensi apud Sanctum Cassianum, S. Philippo vocata: Iecoris, thermis Lucensibus, vel Porrectaneis veteribus, vel ficoncellensibus bibitis, item balneo aquæ dulcis.

Tandemque si nobilissima patiens sui voti compos fieri exoptat, vitam peculiarem degat, ideò omnes, aeris inclemẽtias præcipuè calidioris euitet, abstineat à cibis crassis, calidis, vaporosis, ac vtatur cibis facilis coctionis, refrigerantibus quoquo pacto, atq; siccantibus, à vino etiam si posset, abstinere deberet, sin minus vinum bibat subrubrum, subausterum, oligoforon cũ china, ac tantillo guaiaci, sandalisque factitium, vel aqua cocta cum simplici china dilutum, qua aqua, passulis adiectis, ad longum tempus loco vini vti possel: At post mensam pomis, & pyris stipticis coctis, aut saccharo conditis, vel saccharo rosato, vel cydoniato vtatur, in reliquis ab omni caueat excessu: quibus omnibus faxit Deus, vt in pristinam sanitatem nobilissima fœmina restituta ad longum tempus præseruetur.

PRO PERILLVSTRI, ET EXCELLENTISSIMO IVR. Vtri. Per. Mediolanensi Melancholia flatulenta, alui stipticitate, venarum podicis hæmorargia, cum earundem procidentia, gonagra demum, atque podagra detento.

CONSVLTATIO LXXIX.

PERILLVSTRIS, ac Excellentissimus Vir, primum melancholia flatulenta correptus, quam tumor, & mestitia cum rugitu imi ventris, flatuum superna, ac inferna eruptione, vomitu crudiori, & accido, atque iecoris incendio ex manuum, pedumque vola, & planta æstuantibus cognito, demonstrant, in alui stipticitatem, venarum podicis hæmorargiam cum earundem procidentia (etiam si non egerat, sed parum violentius ambulet, spiritumque cohibeat) proximè verò in Gonagram, & podagram incidit.

Verum quoniam melancholia est tum incipiens, tum consummata, consummatam interim esse, ex eiusdem diuturnitate (nam hac vir Excellentissimus à multis annis affligitur) palpitatione cordis, lipothimiæ inchoatione, necnon varijs remedijs citra fructum aliquem adhibitis, facilè est inlelligere. In qua malorum (vt ita dicam) Iliade diligentius quo fieri potest principia generationum eorundem mecum ipse considerans, plura mala vel ab vno fonte communi, vel cœtera ab vno ex illis pendere, vel sibi inuicem causas esse non ignorans, statui hæc omnia ab vna caloris natiui iactura, & paupertate ortum duxisse: Cum etenim calor ex Aristotele ad initium secundi libri de Anima, sit cuiuslibet coctionis, quæ in corpore celebratur, instrumentum, ergo, calore lacessito coctiones etiam vitiari necesse erit, ex quo postmodum mala iam proposita

posita suboriantur oportet, quæ sese vicissim fouere quoq; existimo, quod manifestum A
reddetur, si prius id aperuero, quod sicuti caloris hæc ruina vnicuique discurrenti
per coctiones, ex flatuum copia, vomitu crudiori, sanguine veluti ichoroso à venis ani
prodeunt (vitiatæ sanguificationis partu) atque destillatione à capite liquet, ita illam
ortum habuisse ab erroribus externis constat, quando sciam virum Excellentissimum
excarnem, ac habitu melancholico, & ob id à primo saltem sui exordio calido, & sic-
co prædítum, antea à Dysenteria immuniter, nunc verò à fluore cruento venarum he-
morrhoidalium tentatum, indecenti viuendi ratione, ac medicamentis cum calefacien
tibus, tum valde siccantibus, vti decocto guaiaci, ac thermis sulphureis, aluminosisq;
vsum fuisse, quæ omnia quantum humidum, quo sustentatur calor, absumere possint,
cognouerunt omnes, cui etiam & morbus syphilis prægressus tanquam deleterius ca
loris natiui fabricæ addendus.

Quibus hunc in modum se habentibus, cum calor natiuus valde imminutus sit in B
causa, qua iuges cruditates gignantur, non est mirum, si quæ in ventriculo genitæ, à
calore iecoris attractæ, & per venas chili propagatæ obstructiones insignes ibidem
pariant, à quibus iecur magis, ac magis incensum, & os infernũ ventriculi phlogosim
quandam, seu accensionem nactum exustionem efficiunt, à qua fumi, & vapores in ca
put elati tum timorem, ac mestitiam, peruertendo spiritus animales, tum à cerebri fri-
giditate densati destillationem prius à calore capitis imminuto excitatam fouent, &
augent; ijdem verò vapores in corde recepti, per vasaque illius discurrẽtes, vt exitum
sibi parent, illud motu inordinato mouent, ac palpitationem efficiunt, at eadem vasa
replendo aggregationem spirituum in corde promouent, lipothimiæque rudimẽtum
inferunt; Cæterum & par est chilum valdè crudum ob rationem dictam iecori suppe-
ditari, ex quo idem iecur sanguinem paulò serosiorem gignere fas est, qui ad venas po
dicis perueniens eas replendo, atque laxando, vt sanguinem perfundant, vt concidant C
necessarium existit: sanguis autem non ater, non retorridus, non crassus, sed tenuis ac
serosus exit, qualis in iecore gignitur, ex quo nulla subsequitur noxa (quod tamen vix
credo) quia ad eam copiam non exit, quæ vires ferire possit. Alui quoque stipticita-
tem in succos crudos acrimoniam bilis expultricem intestinorum stimulantis placan-
tes refero, tametsi putem id etiam contingere, quia eadem intestinorum facultas calo-
re natiuo secundum debitam mensuram destituta, frustretur in proprio opere, verum
& cruditates in cerebro genitas sua quoque mala efficere pro certo habendum, hæ si
quidem ad articulos genuum, ac pedum transmissæ ligamenta imbuunt, ac magnitudi
nem eorum adaugent, vt partes adiacentes sensitrices necessariò præmantur, solutio-
nemq; continui, ac proinde dolorem patiantur. Quid autem causæ sit, quod in omnib.
melancholicis timor, atque mæstitia in hypochondriacis, strepitus secundũ abdomen
exaudiatur, non est difficile assignare, nam timor accedit, quoniam anima rationalis ob D
phantasma tenebricosum à spiritibus tenebricosis ob præsentiam materiæ melancho
licæ phantasiæ oblatum, imaginatur sibi aliquod malum futurum corruptiuum, è quo
timor insurgit, occasione postea timoris tristatur, nam tristitia timorem, veluti effectus
propriam causam subsequitur, strepitus verò, quem Aurelianus, Idatisron vocat,
quasi aquam murmurantem æmuletur fit, quoniam cibi magna ex parte in chilum fe-
rè incoctum, & aliquo modo dilutum mutantur, qui cum non liberè ad iecur deman-
dentur, sed retineantur ex Galeno 3. loc aff. 7. flatibus qui plurimum redundant per-
miscetur, vnde agitatione suborta, percussionem ad loca, in quibus continetur, & pro-
inde sonum fragorem aquæ in vase nõ pleno agitatæ referentem edit (ad quem & ipsi
flatus per intestina discurrentes non parum conducunt) non ergo, quia transfundatur
in cauitatem omenti, vt aliqui voluerunt, quoniam præter id quod non apparet via,
per quam chilus aquosus possit in omentum transfundi, dato etiam quod transfunde-

E retur, pars hæc propter sui raritatem eum non contineret, & prinde nec sonns fieret.

Vtcumque tamen, in id maximè incumbendum, vt calor natiuus ventriculo, ac alijs visceribus, totique ipsi restituatur, amotis prius impedimentis ad totum, & partes pariter, sanguinemque attinentibus, quare totum, & partes ratione excrementorum pituitosorum, & melancholicorum inanienda, obstructiones, relaxationes, ac intemperies partium attenuantibus, detergentibus, adstringentibus, & alterantibus amouendæ; sanguis verò crudus concoquentibus corrigendus.

Quæ opera absolui non posse pro certo habeo, tum quia mala ferè omnia in habitu, ac veluti hectica, non tantum partes determinatas, sed etiam totum apprehendunt, tum quia patiens Excellentissimus sub hisce malis minimè resistit, vt ex insigni virium languore facile est intelligere; Quoniam tamen est maximè remediorum auidus, ac ætatem adminiculantem, triginta scilicet annorum cum prudentia, & obsequentia F iunctam habet, spem aliquam præseruationis, ac præsentium malorum imminutionis cum aliqua tamen difficultate ob contrarietatem agendorum mihi videor videre.

Quare ex animo ad instrumenta, quibus opera prædicta sunt perficienda est deueniendum.

De chirurgico igitur statuo in præsenti sub tanto virium languore venæ sectionem non posse cõuenire, verum si fluor ille cruentus à venis hæmorrhoidalibus vrgeret, ab vsu hyrudinum venis narium applicitarum non abhorrerem, quo in casu viribus permittentibus, venæ sectionem in cubito non improbarem, at frictiones leues, deligaturæ, lauationes, & ventosationes absque scarificatu partium supernarum, immo, postulante vsu, pro cordis affectu cucurbitula cum multa flamma subtus cor, ante, & post, tandem verò è regione cordi ipsi adhibita post euacuationes necessarias opportunæ videbuntur; Fonticulus quoque, qui in sinistro brachio gestatur, maximè arridet, ideò G conseruãdus, & si aluus in parte interna femoris dextri excitaretur maximi esset vsus dummodò tamen fluxus hæmorrhoidalis ea incrementa non susceperit, vt fonticuli solum in partibus supernis & non infernis videantur ex vsu.

Pharmaca, quæ hoc tempore conuenire videntur sunt & euacuantia, & alterantia, euacuantia, si sensibiliter agant mitia sint, & quæ ventriculi humidum essentiale non absumant, quocirca pharmacum ex melle rosato sol. & syrupo de polypodio cum decocto cartami, & polypodij in iure columbi parato probatur, myrobolanos nõ propono, qui ventriculi humidum exprimendo (vt 9. Met. cap. de intemperie sicca ventriculi, de vino austero Galenus docebat) dissipant, atque consumunt; huc referenda sũt aliqua, quæ aluum alioquin adstrictam liquant, in quorum serie duo mihi probantur, primum est vsus sacchari rosati, quod ex summitatibus rosarum, ex quibus infusio solutiua paratur manna conditis conficitur, alterum est vmbilicale factum ex helleboro H albo, colocynthide, elaterio, unguento Artanitæ cum felle tauri exceptis. Et si caput aliqua peculiari euacuatione opus habebit, herrinis, ac masticatorijs placidioribus vtendum, vti sunt, quæ ex aqua sampsuci cum melle ros. col, & mastiche simplici fiunt.

Verum euacuantia insensibiliter tũ cõia, tum propria ex vsu esse poterunt, Cõia ita agant oportet, vt humiditates excrementitias tantum absumãt, quare China cũ tantillo sassafras in vẽtre pulli, vel columbi domestici, adiectis betonica, agrimonio, cicorio, boragine, præcipuè verò mastiche, & nuce myristica, decocta, omnibus præferenda.

Priuata vapores cordis discutiant, necesse est; Ideò præter theriacam mediæ ętatis, Serenam ab Andromaco dictam, quam omnibus antepono, & cõfectione Alchermes tum assumpta, tum vino Cretico cum modico Croci prius liquata, ac tandem regioni cordis illita maximo cum successu vti soleo, sicuti & medicamento, quod ex conseruis boraginis, buglossi, & accidi citri, cum speciebus cordialibus pro cibo, & Diamusci dulcis, adiecto puluere cordis lupi conficitur.

Ad

Ad priuata euacuantia insensibiliter reuoco, quæ materiam circa articulos imbutam discutiunt, ac inter alia oleum cum herba Nicosiana per insolationem medicatum ac quod ex sale chymicè paratur, mihi probatur, prius tamen doloribus in sequientibus oleum ex floribus tabacci pariter paratum conuenit. A

Sed iam de alterantibus cogitandum, quæ respiciunt vel materiam, vel morbos partium; Si materiã, vel succos diuersos à sanguine, & sunt præparãtia, vel sanguinẽ ipsũ prout fluentem, & sunt adstringentia. Priora igitur fiant ex cicoraceis, agrimonio, menta, betonica, seminib. citri, boragine melissa coctis ex iure pulli in aqua calybeata ebulliti, & adiectis syrupo de cicorea, de menta, de corticibus citri, atque de betonica.

In genere adstringentium meo iudicio seligenda, quæ modestè, & citra insignẽ frigiditatem id agant, atque tunc vsurpanda, vbi à sanguinis fluore vires labem aliquam contraherent, alias verò non (quando certo sciam ex Hippocrate fluxum huiusmodi non esse omninò in cacochimis cohibendum) probo igitur mastichen in granis deglutitam, aut pulueratam ex ouo sorbili, vel vino nigro subaustero datam; Et si fortiorib. erit opus, ad Tripheram minorem ex arte Phœnonis, & ad pilulas de Bdelio confugiendum; Ventriculoque roborato magis, & confirmato ad oleum ferri chymicè paratum, tandemq; ad theriacam non antiquam, in qua plurimum confido. Cœterum & insessus ex aquis medicatis ferreis, atq; aluminosis, vel ex aceto acerrimo decoctionis scoriæ ferri pręparatę, rursus inectiones ex ijsdem aquis, & succo sanguinariæ, vel poligonij, vel plantaginis cum puluere trociscorum de terra sigillata, necnon Cataplasma ex pomo granato immaturo, vsque ad disruptionem ex oleo ros. omphacino in sartagine cocto, & puluere sanguinis Draconis in lacrymis adiecto vsurpari poterunt. B

Medicamenta, quæ morbos respiciunt, vel obstructiones hypochondriorum, vel intemperies viscerum, vel procedentiam hæmorrhoidum corrigunt, gratia itaq; obstructionum mihi probatur calybs præparatus cum saccharo rosato, ac tantillo pulueris cariophyli, ac mastiches per plures dies assumptus, huc pertinent trocisci de absynthio, de rosis, atque oxymel, quod longum dicunt, paratum ex decocto absynthij, agrimonij, capillorum ven. Scolopendriæ, cuscutæ, radicum filicis maris, & mastiche, cornuque Cerui Vsto aromatizatum; in hunc vsum quoque parabitur oleum prius infusionis ligni sassafras, deinde adiecto vino Cretico decoctionis eiusdem ligni in duplici vase ad consumptionem vini, quo totum abdomen illinire præstabit. C

Ad tollendas intemperies, & primum capitis, sufficie hora somni deuorare Mithridaticam confectionem cum saccharo rosato, atque quibusdam interuallis constitutis abluere caput cum lixiuio decoctionis foliorum oliuæ, saluiæ, stecadis, salicum, verbenæ, absynthij, rosarum rub. balaust. & gallarum. Atque sapo vsurpetur medicatus cum cariophylis, ligno aloes, & sandalis, huc etiam pertinent lotiones siccæ ex furfuribus, & floribus camomeli. D

Pro corde nil aliud habeo, quod proponam, sufficiant ergo ea, quæ ad vapores discutiendos proposita fuere.

Pro iecore valet succus cicorij. & hepaticæ, non solum cum pulerib. confectionis ex tribus sandalis, & aceto mixtus, extra adhibitus, sed etiam ex iure galli bibitus; lac quoq; humanum, uel asininum cum saccharo, & puluere aromatici rosati castigatũ, reseratis obstructionib. maximè proderit; etsi fluor hæmorrhoidalis nimis vigebit, ipsũ calybeare, ac bolum Armenam prædictis pulueribus immiscere expediet: Balneum aquæ dulcis in hunc vsũ esset efficacissimũ, ũsed multa occurrunt impedimẽta, vt vnicuique patet, quæ si aliquando amouebuntur (quod D.O.M. concedat) valde accommodatum erit; pro ventriculo nucem myristicam conditam, & stillicidium quamprimum etiam adhibitum laudo, stillicidium autem paretur ex oleo amygdalino dulci in quo cum modico vini Cretici coquantur in duplici vase mastiche, myrrha, bezoinum,

nux

F nux muscata menta, absynthium, rosæ, & huiusmodi, quæ non valde siccent; hoc loco etiam lanam Tyriam Galeni super ventriculo gestatam summis laudibus extollo.

Tandem instrumentum dieteticum accommodatū seligendum, quod erit si patiens Excellentissimus caueat ab omnibus aeris in primis qualitatibus excessibus, si vescatur bonis, & laudatis cibis; Et ad maciem insolidam castigandam, lac humanum præcipuè, deinde caprile, item & confectionem ex carne caponis, & Phasiani fisticis, nuce Indica. ac modico cinnamomi cum saccharo dissoluto in iure caponis consumpto, & modico vini Cretici factam laudo. Vinum bibat tenue, fuluum, odoratum, cum mastiche, vel china, & radicibus buglossi, ac boraginis medicatum; Corpus ambulationibus leuibus, aut saltem frictionibus ieiuno ventriculo adhibitis exerceatur; Aluus verò vel cum pane ex tota farina, cum sale, anisis, & passulis confecto, in prima mensa deuorato, vel cum sale tartari albi, aut Mercurialis ex ouo sorbili dato irritetur; dor-E miat capite parum elatiori, & potissimum in latus sinistrum, cruribus retractis, postremoque ab omnibus animi accidentibus molestis caueat, ac Deum sibi fauentem precetur, quemadmodum ego precor.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO EQVITE Regiensi Alexandro Malagutio Hydrope Tympanite detento.

G CONSVLTATIO XC.

TORMINA ad vmbilicum ex Hippocrate quarto Aphor. 11. quæ non superantur, nec medicamentis cedunt, solent esse præludium hydropis siccæ, à quibus cum ante duos annos iterum, atque iterum solicitatus fuerit perillustris Eques, mirum non est, si vitium illud incurrerit, quod Abdominis, tibiarum, pedumque tumor, flatuum copia, sonitus cum tensione ventris, ac difficilis anhelitus docent; Verum hydropem hanc siccam esse notham, ex eo non obscurè conuincitur, quod flatibus immixtus est succus aquosus, quem sonitus ille obscurus, fluctuatio quoque aliqua, & aquosa excretio attestantur; quinimmò est vitium confirmatum, ac in habitu existere, inappetentia insignis, sitis, impotentia ad motum, color totius corporis valde fædus, vrina sanguinea, & genitalium tumefactio suadent: Nec H obstat, quod nunc tumefactio illa delituerit, ac tussis absit, quoniam illud contingit ob euacuationes præcedentes, hoc verò, quia adhuc in pulmonibus materia non est recepta, nam morbi latitudinem quandam habent, vt non sit necesse semper omnia illa reperiri, quæ illos exactè demonstrant, hinc hydrops hæc, est quidem in habitu, non tamen omni ex parte, quatenus inquam tussis hucusque non superuenit. Malum itaq; de quo agitur est tumor, & ob id morbus in magnitudine, vt habet Galenus libro de Tumoribus pręter naturam, ad finem, & quamquā ipsum libro de Differeutijs Sympt. 4. Symptomata vocauerit, alicui mirum videri non debet: tumor namque ex libro de Differentijs Morb. 12. si ad insignem magnitudinem peruenerit vt lædat actiones, Morbus dici debet, sicut in casu proposito, lædit.n. (vt ex dictis constat) plures actiones, potissimum autem intestinorum compressionem, quæ fit à musculis abdominis pro fæcum expultione; quod si idem tumor non vitiaret actionem, iam Symptoma esset facultatis sanguificatricis.

Causa

Causa huius mali petenda tum ex parte agentis, tum ex parte passi; Ex parte agentis duplex existit, proxima & remota, pxima est materia flatulēta cū aquosa permixta in cauitatē abdominis, tāquā in locū iecori, ac ventriculo proximiorē, capacioremq; citra dolorem, ac egri molestiam recepta; Remota est intemperies frigida iecoris & ventriculi, nulla enim hydrops ex Galeno secundo Progn. primo fit citra iecoris refrigerationem ob quam sanguinem flatulentum, ac aquosum gignit, cui & ventriculi intemperieris fauet, qua facultas eiusdem concoctrix calore proprio, atque natiuo ex parte orbata, à scopo aberrat, iecorique chilum aquosum, ac flatulentum suppediat, quamquam etiam & flatus per poros membranarum ventriculi expirare, & in cauitatem abdominis recipi possint. A

Vndenam autem horum viscerum intemperantiæ ortum duxerint, præter errores in victu, ac animi passiones refrigerantes, puto ego à caloris natiui diminutione ipsas ortum duxisse; Nam in ventriculo primum fuit imminutus calor natiuus ob resolutionem factam in spiritibus occasione cuiusdam venarum podicis hæmorargiæ, quam antea nobilissimus patiens passus fuit; deinde verò in iecore, non solum primo per resolutionem, sed etiam per suffocationem, suppresso scilicet ex toto illo sanguinis fluore, sic enim cacochimia vitiosa retenta sui copia, & qualitate venas iecoris obstruens, caloris extranei, ac præter naturam causa fuit, qui vti magnus ignis in calorem naturalem moderatum agens, tamquam in paruum ignem, eundem depauperauit primum, non autem suffocauit, quoniam copia haud excessit, cum illius portio ad cutim transmissa lichenes, quibus vir perillustris fuit afflictatus, pepererit, quæ postmodum non amplius illuc demissa, sed in hepate retenta, suffocando, calorem natiuum corrupit, atque sic hydropi, prout Hippocrates, & Galenus 6. Aph. 12. indicabant, dedit occasionem, à quo Symptomata iam proposita, veluti ab vno fonte plures riuuli scaturiunt; inappetentia quidem ob humiditatem excrementitiam os ventriculi supernum irrorantem, sitis ob fumos calidos in eandem partem superius eleuatos ab aquoso succo putrescente vel ob moram in cauitate abdominis, tanquam in loco non naturali, & insolito, vel ob iecoris calorem extraneum ab obstructionibus in eodem exortis suscitatum; vrina quoque rubra ex eo pendet, quoniam putredine, & imbecilitate segregatricis iecoris vrina inficitur, ea etiam ratione impotentia ad motum patiens noster detinetur, qua spirituum deficit necessaria irradiatio, quia spiritus ipsi deficiunt, tandem fit scroti tumor, ob aquam illam abdominis descendentem: Cœterum quod ad huius hydropis ortum facit, fuit dispositio passi hæreditaria, nam patientis huius consanguinei hoc Morbo detenti periere. B C

Si ergo medicatio esset instituenda ratione tumoris, flatus per insensibiles meatus & materiam aquosam fluxam per aluum, atque per eosdem pariter poros euacuare, fluentem verò per vrinas, & aluum deriuare, ac per sudorem reuellere opporteret: At ratione causæ remotæ iecur, & ventriculum deobstruere, & calefacere opus esset, ratione verò virtutis proportionem horum viscerum hepaticis, ac stomaticis conseruare, & caloris natiui ruinam, imminutionemque reparare, ac resarcire. D

Quam medicationem ad fœlicem exitum perducere non licet, quoniam vitium tractatur heræditarium, in habitu, & cum maximo recessu à statu naturæ, vexat etenim corpus à primo semine biliosum, causæ etiam morbificæ necessariò ad agendum efficaces existunt, nam plura Symptomata patientem affligunt, totumque corpus malè habet, ac virium robur sub hisce malis penè succumbit, quod non tantum ex ætate quinquaginta sex annorum, sed etiam ex virtutis regitiuæ non obscuro languore facilè est intelligere; Verum tametsi medicationi locus non detur, quoniam tamen (vt Soranus tradebat) haud humanum est in extrema quoque desperatione languentes penitus deserere, ideò patienti nostro medicina non deneganda, si non curationis, saltem

præser-

E præseruationis gratia, quod eo magis faciemdum esse puto, non solum quia malum hoc omnem sui gradum non attingit (vt ex tussis absentia, ac scroti tumore interpolato indicatur) verum etiam quoniam patiens remediorum auidus, se totum Medico obsequentem præstat, quibus omnibus rationibus impulsus materias medicas in medium proponere cogor.

Et primum chirurgicas, quas ad euacuatorias tum immanifestè, tum manifestè redigo, Illæ sunt cucurbitulę cum plurima flamma ex Rase, ventri ad flatus dissipandos applicitæ; hæ verò sunt vesicatoria ibidem adhibita, & diu cerato sacro aperta asseruata; huc referantur cauteria circa vmbilicum tantum, non autem femoribus (quoniam tument) excitata, item & scroti punctiones ex Aetio cum acubus, vel, quod magis probo, setaceum eidem scroto affixum, cum iam ad ipsum natura cœperit transmittere, & commodè admodum aqua per partem illam expurgetur, quoniam peritoF neum, quod est sicuti sacculus flatus, & aquæ hypochondriorum illuc descendit, perforationem vmbilicalem in præsenti reijcio, non solum qnia senilis ætas reclamat, verum etiam quia mortem accelerat, quod siue contingat, quoniam cum aqua simul spiritus innatus absumatur, vel quoniam ingreditur aer frigidus, qui vices aquę supplet, & calori natiuo iam valdè imminuto aduersarius eundem extinguit, non est vt interim petractetur, sat enim est experientia nouisse hoc remedij genus interimere, quare loco eius punctiones in scroto ab Aetio propositas, item & crurium scarificationes substituerem; Atquæ vt hæ diu ichorem emittant patientem Lectica circumferre opportet.

Medicamenta respiciunt causam & proximam, & remotam, si proximam, occurrunt euacuantia sensibiliter, ac insensibiliter, In priorum ordine sunt, quæ aluum citant singulis quinque diebus data, vti quod ex succo radicis ireos aucta dosi cum G melle solutiuo vel confectione de Alcachengi, vel pilulis de Opoponaco, de elaterio vel ipsomet elaterio cum pilulis alephanginis dato paratur; quinimmò & clysteribus paratis ex elaterio, oleo laurino, decocto radicum ebuli, centaurij min. artemisiæ, fœniculorum, anisorum, & soldanellæ, mellæ rosato solutiuo, pilulis fœtidis, vel aliqua ex hyeris magnis, ac nitro alternis diebus vterer, vmbilicalia etiam ex elaterio, scammonio, squam aæris, succo tithimalli, helleboro albo, nitro, & vnguento de artanita cum felle taurino exceptis continuò admouerem.

Insensibiliter autem euacuant assumpta, iniecta, & admota; Inter assumpta oleum calcanti, vel sulphuris ad guttas aliquot ex vino odoro, vel iure columbi datum, atq; vtraque antidotus magna mihi vehementer arrident, sicuti & ad flatuum discussionē præcipuè aqua stillatitia cinnamomi, & oleum ex anisis, fœniculis, aut rad. anthoræ destillatum laudatur; In hunc etiam vsum clysteres inijciuntur ex decocto rutæ, & H seminū Dauci, carui, cumini, baccarūq; lauri in aliqua therma calida facto ex electuario de baccis lauri, oleo rutaceo, hyera Diacolocynthidos, & melle despumato parati.

Exterius pro abdomine primum fotus ex decocto artemisiæ; Diptami Cretici, ac seminum flatus dissipantium cum sulphure, nitro, & alumine in vino, & lixiuio composito, & per spongias applicito. Secundò, illitio facta cum oleo, in quo radix brioniæ in talleolos discisa fuerit frixa, in quo etiam oleo parantur placentæ ex ouis ad comedendum. Tertiò, Cataplasma ex radicibus cucumeris agrestis, & ficubus in vino decoctis, adiectis elaterio, staphide agria, hysopo, felle thauri, cymino, ac sale, vel illud quod nono local. 3. ex Asclepiade ipoterium malagma dictum habetur, vel luta sulphurea, salsa, nitrosaque. Quarto, Ceratum Diapirites conuenit, vel quod.

℞. Cerati barbari }
phœnicini } *an. onc. ij.*

nitri

A

nitri
sulphuris vini } *an. onc. i.*
seminum dauci
ameos } *an. drag. ij.*
Terebintinæ
olei laurini } *an. onc. ſ.*
baccarum lauri
iuniperi } *an. drag. iij.*

cum cera & pice fiat ceratum molle

B

Ad tumorem verò crurum, & pedum, tum lotio ex thermis calidis, in quibus calx ſit extincta, tum oleum ſalitum atque fotus ex ipſomet ſale ſiccato, & furfuribus calefactis probantur.

Medicamenta verò, ſi cauſam remotam reſpiciunt diriguntur vel ad materiam antecedentem, vel ad viſcera, priora per varias regiones euacuant, primò per vomitum, dummodo materia ventriculo inſit, ac primis ductibus, patienſque ad emouendum ſit facilis, inter cœtera autem vomitoria probo quod ex decocto florum geniſtę, ac oxym. ſimplici conficitur, Verum enim verò hæc eadem materia percommodè hydragogis mitioribus euacuari poteſt, ac propterea ſuccum medianæ, ſambuci, mechoacanique ſeligo.

At ſi materia ſit in gibba iecoris parte, ac venis ſuperioribus, vrinas eſſe mouendas arbitror vino infuſionis Dauci Cretici cum Nardo, & Cinamomo, vel ſale ex Sabina chymico ex decocto baccarum iuniperi propinato, vel ſyrupo de artemiſia, aut de rubea tinctorum, vel diacurcuma.

C

Quòd ſi eadem materia in ambitu corporis contineatur, ſudorificis omninò eſt educenda, ideò puluere cardui benedicti ex vino, vel ſyrupo Sancti Ambroſij vocato, cum decocto cardui benedicti, vel Diureticis exhibitis, vel balneis ſiccis, præcipuè verò inſtrumento ligneo in lue venerea ad ſudores excitandos efformato erit excitandus ſudor.

Tandem de alterantibus viſcera ſermo eſt habendus, in quorum claſſe ab electuario ciphoides, ab ipſo dialaca, ac trociſcis de abſynthio, adiecto hepate lupino haud recedendum Theriaca etiam in hunc finem mihi non parum arridet, neque propter ætatem ſenilem ſuſpectam eſſe cenſeo, quoniam Gale. 6. de Sanitate tuenda capite quinto, theriacam ſenibus non incommodè dari, & in calce libri de theriaca ad Piſonem vitam prorogare ſcripſit.

D

Vtcumque tamen rationis victus maxima eſt habenda ratio, ideo verſetur patiens in aere calido, & ſicco, cuius cauſa licebit & ſolum mutare, vel nauigatione ex Galeno, vel itinere pedeſtri; Cibus quantitate ſit mediocris, qualitate calidus, & ſiccus, extenuans vel propria natura, vel præparatione, & admixtione pulueris aromatum, & ſeminum odoratorum, qua de cauſa parum admodum panis comedendum, quando nonnihil viſciditatis retineat, vt propterea panem biſcoctum magis probem, ſicuti & cœnam prandio quoquo pacto vberiorem non improbo; humida quoque, & liquida quæcumque vitanda cenſeo, potus exiſtat vini Fului, ac tenuis, & quam minimum bibat vir perilluſtris, illudque ſemper ob oculos habeat, quòd plures hydropici, qui ab omni potu abſtinuerunt, liberi tandem ab hydrope euaſerunt, vinum autem factitium (vti eſſet anthoſatum, ſaluiatum, ac enulatum) ſeligere oporteret. Plus

vigilare,

E vigilare, quam dormire expediet, sicuti corpus exercere (si liceret) ambulationibus, gestationibus, vel per currum, vel per triremem, aut cymbam; Quòd si somnus interdum fiat in stratis, in quibus substernantur herbæ calefacientes, vti saluia, Anthos, amaracus, serpillum, calaminta, Hysopus, & Diptamus Creticus, plurimum conferret; Aluus proritetur, si necesse erit, vet conserua ex summitatibus rosarum communium domesticarum in manna conditis, vel pilulis de aloe in succo ireos lota, vel pulpa caricarum, & Cartami, vel sale chymice ex tartaro facto, & caricis indito, sitque inter cœtera patiens nobilissimus animo (quantum fieri potest) constanti, & læto, benè de valetudine speret, quæ vt illi quamprimum contingat D. O. M. precor.

F *PRO ILLVSTRI, AC NOBILI VIRO ARTHRITIDE correpto.*

CONSVLTATIO XCI.

QVICVMQVE iure hæreditario articulos imbecillos habent, hi vel facilè arthritidem incurrunt, & eo magis vbi plures ob causas, maximè vrò ob luem venercam viscera labefactata plura gignant excrementa, eademquè in articulos deponant, quod contigisse illustre proposito viro mihi videor videre, cum etenim ante plures annos ipse fuerit morbo syphillide correptus, atque G prius caput ad frigidum, iecur ad calidum intemperatum sibi nactus esset, consonum est rationi hæc menbra à morbo illo lacessita magis in dies excrementa, illud quidem frigida, hoc verò calida generare, quæ ad artus infernos propulsa, in articulisque secundum ligamenta recepta, partes adiacentes premendo, continuumque soluendo dolorem pariant; quinimmo hęc eadem, præcipuè verò capitis excrementa ad instrumenta visus delata actionem visus imminuant necesse est, quod verò punctiones veluti ab acubus valde acuminatis per totũ Illustris patiens persentiar, in causa est sanguis tenuis ac biliosus prædominatus.

Oportet igitur intemperamenta viscerum alterantibus auferre, qualitatem venerea proprijs alexipharmacis delere, articulosque roborare, sed primum materiam in toto, ac partibus recipientibus existentem euacuare.

Quos obtinere scopos, negocium erit operosum valde, quoniam affectus propositi H sunt ferè in habitu; & quantum ad Arthritidem vix esse sanabilem ob hæreditariam dispositionem arbitror, enitendum itaque saltem, vt præsentia mala imminuantur, maioraque præcaueantur.

De materijs ideo chirurgicis cogitans decerno, quamprimum iecorariam venam esse tundendam, deinde occipiti setaceum infigendum, à quo ad plures menses gestato maximè conducet si canteria in vtroque brachio excitentur, perforationes etiam aurium maximè probo, & eo magis si ea ratione tractentur, vt non ita cito ad cicatricem perducantur.

Quoad pharmaca præmissa totius euacuatione cum his, quæ pituitam, ac bilem respiciunt, etiam, atq; etiam laudo, vt per multos dies patiens assumat chinæ decoctũ cum tantillo guaiaci, anteq; syrupũ matutinũ bolum ex trociscis viperinis cum conserua eufragię deuoret, mox vt aquas Villenses ebibat, & caput embrocæ calefacienti modestè, quæ in comitatu Lucensi, vbi aquæ illæ scatiriunt, habetur, summittatur.

Articulos

Articulos verò oleo ex cera citrina chymicè parato inungat, in quem vsum & oleum A masticinum salitum magnoperè conducit. In oculos pariter liquorem stillatitium ex Eufragiæ conserua, vel ex carne viperina cum chelidonia instillet.

His tamen omnibus iniungantus ratio viuendi congrua, quæ ab Excell. curante melius instituetur, quam à me interim proponi possit. Ac inter cœtera Derum sibi patiens illustris fautorem habeat, sic namque certò benè valebit.

PRO PER ILLVSTRI, AC NOBILISSIMA MATRONA Mutinensi Tarquinia Molzia Vigilia pertinacia, necnon affectu melancholico laborante.

B

CONSVLTATIO XCII.

QVAMQVAM vitium, de quo per illustris, ac nobilissima Matrona principaliter conqueritur, sit vigilia ferè iugis, ac pertinax Symptoma sensus communis cuique perspectum, aliud tamen subesse non ita de se notum existimo, quod pariter in serie Symptomatum, sed facultatis imaginatricis repositum, si non Melancholia (quoniam timoris, ac tristitiæ interim nulla sit mentio) saltem affectus melancholicus poterit nuncupari, in quo ob mores mutatos ad statum melancholicum, rudimenta quædam ipsius melancholiæ, & nobilissima fœmina melancholiæ per consensum à toto ob habitum veluti melancholicum acquisitum consideranda occurrunt. Mores autem mutati deprehenduntur ex temperiei natiuæ mutationæ ad frigidum, & siccum, non solum ob vitam ærumnosam anteactam, varijs animi passionibus ideam melancholicam præseferentibus implicitam, atq; assiduis deditam studijs, verum etiam ob ætatis inclinationẽ perillustris patientis, in qua ob iecoris feruorẽ prægressum succo melancholico multiplicato, & ob ætatis ipsius conditionẽ calore natiuo aliquo modo depauperato, fit vt corpus facili negocio melancholicum euadat, quod eo magis in casu nostro contigisse Autummo, quando mala proposita à sanatione catarrhi copiosi, & purgamentorum alborum vteri fuerint suborta, illa etenim vni mutationi habitus corporis ad siccum quam maximè attestatur. C

Sed iam modus generationis prædictorum Symptomatum exquirendus; statuo igitur imprimis causam principalem, communemque eorundem intemperiem esse frigidam, & siccam, præcipuè cerebri, cum affluxu succi melancholici; Nec obstat quod Symptomata, quæ talem intemperiem subsequi consueuerunt interea desint, quoniã ob præsentiam sanguinis in Aegra nobilissima subdominantis intemperies, ac peruicaccia succi illius castigantur; Sed causa hæc principalis, cum sit opus quoddam prçter naturam, necessariò etiam sequetur actionem aliquam læsam, quam duplicem constituo, sanguificationem iecoris, ac attractionem lienis, illam ob discrasiam calidam, hanc ob morbum in via, obstructionem videlicet, vix namque ob succi melancholici redundantiam (qualis in casu nostro obseuuatur) ad credendum possum adduci, lienem intactum, ac ab obstructionibus liberum posse seruari. D

Constituta autem causa principali, ad proximam accedo, & quantum attinet ad vigilias, dico ob intemperiem prædictam, vaporem alimentalem, qui pro somno conciliando cerebro communicari solet non densari, sed potius absumi, quo pacto spiritus animalis præter naturam effunditur, hinc vigilia morbosa, cui & effumatio ex iecore perillustris fœminæ feruidiori plurimum fauet.

Quan-

E Quantum ad rudimenta melancholica spectat, sentio hęc ipsa à phantasmate tenebricoso oblato imaginatricis pendere, quod phantasma à spiritu ob pręsentiam succi melancholici tenebricoso reddito producitur, & quemadmodũ rudimenta quædam, & morum mutationes deprehenduntur in Matrona nobilissima, ita etiam phantasma illud ob sanguinis aliqualem præsentiam maximè refringitur, vt non sit mirum, si huiusque progressus illi, qui in similibus casibus fieri solent, visi minimè fuerint.

Quibus ita constitutis, vniuersa medendi ratio eo dirigenda est vt caput ad humidum potissimum, iecur ad frigidum alteretur, obstructionesque lienis reserentur, habita tamen prius de toto prouidentia per ea præsertim, quæ corpus à recrementi melancholici colluuie possunt expiare.

Quos fines obtinere erit prouincia non quidem impossibilis, sed admodum difficilis, nam intemperies cerebri satis est progressa, materia morbifica secundum propriā naturam præsidijs Medicis reluctatur, quinimmo grauiora imminent mala, nempè F conuulsio, desipientia, corporis gracilitas, ac omnium ferè virium dissolutio, danda igitur opera, vt quamprimum succurratur.

Quare de materijs Medicis, & primum chirurgicis ita decerno, vt scilicet maximè sit perillustri patienti conducturum, si vena cubiti media secetur, & vbi sanguis crassus, ac niger prodeat, permittatnr exire, sin minus, statim supprimatur, fonticulus etiam in femore dextro secundum partem domesticam de more excitatus mihi summoperè probatur, sicuti probantur lotiones extremorum hora somni cum decocto soporiferorum factæ.

Pharmaca interim duorum generum proponenda, euacuantia scilicet, & alterantia, in genere euacuantium primum lenientia, deinde purgantia occurrunt, & in ordine priorum laudo syrupum de polipodio magistralem cum manna; pro purganti autem iufusum Senæ, Polypodij, & Epithimi, necnon & Rhab. cum manna, aut meG dicamentum, quod ex confectione, Amech, & electuario lenitiuo conficitur, non parum arridet, quo pertinent & Catapotia de helleboro cum Masticinis commixta, quibus purgantibus non semel, sed iterum, atque iterum (prout opportunum videbitur) vterer, temporeque hoc calidiori infusum Epithimi, ac myrobalanorum nigrorum in sero caprino factnm omnibus ego præferrem.

Sed præter purgantia hæc vniuersalia, ea quoque, quibus caput peculiariter expurgatur, mihi videntur ex vsu, quocirca masticatoria, & herrina communia, adiectis quæ succum melancholicum præsertim trahunt, vehementer arrident.

Quoad alterātia, si materiam morbificam respiciant, componenda ex decocto boraginis, buglossi, cicorij, ac syrupis appropriatis, si referantur ad viscera, ac totum, iam gratia iecoris intus serum eaprinnm cum succo cicorij exhibitum, extra perfusioH nem ex eodem succo cum aceto factam hypochondrio dextro mirum in modum probo, sicuti gratia lienis puluerem Citrac ex decocto seminum viticis exhibitum, & fotum ex decocto radicum filicis maris in aceto parato per spongiam hypochondrio sinistro admotum non vitupero.

Pro capite pariter occurrunt tum externa, tum intrrna medicamenta; Exterius præter vsitata, mihi probantur primum embroca facta vel ex lacte, & aqua Solani, vel ex oleo violaceo, adiecta parte vna olei anethini, vel tandem ex decocto capitum papaueris albi, seminum hyosciami albi, mandragoræ, lactucæ, florum violarum, maluæ, altheæ, florum anethi, ac extremitatum veruccis. Secundò, vrgente necessitate, Cataplasma ex farina lolij, & recocta paratum syncipiti adhibitum; postremò & odoramenta non displicent, in quorum serie seligo illud, quod fit cum spongia madefacta in decocto nimpheæ, seminum hyosciami, florum anethi, adiecto tantillo opij in aqua violarum parato. Interius verò vsus conseruæ florum maluæ hora somni deuoratæ, cui

cui aliquando vrgente necessitate tantillum theriachæ recensioris, vel philonij Romani addi poterit, mihi admodum placet. A

Tandem pro toto, & balneum aquæ dulcis, & lac asininum, vel caprinum de more bibitum, sicuti & ius paruæ pullæ cum hordeo sine cortice floribus boraginis, ac buglossi, & passulis ad liquationem carnis coctæ pariter assumptum summis laudibus extollo.

His addendus est victus accommodatus, quocirca nobilissima mulier caueat ab iniurijs aeris siccioris, nutriatur ouis, carnibus optimis, ac piscibus intra saxa, & aquas claras degentibus elixatis, atq; sibi curet cibaria lactuca, papauere, ac amygdalis dulcibus alterari, vtaturque frequenter amygdalato, & abstineat à salsis, agruminibus, acetosis, atque similibus, vtatur etiam vino albo, vel rubro subdulci, oligophoro, vel multa aqua diluto, quod eo magis proderit, si papauere, radicibus boraginis, & buglossi alteretur; quinimmò & ad aluum subducendam præstabit aliquando senam immiscere, in quē vsum etiam conducent passulæ præparatæ in prima mensa assumptæ hora somni decumbat secundum caput super puluinar ex simplicibus soporiferis superius propositis confectum; Corpus moderate exerceat, sed inter cœtera à cogitationibus, meroribus, ac tristitijs itemque studijs, potissimum arduis caueat. Deum autem O. M. interea præcabor, vt à me proposita salutaria perillustri, ac nobilissimæ Matronæ reddat. B

PRO PERILLVTRI, AC NOBILISSIMA FOEMIMA Ausculana vteri fluore Albo quoquo pacto flauescente affecta. C

CONSVLTATIO XCIII.

AFFECTVS, quo nobilissima mulier detinetur ita de se patet, vt ab eo qui vel medicæ facultatis ignaro cognoscatur, is etenim vteri fluxus albus existit aliqua ratione flauescens, qui sicuti omnibus quoad sensatam cognitionem, sic tantum Medicis quoad curationem meritò debetur, eorum namque est proprias causas, propriamque generationem attingere.

Circa quæ illud meo iudicio interim statuendum, hujus videlicet affectus causam vnicum caloris natiui languorem existere, quod an ita se habeat, luis venereæ infectio, eiusdem occasione inunctio ex hydrargirio ad vsum deducta, alijue ferè innumeri in viuendi ratione errores perpetrati attestantur; quæ omnia an possint calorem natiuum labefactare, proindeque diuersos parere præter naturam affectus, vel ex hoc cognoscere licet, quod viscerum principalium temperamenta, ac proportiones potissimum solent euertere, id quod perillustri nostræ patienti contingit dubio procul, hinc non mirum, si in ea sanguificatio malè habeat, non tantum ob læsam hepatis facultatem, ac proportionem, verum & ob ventriculi intemperiem frigidam, ac humidam, ex qua multa pituitæ copia ibidem generatur, quæ postmodum in iecore non potenti non emendata, per venas diffusa, ad vterum demum tanquam ad omnium excrementorum in fœminis partem expurgatricem deueniens, prædictum profluuiū excitat. D

Cœterum, an hoc in facultatis retentricis vitium, vel in expultricem sit referendū, non erit abs re, si distinxero; ac vt id paucis expediam, puto ego in facultatem expul-

E tricem esse referendum, quod ex eo potissimum conijcere licet, quod ea omnia adsunt hoc in casu, quæ solent facultatem expellentem ad operandum suscitare, excrementa inquam tum copia, tum qualitate peccantia, quantitas in pituitam, qualitas in alicuius ichoris biliosi portiunculam (hinc exeuntis color quoquo pacto flauescens) referri debet.

Quæ omnia cum ita se habeāt, pro huius affectus, Symptomatumque concomitantium, palloris nimirum, appetitus deiectionis, totiusque lassitudinis, & aliorum (si quę alia patitur mulier nobilissima) remotione, Medici curantis partes erunt, in vnicam excrementorum ablationem non solum incumbere, verum etiam in id totum studium dirigere, ne scilicet de nouo eorundem generatio fiat, ac propterea viscerum discrasias emendare, luem veneream proprijs Alexipharmacis corrigere, calorem natiuum roborare, atque vterum, qui præsertim patitur, firmare tenebitur.

F Quæ ne consequatur, non parum suspicor, multa si quidem pertimescenda deterrent, calor primum natiuus rei medicæ fundamentum adeò labefactatus; causa secundo illa maximæ actiuitatis lues gallica quam (vbi radices altiores iecit) est impossibile dimouere difficilis. Tertiò præsentis affectus tolerantia, quam lassitudo totius luce clarius insignem ostendit; Quæ tametsi obstent curationi, non propterea Medicus à medicamentorum vsu desistat oportet, ætas enim è contrà patientis perillustris ferè consistentiæ, eiusdem animus prudens, ac pręceptis Medicis obsequens Medicique curantis diligentia Medicamenta, & auxilia medica si non absolutam sanitatem, maximum saltem fructum, ac vtilitatem allatura pollicentur.

Qua bona spe concepta, ad materias præsidiorum deuenio, & quod ad chirurgicam spectat, non habeo quod proponam, nisi cauterium tum in femore dextro secundum partem domesticam, tum in brachio sinistro suscitatum, item frictiones primum molG les, mox asperiores, hinc ex melle probè cocto, & actu frigido, ea tamen frigiditate, quam aquæ fontis æstiuo tempore sustinent, factas Galenum pręceptorem insequutus non possum non summoperè probare.

Quod attinet ad pharmaca, totius habeatur prouidentia, primum per lenientia mel ros. & syrupum ros. solutiua, deinde per præparantia, decoctum inquam cicoraceorum, betonicæ, boraginis agrimonij, senecij, capill. ven. semine melonum cum cortice, tandem per purgantia ex infuso Rhab. & Agarici, adiecta manna, sed mitiora aliqua euacuantia perillustri patienti in vsu sint oportet, eaque sæpe sæpius reiteranda, inter quæ ego omnibus præfero puluerem radicis mechiocani ex infuso myrobalanorum citrinorum in vino nigro austero facto.

Post hæc pro euacuantione sensibili per vrinas ea Diuretica probo, quæ pariter Galenus hoc in casu probauit, decoctum videlicet assari, & apij, verum cum lacte H semine melonum: pro euacuantione verò insensibili per habitum nil præstantius decocto guaiaci, & salsæ, adiectis sandalis rubris, cicoraceis, betonica vna cum diureticis frigidis, aut saltem temperatis; A quibus ad vteri roborationem duo propono vnum est aquæ insessus ex thermis aliquibus aluminosis. Alterum est puluis, qui

℞ *carabæ. d ag. ij.*
florum spicæ odoratæ } *an. drag. i.*
tunicarum internarum ventriculorum Gallinæ } *an. drag. i.*

M. & fiat puluis subtilis, cuius drag. i. exhibeatur ex decocto extremitatum vituli, in aqua calybeata parato.

Pro

Pro ventriculo autem, & hepate roborando, necnon proportione eorundem seruanda, primum ratione huius, si exterius succus cicorij ex aceto, ac speciebus cerati sandalini super propriam regionem administraretur, non improbarem, sed quod mirum in modum probo, est serum caprinum depuratum, atque calybeatum cum succo acetosæ interius ad plures dies exhibitum. Ratione verò vẽtriculi intus à confectione aromaticum rosatum dicta, sine Musco tamen, & ambra non recederem, extra ceratum Masticinum cum aromatibus applicitum, & his non conferentibus embrocam ex oleis stomaticis iuberem administrandam, quibus omnibus confido calorem natiuum insigne iuuamentum percepturum, & eò magis, si proba viuendi ratio coniungatur.

De qua nil habeo dicendum, nisi quod patiens nobilissima carnes comedat vitulinas, hædinas, pullorum, & auium in montibus degentium, ijsque potius assis, quam elixis vtatur, oua, ac pisces sint illi in vsu, qui in aquis claris vitam degunt, circa quæ omnia illud præcipuè notandum, quod si edulia in aqua calybeata coquerentur, plurimi esset fructus, vinum bibat nigrum, & austerum, quod si oportebit aqua diluetur. Verum eo tempore, quo guaiaci decoctum assumet, eam viuendi rationem seruabit, quæ vsui esse solet, quam etiam hic adnotarem nisi certo scirem Excellentissimum curantem eam posse optimè præscribere, sicuti & omnia alia, quæ ad salutem nobilissimæ patientis attinebunt, quam vtinam his à me propositis præsidijs. Deus O. M. de morboso ad sanum statum traducat.

PRO ILLVSTRI, AC NOBILI VIRO BONONIENSE dolore ad scapulas, & musculos vtriusque humeri, tumore scirroso ad os humeri dextri, melancholia hypochondriaca, demumque macie totius affecto.

CONSVLTATIO XCIIII.

AFFECTVS omnes, qui in egregio viro obseruantur, ni fallor numero quattuor existunt, & primus est dolor ad scapulas, ac musculos vtriusque humeri, qui an sit soboles luis Venereæ quoquo pacto dubitari potest, at ego quoniam diebus elapsis pudenda vlceribus fuere tentata, venio in sententiã, vt dolor ille sit Gallicus; Alter affectus tumor est scirrosus ad os humeri dextri versus cubitum tendens, qui gumma æmulatur, hæret enim ossi, atque dolorem infert; Tertius affectus est hypochondriacus, quoniam præter timorem, ac mœstitiam imus venter rugit, ac aliqua huius census Symptomata circa ipsum est obseruare, accedunt & somnia turbata, postremò verò palpitatio ad fundum ventriculi, quæ hypochondriaca affectionem consumatam attestatur; Quartus & postremus affectus est macies quædam in solita, quemadmodum sensu ipso manifestè deprehenditur.

Quorum malorum principia generationis in vnam destillationem frigidam, & qualitate venerea infectam, tamquam causam communem referre opportet, destillationẽ namque omnium ferè morborum genitricem esse non dubito, quam in præsenti frigidam esse non tantum materia insipida, sed & quòd hyeme insæuiat, clarè demonstrat, esse verò infectam à lue venerea ob rationem superius adductam non est, quod aliquis dubitet, suppeditatur enim alimentum capiti à iecore infectum, quod est in causa, vt

 excre-

F excrementa etiam, quæ in capite generantur & (ob id quoque destillatio) inquinentur; Hæc autem destillatio contracta per fluxionem ad partes, & ad totum, fit causa immediata omnium prædictorum, quos enumeraui præter naturam affectuum, nam vt ad scapulas, & humeri musculos decumbit, præfatum dolorem inducit, delata ad os humeri dextri ob frigiditatem ossis concrescit & scirrum excitat, in venas hypochondriorum per Oesophagum, & ventriculum confluens tum ex se, tum vitiata concoctione ventriculi occasionem ipsis obstructionibus præstat, à quibus oritur phlogossis illa, quæ affectus hypochondriaci causa existit, tandem ad totum per venas demissa maciem insolitam producit, scribebat enim Hippocrates in libello de glandulis quod si sanguis eluatur, ineptum nutrimentum redditur, quia non potest agglutinari; accedit quod vbi membra probè haud nutriuntur, calor natiuus languet, calore autem natiuo languescente, membra non valent pro-
E prium, ad sese trahere alimentum, præterea noctu in ventriculum decumbit illa destillatio, hinc necessariò eiusdem coctio peruertitur, atque vitiatur, coctione verò ventrili (qui ex Platone Rex totius corporis existit) vitiata, non modo maciem, sed quodlibet etiam malum (quamuis destillatio ad membra per venas non per veniret) oriri necesse est.

Quid igitur faciendũ pro salute huius egregij iuuenis? Dico necessarium esse, toti prospecto, in vnicam destillationem incumbere, ideò aut hæc finienda per ea, quæ capitis intemperiem emendant, aut eam in aliã partem ab affectis deflectere, simulq; exicare, absumereque opportet, deinde ad tumoris emollitionem, ac discutionem, ad obstructiones hypochondriorum reserandas, ad qualitatem veneream per propria Alexipharmaca domandam, doloremque leniendum Medicus curans deuenire tenetur, à quibus omnibus haud inutile erit toti præstare alimentum multi, bonique
G succi.

Quos attingere scopos arduum sanè, atque perdifficilè opus erit, mala etenim sunt ferè in habitu, totum afficitur, ac virtus non resistit, vt ex colore mutato, ac macie facilè est intelligere, quia tamen patiens est prudens, ac in ætate floris constitutus, multum spei, si non procuratione, saltem pro præseruatione remanet.

Idcircò hac spe concepta statuo, maximè conducturum, si venæ ani hyrudinibus aperiantur, cauterium in occipite infigatur, & materia gummatis per apertionem cum caustico euacuetur.

Pariter si leniatur alluus melle rosato solutiuo cum syrupo magist, de polypodio, humores præparentur decocto betonicæ, saluiæ, cicorij, boraginis, & salsæ, cum oxymelle simplici; A quibus pro purgandis ijsdem humoribus ea ratione præpara-
H tis, pilulæ cochiæ & de nitro Alexandri, castigatæ tamen cum masticinis, vel infusum agarici trocifcati (quod magis arridet) mihi videntur opportuna; Post quæ gratia euacuationis insensibilis, necnon gratia luis venereæ puto maximè probari guaiaci decoctum, salsæ, & chinæ castigatum cicoraceis boragine, buglosso, liquiritia, immo etiam cum carne pulli ob maciem totius; quo pertinet & ius galli cum ijsdem simplicibus medicatum, ac dum patiens hoc decoctum assumet, licebit vtique caput euacuare sensibiliter herrinis, & masticatorijs ab excellentissimo curante præscribendis, licebit etiam & hora somni aliquando theriacam cum modico spicæ, aliquando syrupum de calaminta cum aqua sampsucci exhibere; Verum si sympromata non remittantur ex vsu illius decocti, laudarem, vt ipsum, exhibito bolo ante syrupum matutinũ ex trociscis viperinis cum conserua boraginis parato vigoraretur, & vbi dolor vrgebit oleo guaiaci cum lumbricato castigato erit mitigandus, vel adhibenda embroca ex oleo seminum lini, in quo guaiacũ sit incoctum, quę etiam embroca in ipso gummate

maximè

maximè proderit, ab ipsa tamen apponendum ceratum emolliens, diachilon inquam gummatum, addito oleo guaiaci; huc refero ceratum factum ex succo radicum cucumeris agrestis, ammoniaco cum colocynthide, veratro, & oleo guaiaci, vel quod viperinum vocant: Quibus non conferrentibus, cogitandum est de apertione, vt superius dixi; Ad tollendas verò obstructiones medicamentum aliquod calybeatum valdè correctum erit ex vsu, verum tamen capitis etiam erit habenda ratio, assiduas ergò irrigationes cum aqua ardenti, cucufam aliquam, & lotionem, vel embrocam capitalem calefacientem, siccantemque conuenire existimo.

Victus præscribatur accommodatus, id autem potissimum noto, vt vinum medicatum cum guaiaco, & salsa patienti paretur, ac morselli ex pulpa carnis caponis, & perdicis, fisticis, & amygdalis dulcibus cum saccharo dissoluto in aqua stillatitia decocti guaiaci fiant, reliquaque conuenientia in viuendi ratione ab excellentissimo curante poterunt perscribi, faxit modo Deus, vt omnia cedant in salutem.

PRO PERILLVSTRI AC NOBILISSIMA MATRONA Bononiensi destillationi obnoxia, tumore malæ sinistræ paruo, rubente, duro, vestigiumque aliquod manus prementis, admittente, dolore auris eiusdem lateris secundum partem internam, dolore pariter ceruicis palpebrarum rubore sputoque salso laborante.

CONSVLTATIO XCV.

OMNES, qui sub hoc nostro Cœlo Bononiensi sani viuunt, ab vnica sanè destillatione intacti deprehenduntur, quicumque verò pereunt, aut morbosam vitam degunt, hi profectò pro maiori parte destillatione tentantur vt summa cum ratione antiquorum Medicorum oraculum, quod scilicet destillatio sit omnium præter naturam affectuum origo, hic maximè veritatem habeant; quare mirum non videatur, si perillustris, ac nobilissima Matrona destillationi obnoxia, & alioqui benè habita secundum totum corpus, in ætateque prima floris constituta pluribus detineatur corporis ærumnis, quæ destillationis partus existunt.

Prima itaque est tumor malæ sinistræ paruus, rubens, durus, ac vestigium aliquod manus prementis admittens, qui concitatis internis causis ab externis augetur, dolet, magis rubet, tandemque per ampullas excitatas facta culiculæ desquamatione diminuitur.

Altera est dolor auris eiusdem lateris secundum partem iuternam, atque ceruicis.

Tertia est palpebrarum rubror, ardor, & prurigo, quæ pariter in naribus à perillustri patiente obseruatur.

Quartum adest sputum salsum, quod aliquando ipsam non parum infestat; postremò his omnibus adnexa est alui stipticitas.

Hæ igitur sunt corporis ærumnæ, à quibus nobilissima Matrona tentatur, ex quibus etiam partes laborantes innotescunt, laborandum itaque nunc circa earundem generationem, pro qua illud supponendum, quod vbi scilicet plura mala occurrunt

E multiplex etiam illorum generatio esse potest, vt aliquando aut ex causa communi, aut ex altero illorum, aut ex se inuicem generentur, quo supposito, puto ego ferè omnia mala, quæ proposui, ab vna causa communi, destillatione scilicet ortum ducere quæ cum generetur in capite, videre oportet ex quibusnam causis generetur, & qua ratione agat in generãdis, & excitandis malis iam habitis, verum tamen prius illud constituendum, destillationem quamlibet synceram, & mixtam esse posse, atque hanc ob excedentem ruborem faciei mixtam esse sanguini, qui ab insigni calore capitis attenuatus, facilè pituitæ, quæ in cerebro generatur, admiscetur.

Sed animus ad generationem destillationis conuertatur, cuius occasione Galenus tertio de causis Symptomatum, capite quarto affirmabat destillationem ab intemperie, morbo instrumentali, & materiæ quantitate, qualitateque generari, quas omnes causas in perillustri fœmina locum habere rectè discurrenti apparebit, primum enim F intemperiem, quoniam destillatio cum sit excrementum crassum concoctionis, quæ fit in cerebro, à limitibus naturæ copia, & qualitate recedens, necesse est vt facultas concoctrix eiusdem cerebri in proprio munere frustretur, quod cum ob intemperiem potissimum accidat, destillationem ideò hanc ab intemperie pendere non hæsitandum, sed & ab intemperie calida: nam præter id quod cerebrum ad calidum intemperatum destillationum maximè ferax existit, plus enim attrahit, quam concoquat, quod video patienti nobilissimæ (coagente etiam habitu plethorico) contingere; sapor quoque salsus, qui secundum Aristotelem ex vapore exusto ab immoderato calore concitato, & humido aqueo permixto pendet, idem prorsus ostendit; Cœterum puto etiam morbum instrumentarium concurrere, nam cum patientis perillustris caput à toto corpore insigniter repleto vapores ad sese alliciat, eosque præ copia non dissipet, necessariò angustiam aliquam in cerebro pariunt, meritò cuius copiosa suppeditata G materia, destillationi perbellè datur occasio: Ex quibus & illud quoque liquet, vitium nempè materiæ secundum copiam, & qualitatem concurrere: quia iugis ferè (vt adscensus igniculorum veluti quorundam ab ægra nobilissima pereeptus demonstrat) à toto corpore, à iecore verò potissimum in caput fit effumatio, sanguisque copiosus, ac feruidus illuc etiam fertur.

Ex quibus obiter patet, catarrhum non ad modum puluuiæ, vt voluit Auicenna, ac ante ipsum Aristoteles, secundo de partibus anim. septimo, sed aberrante cerebri facultate concoctrice à proprio scopo, generari; adde quod si ad modum pluuiæ fieret, omnis catarrhus frigidus esset, quoniam pluuia densationem à frigiditate factam supponit, quod tamen falsum, nam sic cerebrum semper frigidum existeret.

Quibus ita constitutis, iam non erit difficilè generationem affectuum propositorum ab hac destillatione pendentium assignare, & eo magis, vbi illius terminos mobile, ac H spacium prius constituero. Terminus igitur à quo, est cerebrum, sexto de sanitate tuenda capite nono, ac tertio Aphorismo. 13. siue modò motus fiat tractu, vel impulsu, teste eodem Galeno tertio de Symptomatum causis quarto. At potissimum impulsu, sub quo cerebrum pellit, tum quia robustius factum est, tum quia irritetur, illud, vbi vi frigoris densatur cerebrum, ac exprimitur capite repleto, quod presertim ægræ nobilissimæ vsu venit, cũ hyeme semper peius habeat; hoc verò vbi idem cerebrum à copia catarrhi oneratur, sed & à qualitate, dum sub ambiente calido humiditates cerebri liquefiunt. Terminus ad quẽ, sunt musculi genæ sinistræ, auris sinistra, interna & externa, fauces, ceruix, oculi secundũ palpebras, nares, & intestina; Et quãquã partes hæ ob imbecillitatem contractam interim suspiciant, antea tamen attraxerunt. Mobile est minera pituitosa, salsa, & sanguinea, bilem referens, sicuti ex ore salso, ichore flauo ab ampullis disruptis excreto, calore, rubore, ac narium pruritu colligitur vt non sit etiam difficile captu, mobile hoc lædere copia, qualitate, quiete, ac motu,

substan-

ſubſtantiam, libro de Differ. Symptomatum vltimo propoſitam, non propono, vti A eam, quæ nil habet cum noſtro caſu, quia materia putrida non obſeruatur; Quiete igitur in terminis ad quem lædit, motu tractionis olim, pulſionis verò nunc, qualitate & prima, calore inquam, & ſecunda, craſſitie nimirum; de copia nulla eſt difficultas, quando de ipſa ſenſus fidem faciat; Tandem ſpatium duplex naturale, & præter naturam, naturale ſunt nares, aures, pariter & oculi, præter naturam, ſi fuerit amplum, eſt oeſophagus, ac trachea, ſi anguſtum ſunt vel ſpatia inania, vel venæ, nerui, & ſpinalis medulla, quæ omnia ſunt ab Hippocrate tradita in libro de Glandulis; verum interea puto per narium, aurium, oculorumque meatus, atque per ſpatia inania inter membrum, & membrum mobile hoc deferri: Vtcumque tametn ſit, minera iam propoſita pro maiori parte mixta, præcipuè verò vbi ad genam fertur, accedentibus cauſis mouentibus, ſuperiores partes apprehendit, ac Symptomata partium capitis infert, quod vbi B contingerit, facilè etiam fit, vt calor naturalis, ac ſpiritus illuc ad ſcendant, ac partes infernas abdominis, præſertim inteſtina deſerant, ſicque facultas eorundem expultrix calore veluti deſtituita, ab opere proprio deſiſtat, hinc alui ſtipticitas, cui iecoris, ac renum feruorem non parum fauere certò ſcio.

Qnid igitur in hac malorum ſyndrome ſit ſperandum, quidque timendum, ego (vt liberè loquar) ſpero ſalutem, quoniam tametſi iam à decem annis mala hæc nobiliſſimam Mulierem affligant, & ſint ſatis progreſſa, nihilominus hucuſque nulla ferè præſidia generoſa fuere vſurpata. Præterea etſi pro maiori parte haud intermittant, ſaltem ſeſe remittunt (nam genæ tumor remittit ſemper) tandēque tolerantur, vt ex hoc nulla labes in facultate regitiua totius obſeruetur, cum bonus illius habitus ab hortus principio adeptus adhuc vigeat, Verum tamen Autumno non niſi ad longum tempus, ac difficulter curari poſſe, quando ſint valdè progreſſa, & C cauſæ illorum ſint ſatis vehementes, inter quas habitus corporis plethoricus qui magis in dies ob vitam ſedentariam augeſcit, eſt numerandus. Quamprimum ideò ſuccurendum, ne vitia huiuſmodi hectica fiant, aut longè maiora ſuperueniant, quod non parum metuendum, nam in tali habitu capiteque repleto, ac ſecundum organa ſenſum malè affecto, facilè morbus attonitus poteſt ſuperuenire, & eo magis quoniam ab affectu vertiginoſo aliquando nobiſſima Mulier ſolicitata fuit; accedit, quod tumor ille malè perſeuerans indies augeri, ac quid grauius inferre valet.

Quapropter ad curationem animum connertens dico, oportere caput, & iecur refrigerare, illud verò potiſſimum ſiccare, prius tamen ipſo euacuato, ſed quoniam ex Platone caput non euacuatur, niſi totum prius euacuetur, ideò primum, & ante omnia toti proſpiciendum erit, tandēque ad materiæ impactæ diſcuſſitionem, ac partium recipientium roborationem deuenire erit neceſſarium.

D

Per materias ergo horum præſidiorum, & primum chirurgicam diſcurrens, puto neceſſe eſſe quam primum venam cubiti ſecare, nam purgationes menſtruæ ita ſecundum naturam procedunt, vt nulla opera medica ſuperindigeant, nec ſemel ſecandam venam, ſed bis in anno, verè inquam, & Autumno cenſerem: Et ſi res eò perueniret, vt caput videretur aliqua euacuatione opus habere, ſectionem venæ frontis, ac hyrudinum appoſitionem poſt aures haud improbarem, quinimmò & cucurbitulæ dorſo cum ſcarificatione applicitæ mihi non diſplicerent; Cauterium in brachio ſiniſtro, quod geſtat, ſummoperè probatur, ſed ſi alterum in parte domeſtica femoris dextri excitaretur, maxime conducturum ſperarem, & vrgente neceſſitate à cauterio, vel ſetaceo in ceruice inuſto, ſicuti & à veſicantibus partibus infernis adhibitis non abhorrerem; Aſſiduè verò interim ventoſationes ſiccæ, lotiones cum aqua actu calente, frictiones, deligationeſque extremorum erunt maximè opportunæ.

E Medicamenta respiciunt materiam, vel viscerum intemperantias, si materiam vel in toto, vel in capite; si in toto, lenita aluo cum casia, ac diapruno lenitiuo, & preparata materia decocto ex cicoraceis, hepatica, acetosa, boragine, betonica cum syrupis accommodatis, deturbanda est infuso Rhabarbari & modici Agarici trociscati in decocto cord. myrob. citrin. cum modica sena parato adiecta manna, deinde materia denuo præparanda, ac pilulis aureis expurganda, nam vnicam purgationem non sufficere posse puto; mox de aliquo medicamento familiari per interualla vsurpando cogitandum, in quo genere pilulæ de tribus cnm Rhabarbaro, pilulæ Assaiaret Auicennæ puluis radicum mechiocani ex iure decoctionis myrobolanorum citrinorum, serum infusionis eorundem, atque chebulorum placent. Sed & materiam totius insensibiliter euacuare posse teneo, ideò decoctum aliquod absumens citra calefactionem mihi videtur accommodatum, quale esset, ex china adiecto ligno sandali albi, vel F radice pentaphilonis in aqua Lucensi paratum ad plures dies exhibitum, quod magis conducturum considerem, vbi aliqua ratione sudor, absque capitis excalescentia, moueretur, quo in casu soleo ego ab assumpto syrupo matutino imperare, vt vasa vitrea aqua calida repleta pedibus, ac femoribus vtrinque apponantur subindèque aqua calida addatur: Deinde capitis euacuationi insistendum; primum per herrina temperata, sicuti per id, quod ex decocto hordei, maluarum, & succo betæ paratur, adiecto modico sacchari, secundo per siccantia hora somni assumpta, inter quæ saccharum rosatum, antiquum cum bolo Armena, vel Montui medicamentum quod.

G

℞. *baccarum myrti.*
coriandrorum non præparat.
cupularum glandium
spodij } *an. scrup. i.*
nuccum cupress.
corall. omnium } *an. scrup. s.*
mastiches drag. I. s.

M. & cum vino cytoniorum fiat massa, cuius detur drag. i.

Gargarismata item ex aqua Villensi decoctionis malicorij summoperè commendo, H lotiones pariter capitis factas ex lixiuio dulci parato ex cinere salicis, ac sandali albi in aqua Lucensi, loco saponis vitello oui assi adhibito, proficuas arbitror.

Post quæ cogitandum de discutientibus, & alterantibus iecur, renes, & caput; Pro discussione itaque materiæ, quæ in musculis partis sinistræ faciei est imbuta, duo mihi videntur conuenire; fotus nempè cum spongia molli factus ex decocto maluæ, anethi, & camomeli, vel ex succo verbasci suo tempore, adiecto modico aceti, aut secundo oleum ex tritico putrefacto confectum: Pro alteratione iecoris tum serum lactis cum succo cicoraceorum, ac hepaticæ, tum thermæ Villenses tempore, ac loco proprijs epotæ, erunt efficacissimæ, quò spectat & conseruæ cicoraceæ, rosaceæque assiduus vsus; Exterius præter perfusionem ex prædictis succis cum aceto, vel succo limonum hypochondrij dextri, balneum aquæ dulcis omnibus præfero, tamquam id, quod non solum calorem iecoris, renumque attemperat, sed à capite etiam reuellit.

Gratia

Gratia verò capitis probo, quæ supra ad capitis exiccationem fuere proposita, item & embrocam (diligenter toto, capiteque expurgatis) ex aqua Villensi, & Aquariana simul commixtis, in quibus malicorium, baccæ myrti, rosæ, nuces cupressi, gallæ, camomelium, anethum, sandali, & alumen incoquerentur. A

Postremò victus accommodatus instituatur, ideò aeris præsertim calidioris inclementia aufugiatur, cibus partim sit extenuans, partim non, carnesque in aquis thermalibus Ficoncellensibus inquam, seu Villensibus elixentur; Vinum arceatur, vel saltem subrubrum, subausterumque pauciferum, vel aquis prædictis decoctionis radicũ chinæ dilutum, & ab omni cibo in vsu sit aliquod os ventriculi corrugans, vti cydoniatum, saccharum rosatum antiquum; Aluus mollis asseruetur conserua ex comis rosarum communium manna conditis, prunis, ac passulis præparatis, infusione myrobolanorum citrinorum, & manna, casia fistulari comesta, pane ex tota farina cum infuso myrobolanorum, & senæ subacta in prima mensa commanso, in reliquisque modus non excedatur, sic namque spero, Dei auxilio fauente nobilissimam, ac perillustrẽ Matronam benè se habituram. B

PRO NOBILI PVERO RODIGINO OCVLORVM PRAETER naturam affectibus, cæcitate inquam secundum oculum dextrum, Inspectu luminis cum molestia secundum sinistrum, fluxumque lacrymali detento.

CONSVLTATIO XCVI. C

SI fortè fortuna contingat, aliquem secundum alterum oculum ob internam modò, vel ob externam causam labem aliquam pati, hunc etiam vel facilè secundum alterum laborare contingit, vt non sit mirum, si puer hic diebus elapsis à frusto ligneo proiecto secundum oculum dextrum percussus, nunc etiam secundum sinistrum malè habeat, ac propterea lucem, & lumen haud inspicere possit, palpebræ inuiscentur, iugiterque aliquid ab oculo stillet sub illacrymationis idea, quod minimè morsu sit destitutum.

Atque huiusmodi vitia, sicuti pro maiori parte oculo dextro communia existunt, ita sinistrum omnia perturbant, certum enim est, cum in illo visio ex toto sit ablata, non posse puerum ratione ipsius de lucis, ac luminis inspectione querelas habere; sed an in eodem oculo adsit vlcus, meritò dubitari potest, sicuti ex visu (vt audio) statim iudicare licet, palpebram inferiorem pati hoc morbi genus, cum aliquid ichorosum continuò ab illa emanet; quod igitur ad oculum hunc attinet, certum est prius vulnus passum fuisse, cuius occasione non tantum humor albugineus, verum etiam & vitreus est effusus, an modò subsequutum sit vlcus, ex relatis colligere non possum, sed coniectura ductus, potius inductam esse cicatricem, quàm subesse adhuc vlcus existimo, hoc tamen poterit ab excellentissimo curante animaduerti. Quod verò ad palpebrã spectat, nulli dubium esse debet (si vera sunt quæ à proprio parente narrantur) in ea secundum partem infernam vlcus adesse, quod an sit fistulosum, pariter decernere non licet, potest tamen aliqua suspicio fistulæ saltem incipientis locum habere, sed hoc etiam ei, qui erit in cura, Medico doctissimo certius decernendum relinquo. D

Vtcumque tamen sit, quin mala præsentia à fluxione ad oculos pendeant facta

primum

E primū ex attractione in oculo dextro, vigente dolore, post ex transmissione ad sinistrū contractæ in eo imbecillitate, occasione percussionis dextri non hæreo, quā trāsmissionē modo in vtroq; oculo locum habere certo scio. Fluxio autem hæc partim calida, vt ex morsu, partim crassa, vt ex inuiscatione colligitur, existit, & pendet non solum à capite, sed à toto, quando ex relatis colligam patientis corpus valdè cacochymum esse.

Partes igitur Medici curantis erunt, ad alias partes retracta fluxione, quidquid impactum est discutere, siccare, ac ad cicatricem perducere, oculorumque proportionem seruare, tandemque fluxionis originem auferre.

Quod munus medicum erit quidem possibile, sed plenum difficultate, quando iam alter oculorum sit extinctus, alter verò, sinister inquam, imbecillus adeò, & ob id ad suscipiendum velit, nolit, dispositus existat, ex quo secundum ipsum etiam cœcitas imminet, & eo magis, quoniam facultas visoria mala hæc haud tolerare potest, hinc F maximè à luce læditur; citò itaque succurrendum, ne sensus omnibus dignior, omniumque perfectissimus omninò in hoc puero delitescat.

Quare de curatione ita statuo, vt quamprimum cucurbitulæ scarificatę partibus infernis apponantur, deinde venæ post aures aperiantur hyrudinibus, extremaque iugiter fricentur, deligentur, lauenturque, atque ceruici setaceum infigatur, à quo per aliquot menses gestato, necessarium erit fonticulum in brachio sinistro excitare.

Quoad pharmaca, lenita primum aluo melle rosato solutiuo, ac manna, præparatis humoribus decocto cicorij, eufragiæ cum syrupis accommodatis, bonum esset ipsos pilulis de tribus cum Rhabarbaro, & lucis deturbare (quibus etiam poterit interuallis quibusdam vti) A qua purgatione, si de more chinæ decoctum, & salsæ cum betonica, cicorio, ac plantis ocularibus præparatū per plures dies exhiberetur, plurimum adferret vtilitatis; Ad capitis deinceps particularem euacuationem præter pilulas G iam dictas, probo masticatorium factum ex mastiche, puluere eufragiæ, & cera; Pro iecoris postmodum alteratione, si videbitur opus, tēpore opportuno opportunus erit succus cicorij tum bibitus, tum hypochondrio dextro cum aceto, & puluere sandalorum perfusus, quo in casu balneum etiam aquæ dulcis summoperè probatur, quando & ab oculis materiam fluentem retrahere possit. Ad capitis, & oculorum alterationē faciunt conseruæ capitales cum eufragię conserua, quibus Mithridatica confectio addatur, quorum calor conserua rosarum castigari poterit; syncipiti quoque inspergatur puluis capitalis siccans, ac roborans.

De topicis decerno, vt quam maximè fieri potest ab illis abstineatur, si tamen vti opus erit, pro lacrymis siccandis nil præstantius aqua stillatitia ex corticibus pinearū, vel ea, quæ paratur ex alumine gypsi macerato in succo rosarum, & plantaginis, vel illa, quæ ex plumbo vsto in vino granatorum pariter macerato conficitur, quibus sem H per aliquid aquæ eufragiæ addere licebit. Pro vlcere palpebræ dextræ primum collyrium ex thure, deinde ex plūbo Rasis erit accommodatum; ad maiorē autem siccationē parare licebit aquam stillatitiam ex borace minerali, alumine, plumbo vsto, cerussa ablura, pomphilige præparata cum plantis stipticis in aqua thermali aluminosa maceratis.

His omnibus demum adijciatur consona viuendi ratio, quæ erit vt vitentur omnes aeris inclementiæ, vt patiens ad aliquot dies in aere subobscuro locetur, vt vescatur cibis boni succi, facilis coctionis, nullius excremēti, citra repletionem, vt bibat primum aquam decoctionis chinæ, & passularum, deinde vinum oligophorum cum simplicib. ocularibus, china, & salsa medicatum, ac post omnem mensam vtatur cydoniato, Dormiat moderatè, aluum sibimet irritet pilulis (si fuerit opus) de Aloe lota, corpus exerceat modestè frictionibus, & ambulationibus per thalamum, tandem animo quiescat; Deus autem D.O. faxit, vt hæc omnia in sui salutem cedant.

A

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI MIRANDVLANO, TVMORE scirroso intestini recti à sanatis hæmorrhoidibus exorto laborante.

CONSVLTATIO XCVII.

POSTQVAM satis perspectum est tumorem ad sinistram sedis partem in nobili, & illustri viro ab hemorrhoidibus olim immodicè fluentibus per incisionem, ablationemque sanatis subortum latitare, ipsum idcirco rectum intestinum obsidere pro certo habendum; Et quoniam tumor durus, ac renitens existit, inter tumores ideò scirrosos, eosque potissimum qui ex minera melancholica mixta prædominante fiunt, est reponendus, in ea siquidem parte contextæ sunt venæ prędictæ eiusdem mineræ receptacula, patiensque habitus melancholici proponitur: Atqui succum pituitosum subesse ex his vel facilè persuaderi potest, & primò quia occasione cuiuslibet hæmorargiæ calor natiuus valdè depauperatur, vnde insignis pituitæ prouentus fiat, necesse est; secundo vbicumque succo melancholico pituitosus commiscetur, vnaque ad cutim demandatur, colorem subrubrum suboriri contingit, qualis in tumorè nostro conspici scribitur, pituitosus ergo succus melancholico subdominatur, in cuius rei confirmationem facit, & illud, quod pars laborans imbecillior facta quàm pro naturæ statu conueniat, proprium haud benè conficit alimentum, proindeque excrementa pituitosa cruda coaceruare cogitur, vt minimè interea dubitandum sit, scirrum hunc illegitimum esse, non solum quà ex minera mixta ortum ducit, verum etiam quatenus ob dolorem adiunctum non est immunis à sensu, quamuis dolorem partes adiacentes magis, quam tumidam excruciare putem: Vt ex his etiam pateat, scirrum hunc esse de genere eorum, qui non incipiendo, sed qui ex alterius morbi permutatione fiunt, patet adhuc, a natura cancri liberum existere, quandò neque venosus, neque liuidus, nec inæqualis existat, continuòque non doleat, sed vbi tantum ab excrementis crassioribus descendentibus, fluxioneque humorum irritatur.

B

C

Scirrus igitur hic (vt modus generationis eiusdem clarius innotescat) à succo melancholico peccante, pituitosoque subpeccante ortum ducit, & ex eisdem incremẽtum suscipit; An verò ab illis per repletionem, siccationem, vel concretionem fiat, & an humores eundem efficientes per fluxionem, vel congestionem colligantur, meo iudicio non est difficilè decernere, nam quoad primum cum non sit dubium, corpus egregij viri succo melancholico plurimo scatere, minimè fieri potest quin scirrus per repletionem fuerit subortus; pariter quoniã locus affectus, minera morbifica, ac vsus olim medicamentorum adstringentium in vnicam frigiditatem (à qua concretio) conspirant, ea propter in huius tumoris generatione concretionem locum habere sentio, siccitas autem, quoniam causæ ipsum inducentes, vti nimis calefacientium, ac dissipantium vsus, similiaque non præcessere, mea sententia omninò secludenda. De secundo, & postremo statuo, succum melancholicum per fluxionem, pituitosum verò per fluxionem, & congestionem (vt ex supra dictis liquet) in parte laborante, & per transmissionem, ac attractionem colligi; Per hanc quidem primum

D

ob

E ob maximũ in aluo deponenda conatum, qui ab angustia intestini recti per constipans tuberculum facta procedit, deinde ob doloris subsequentis acerbitatem; per transmissionẽ verò ob partis imbecillitatẽ tum natiuã, tũ adscititiã, & à morbo, & à remedijs adhibitis acquisitã, quã transmissionẽ sicuti respectu humoris melãcholici à toto, vitio iecoris feruidioris (quod succi melancholici ferax esse solet) necnon forsan lienis haud benè massam sanguineã defœcantis, fieri non dubito, ita & respectu pituitosi ab eodẽ toto ob errorẽ ferè triplicis coctionis totius nutritioni destinatæ prodire certũ habeo; Error autem hic non nisi ex caloris natiui iactura, ac labe dependet, meritò cuius in parte quoq; labo rante succus idem, vt statutum fuit, ex parte coaceruatur.

Doloris verò generatio sicuti & cuiuslibet alterius ex obiecto improportionato tactus organo oblato dependet, ex intemperie videlicet frigida inæquali, & soluta vnitate à copia materiæ partes sentientes distrahente producta. Dolorem autem F augeri modò, modò imminui contingit, quoniam minera peccans à debili calore in spiritum flatuosum interdum aliqua ex parte resoluta maiorem infert distensionem, vndè doloris augumentum, atque sæuities; at spiritu illo dissipato distensio minuitur, sicque dolorem mitescere contingit; idem deindè dolor est periodicus, quoniam causa illius, fluxio inquam, & spiritus flatuosus quibusdam interuallis accedunt, & agũt, vbi scilicet aluus in proprio fuerit munere; Causam verò propter quam per vnam, vel alteram horam ab excretione, & non statim dolor insurgat, ac insæuiat, nullam aliam esse existimo, nisi quod fluxio sine temporis aliqua intercapedine materiam in ea copia, quæ vincat, & ob id tristem sensum excitet, suppeditare non potest, vt non sit mirum post vnius, vel alterius horæ spatium ab alui conatu, atque secretione dolorem accedere, ad quod etiam spiritus illius flatuosi generatio, quæ subitò fieri nequit, non parum conducit, tandem dolor est vniformis, quia causa operatur, & ad operan- G dum vniformiter promouetur.

Ex quibus ita constitutis facilè sit intellectu ad Medicnm curantem attinere materiam absorptam, replentem, & cõcretam euacuare discutientibus, ac emollientibus, calefacereque moderatè calefacientibus, prius tamen danda opera, ne hæc eadem de nouo generetur per alterantia viscera in contrarium, quod vbi Medicus obtinere non poterit, saltem materiam genitam ab affecto loco deflectat, sed inter cœtera caloris natiui iacturam vt reparet omninò conabitur.

Sed vt verum fateat horum vix fœlix euentus est expectandus, quoniam sicuti scirrus illegitimus difficulter admodum ob materiæ pertinaciam curationem admittit, ita ab eodem grauiora longè mala superimminent, primum quidem in casu nostro fœcum retentio, quæ facilè ob ipsius incrementum (vt ego sæpius vidi) succedere potest, vndè omnis postmodum occasio volluuli non exquisiti, secundo imminet car- H cinoma non solum propter id, quod scirri melancholici à medicamentis quàm facilè irritati in cancrum degenerant, sed ea potissimum ratione, quod patiens in ea est ætate constitutus (agit enim trigesimum septimum annum) in qua vt plurimum succi atrabilares gigni consueuerunt; At quod curationis difficultatem auget, vt ferè ex hoc impossibilis euadat, est quod scirrus veluti internus existit, atque vix topicorum vsu gaudere potest, quibus & illud accedit, quod purgatio succi peccantis per medicamentum catarticum summoperè necessaria per locum fit affectum, à quo maximè abhorret vera medendi methodus; In id igitur saltem incumbendum, ne aliquid deterius contingat, & quod nunc infestat magis quam fieri potest imminuatur.

Quod assequi materijs præsidiorum Medico licebit, atque primum chirurgicis, ex quarum ordine præter venæ sectionem prius medianæ dextre, deindè saluatelle sinistræ, hoc tempore administrandam & fonticulos in brachio dextro, femore sinistro, tandemq; ad spinæ caudam quamprimũ inustos propono, atque vt fonticuli magis, ac

magis

magis prodessent, pilas in iisdem gestari iuberem ex puluere hellebori nigri, & agarici simplicis cum cera excepto paratas, extrema quoque fricari, vinciri, lauari aqua actu calente, ac iugiter ventosari vellem. A

De pharmacis autem ita sentio, vt ad vniuersalia, ac particularia redigantur, in genere priorum primo occurrunt quæ materiam genitam respiciunt, & sunt præparantia, & euacuantia. Priora erunt; quæ ex betonicæ decocto, boraginis, buglossi, fumariæ, lupulorum, agrimonij, cicorij, passularumque & syrupis appropriatis fiunt; Posteriora verò, si sint euacuantia sensibiliter, ac primum lenientia, occurrunt tamquam accommodatiora syrupus de polipodio magistralis, & mel rosatum soluens; si sint purgantia per aluum, ab infuso hellebori nigri, & Agarici cum electuario lenitiuo, aut decocto Epit. aut syrupo de polypodio dicto, non est recedendum: quinimmò non semel, sed pluries hoc vel simili medicamento vti proderit, quocirca hellebori eiusdem præparati tum puluis succo rosarum pluries irrigatus; in vmbraque siccatus, tum extractum eiusdem mihi plurimum arrident; huc infusum myrobolanorum Indorum, & chebulorum in vino subdulci, necnon epitimi in sero caprino depurato, prout Dioscorides perhibet, est vt referatur. B

Nec ab horum vsu me abducit illud, quod, scilicet, per locum affectum non sit euacuandum, quoniam id ipsum in Medicina (vt dicunt) regulari, non autem coacta, qualis est, quæ nunc facienda proponitur veritatem habet: Accedit, quod vtique per partem affectam euacuare conueniens est, vbi materia medicamento purgante deducta in ipsa non detineatur, sed statim educatur, eo purgantis genere, cui medicamentum aliquod robur addens sit ad nexum, & idcirco myrobolanos, Rhabarbarum, ac similia addere si opus fuerit, expediet.

Sed purgantia per sudorem, vrinas, ac vomitum non despicienda, Pro sudoribus ergo mouendis præter syrupum Sancti Ambrosij vocatum extractum cardui benedicti, decoctum chinæ, & salsæ, modicique guaiaci, aliquot simplicibus diureticis temperatis, ac emollientibus, cicoreaceisque temperatum, instrumentum ligneum ad sudores mouendos paratum summisislaudibus extollo: Pro ciendis autem vrinis ab vsu seri caprini infusionis anisorum destillati adiecto lacte sem. melonum non recederem, quo non conferente ad puluerem rubeam tinctorum, ad spiecies electuarij Iustini adscendere non dubitarem. Vomitus si modo ad ipsum pronus, facilisuè patiens fuerit, copia cibi sæpius moueatur. C

At si medicamenta euacuantia insensibiliter agant, Medicamentum aliquod ex viperis paratum, item ius galli antiquioris, simplicibus ferè omnibus commemoratis medicatum, necnon ammoniacum cum lacryma terebinti, vtramque antidotum magnam, ac salem theriacalem ex conserua boraginis propinatum omnibus præfero. D

Verum si medicamenta respiciant meteriæ morbificæ generationẽ, potissimum ad viscerum alterationẽ diriguntur, quare gratia iecoris præter lac asininum, atq; caprinũ serum cum succo cicoreaceorum assumptum, thermas etiam frigidas bibitas de more probo, sicuti & perfusionẽ factam ad hypochondriũ dextrũ cum succo præ dicto adiecto aceto, ac tandè balneũ aquæ dulcis non improbo; gratia verò lienis forsan læsi vsũ tum trociscorũ de capparibus, vel de agno casto, item & medicamẽti ex calybe assumẽdorũ, tum ammoniaci in aceto dissoluti cum succo radicis cyclaminis, & oleo capparorum admouendi propono proficuum; Postremò gratia ventriculi mastichem, nucem myristicam conditam omnibus præfero, vrgenteque necessitate termas calidas non vitupero, à quarum vsu si aliqua noxa timeatur, licebit ex oleo communi, atque butyro clysteres inijcere; Exterius pro eodem ventriculo conuenit ceratum ex mastiche

cum

E cum speciebus diambræ, aut etiam stillicidium stomaticum, prout decet paratum.

Topica post hæc occurrunt, & primum sub forma insessus, qui commodè satis, vel ex oleo sem. lini, vel ex lotura lanarum, vel ex decocto herbarum emolientium, adiectis pinguedinibus, ac medullis poterit parari, quibus in progressum addere licebit oleum rutaceum, irrinum, ac laurinum, licebit & incoquere herbam Nicosianam, radicem peucedani, atque cucumeris agrestis; Pariter inijcere prædicta medicamenta vel primo medicamentum filij Zachariæ, ceratum ex Aesipo, & diachilone gummatum, deinde ceratum sacrum dissoluta in vino decoctionis fœnugræci erit opportunū sed mihi maximè placet iniectio, quæ fit ex mucilaginibus altheæ, fœnugræci, sem. lini cum succo tabaci; Tentæ etiam ex lana, quam succidam dicunt, prædictis imbuta vti & glandes factæ ex pinguedine capræ, leonis, vrsi, Medulla ceruina, & gummi ammoniaco, bdeilioque, ac puluere radicum cucumeris agrestis, & florum tabacci Indi F non sine fructu vsurpari poterunt; luta quoqoe Patauina, primum Diui Bartholomæi, deinde Sanctæ Helenæ quomodocumqne administrata meo iudicio mirifici erunt vsus, quinimmò cum sciam ex his olea chymice parari, illa propterea (sicuti & balsamum verum) iniecta maximè efficacia futura prædico. Et quantum ad suffitum attinet statuo, dum frequens est vsus patienti iam dictorum, licere etiam sibi per anum fumum recipere, qui tum ex lapide pyrite, vel molari ignitis ac aceto acerimo aspersis, tum ex decocto actu calente simplicium dictorum facto in loctura lanarum, & aceto, in quo lapides igniti fuerint extincti, excitatur.

Viuendi modum appositum non propono, quoniam ab excellentissimo curante appositè satis superque poterit institui, solum illud admoneo, vt continuo patiens bibat vinum aliquod cum china, guaiaco, boragine, buglosso, ac similibus medicatum, & aluum sibi lubricam clysteribus emollientibus, passulis, ac prunis præparatis con-G seruet; Atque hæc sint satis à me nunc proposita pro salute nobilis viri, cui Deus vtinam faueat.

PRO QVODAM ILLVSTRISSIMO, AC NOBILISIIMO Comite affectu melancholico Hypochondriaco detento.

CONSVLTATIO XCVIII.

H

AFFECTVS melancholicus, maximè verò qui flatulentus, & Hypchondriacus vocatur, adeo nostris temporibus frequenter ingruit, vt quemadmodum nullus ferè ab eius labe immunis reperitur, ita propria natura omnium quasi morborum, omnium penè Symptomatum occasio existat, id quod in omnibus, at præsertim in illustrissimo. Comite hoc eodem affectu detento est obseruare; quod etenim ille primo melancholicus existat, indicio sunt timor, ac tristitia, quod autem fomes in hypochondrijs subsit plura attestantur, dolor inquam, grauedo, ac quædam ventriculi subtumescentia, rugitus imi ventris, ac tandem aluus sicca, sitisque, & ori, amaror prægressa.

An verò affectio hæc hypochondriaca fit initiata, vel progressa, vel, consumata, & an per iecoris, vel ventriculi vitium fuerit suborta vel ex hoc est decernendum, quod cum emaciationis totius insolitæ, & motus praui Cordis, pulsationisque ad fundum ventri-

ventriculi (quæ affectus hypochondriaci in tertio gradu perpetui sunt comites) A nulla fiat mentio, nulla ratione passio hæc flatulenta sit consumata; Verum quoniam post diligentem non semel habitam medicationem nobilissimus patiens non solum sanitati haud fuit restitutus, sed priora potius mala grauiora reuixere, adhuc & nouæ calamitates subortæ fuerunt (quæ morborum progressorum certissima testimonia esse solent) præsentem affectum melancholicum, non tantum initiatum, verum etiã satis progressum existere non dubito. Quod autẽ totius mali origo à iecore fuerit, ex illa siti, ac oris amarore præteritis, iecori feruidioris vera sobole facilè est intelligere.

Quibus hunc in modum habitis, huius præter naturam affectus generatio, sicuti & cuiuslibet alterius huius census in tenebricosam affectionem substantiæ cerebri à phantasmate ob spiritum animalem tenebricosum simili reddito, & oblato productã est referenda, qui spiritus animalis partim à spiritu vaporoso ex hypochondrijs effumante, partim à spiritu vitali atris, & tetris, tenebrcosus redditur: Effumat verò ab B hypochondrijs vapor ille, quoniam partes abdominis internæ inflammatione veluti alliciuntur, quæ in sanguinem illarum agens, exustionem, & simul euaporationem efficit; solet autem inflammatio ob insignes, & contumaces obstructiones ibidem exoriri, quas quemadmodum puto & à succis crudis in ventriculo ob errorem facultatis concoctricis propter iecoris æstum, ac forsam copiosum potum siti suadente ingestum, & à sanguine propter iecoris feruorem crassefacto olim excitatas fuisse, ita & nunc ab ijsdem, necnon à destillatione illa subdulci, aliquando etiam amara, varijs modis tum augeri, tum foueri existimo, sicuti etiam & spiritum vitalem funestum, ac syluestrem ex melancholico sanguine a iecore cordi suppeditato oriri non ignoro.

Cœterum, quoniam tum ex relatu illustrissimi patientis, tum ex prædictis omnibus quamlibet ferè corporis partem ob vnicum affectum melancholicũ pluribus Symptomatibus immaniter exerceri constat, superest, vt horum vnumquodque in sua principia referatur. Destillatio igitur, vt ab hac exordiar, quia est opus præter naturam, C necessariò ab aliqua actione capitis læsa dependet, talis autem nulla alia esse potest, nisi coctio, cuius causa non tantum alimentum, sed etiam excrementum illud destillans gignitur; Atque in casu nostro actio illa læditur, non modo ob intemperiem humidam, & fortè etiam calidam, quando in sputis aliquis amaror degustetur, verum & ob errorem externum, ob habitum videlicet vapidum à ventriculo in caput iugiter eleuatum.

Vigilia pariter quoniam fit, vbi cerebrum vapore alimenti condensato destituitur, huiusmodique vapor ob caliditatem rarefieri, ob siccitatem absumi potest, non miror si patiens illustrissimus vigilare cogatur, nam & cerebrum iusto calidius habet, quod siccitatem merito materiæ melancholicæ sibi suppeditatæ nanciscitur.

Strangulationem verò quandam vir nobilissimus persentit, quoniam flatus multi- D plicati supernas partes premunt, ac sursum pellunt.

Ventriculus ob copiam flatuum distendentiuum dolet, à quibus vna cum succo aquoso (in quem cibi propter caloris natiui defectum pro maiori parte mutantur) prout quiescunt, eiusdem ventriculi subtumescentia, quatenus autem hinc indè mouentur per ventrem, murmur, quod aquæ curentis fragorem ex Cœlio Aureliano æmulatur, ortum ducunt; Ex horum postmodum flatuum minera, succo inquam crudo, reliqua Symptomata pendere statuo, hæc enim in ventricnlo detenta, ac parietibus eisdem hærens, grauedinem illam efficit, & ad intestina propulsa tum inuiscando, tum acrimoniam bilis expulsionis fœcum destinatæ retundendo aluum stipticam facit, ad quod feruor igneus partium abdominis adeò exicans non parum conducit.

Vt ex his statim appareat vniuersam medendi rationem eò dirigendam, vt obstructiones per alterantia, detergentia, & incidentia reserentur, iactura caloris natiui

ventri-

E ventriculi per moderatè calefacientia reparetur, viscera in contrarium alterentur, ijdemque per appropriata præsidia robur indatur, tandem spiritus omnes placidi, ac domestici per animum exhilarantia reddantur, ante hæc omnia tamen vniuerso corpori per humores, & flatus deterrimos paulatim, & blandè consumentia est prospiciendum.

Sed vtinam, quemadmodum scopos hosce adinuenire non fuit difficile, ita eosdem assequi facilè liceret, solent etenim huiusmodi affectus maximè contumaces, atque rebelles esse, non modò quia sint progressi, à succis crassis materijs præsidiorum reluctantibus pendeant, contrarias indicationes Medico curanti proponant, viscera ferè vniuersa malè afficiant, facultatem totius regitiuam lacescant, sed etiam propter id, quod passio melancholica id vitij solet habere, vt plerumque discursum, ac intelligentiam cõtaminet, sine quorum integritate patientes nec sibimet imperare, nec Medico

F obtemperate valentes, in dies mala superatu difficiliora reddunt, quamprimum ideò, & maiori qua fieri poterit diligentia patienti nostro nobilissimo succurrendum.

Quare ad materias Medicas descendens, de chirurgica ita decerno, vt quamprimũ non solum ex vena mediana cubiti dextri, sed etiam ex saluatella sinistra sanguis mittatur, quinimmò si hic ipse exiens minimè nigricans, & fœculentus inspiciatur, vt sanguis ex talo dextro, vel sinistro, prout magis opportunum videbitur, detrahatur magis probo, nam sanguinem ex venis infernis, saltem Vere detractum omnibus melancholicis prodesse scribitur libro de curandi ratione per sanguinis missionem, post venæ podicis, non semel sed quibusdam statutis interuallis de more hyrudinibus aperiantur, ea tamen adhibita diligentia, vt sanguis crassius prodeat; Fonticulus quoque duplex, alter in femore dextro secundum partem domesticam, alter in brachio sinistro excitatus maximè arridet, sicuti & frictiones, & ligaturæ, lauationesque cum aqua

G actu calente partium extremarum non displicent, quinimmò & dropacismos, & vesiccannia ibidem applicita, suadente vsu, atque necessitate haud aspernari decet.

Pharmaca omnia ad euacuantia, & alterantia redigo. Euacuantia vel sensibiliter, vel insesibiliter agunt, si sensibiliter, occurrunt lenientia, & purgantia; in serie priorum laudo syrupum de polypodio magistralem cum melle rosato solutiuo completo, ex succisque herbarum parato, & vocato, vel cassiã cum electuario lenitiuo, in genere verò posteriorum, purgantium scilicet per aluum, infusum agarici, & senę, aut etiam si videbitur opus, hellebori nigri præparati, adiecta portione Rhabarb. vna cum manna, & syrupo de polipodio iam dicto potissimum seligo. Cœterum qnoniã ea est Melancholicorum conditio, vt sicuti secundum corpus ex Aristotele assiduò agitantur, ita etiam assiduis Medicinis sint tratandi, censeo propterea fore necessarium, illustrissimum patientem aliquo purgante, placido tamen, sæpius vti debere,

H quale erit vel syrupus ille de polipodio, aut etiam cum veratro nigro paratus, vel infusum epitimi cum miyrobolanis Indis, chebulis, & citrinis ex sero paratnm, vel cydoniatum, quod.

℞. Polypodij quercini rec. } *an. cnc. iij.*
Epitimi
anisorum onc' i.

M. & bulliant in lib. v. vini albi aromatici, & f. colatura in qua bull. pulpæ cydoniorum lib. iij.

pulue-

pulueris mechiocani vnc. iij.
cinnamomi vnc. ſ.
ſacchari fini q. ſ.

E

M. & fiat Confectio ſub forma diacydonitæ.

Vel tandem tempore frigidiori, aut ſaltem temperatiori vinum cum ſena, & cartamo medicatum, & ſuadente, poſtulanteque occaſione ab vſu & extracti, & pulueris corticum veratri nigri (dummodo tamen puluis hic pluries ſucco roſarum fuerit irroratus, ac poſt in vmbra ſiccatus) non abhorrerem.

Sed & per vrinas etiam purgare hoc in caſu licebit, quocirca ſerum caprinum, vel vaccinum infuſionis ſeminum aniſorum diſtillatum cum ſyrupo de liquiritia propinatum huc pertinebit, ſicuti & lac ſeminum melonum, nucleorumque perſicorum cũ iure decoctionis ſenecij diſſolutum.

F

Pro euacuatione autem inſenſibili decoctum radicis chinæ cum tantillo ſaſſafras, prout decet caſtigatum, omnibus præfero; His omnibus & illud addo, quod ſi caput peculiari aliqua euacuatione indiguerit, nulla accommodatior ea poteſt excogitari, quæ fit per herrina primum mitiora, deinde efficaciora.

Alterantia deindè medicamenta ſi ad præparantia referantur, inter cętera decoctũ cicoraceorum, boraginis, bugloſſi, fumariæ, lupulorum vna cum ſyrupis accommodatis probatur, ſi ad obſtructiones (in quas poſt totius prouidentiam hoc tẽpore meo iudicio eſt incumbendum) dirigantur, hæc quattuor numero conſtituo.

Primum in quo magis fido, calybs exiſtit præparatus ex vino, vel ſaccharo boraginato, & cicoreato ad omnem exiccationis ſuſpicionem amouendam exhibitus; Alterum eſt ius Galli iunioris cum china, & ſaſſafras, capillo veneris, citrac, agrimonio, boragine, bugloſſo, cicoraceis, radice apij; & filicis maris, tartaro albo, & paſſulis paratum, quod ſoluens cum maximo fructu reddi poterit, vbi in eo interpoſitis quibuſdam diebus maceretur polypodium, ſena, & cartamus, necnon etiam helleborus niger; Tertium eſt oxymel aliquod longum, ſeu potius ſyrupus acetoſus paratus cum decocto ſimplicium prædictorum, adiecto, præter ſaccharum, ſyrupo de pomis; Huc pertinet poſtremo loco ſuccus abſynthij concretus; At ſi alterantia intemperantias viſcerum reſpiciant, pro capite ſaccharum roſatum, & violaceum hora ſomni deuoratum; itemque lotio capitis humida facta cum lixiuio dulci decoctionis roſarũ myrti, camomelli, betonicæ, & ſandalorum loco ſaponis oui vitello aſſo ſubſtituto probantur. Pro ventriculo theriaca mediæ ætatis ſerena ab Andromaco vocata tempore aſſumpta frigidiori mihi ſummoperè arridet, quando & ad calorem natiuum ſuſcitandũ plurimum conducat; Extra tamen ſtillicidium factum cum oleo amygdalino dulciũ, in quo ſtomatica incoquantur, adiecto modico vini Cretici, & facta ebullitione in duplici vaſe omnibus antepono, pro iecore verò ſuo tempore conueniet ſuccus cicorij cum ſero, necnon lac aſininum, vel caprinum bibitum, thermas frigidas quemadmodum & calidas non propono, tamquam eas, quas valdè propter ſiccationem non modò ſuſpectas, verum etiam noxias eſſe, ratio ac experientia demonſtrant, quamquã putem Tettuccianam ad prima vaſa detergenda bis, vel ter aſſumptam (dummodo à corpore excerneretur) poſſe vſurpati, aliàs etenim & propter calorem, & propter ſiccitatem ab ea abſtinendum; exterius autem tempore debito à balneo aquæ dulcis non recederem, ſicuti neq; ab aſſidua irrigatione, & illinitione hypochondrij dextri cum ſucco cicorij, aceto, ac ſpeciebus cerati ſandalini, & cum vnguẽto ſandalino deſiſterẽ. Poſtremò pro exhilarando animo ſmaragdum, lapidem bezarticum, & hyacintum

G

H

E cum saccharo borraginato, vel potius confectionem ex hyacinto; Alchermesque dictam cum conserua cicoracea assumpta, atque cordi illita propono.

His addatur ille viuendi modus accommodatus, quem exactus, ac diligentius Excellentissimus curans præscribere poterit, quàm hic ego proponere possem; Id tamen animaduertam, vt scilicet Illustrissimus patiens continuò vinum bibat extinctionis auri, vel hoc tempore vindemiarum cum radicibus buglossi, & boraginis, adiectis cũ floribus Anthos, in modica tamen quantitate, tum sandalis albis medicatum. Amplius vt aluus in proprio officio sit obediens, panem ex tota farina cum modico salis, & passulis confectum, vel passulas, ac pruna dulcia imbibita manna dissoluta in decocto Polypodij, & Epitimi in prima mensa comedat; quamquam etiam & clysteres emollientes, ac paulò acriores iniectos non parum conducere posse certò sciam. Et hæc sunt, quæ nunc habui proponenda pro salute Illustrissimi, & nobilissimi Comitis, Deũ F autem O. M. interea precabor, vt in illius salutem cedant.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILI ADOLESCENTE IMOLENSI in Maniam interuallis quibusdam incurrente.

CONSVLTATIO XCIX.

G SICVTI dispositio tenebricosa cerebri melancholicam inferens mutata in igneã potest maniam inducere, vt sæpius, ex omnium consensu melancholici Maniaci euadant, ita non est, vt aliquis admiretur, si nobilis, & egregius adolescens ob temperamentum calidum, ac siccum ad posteriorem affectum pronus, prius melancholia detentus, in delirium tandem maniacum interuallis quibusdam propter cõtemperamentum ab ætatis humiditate illatum inciderit; Delirium attestantur garrulitas, verbositas, & multa absurda, ac præter rationem dicta; furorem verò plura demonstrant, potissimum autem, quod quos obuios habuit, non leuiter percussit.

Vitium profecto huiusmodi sic generari contingit, vbi spiritus animalis igneus redditus phantasma igneum, & ob id ignem dispositionem cerebri producit, est in causa, vt actio eiusdem princeps corrumpatur; quæ tali pacto corrupta, nihil aliud est, nisi mania, Spiritus autem ille sic igneus redditur ob intemperiem calidam ipsius cerebri, & ob succos mordaces: verum intemperies in præsenti reijcienda, quoniam affectus est interpolatus, remanet igitur, vt eius origo sit à succis illis, & eo magis, quoniã delirium, non tantum non est assiduum verum nec vniforme, succi autem cum possint esse sanguinei, biliosi, & atrabilares, puto ego in patiente proposito biliosos, atque aliqua ex parte attrabilares, quando excreta per aluum acria, necnon linteamina erodentia obseruentur: In qua humorum miscella atram bilem ex eo mihi persuadeo, quod non proponitur studium cum excandescentia indicium bilis dominantis; Cœterum cum atra bilis fiat, & per putrefactionem, & per exustionem, vtraq; hic meo iudicio locũ habet, prior ob fletum cum aliqua excandescentia, fętoremque ab aluo prodeuntium; posterior ob audaciam, ac propensionem ad percutiendum; Et si nunc affectus mitior redditus fuerit, nec ferociat, ac insæuiat, hoc mea sententia contingit, quia rimediorũ vsu, atque etiam præsentia sanguinis in caput ob feruorem attracti refractæ fuerunt, ità dictorum succorum vires, vt necessarium omninò sit, morbum etiam mitescere, & hæc est causa, ob quam patiens noster profundè dormiat, & hilaris interdum inspicientibus

cientibus occurrat, solet etenim sanguis alijs succis in capite permixtus, propria humiditate, & nostræ naturæ familiaritate similia parere; Generantur autem humores prædicti in iecore feruidiori ex chilo pariter calidiori, sed hisce omnibus errata externa, præcipuè in studijs perpetrata, tanquam causas coadiuuantes addere liceat. A

Atque sic quicumque præsentem affectum curare voluerit, hic ipse eò totum studiū dirigat oportet, vt scilicet omnis occasio gignendi succos hosce per iecur refrigerãtia submoueat: Interim tamen qui geniti euacuandi, à cerebro retrahendi, ac attemperandi sunt, atque delirium, si quando occurrerit, anodinis mitigandum, vigiliæ corrigendæ, tandemque cerebrum refrigerandum, & confirmandum.

Quæ omnia per materias præsidiorum ad vsum perductas, quamquam haud semper assequatur Medicus, & si sic, cum insigni admodum difficultate, quoniam nulla desipientia est secura ob insignem recessum à statu naturali ratione propriæ essentiæ morbi, Symptomatis, & causæ, ob partis affectæ præstantiam, atque tandem etiam aliquando ob difficilem morbi tolerantiam, vt sæpius vires deijciantur, qnia tamen in patiente nostro malum non est assiduum, copia carnis in toto attemperationem quandam pollicetur, medicamenta, atque cibum non renuit, atque in Medicum incidit (quod est maioris momenti) qui & omnia mouit pro sanandis ægris, & hæc ipsa summa cum dexteritate administrat, spero futurum vt malum ex toto finiatur, aut saltem magis, ac magis imminuatur. B

Qua bona spe ductus & ego ad materias medicas descendens de chirurgicis, ità statuo, sanguinis missionem aliquot interuallis repetitam summoperè prodesse posse; non solum quia sanguis peccat, verum etiam quoniam feruor sub hoc affectu maximè vigens extinguitur; fiat autem missio sanguinis per sectam venam in cruribus, in brachijs tum internam, tum externam, in fronte, prout sanguinis vitium penes motum, vel copiam in toto tantum, aut in toto, & capite simul, aut in capite tantum obseruabitur, in quò postremò casu Auicenna etiam aperit venas sub lingua; Verum & sanguis postulante vsu, rursus ex venis ani præcipuè hoc tempore per hyrudines applicitas, alijs verò temporibus ex dorso per cucurbitulas mitti poterit; Fonticulus ille in vertice capitis, sicuti & alius in femore dextro secundum partem domesticam mihi summoperè probatur, quod audio etiam ab Excellentiss. curante fuisse sancitum, & adnotatum; quinimmo & in maxima materiæ peruicacia à vesiccantibus humeris, ceruici, & capiti applicitis non abhorrerem, quando caput cruentum, ac sanguinolentū, cum puluere acri reddendum esse Alexander asseruerit. C

Pharmaca respiciunt materiam, partes, & Symptomata, furorem inquam, & vigilias; ratione materiæ, quamquam statim à principio ad fortiora soluentia deuenire liceat, quoniam materia membrum princeps petit, quia tamen nunc affectus est satis mitis, à lenientibus, vel saltem minorantibus exordier, quo circa ex syrupo de polypodio magistrali, vel electuario lenitiuo, & Diapruno, Scammonio non referto medicamentum conficerem, deinde iure pulli, in cuius ventre incoquerentur cicoreacea, borago, lupulus, fumaria, flores violarum, & lactucæ semina cum passulis humores præpararem, ad quos postea deturbandos, si patiens quæcunq; medicamenta non admitteret, vterer cydoniato (quod nunc parari posset) cū Diagridio, & extracto hellebori nigri, quinimmo ex ouo sorbili, & aliquo etiam, vt dicunt, morsello, hæc ipsa offerrem assumenda; Pruna quoque, passulæ, & Caricæ his eisdem medicamentis præparari possent, quo in casu pariter clysteribus acribus vti non desisterem, verum urgente necessitate nulla ratione stybium præparatum omitterem, atque hisce medicamentis, aut etiam alijs placidioribus, sicuti syrupo de helleboro Lusitani, infuso Epithemi, ac Rbab. cum mirob. citr. & Indis ex sero caprillo ut egregius adolescens uteretur summoperè laudarem. D

E Sed & ad euacuantia insensibiliter est deueniendum, balneum itaque aquæ dulcis omnibus preferrem, & pro capite primum repellentia vti oxyrodinum adiecta lactuca, & papauere, deinde discutientia materiam in capite, vt illinitionem cum adipe Scrophæ factam, Catulosq; scisos per dorsum adhibitos probarem; Atque à Balneo corpus hydreleo inugi curarem.

Pharmacapartium sunt alterantia, gratia ergo iecoris serum cum succo cicoreaceorum quinimmo & lac ipsum asininum potum maximè opportunum censeo; sed & perfusio ex succo cicorij cum aceto, ac speciebus cerati sandalini hypochondrio dextro facta vtilis valde apud me habetur. Pro capite cucurbitam, lactucamque saccharo conditam, necnon conseruam violaceam, & nenupharinam hora somni deuoratam valde probo; At quod mihi maximè foris adhibitum arridet, est embroca facta cum decocto pedum, & capitis veruecum, simplicium refrigerantium, ac humectanctium

F necnon soporiferorum, ac adiectis camomelo, anetho, & althea ad penetrationem, conseruationemq; caloris cerebri; in eundem vsum pariter facit lac vaccinum cum aqua solani, & oleum violaceum cum modico olei anethini; Ab embroca verò fiat illitio cum populeo adiecta quarta parte olei anethini, vel adhibeatur omentum veruecis calfactum in oleo violaceo addito opio, & modico Croci.

Ad Symptomata duo sunt ex vsu, soporifera, & quæ furorem demulciant, pro somno igitur inducendo præter ea, quæ supra, primum lotiones extremorum, illinitiones partium pulsantium, pilulas deincèps de cynoglossa à cœna assumptas quin probem efficere non possum. Pro furore autem demulciendo præter mitigantia, & anodina emplastica omnibus cognita & quæ etiam agunt à proprietate intus, & extra mihi non improbantur; Testudinis ideo Cinis potus, & rasura Cornu Renoceruntis assumpta, oleo verò gagate illitum, & Dens Equicapiti appositus arrident.

G De victu statuo, vt patiens cibis boni succi vtatur, ac à dulcibus, salsis, acribus, adstringentibusque abstineat, atque in cibarijs diureticis vti debet, & ab omni cibo cydoniatum. vel saccharum rosatum antiquum deuoret, inuadente autem furore vt cesset à vino omni studio cauendum, quod alijs temporibus bibere poterit potius subrubrũ, aquosum, & cum radicibus recentibus buglossi, floribus, boraginis, & violarum medicatum; Ad hæc vt somnus concilietur, cibis incoquenda lactuca, atque papauer; Aluus clysteribus, qui aliquo modo etiam refrigerent est irritanda, ac patiens in maxima corporis, & animi quiete detinendus. Et hæc sunt, quæ non tanquã noua, sed tanquã sententiã Excellentissimi curantis confirmãtia adduxisse volui, faxit modo Deus, vt in salutem nobilis adolescentis cedant, quem admodum ex intimo cordis exopto.

H *PRO NOBILI, STVDIOSOQVE IVVENE, TVSSI humida cum rudimento Asthmatis, dolore coxendico necnon macie totius affecto.*

CONSVLTATIO C.

AFFECTVS diligenti examine in præsenti casu opus habentes numero tres existunt. Primus est tussis humida cum rudimento aliquo Asthmatis ob sonitum, qui in aspera Arteria ab ægrotante percipitur; Secundus dolor est coxendicis sinistræ qui non modo articulationẽ, sed partes vicinas occupat, ita vt tota ferè corporis pars sinistra in consensum trahatur; & postremus affectus est macies totius insignis, ex quibus patet, loca affecta pulmones esse cum asperis Arterijs; Articulationem sinistram femoris, partesque adiacentes, tandemq; totum corpus.

Horum

Horum affectuum causa est indaganda, quocirca vt breuibus agam dico mala omnia hæc ab vnica destillatione à capite pendere, quæ quidem destillatio mixtæ naturę, partim inquã calida, partim frigida partim crassa, partim tenuis, & partim demũ salia (prout refert patiens) existit: Est autẽ huiusmodi destillatio partus facultatis concoctricis cerebri ob intemperiẽ humidã potissimũ à scopo aberrantis, vnde Aristoteles quinto de partibus Anim. dicebat, hominem maximè tussire, quia cerebrum humidissimũ habet, vt in homine nõ sit mirũ, si ita facilè & freque͂ter genere͂tur destillationes, & à destillationibus tusses fiant; generatur itaq; destillatio prædicta à concoctrice cerebri præter naturam se habente, quatenus multos humores crudos aggregat, quibus vapores feruidi à iecore transmissi, humorque biliosus ab eodem capiti communicatus commiscentur, ac sunt in causa, vt destillatio multoties salsedinem acquirat, cumque in cerebro copiosa fuerit coaceruata, ad totum, & partes ab expultrice facultate transmittitur, ad totum per venas, hinc sanguis veluti dilutus ab huiusmodi destillatione inquinatur ita, vt aptè (prout diceret ex Hippocrate in Libro de Glandulis) non possit agglutinari; præterea vbi membra non probè nutriuntur calor natiuus langueat necesse est, hinc alimentum non trahunt, accedit, quod cum noctu potissimum ad ventriculum etiam portio destillationis descendere possit, coctio vitiatur, prima autem coctione vitiata, facilè fit, vt secunda pariter, imò verò tertia vitietur; At quatenus eadem destillatio ad partes, & primum ad asperam Arteriam ac pulmones demittitur, ea ratione tussis est causa, qua in facultatem expultricem, tanquam obiectum irritans agit, hinc partes eiusdem læsione percepta ad expellendum insurgunt, simulque musculi thoracis vndequaque eundem thoracem comprimunt, hinc spiritus à pulmonibus violenter effertur, ac tandem quod noxium est vna cum spiritu educitur, vt iure Arist. prima Probl. 1. & 53. hominem magis tussire quam belluas dixerit, quoniam hæ etsi tussiant nil tamen educunt.

Vnde nam autem sit quod iam incæperit patiens persentire sonitum quendam in aspera Arteria, ac difficilem aliquo modo respirationem habeat, non erit abs re, vbi breuibus innotuerit, puto itaque id totum referendum esse in destillationem illam vias pulmonum obstruentem: Et si aliquis (quod plurimum etiam facit ad curationem) quæreret an sola destillatio hos omnes præter naturam affectus parturiat, an verò adhucetiam in pulmonibus aliqua portio humoris pituitosi generetur; Responderem, quod hoc accidere neutiquam potest, propterea quod pulmones huiusmodi humores non gignunt, nisi laborent intemperie in habitu, quæ non nisi ad longum tempus, & decrepitis ipsis introducitur.

Tandem prædicta destillatio ad articulationem transmissa extensionem ratione partis frigidæ, & crassæ, lacerationem verò ob sui partes calidas parit, quæ duo cum soluant continuum, & continui solutio, tamquam obiectum improportionatum ipsi organo tactus agat, necessariò sensum tristem, & proinde dolorem infert in mẽbranis, neruis, ac tendonibus Coxendici adiacentibus; Causa verò, propter quam tota pars corporis sinistra malè habeat est, quoniam partes laborantes in hoc dolore illi consentiunt, sed & accedit, quod in dolore coxendicis thorax in consensum trahitur, quia quartus mosculus thoarcis ad os ilium, & sacrum producitur, vt affecto articulo femoris alicuius thoracem secundum latus illius condolere sit necessarium; Verum ad hunc dolorem maximè conducit imbecillitas loci, tamquam passum habile, quæ quidẽ imbecillitas ob luxationem passam, dum patiens esset infans, ob negligentiã nutricis fuit acquisita: Ex quo nam verò fiat, quod crus affectum magis sit extenuatũ, à luxatione pendere putò, meritò cuius venæ cõpressę transitũ prohibent ipsius alimenti.

Cœterum quid sperandum sit de exitu horum malorum vix proferre audeo, atque vtinam malus euentus non succedat, nam præter id, quod extenuatio

E est insignis, mala plura numero existunt, partes principes, ac illis inseruientes laborant, imminet Phtisis, Asthma, Ortopnæa, iuxta quod à Galeno 6. Epid. Commentario secũdo t. 24. traditur, omnes tusses ex prauo defluxu (qualis est salsus) malas esse.

Medicus tamen curans debet omnes neruos contendere, vt si mala præsentia non auferantur, imminentia saltē præcaueātur, hinc à destillatione exordiri tenetur, quæ cohibenda, aut verè per alterantia cerebrum ad siccum, & iecur ad frigidum, aut intercipientibus, & sistentibus eadem destillatio in aliam partem est deflectenda, deinde quod fluxum euacuandum, corpus resarciendum, ante quæ omnia toti est prouidendum; etsi occurrerit quod ille dolor coxendicus curationem interturbet, ipsi quoque per Anodina erit occurrendum.

At quibus materijs Medicis hæc præstare liceat, breuib. aperio, ex parte igitur chirurgica aliqua desumi possunt, quæ partim sanguinē, partim succos diuersos à sãguine euacuandos respiciunt; Sanguinem respicit venæ sectio, quæ vt verum fatear, non F erit administranda, nisi dolor ille coxendicus admodum insæuierit, tunc enim secta vena scia thali cruris affecti, sanguis (modestè tamen) erit detrahendus; Materiæ chirurgicæ, quæ respiciant succos alios, cauteria sunt in capite, & crure sano, in capite quidem ad occiput; vbi cauterium duplicatum, quod setaceum dicunt, mihi magis arrideret, atque sic etiam haud tolleretur occasio aliqua remedia syncipiti adhibendi; Inustio etiam super locum affectum ex sententia Albuchasis, trina, aut vna tantum non displicet, imo verò picationem pro crure extenuato valde probo; sicuti fricationes, deligationes, ventosationesq; partium sanarum probo, & perseuerante affectu cauterium in affecto crure non vitupero.

Medicamenta totius primum patienti sint in vsu, quocirca ad leniendam aluum Casia cum manna, vel mel. viol. ros. cum eadem manna, ad præparandos humores G decoctum iuæ, betonicæ, farfaræ, pulmonariæ, cicorij, & boraginis cum syrupis proprijs, ad purgandum sensibiliter infusum Agarici, Rhabarbari, & senæ cum manna, vel melle viol. sol. erunt opportuna, quod si purganti fortiore opus videbitur, à pilulis de Agarico Mesue non est recedendum; Ad purgandum insensibiter valet chinæ decoctum, vel salsæ, radicis pentaphilonis cum carne pulli, & simplicibus iam propositis paratum, ea tamen ratione, vt ante syrupum matutinum offeratur patienti pilula ex lacryma therebinti, & ammoniaco cum puluere ireos, atque iuæ.

Post quæ medicamenta versandum in vsu aliorum, quæ si ad pulmones referantur, materiam in illis contentam euacuare debent tum per sputum, tum per euaporantia; per sputum euacuantia plura sese offerunt, mihi tamen inter cętera probatur syrupus de ibisco, confectio papalis, Diatragagantum frigidum cum succo farfaræ, & vbi fortiora opportuna videbuntur, oleum amygdalinum dulce, vel pinearum rec. dilutum H cum aqua farfaræ, in qua semina vrticæ, modicum Agarici trociscati, & ordeum cum liquiritia fuerint incocta, maximè conueniet, sicuti & loch de pino cum puluere radicis ari, vel de succo caulium cum coagulo leporino. Inter euaporantia verò principem habet locum decoctum iam dictum, & eo magis, si prius enarrata simplicia in ventre galli iunioris coquantur, in hunc etiam vsum mihi placet emplastrum ex farina Orobi, Erui, & lupinorum, excepta cum melle, & vino.

Quòd si medicamenta priuata ad catarrhum sistendum, atque siccandum dirigantur, iam pilulæ de styrace, & mxrrha cum opio paratæ, theriaca recentior, pilulæ de cynoglossa, & Diaspermaton Galeni conuenientia existimo.

Ad alterationem capitis embroca siccans est accommodata, inter alias autem huius census potissimum laudo, quæ fit ex decocto aluminis, salis, myrti, foliorum oliuæ, ros. rub. nucum cupressi, betonicæ, sampsuci, camomeli, & absynthij facto in aqua thermali Aquariana, vel Brandulensi, lotioque capitis sicca ex furfuribus, & millio

excale-

excalefactis, vel humida ex lixiuio cineris quercus facta cum sapone Damasceno medicato puluere sandali, rosf.rub. baccarum myrti, sandaracæ Arabum, agalochi, cariophyllorum, & camphoræ, Intus conseruæ capitales hora somni cum conserua rosf. vel viol. conueniunt; Ante quorum tamen vsum caput diligenter est expurgandum pilulis Agaricinis, vel potius assaiaret Auicennæ, necnon herrinis, ac tentis in nares immissis, herrina parentur ex succo radicis ireos, vel cyclaminis cum lacte muliebri castigato; Interim tamen succo cicorcaceorum ex iure pulli, vel sero lactis capræ depurato bibito iecur alterare oportebit, quo eodem succo regio ipsius foueri poterit. A

Atqui Medicamenta, quæ ad coxendicem referuntur, haud sunt negligenda, idcirco quod ad interna attinet, præter lacrymam therebinti cum puluere iuæ, decoctum adhuc hypericonis, atque eiusdem iuæ factum in iure columbi turrialis mihi quamplurimum arridet, quemadmodum clysteres acres maximè oppurtuni videntur, & eo magis vbi pluries in illorum vsu prosequatur Medicus, exterius verò ceratum Diachilon cum colocinthide, & helleboro, sinapismusque conueniunt. B

Ad maciem valet inunctio thoracis, & spinæ dorsi, quæ fit ex oleo amygdalino dulci, & medulla Vituli lotis in aqua violarum, vel quæ inunctio pro spina dorsi dicitur; Balneum aquæ dulcis, nisi esset dolor coxendicis, apprimè conueniret: Interius conuenit lac primum asininum, deindè caprinum, conuenit & puluis impinguans, qui in Antidotario nostro Bononiense descriptus existit, ita valent morselli ex nuce Indica recenti cum saccharo dissoluto in vino fuluo odorato parati.

Tandem si dolor conxendicus vrgebit, inunctio cum oleo therebintinæ chymico, fotus cum simplicium anodinorum decocto; quibus ruta capraria, iua, & Hypericon sint addita valent, in hunc vsum etiam facit Panis grandis factus ex farina Zeæ cum puluere iuæ, florum hyperici nuper è clibano extractus, & applicitus, item & sacculus ex eadem Zea super tegulam ignitam, & aqua ardenti aspersam calefactus, emplastrum præterea ex Cępa sub cineribus cocta cum axungia porcina, & puluere cymini paratum, postremoque embroca cum oleo camomelino, vulpino, & hyperici. C

Victus autem inter cœtera accommodatus est omninò seruandus, patiens ideò omnes aeris inclementias aufugiat, abstineat à cibis vaporosis, crassis, dulcibus, & salitis, à vinis potentibus, & austeris, vtatur itaque bonis carnibus, ouis, amygdalato, pineato, ptisana hordeacea, degustet etiam aliquando pisces in aquis claris, ac inter saxa viuentes, butyro moderatè vtatur, pineas, & semina melonum cum saccharo comedat, vinum pauciferum cum china medicatum bibat, in reliquis omnibus ita sese regat, potissimum in studijs, vt nullum omninò errorem incurrat. Deus autem sit illi propitius.

D

PRO EGREGIO VIRO CONVVLSIONE SECVNDVM ARTVS, ac extrema præcipuè, rudimento priapismi, tensione iecoris ad tactum, Alui stipticitate, Catarrhoque acri laborante.

CONSVLTATIO CI.

POSTQVAM in egregio viro motus læditur, ipsum vel paralysi, vel tremore, vel conuulsione detineri, est necessarium, quoniam hi præsertim sunt motus præter naturam affectus; verum non tremore, quia sub eo partes à sursum in deorsum mouentur, quod in casu nostro haud obseruatur, in quo potius retractio

E quædam partium conſpicitur; non paralyſi, nam ſub hac motus eſt ablatus, & membra non contrahuntur, hic autem etſi nec motus, nec ſenſus adſint, extrema tamẽ prçcipuè remanent contracta; relinquitur ergo, vt conuulſione vir propoſitus corripiatur, quæ cum attineat, vel ad totum, vel ad partem, conuulſio hæc partialis exiſtit quæ cum adhuc varia ſit pro varietate partium, in præſenti Artus, & extrema potiſſimum laborant; Rurſus cum conuulſio ſit, aut legittima, in qua actio animalis læditur, aut ſpuria, ob quam naturalis actio vitiatur, nunc prior locum habet, nã motus prauus euidens eſt; & membra non quaſſantur: Ad hæc quoniam muſculi contrahuntur vel à neruis, vel à ligamentis, interim non à ligamentis, vbi enim hoc accidit mẽbra non conuelluntur, quod in præſentia contingit.

Cœterùm huic vitio, & quædam alia connectuntur, primum eſt rudimentum priapiſmi, quoniam citrà patientis voluntatem penis erectus manet, ſine palpitatione F tamen, vt non ſit ſatiriaſis; Alter affectus eſt in iecore tenſio ad tactum ſatis apparens; ſed eſt dubium, quomodo iecur afficiatur, & patiens benè coloratus exiſtat. Dico faciẽ ex propria natura raram eſſe, & ideò facilè etiam reciperè, etſi calor accedat, facilè etiam fit attractio ſanguinis, à quo rubor; Tertius affectus eſt alui ſtipticitas, poſtremus catarrhus exiſtit acris, & calidus (vt pruritus aurium, & oculorum demonſtrat) qui cum ad palatum decumbat, iure nomine generis eſt nuncupandus, ſic enim dicitur catarrhus ſimpliciter.

Cauſas horùm malorum ſic adinuenire licet, conuulſio eſt actio nerui vitiata, ad quam ſequitur muſculi retractio, ergo neceſſario fit vel à facultate læſa, vel ab errore externo, nunc autem puto à læſa facultate pendere, læditur verò facultas à morbo in magnitudine ſecundum longitudinem imminuta ad mentem Auicennæ, ſed quoniam morbus in magnitudine imminuta ſecundum longitudinem neruorum eſt iunctus cum magnitudine ſecundum latitudinem aucta, (vnde conuulſio ex repletione) G vel imminuta (vnde conuulſio ex inanitione, ab his enim 6. Aphoriſm. Commentario trigeſimo nono, fit conuulſio) in caſu propoſito locum habet inanitio, quia nullus adeſt tumor, & æger guaiaci decoctum, & ſalſæ non ſemel, foueaſque Patauinas, quę valdè diſcutiunt ſine aliquo fructu eſt expertus: Atqui cum inanitio, ac ſiccitas nerui non vnicam habeat eſſentiam, ſed multiplex tum ratione ſubiecti, tum cauſæ ratione ſubſiſtat, quomodo res ſe habeat, in caſu noſtro videre breuiter oportet. Quantũ igitur attinet ad ſubiectum, nulli dubium eſt, quod in conuulſione afficiuntur nerui ſecundum partes externas, ac membranoſas, & per hoc differt à paralyſi, in qua ſecundum Auicennam ſubſtantia neruorum medullaris afficitur. Verum quoniam inanitio, & ſiccatio hęc pertinet vel ad roridam partium humiditatem, vel ad ſubſtantiã earundem, nunc dubio procul ad ſubſtantiam attinet, quoniam ſiccatio, & innatio, quæ roridam humiditatem reſpicit, cauſam aliquam ex Auicenna ſummè refrigerantem, & H congelantem ſupponit, quod etiam Galenus duodecimo Meth. vltimo tradit, hic autem nulla præceſſit huiuſmodi frigiditas: At cauſæ (vt dicebam) diſtinguendæ, quoniam ſiccatio fit à cauſa euacuante ſenſibiliter, vel inſenſibiliter cum impetu agente, ex tertio Loc. affect. ſexto; In egregio viro harum vtràque concurrit, quæ ſenſibiliter, refertur in coitum immoderatum, quæ inſenſibiliter in laborem, & exercitium corporeum, in his enim duobus maximè deliquit.

Priapiſmus fit à tumore vaporoſo ipſius penis, vaporquè, vel ſpiritus, vel flatus eſſe ſolet, hic haud habent locum flatus, propter ætatem ſenilem, ac frigidam, ſub qua nõ generantur flatus ob caloris defectum, relinquitur ergo malum hoc vt pendeat à ſpiritibus copioſis ad penem demiſſis, nam cum ex nimio coitu partes penis ſint valdè relaxatæ, Arteriarum orificia aperiuntur, à quibus ſpirituum copia, à qua tumefactio.

Tenſio iecoris abſque dubio ortum duçit ab obſtructionibus ortis à materia craſſa, & lenta

& lenta à ventriculo præcipuè, & aliquomodo etiam à capite suppeditata, nam destillationis maior portio, vt dixi decumbit in palatum. A

Stipticitas alui fit à pituita ex ventriculo per intestina propagata fœces inuiscante, coadiuuantibus calore iecoris, & renum, atque defectu bilis irritantis ob ætatem senilem.

Catarrhus postremo est excrementum crassum genitum copiosius quam deceret in cerebro à facultate ipsius concoctrice frustrata ob intemperiem humidam cum excessu, & aliquo modo calidam, & ob errorem externum, ob vapores inquam feruidos, & exustos à iecore ob obstructiones feruente transmissos, vnde acrem catarrhum euadere necesse est; Nec obstat, quod cerebrum calidum non gignat excrementa, quoniam id intelligitur intra latitudinem sanitatis.

Quò circa si affectus prædicti in medendi Methodum incidânt, ratione conuulsionis humectare, ratione priapismi contrahere, ratione tensionis hepatis deobstruere, B ratione stipticitatis alui lubricare, emolire, ac detergere, ratione demum destillationis retrahere, atque siccare opus erit.

Sed quoniam hæ in Methono medendi contrariæ sunt indicationes, mala existunt in habitu, totum corpus afficiunt, non bene tolerantur propter ætatem, Medicum etiam ipsum à vera curatione dissundent, immò conuulsio omninò est incurabilis, nã sobstantia calidi innati consumitur ex lib. de Palpitatione cap. vlt. cui accedit senilis ætas, quæ siccitatem adfert, solum igitur Medicus præseruationi debet incumbere.

Atq; idcircò vbi illi facienda erit materierũ chirurgicarum consideratio, nil aliud ad præseruationem conducere posse dignoscat, oportet, nisi cauterium in occipite.

Si verò ad medicamenta respiciat, primum erit ipsi vniuersalibus insistendum, lenita ideò aluo cum melle rof. sol. & præparatis humoribos cum decocto betonicæ, cicoreaceurum, boraginis, & buglossi, purgandi erunt infuso Agarici trociscati, manna, ac decocto cartami, deinde de particularibus medicamentis cogitandum. C

Quapropter gratia catarrhi primum euacuato capite leuibus herrinis ex mulsa, & melle rosato simplici paratis, dein cum decocto chinæ in ventre pullæ cum simplicibus iam dictis ad euacuationem insensibilem, pariterq; in eundem vsum assumpto hora somni saccharo rosaceo con bolo Armena, deueniendum est ad ipsum caput alterantia, quare conseruæ violarum, boraginis, confectio ex tribus sandalis mixta cũ portione conseruæ anthos eadem hora somni deuoratæ mihi non parum arrident. Exterius verò lotio, & embroca conducunt, quæ valenter siccent, ac in actiuis agant temperatè, idcirco aqua Brandulensis thermalis, lotio ex lixiuio cineris gallarum, decoctionis camomeli, & baccarum myrti mirificè proderunt.

Gratia verò iecoris optarem ego vt in ventre pullæ superius commemorate preter simplicia iam dicta, decoquerentur deobstruentia citra calorẽ insignem, capillus ideò D ven. citrac. Agrimonium, radix apij rec. super incoquantur, & mane ante syrupũ detur pilula ex ammoniaco electo.

Gratia stipticitatis alui inter cœtera seligo oleum amygdalinum dulce ante prandium tertiò quoq; die assumptum, item & Cartami pulpam cum pulpa caricarum pinguium, & casiam fistularem ante cibum.

Pro priapismo abluatur penis cum vino nigro austero decoctionis baccarum myrti, & rof. rub.

Tandem pro conuulsione suo tempore probo lac potissimum humanum, deinde caprile, probo, & iura pullorum consumpta, itemquè contusa ex eorundem carnibus, nec non morsellos factos ex carne caponis, fasianis, vel perdicis, ex amigdal. dulcibus, pineis recentibus, auellanis tostis, pulpa passularum, & saccharo dissoluto in destillato pariter caponis, balneũ quoq; ex aqua dulci, ex oleo cõmuni, & vino dulci, imò

E ex lacte pro partibus conuulsis esse mirificum, quo spectat vnguentum communiter pro spina dorsi dictum, oleum amygd. dulce, & violaceum lotum cum vino subdulci, & aqua maluarum.

Et dum hæc ad vsum deducentur, degat patiens in aere temperato, vescatur ouis, bonis carnibus elixis, ferculis ex hordeo, piscibus saxatilibus, fructibus horarijs moderatè, vuis pensilibus, & passis, pomis, ac piris dulcibus, coctis tamen, amygdalis dulcibus, fisticis, pineis, coriandris com seminibus melonis cum saccharo conditis; bibat vinum subrubrum, pauciferum, mediocre, non dulce, non austerum, quod si dabitur occasio, dilui poterit aqua cocta cum china, quæ superflua absumit, & corpus impinguat, vti qui de ea scripserunt adnotarunt, ab omni cibo vtatur cydoniato. Aluus seruetur mollis clysteribus ex iure pingui, butyro, oleo amygd. dulci, & saccharo; Corpus modestissimis frictionibus exerceatur; Somnus fiat noderatus capite humil F nonstatim à cibo; Animi deniq; accidentia molesta deuitentur, quæ fœlicia patientii nostro succedent Deo annuente.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO VIRO ARENVLIS doloreque in vertice capitis (vbi negotijs est intentus) correpto.

CONSVLTATIO CII.

G MALA, quæ perillustrem, ac nobilissimum virum ægrotantem reddunt, sunt arenularum rubrarnm in vrinis ex renibus insignis prouentus, necnon tristis quædam sensatio ad verticem capitis, eo præsertim tempore, quo negocijs est implicitus, crepitum veluti quendam referens.

Quorum malorum causam principalem in omnium ferè succorum (præcipuè verò sauguinis) copiam refero, à qua partes ferè omnes corporis premuntur, sicuti totius color rubicundus, venaram turgentia, carnis copia, vitiaque anteacta suadent; Qua principali causa constituta, facilè est ad magis peculiarem deuenire, nam ichor sanguineus mixtus cum succo pituitoso in ventriculo genito, à iecoreque feruidiori attracto in renes demissus agente calore renum immediatè, ac iecoris mediatè in arenulas transmuttatur, at succi caput replentes ob imaginationis circa negocia, detentionem agitatis tristem dictam sensationem inferunt.

H Vt ex his liqueat ad Medicum attinere copiam succoruw minuere, iecur, & renes attemperare.

Quæ facilè Medicus assequetur, quoniam mala prædicta sunt in habitudine, causæ non sunt insignis admodum actiuitatis, nec Symptomata grauia occurrunt, quibus accedunt prudentia obtemperantia nobilissimi patientis, itemque florens ætas eiusdem, quę dubio procul futuram sanitatem pollicentur.

De materijs igitur Medicis, & primum chirurgicis sic decernendum puto, vt quā primum secetur vena mediana cubiti dextri, eaque sanguinis quantitas detrahatur, quæ vitio eiusdem respondeat, ac vires non lacescat, quæ etiam venæ sectio in Autumno (si videbitur opus) repeti pariter poterit; Ac vbi res eò perueniet, vt maiora remedia exposcat, nil præstantius fonticulo in femore dextro secundum partem domesticam excitato.

De pharmacis autem ita determino, vt, lenita aluo cum casia, vel syrupo rosato

solutiuo

solutiuo adiecta portione mellis ros. sol. præparatisq; humoribus decocto cicoreaceorum, graminis, sem. melonum, deturbentur infuso Rhab. ac melle ros. sol. ex succis cicoreaceorum parato, quibus medicamentis maximè conducturum vsum seri caprini depuratum, cum succo cicorij bibitum credo, quemadmodum etiam tépore debito thermas frigidas tum potas, tum sub forma lauacri vsurpatas maximè conuenire affirmo, quinimmò & ab vsu balnei aquæ dulcis cum puluere seminum Lithospermi omnibus præfero, quo pertinet, & succus parietariæ depuratus, necnon aqua fabarum viridium stillatitia. A

Quibus omnibus adijciendus est victus accommodatus, qui ab Excell. curante poterit ad vnguem institui. Concedat modo Deus, vt hæc omnia in salutem perillustris, ac nobilissimi patientis cedant.

B

PRO NOBILI ADOLOSCENTE BONONIENSE ignauia partium genitalium. Intemperie calida renum, melancholiaq; hypochondriaca laborante.

CONSVLTATIO CIII.

VITIA, à quibus Perillustris Adolescens extorquetur sunt ignauia partiũ genitalium; Intemperies calida renum, & affectio hypochondriaca; Coeterum, quoniam primus affectus ad earum partium actionem pertinet vel diminutam, vel ablatam, vnicuiq; satis perspectum esse, in præsenti actionem tantum diminui, vel ex eo confido, quòd penis quidem erigitur, sed statim flacescit, & semen emittitur quamquam aquosum, paucum, & ferè citrà delectationem; Intemperies autem renum, calida ex arenulis, & filamentis, quæ ferè semper cum vrinis excernuntur, nec non ex insigni calore ad regionem renum percepto clarius innotescit: Affectui verò hypochondriaco flatuum copiosa, tum inferius, tum superius excretio, somnia turbata, suspiria, sputumque humidum attestantur. C

Quorum omnium affectuum principia generationis interea sunt perquirenda, & quantum attinet ad primum, si diminutam colis erectionem spectem, nulli dubium est, hanc fieri, quoniam facultas, aut non suscipitur, aut non influit, non est dicendũ non suscipi, alias penis ad tactum frigidus persentiretur, ergo non influat existimandum: At quoniam facultas non influit, vel quia eiusdem transitus prohibetur, vel quia non mittitur, postquam nullum adest signum in via prohibentis transitum facultatis, reliqnum est, vt statuatur non transmitti, quatenus meo iudicio aliò auocatur propter timorem, à quò continuò detinetur, & quia spiritus in ea copia, ac qualitate, quæ necessaria ad hanc actionem naturaliter edendam existit, non gignuntur in corde, sicuti colligere licet ex intemperie cordis frigida, quam depilatio thoracis, timiditas, audaciæ, defectus, segnities, & pulsus raritas, itemq; paruitas demonstrat: Vt ex his non sit difficile cognitu, patientem nostrum (quamquam melancholicus sit, ac flatibus scateat) haud esse salacem, quoniam flatus concurrunt, quidem ad Colis erectionem, sed tanquam cum causa, spiritus verò ut causa principalis. & hi ipsi deficiunt, cui accedit dispositio quædam hæreditaria ex parte matris, quæ narrat filios etiam se peperisse, atque in coitu nullam unquàm percepisse delectationem. D

Quantum autem spectat ad seminis emissionẽ pariter imminutam, puto facultatẽ lædi non solam organi uitio, uerum & obiecti; Organi primum, quatenus uasa generationi

E generationi seminis deseruientia intemperie frigida laborant, & humida, quibus accedunt tum rei venereæ tardus aggressus, tum ad venerem ablata, vel saltem admodum diminuta propensio; Nec obstat partes genitales pilis esse refertas, quoniam id solum ad appositum adstruendum non sufficit, & eo magis vbi patiens fuerit iecoris calidioris, (vt in casu proposito) merito cuius multa materia fuliginosa pro generandis pilis coaceruatur, sed & secundo obiecti vitium occurrit, quod pertinet ad impuritatem, ac improbitatem sanguinis, qui continuò testibus à iecore suppeditatur, quod suadet affectus melancholicus, qui & ipse impuri, atque improbi sanguinis partus esse solet, acceditque huic lassitudo quædam totius corporis, de qua ferè semper continuò perillustris patiens conqueritur.

Intemperiem calidam renum à iocinore iusto calidiore, & à decubitu super dorsũ occasione variolarum, à quibus annis superioribus fuit immaniter tractatus oriri vnicuique satis cogntium cognosco, quamquam etiam per plures menses, & annos immoderatus totius corporis motus accesserit occasione ludi paruæ pilæ.

F

De origine autem affectus flatuosi quid sit statuendum, non est difficile captu, nam cum iecur incensum sanguinem crassefaciat, & ventriculus refrigeratus multa excrementa pituitosa coaceruet, facilè est percipere in hypochondrijs insignes obstructiones fuisse concitatas, meritò quarum partes ad illa pertinentes æstuant, sanguinem, ac excrementa ibidem contenta exurunt, vaporesque concitant atros, qui cor, & caput adeuntes Symptomata melancholica pariunt.

Vt igitur ab omnibus hisce malis patiens noster vindicetur, partes Medici erunt, prius habita totius prouidentia spiritus reparare, cor, atque testes vna cum vasis seminalibus calefacere, obstructiones reserare, iecur, & renes attemperare ac ea administrare, quæ à proprietate partes genitales iuuant.

G Quos scopos assequi ex parte ignauiæ partium genitalium ferè impossibile existimo, quando vitium hoc sit ferè natiuum, ac sibi coniungat mala viscerum principaliũ hectica: Ex parte verò intemperieri iecoris & renum, res aliquam apud me difficultatem habet, quemadmodum & ex parte affectus, flatuosi cum huiusmodi vitia non soleant materijs Medicis (vbi in habitum tendunt) de facili cedere, censeo tamen Dei auxilio primum, prudentia deinde perillustris patientis futurum, vt ipse saltem quoad affectus istos posteriores meliorem statum debeat recuperare.

Ex quo ad materias Medicas deuenio, de chirurgicisque statuo, nullam aliam ex vsu esse posse, nisi frictiones partium genitalium factas cum oleo iasmino, cariophylorum, tandemque cum oleo de Cherua.

De pharmaceuticis decerno, vt primum leniatur aluus cum melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio soluente, deinde præparentur humores cum decocto ex iure H columbi, bètonicæ, buglossi, boraginis, cicorij, graminis, & passularum cum syrupis appropriatis, demum humores præparari deturbentur iususo Agarici, & Senæ cum manna; Verum post hæc patiens nobilissimus aquam Tettuccianam per tres dies assumat, & ab hac ius bibat columbinum medicatum cum china, modico sassafras, capillo ven. Citrac, radice filicis, menta, cicorio, boragine, buglosso, coriandris, betonica, & passulis: Ad hæc & Diambra, vtrumque Diamuscum, Dianthos, lætificans Almansoris non solum assumpta, verum etiam regioni cordis illita laudantur, sed præ cœteris extractum Croci eodem modo vsurpatum probo; Exterius verò summis laudibus extollo gossipium aliquot granis Musci, Ambræ, & Zibeti refertum in serico purpureo consutum, & super cordis regionem gestatum. Pro testibus præter olea superius commemorata mihi probatur fotus factus cum vino Maluatico, in quo aliquot grana Musci, Ambræ, & Zibetti fuerint dissoluta, deinde illitio cum vnguento facto ex oleo pinearum, sampsuci, additis pariter Musco, Ambra, & Zibeto iam dictis.

At non

At non contemnenda medicamenta, quæ à proprietate hisce in casibus prodesse A plurimum solent, quæ interius assumenda, sunt caro synci, & propiè illa, quæ circa renes, radix testiculi canis maioris, virga Ceruì, sem. erucę, sem. lini, sem. porri, pastinacæ, ac vrticæ inter cōposita maximè probo Dialatirion; Exterius verò fel capræ, vel hirci illitum regioni pudendorum in hunc vsum facit, sicuti & oleum sampsuci, in quo ebullierint formicæ alatæ, sed & pollex pedis dextri cum oleo, in quo cantharides pariter ebullierint inungendus.

Futuro autem Vere, si opus erit, præmissa totius corporis purgatione modo superius exposito iecur, & renes vsu succi cicorij ex iure pulli poterunt attemperari.

Eo tamen constituto, vt nunc, atque tunc compar viuendi ratio obseruetur, præcipuè ratione cibi, ac potus, vescatur propterea nobilissimus patiens cibis probè nutrientibus, columbis cum macere coctis, cerebris passerum, testiculis gallorum, vsus etiam castanearum probatur, ac cibarijs inspergatur puluisfactus ex seminelini. B erucæ, croco, Musco, addito saccharo, vinum sit albū, clarum, subdulce, & aliquo pacto generosum, quinimmò in primo mensæ potu vinum cum modico Croci medicatum probarem, & hæc sunt, quæ pro affectibus peillustris, & nobilissimi patientis mihi dicenda occurrunt, faueat modo Deus Opt. Max.

PRO QVODAM ILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO Canonico Hydrope Ascite, & Anasarca, vna cum tertiana febre continua detento.

C

CONSVLTATIO CIIII.

ABDOMINIS tumor, Scroti, femorum, crurum, & pedum, ac superiorū partium contabescentia in Reuerendo admodum Canonico citra omnium controuersiam Hydropis proprietates existunt, verum sicuti pulsus paruus frequens, & subdurus, sitis ingens, vrinæ insigniter rubræ, tussis, ac fluctuatio Hydropi Asciti confirmatæ propria sunt, ita & color demortuus, tumor que medietatis corporis infra, hydropem Anasarcam comitantur, vt propterea admodum Reuerendus hic & Ascite, & Anasarca laboret; Cur autem venter magis versus pectus, ac supernas partes intumeat, non est difficile intelligere ei, qui nouerit iecur, & lienem tumida necessariò ventrem ea in parte magis eleuare; sed & hisce malis coniungitur D putrida febris non valde intensa, non Symptomatica, sed morbus, ac periodica continua de genere tertianarum notharum, quando de tertio in tertium habeat exacerbationes, patiensque sit temperamenti biliosi, & occasione viscerum humores generantium refrigeratorum pituita etiam pauca gignatur.

Quæ omnia sic mihi videor videre suam habuisse generationem, vbi lien intumescit ob sanguinis fœculenti copiam, propter repletiones, cruditates, aliaque in victu errata, iugiter non solum secundum vasa repletur, verum & secundum proprium parenchima, repletusque orbatur substantia, quantitate, & qualitate debitis calori natiuo, atque refrigeratur, refrigeratusque non tantum propriam affectionem ob consensum, & vicinitatem iecori impertitur, sed etiam sanguinem limosum non attrahit, qui recurrens in venas vsque hæmorrhoidales, eas replet, distendit, aperit, ac proinde hæmorargiæ insigni præbet occasionem, vr iecur duplici nomine à liene scilicet refrigerato,

E gerato, & ob id secundariò, & ab hæmorargia, vnde primariò refrigeretur, ex quò necessariò sanguis aquosus, ac pituitosus gignitur, atque ille per membranam iecur inuestientem exudans, in cauitatem abdominis prolabitur, & parit Ascitem, hic verò per internas partes propagatus haud potens assimilari efficit Anasarcam: Cęterum cum in viuenti corpore (quamquam infirmo) humores continuò, & exinde bilis generetur, facilè etiam fieri potest, vt hæc genita, ac præter naturam retenta, præter naturam etiam affectus pariat, id quod patienti nostro contingit, in quo cum bilis generetur colligaturque in venis medijs, & à corde remotis (quoniam iecur ob sui languorem eandem ad vesicam felleam sui receptaculum non expellit) ibidem ob obstructiones detinetur, atque putrescit, fumosque in cor emittit, ac febrem accendit non legitimam, sed spuriam ob pituitæ admixtionem, sicuti dictum fuit.

Quo in casu curationis gratia ita agendum est, vt materia morbifica sui copia pec-F cans euacuetur, quæ putrida eradicetur, quæ putrescit corrigatur, potissimum reseratis obstructionibus per attenuantia, ac detergentia, calor febrilis refrigerantibus compescatur, ac tandem tumores viscerum discutiantur, visceraq; ipsa alterentur, & calor naturalis, quantum fieri potest, suæ constitutioni naturali restituatur.

Ad quæ minimè peruenire posse Medicum certò scio, quoniam præter id, quod Hydrops est confirmata, & iecur tum primariò, tum secundariò, & cum eo ferè totum afficitur, coniungitur etiam febris, quæ contraria indicat remedia, & vires aliquo modo labantes obseruantur, vt hisce rationibus exitium non valdè distet, sicuti indicio est illa tussis sexto Aphorismo, quartodecimo, nam materia [illegible] in spiritualia, ac minatur suffocationem: Verum quia desperatis etiam medicina conceditur, non solum quoniam Deus, & Natura, ex Areteo ab imminenti morte ægros aliquando liberant, sed etiam quia eosdemmet consolari decet, ac vitam eorum, quantum fieri potest pro-G ducere pium est, propterea & ego hoc in casu instrumenta Medica conuenientia proponam.

Exorsus itaque à chirurgicis, laudo crurum tanrum scarificationem: recreatis verò viribus (si licebit) abdominis inustionem & scroti perforationem.

Deinde ad pharmaceuticum instrumentum descendens, medicamenta refero ad Hydropem, & ad febrem, quæ simul, & separatim per vices vsurpare licet ea tamen ratione vt quæ ad hydropem attinent vehementiora seligantur his, quæ febrem respicere debent, quoniam hydrops vehementior est febre, vt febris permittere possit, quæ ab hydrope tanquam magis vrgente indicantur; Vtcumque tamen medicamenta hęc respiciunt materiam, vel viscera, & partes corporis, si materiam vel hydropis, vel febris, & priora vel materiam in abdomine, vel extra abdomen existentem euacuant, si materiam in abdomine, succum radicis ireos, vel medianę sambuci cum melle rosato H solutiuo, & manna opportunum existimo, quo in casu & bolus ex puluere mechiocani, semine ebuli, & pilulis alephanginis esset opportunus: Clysteres quoque alternis diebus iniecti ex ebuli succo, oleo irino, pilulis fetidis cum nitro, sicuti & vmbilicale quotidie vsurpatum ex alterio, Scammonio, euphorbio, helleboro albo, & nitro cum succo radicum cyclaminis, felleque thauri exceptis paratum non improbantur; si autem extra abdomen materia sit educenda, præter ea, quæ per os exhibita aluum subducunt iam proposita, diuretica, ac sudorifica laudantur, in serie priorum trociscos de eupatorio, de Rhabarbaro, de absynthio, sicuti & puluerem seminum Lithospermi ex decocto assari exhibitum, aquamque florum genistæ miris laudibus extollo: In serie posteriorũ pro sudoribus euocandis (vbi permittent vires) solum vasis vitreis aqua decoctionis diptami Cretici, & guaiaci actu calente repletis, seu lateribus ex calfactis vino potenti aspersis, ac pannis lienis inuolutis pedibus, atque toti vtrinque appositis vterer: quinimmo non solum prædictis, quæ sensibiliter euacuant, verum

& ijs

& ijs, quæ dissipant materiam morbificam agerem; Intus ergo vino odoratum cum ligno Indico guaiaco, vel sassafras, aut cum scylla factitium perscriberem, extra verò abdomini fotum ex vrina pueri cum cinere, vel therma aliqua sulphurea salsa, & nitrosa, in qua calx viua sit extincta, & per spongias alligatas administrarem; huc referrem Cataplasma ex stercore bubulo siccato vrina excepto, item & ceratum, quod ex Diachilone gummato, cerato Diapirite, sulphure, sale, calce in aqua rof. lota, nitroque cum oleo irino paratur. Pro femoribus, & cruribus præter fotum ex sale, vel crassis furfuribus calefactis, mihi placeret lutum excreta, sulphure, nitro, sale, bitumine, & alumine cum lixiuio exceptis arte paratum, ac sub solaribus radijs (capite contecto) ijsdem illitum. A

Quòd si de medicamentis materiæ febrilis agendum sit, pro eius præparatione syrupus de cicorea compositus, bisantinus cum aceto, necnon de betonica simul mixti ad onc. ij. dati mihi vehementer arriderent, quam postmodum præparatam euacuarē infuso Rhab. & Agarici trociscati, adiecto etiam aliquo medicamento hydragogo ex ijs, quę superius recensita fuere; Atque non semel his præparantibus, & purgantibus, sed pluries (vbi liceret) vterer. B

Nec ab vsu Rhabarbaro me amouet sententia D. Hippocratis de aff. int. vigesimò tertio vbi in hydrope bilem haud mouendam asserit, quoniam id intelligendum de hydrope, seclusa febre biliosa.

Demum occurrunt medicamenta viscera sanantia, quæ si respiciant intemperiem sunt alterantia, in quorum serie gratia hydropis trociscos cypheos omnibus pro iecoris alteratione præfero, quò spectant trocisci pariter supra nominati; Gratia verò febris non tantum pro iecoris alteratione, sed etiam pro calore febrili compescendo vnicum cicorij succum, vel in forma oxymellis redactum, vel cum speciebus Diarrod. Abb. arommatizatum vnice laudo; A si medicamenta respiciant morbum in via, viscerum inquam obstructiones, atque vasorum, in quibus febris focus residet præter trociscos iam commemoratos syrupus acetoso Diarrod. oxymel scyllinum, succusque absynthij, vel eupatorij cum ammoniaco sumptus probantur; quinimmo & vinum absynthies, vel prassij, vel quod cum calybis momento & aromatibus conditur (si vires illud præferant) ad id summoperè valet: Quæ verò tumores viscerum respiciunt non propono, quando non admittant sanationē, & eo magis quoniā, vbi præseruationi locus dabitur, à medicamentis iam propositis pro maiori parte non erit recedendum. C

Denique & ad instrumentum dieteticum est confugiendum, quare si ad hydropem respiciam, dieta extenuans adhibenda, de qua Galenus librum composuit, si ad febrem, debet esse victus ratio refrigerans, calefaciens, ac humectans, in hac autem diuersitate sic agendum, vt modo hydropi, modo febri prospiciatur, eo tamen constituto, vt hydropi fomentum, quam fieri possit minus præstemus, Quapropter lac sem. melonum cum carne pulli contusa, adiecto puluere cinnamomi, itemque panis ex iure mihi quam maximè arrident, si in modica quantitate exhibeantur, ne sua copia ob humiditatem actualem magis, ac magis aquam hydropis augeant, quinimmò quoniam vires languent cum humorum corruptela, parum cibi singula cibatione erit exhibendum, sed sæpe, qui cibus cum multi succi esse debeat laudo vt succus carnis caponis, & perdicis, & phasiani paretur, & cum alio cibo misceatur, loco etiam vini detur iusculum pulli decoctionis cinnamomi, & coriandrorum præparati, aut vinum album tenue, ac pauciferum, sed in modica admodum quantitate. Interea faxit Deus vt hæc nobilem virum consolentur, vitamque ipsius longè producant. D

PRO

A

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO ADOLESCENtulo Flandro Albugine secundum oculum dextrum, diminutaque visione secundum vtrumque oculum affecto.

CONSVLTATIO CV.

NOBILISSIMVM Adolesceutulum superioribus diebus ophtalmia secundum oculum vtrumque detentum, nunc macula, seu albugine in destro oculo tantum membranę corneę affectu detineri, pręter id, quod sensus attestatur, manifestè, ex his etiam colligere possum quod huius affectus proprium est tum obiectum, veluti per velamen, & per rete visibile reddere (idque patienti nostro contingit) tum ophtalmiam, vel facilè subsequi (hæcque pariter præcessit) ex quo Albuginem hanc impropriam esse sequitur, quandoquidem propria factam in oculis vlceris occasione cicatricem subsequitur: Verum quoniam adhuc adolescentulus noster difficulter sibi remota valet videre, præter dictam maculam iminuta quoque visione (quod & ad oculum dextrum spectat) fine dubio laborabit; A quibus non solum vt interim liberetur expostulat, sed etiam vt ab inflammatione iam prægressa tueatur, ac imposterum præseruetur exoptat.

B

Quæ vti ipsi tutius succedant, mihi circa modum generationis affectuum præsentium, & causas eorundem prius, breuiter tamen digrediendum. Et profectò immediatam causam illius albuginis densationem corniformis tunicæ ab humore crassiori occasione ophtalmiæ in membrana illa derelicto poros eiusdem obstruente productam affirmo, ex quo ne rerum visibilium simulacra ad chrystallinum humorem vsque, præcipuum visionis instrumentum liberè permeare possint, impediuntur, sicque obiecta per nebulam veluti à patiente conspiciuntur, qui quidem humor pituitosus existens (vt ex Albedine conijcitur) suæ generationis ortum habuit ob errores potius externos, quam quod in vitia facultatum capitis, ventriculi, ac hepatis referendus existat, quamquam & ipsa aliqua ratioue concurisse crediderim, caput scilicet aliquali humiditate, ventriculum vix frigiditate, & hepar proprio feruore.

C

Cœterum quæ caulæ prædictam visionis diminutionem efficiant, non ita facilè dignosci potest, cum etenim, commodius propinqua videre, quam in debita distantia locata vt plurimum illis accidat, qui aut spirituum visioni deseruientium defectum, vel impuritatem patiuntur, cumque perillustrem hunc adolescentulum ab his immunem esse Dei beneficio colligatur ex his, quod in ea est ætate florida constitutus, quæ pluribus donata est spiritus visorijs, nullusque præcessit affectus, qui illos dissipare potuerit, quod secundum oculum sinistrum remota quoque, conuenienter tamen distantia, bene videt, idcircò aliumdè mihi causa est exploranda, quam dilatationem ob foramen Ragoidis ab humiditate distensum, quatenus per hanc aliqualis spirituum disgregatio succedit, immediatam causam huius imminuitæ visionis constituo, dilatatio oculis sese offert intuentibus, reliquæ verò causæ humorem prædictum foramen dilatantem producentes ex dictis innotescunt.

D

Quidnam autem causæ sit, cur oculi præsertim in hoc nobilissimo puero passi fuerint, & prædictis affectibus nunc dexter detineatur, cum excrementa in corpore quantitate, qualitateque excedant hæc declarant nimirum partium reliquarum robur ad expellendum potens, oculorum naturalis imbecillitas ad recipiendum apta, eorundē ad prædictos patiendos affectus hæreditaria ex parte matris dispositio, inflammatio prægressa occasione doloris, & caloris ad attrahendum apta.

Quibus ità dè modo generationis, necnon causis horum affectuum constitutis, iam Medici munus erit tum humorem in cornea imbibitum, & illam obstruendo densantem, tum illum in ragoidis infarctum, & illius foramen distendendo dilatantem, præsidijs discutientibus resoluere, oculorum proportione seruata; sed quoniam hæc per medicamenta localia consequi oportet, eaque totius prouidentiam vtique supponunt idcircò ad totius corporis morbosum apparatum, omnem operam Medicus conuertat oportet, quod quidem summoperè ad præseruationem, quam tantopere patiens exquirit, conducet, quod tutius assequetur, si caput demum, & hepar illud potissimũ ad siccum, hoc autem ad frigidum alterabit.

Quæ omnia quamuis ob dispositionem matris hæreditariam, & ob suffusionis propè imminentis suspicionem aliquam difficultatem præseferant, hanc tamen posse superari primum Dei beneficio suffultus, mox ætatis vigore, ac anni tempore verno, in quò sumus, vel facilè arbitror, & quæ huius rei certissimum præstant argumentum, duo sunt, quorum alterum illud est, quod etiam in oculo sinistro post sanatam optalmiam albugo, quædam similis visa est superstes, quæ tandem solo beneficio naturæ fuit resoluta: Alterum est quod patiens perillustris prædictos incurrerit affectus propter errores potius externos, quam ob internas viscerum discrasias.

Materias itaque præsidiorum aggrediens primum ex chirurgica (vt præseruationi etiam incumbendo tutius oculo nunc affecto topica admoueantur) cucurbitulæ partibus infernis applicitę, & scarificatæ maximi erunt vsus, sicuti, & postulante occasione, venæ basilicæ cephalicę, aut demum saluatellæ sectionem haud improbo; cucurbitula quoque ceruici, vel etiam parti capitis posteriori è directo oculum affectum prospicienti admota, & scarificata, si necesse fuerit, summoperè proderit: At reuiuiscente morbo (quod auertat Deus) ad materiæ interceptionem setaceum in ceruice mirificè conferret; interim tamen omninò cauterium brachio dextro infingendum esse censerem, quod quantum valebit ad præseruationem præsentium affectuum, ac opthalmiæ in dies adolescentulus experierur.

Medicamenta ex pharmaceutica Medicinæ parte petita varia sint oportet, & primum quæ rationem totius habebunt, erunt mel rosatum solutiuum & syrupus rosatus pariter sol. vel casia, vna cum speciebus hieræ Galeni. Secundo humores præparabuntur cicorij, endiuiæ, betonicæ, eufragiæ, & chelidoniæ decocto, adiectis syrupis accommodatis; post quæ purgans aliquod medicamentum præscribi poterit, sicuti quod ex infuso agarici trociscati, & Rhabarbaro addito syrupo rosato solutiuo conficitur, in quem finem etiam radice mechiocani vti conueniens erit, aut (si fortioribus) pilulis lucis, sine quibus, & assaiaret Auicennæ omninò insistendum. A totius expurgatione deueniendum esset ad partium alterationem, nisi adhuc aliqua impedimenta remanerent tum ratione totius, tum ratione capitis; Et quidem quæ adhuc totum respiciunt, sunt aliquæ excrementorum reliquiæ, quæ commodè per medicamentum insensibiliter euacuans consumi, absumique poterunt, hoc autem erit chinæ decoctũ vna cum modico salsæ, nisi ventriculus obstet, aut etiam cum tantillo, si opus fuerit, ligni guaiaci, cicoreaceis tamen castigati, betonica, & ocularibus simplicibus adiunctis: Verum & sensibiliter caput masticatorijs expurgari potest, quo in casu solo mastiche, solòue papyro contentus essem.

Ac interea medicamenta discutientia oculo sunt admouenda, quæ simul oculi proportionem respicere debent, sed à mitioribus inchoandum, inter quæ sunt sanguis columbinus, turturis, aqua fragrorum, chelidoniæ, eufragiæ, Vrina pueri per se sola, vel vna cum melle distillata, & oculo instillata; vel si patientis oculos lingua eius, qui fœniculum masticasset lamberetur, plurimum prodesset.

Quibus non conferentibus ad fortiora deueniendum, ad omnia scilicet fellium

E genera, perdicis autem potissimum, ad capita similiter hyrudinum detracta in olla
exusta contrita, ac tandem puluerata; At quod mirum in modum valet, vt experien-
tia non semel mihi comprobauit, est aqua stillatitia, quæ ex mica panis nuper è cliba-
no extracti aqua mellis macerata, & postmodum sanguine columbino superaspersa,
tantillo pulueris calcanti addito in duplici vase destillatur.

Quibus omnibus expeditis, pro capitis alteratione conseruæ capitales, saccharu m
rosatum cum puluere boli Armeni hora somni deuorata, exterius verò lotio eiusdem
capitis ex decocto camomeli, rosarũ, betonicæ, & eufragiæ erunt accommodatissima.

Pro iecore autem succus cicorij, vel per se assumptus, vel cum sero depurato, &
succo acetosæ, vel extra sub forma perfusionis cum speciebus cerati sandalini, & ace-
to adhibitus hypochondrio dextro, omnibus præferendus: quibus minimè conferen-
tibus ad balneum aquæ dulcis, & Lucenses aquas, Villenses inquam, numquam satis
F laudatas, illud de foris administrandum, has verò de more bibendas se transferat
perillustris patiens necesse erit.

At quod ipsum summoperè iuuabit, conueniens est viuendi ratio, quæ ea sit oportet
vt in aere in actiuis temperato, in passiuis ad siccum vrgente vitam degat, vt hac de
causa aerem Venetum maximè proprium dixerim; Cibi erunt carnes gallinarum,
perdicum, caponum, turturis, vituli, & huiusmodi probi succi, oua recentia, pisces
saxatiles: Ab omni abstineat repletione, ab oleribus excrementitijs, caueat ab ijs, quæ
in caput effumant, ab aromatibus, vt propterea ipsi saccharum rosatum, vel corian-
dra semicooperta, vel cydoniatum à mensa sint assumenda. Potus vinum sit cum
china alteratum, vna cum simplicibus ocularibus, exercitium fiat moderatum, somnus
existat breuior consueto, aluus quotidiè secedat, quod si hoc spontè non accidat, pane
vtatur nobilissimus adolescentulus ex tota farina subacto, adiectis anisis, passulis, ac
G sale, vel clysteribus leuioribus vtatur, Animi passiones, quæ lacrymas præsertim cierè
solent, aufugiat. Et hæc sunt, quæ ad curationem præsentium, & præseruationem ab
ophtalmia in gratiam nostri patientis perillustris volui dixisse, faxit modo Deus, vt in
actum secundum deducta optatum sortiantur finem.

PRO ILLVSTRI AC NOBILI VIRO IMOLENSI SANGVINIS ab ore reiectationem, Asthma, marcorem totius, affectumque melancholicum flatulentum patiente.

CONSVLTATIO CVI.

H

VITIA quibus illustris ac nobilis vir laborat in sanguinis ab ore reiectatio-
ne cum tussi, spirandi cum sonitu difficultate Asthma vocatum, totius, at po-
tissimum abdominis marcorem insignem, ac affectum hypochondriacum ex
rugitu imi ventris, pulsu arteriæ magnę ad ventriculi fundũ, somnis turbatis,
præter mœtum, mæstitiam, & habitum totius melancholicum cognitum, referuntur.

Verum enimuerò interim non solum affectus, sed & loci affecti, qui sub aliquo il-
lorum non ita patent, paulo diligentius tractandi; quare si de sanguinis excretione
sermo sit, altius exordiri, atque sanguinem per os à partibus vel supernis, vel infernis,
vel medijs excerni posse constituere oportet; à partibus quidem supernis, vti à capi-
te, ab infernis nempè à spiritualibus, & ventriculo, à medijs, gingiuis inquam, & ab
omni oris particula, videndum propterea vndenam sanguis hic prodierit. Antè quat-
tuor

tuor annos nobilis patiens, cum per sanguinis sputum tussi adiunctum à capitis grauedine fuerit vindicatus, nulli dubium est sanguinem à capite prodijsse, nunc verò cum per spatium mensium duorum secundum quædam interualla modò maiora, modò minora in eundem inciderit affectum, ac sanguinem, nulla capitis querela præcedente, atque ad palatum non percepta titillatione vir nobilis ex creuerit, eum à capite minimè prodire pro certo habendum; sed nec à gingiuis, nec ab oremanat alias expuitione simplici, & excreatu educeretur, patiens autem illustris non sine tussi sanguinem emittit, ob quam sanè causam neque à partibus naturalibus excernitur, nam ab his vomitu, & non tussi eijcitur, remanent ergo, vt à spiritualibus propter earum affectum educatur, Atqui non ab aspera arteria, quia paucus admodum ab ea, cum tussique admodum obscura sanguis exit, at sanguis in præsenti ad onc. circiter quattuor, vel quinque, saltem prima vice fuit excretus, & cum tussi satis euidenti; non à pulmonibus, eo quia sanguis ex pulmonibus est spumosus, qui verò hucusque redditus fuit, immunis extitit ab omni spuma, huic accedit & illud, quod non valdè intensa tussis, quæ solet pulmones affectos comitari, est obseruata, ergo a partium sufficienti enumeratione concludendum, sanguinem ex thorace secundum partem dextram excerni, quoniam in ea potissimum decubitus fit molestus.

A

B

Cœterum huic determinationi plura obstare videntur, primum quod sanguis totus nigricans non fuerit excretus, quinimmò aliqua portio florescens visa fuerit præterea dolor, & punctio ad thoracem non sentitur, & ex tristi sensu, quem circa ceruicem ad regionem asperæ arteriæ vir nobilis habet, sanguis ab hac parte prodire colligitur.

Ad primum primo respondetur, quod portio aliqua sanguinis florida fluit quoniam ab arteria exæsa prodijt, vel secondo si à vena, nullam moram traxit, merito cuius nigrorem acquirere potuerit, dolor autem, & punctio non est sensibilis, vel ob paruitatem affectus, vel quia sensus partis laborãtis à copia materiæ catarrhalis irrigantis, ac madefacientis obtunditur, vt non fiat dolor, nisi obscurus; & hæc est causa, propter quam vir illustris super, hoc percunctatus aliud non respondeat, nisi quod à tussi vtiq; & à decubitu in dexteras molestiam aliquam præsentit: Dolor verò, qui ad ceruicem attinet sine dubio pendet ex eadem materia catarrhali in musculos illius decumbente, non autem ex vnitatis solutione, quæ sanguinis reiectationis causa existat.

C

Vt ex his omnibus pateat, sanguinem à spiritualibus partibus malè affectis per os prodire; In difficili verò spiratione pulmones, quemadmodum in affectu hypochondriaco cerebrum, sed præcipuè, ac per essentiam, vt dicunt, hipochondria, in emaciatione demum totum, potissimum autem abdomen affici, non est quod aliquis dubitet; Atque horum omnium malorum causam communem vnicam destillationem, atque hanc ipsam salsam statuere necesse est, quæ sicuti opus præter naturam existit, insequens errorem facultatis concoctricis cerebri, ita causam supponit aliquam, ob quam actio huius facultatis vitietur, quæ (quantum ego existimo) est tum morbus, tum causa morbifica, morbus intemperies eiusdem cerebri calida, & præsertim humida in dies magis, ac magis à praua viuendi ratione aucta; Causa modò morbifica error est externus multiplex, in vnius tamen salsæ destillationis generationem conspirans, nam primo humiditas occurrit serosa salsa in iecore calidiori genita, in caput continuò transmissa, & pituitæ ibidem genitæ permixta: Secundo vapores occurrunt feruidi à iecore eleuati, qui cerebrum adeuntes, primum calorem ipsius fouent, & augent deinde hoc medio fumos exustos concitant, qui humido aqueo permixti salsedinem efficiunt, quamquam etiam propter sputi amarorem destillatio hanc salsedinem nancisci ea ratione possit, qua pro cerebri nutritione sãguis à iecore suppeditatus biliosus pituitę aqueę permiscetur, sicque permixtus ex Auicenna salsedinẽ efficit, cui etiam & iuuentutis ætas, ac totius habitus calidus illustris ægrotantis fauet: Cœterum, & ob

D

E prauam viuendi rationem, consonum est cruditates olim genitas fuisse, iugiterque nunc generari, quæ vapores in caput emittentes dubio procul sub erroris externi ratione materiam destillationi suppeditant. Verum quoniam nobilis patiens salsedinē in sputis insignem degustat, idcircò præter eam, quæ à cerebro salsedo sputis infertur, & maiorem in pulmonibus materiæ caterali prædictæ salsedinem ob putredinem à mora, & calore cordis, pulmonumque plurimum propter obstructiones aucto, inductam communicari censeo.

Vtcumque tamen destillatio iam dicta etsi causa communis omnium præter naturā affectuum, à quibus vir nobilis detinetur, existat, contracta nihilominus causa vniuscuiusque euadit determinata; quomodo autem sputi sanguinis primum, sic melius innotescet, sputum sanguinis est symptomata secundarium, quod necessario in aliquā actionem læsam referatur oportet, quæ meo iudicio nulla alia est, nisi retentio vasorū thoracis, quę læditur potissimū ob morbū in soluta vnitate Diaurosi, seu erosione vocata, à destillatione ob sui acrimoniā abradēte, & erodēte inducta; Vasa verò, quæ erodūt exilia sūt, ac parua, vt propterea nō sit mirū, si copiosus nō fuerit sanguis excretus.

F

Et si quis quærat vnde nam sit, quod hæc iugis destillatio noua vasa non exedat, sputumque sanguinis copiosioris non promoueat, dicendum id contingere, quoniam vasa in patiente nostro alioqui exiccato valdè dura, causę abradenti resistunt, ac actionem illius impediunt. Quomodocumque tamen sit, statuendum, in thorace subesse vlcusculum, merito cuius sanguis etiam aliquandò vna cum materia, quæ naturam aliquo modo puris (vt licet saltem ex colore colligere) sapit paucus excernatur.

Verum enimuerò illa eadem destillatio vt copiosa, crassa, ac viscida pulmonum bronchia replens, aeris ingressum, fuliginumque egressum prohibendo, lucta quadam inter hæc duo veluti concitata, difficilem spirationem efficit, sicuti & materia hærens, ac aeris occursu agitata est in causa, vt sonitus ille stertorem referens exaudiatur.

G

Sed quid causæ esse potest, quod inter decumbendum super latus thoracis dextrū molestiam percipiat Aeger? Dico id accidere non solum quia ibidem est concitatum vlcusculum, verum etiam quia ea in parte (vt solet in difficillibus, & deprauatis respirationibus, quæ in ascensu ad elatiora loca crescunt) pulmones ob humiditatem excrementitiam madefacientem, ac sui acrimonia partes etiam circumsitas exedentem, costis hærent, vt propter hæc duo, accedente compressionem ex decubitu, dolor, & molestia sentiantur.

Atqui prædicta destillatio in ventriculo recepta tum coctionem perturbat, tum chilo permixta per meseraicas iecur attingens sanguificationem inquinat, vt necessariò partes, ac totum ipsum accommodato, ac decenti alimento destituantur atque proindè demarcescant: quamquam & ab affectu melancholico calori natiuo aduersario demaciationem ipsam in dies magis, ac magis augeri certo sciam.

H

Ex quibus illud etiam innotescere satis existimo, à destillatione scilicet non paruam occasionem hypochondriacæ affectioni præberi; cum etenim ab ea ventriculi coctio labefactetur, copiosæ etiam cruditates necessariò generantur, quę per venas chili propagatæ, contumaces pariunt obstructiones, à quibus feruore excitato symptomata omnia affectionem dictam consequentia suboriuntur, & hoc eò magis, quoniam habilitas patientis ex primis seminarijs ob iecur feruidum, ac totius corporis habitum nigrum, ae hirsutum à quo etiam melancholica à toto impendet, est supponenda.

Hinc vt Medicus huic nobili viro præsto sit, in id studium omne, omnemque diligentiam dirigere debet, vt habita totius prouidentia, destillatio aut per alterantia cerebrū præcipuè verò siccantia, finiatur; aut alio conuertatur, ac attemperetur; deindè ad ablationem earum, quæ factæ sunt ægritudinum deuenire debet; quocirca, materia bronchia pulmonū obstruens vt copiasa, est euacuanda, vt crassa, & viscida attenuāda,

atque detergenda, vlcusculumque pariter abstergendum prius, dein implendum, tādem agglutinandum; Et si aliquando ex parte sanguinis impedimentum occurrerit, motum illius per retrahentia præsidia compescere oportebit, mox obstructiones ad hypochondria attinentes, proprijs, & accommodatis præsidijs reserandæ, iecurque, ac ventriculus attemperanda, denique corpus ipsum renutrientibus reficiendum. A

Quorum aliqua impossibile, aliqua verò difficile erit opus explere. Impossibile quidem, vlcusculum illud propter substantiæ partis laborantis deperditionē sanare, atque hoc eò magis, quoniam medicamenta illucusque haud facilè, subitoque pertingunt, causaque morbifica communis insignis est actiuitatis, ut non solum materijs Medicis resistat (cum iam ferè sit in habitu) verum etiam phtisim ipsam minetur. Difficile autem erit ex parte difficilis spirationis, ac aliorum affectuum scopos propositos adimplere, quandoquidem illi sunt valdè progressi, difficilis namque est pugna contra plures hostes, difficior verò quando stabiles existunt, ac veluti confirmati; Accedit, quod quasi totum, ac viscera principalia malè habent, & quod auget difficultatem est difficilis horum omnium affectuum tolerantia in patiente cognita, cum nulla penè virtus in illius corpore obseruetur, quæ non sit aliquo modo lacessita; Verum quia ipse prudens existit, ætatisque flore gaudet, adhibita medicatione, virtutibus robur adetur, atque sic si non curabitur, saltem ad meliorem vitæ statum, ac naturæ gratiam deducetur, aut à maioribus malis præcauebitur. B

Et ideò ad materias Medicas descendens chirurgicam statuo dirigi posse, vel ad sanguinem, vel ad succos diuersos à sanguine, vel ad vtrosq; si ad sanguinem, occurrūt quæ missioni eiusdem satisfaciunt, ac inter ea hyrudines tantum venis podicis adhibitas probo; si ad alios, diuersosque à sanguine succos, iam setaceum in ceruice de more infixum, per tres, vel quattuor menses gestatum, & ab hoc sanato cauterium tum in brachio sinistro, tum in femore dextro secundum partem domesticam excitatum, per totum vitæ curriculum asseruatum laudo, in syncipite non probo, non tantū quia maxima cum difficultate ibidem asseruatur, materiaque descendens aliquibus partibus crassioribus est donata, quæ maxima cum difficultate per eam partem euacuatur, sed etiam quoniam syncipiti ab vlcere per ignem excitato intacto, aliquod aliud remedium poterit adhiberi: At materiæ chirurgicæ, quæ ad vtrosq; succos faciūt, sunt cucurbitulæ siccæ, frictiones, deligationes, & lauationes cum calida dorso, ac partibus extremis administratæ. C

Inter pharmaca primum communia sunt vsurpanda, idcircò in genere lenientium mel violatum, vel rosatum solutiuum de succis vocatum, facta scilicet infusione violarum, & rosarum hoc tempore veris in succis cicorij, boraginis, betonicæ, pulmonariȩ, & huiusmodi: In genere præparantium ius pulli medicatum, cum cicoreaceis, boragine, buglosso, betonica, farfara, hysopo, pulmonaria adiectis proprijs syrupis: tandemque in genere purgantium infusum senæ, agarici trociscati, Rhabarbariq; cum manna probantur: Huc referenda quæ insensibiliter totum euacuant absumendo tantum excrementitiam, non autem essentialem humiditatem, quale est chinæ decoctum in ventre pulli cum simplicibus iam dictis, passulisque coctæ. D

Post vniuersalia priuata se se offerunt medicamenta, quæ si caput respiciant sunt euacuantia, & alterantia, quæ euacuant, ac in præsenti mihi proficua videntur, sunt herrina facta ex decocto betȩ, sampsuci, cartami, cū melle rosato Zuccarino, cui ad maius robur nonnihil succi radicis cyclaminis esset addendū; cȩterum & catapocia de agarico Mes. media nocte exhibita ad idem faciunt. Pro alteratione verò eiusdē capitis conseruæ capitales betonicæ, & saluiæ, necnon Mithridatica confectio, conserua rosarum cum bolo Armena, quæ plurimum valet, ex Auicenna in retinendo catarrho, hora somni deuorata plurimum posse solent, quemadmodum, & capitis lotiones tum siccæ,

E cum furfuribus calefactis, tum humidæ cum lixiuio dulci decoctionis betonicæ, Verbenæ, foliorum salicum, rosarum, myrtillorum, foliorumq; oliuæ, loco saponis vitello oui asso vsurpato, vel sapone damasceno cum sandalis, rosis, caryophyllisque medicato. Sed præstantissimum est stillicidium ex aquis thermalibus, aluminosis, & ferreis, paucoque sulphure, vel nitro refertis, cuius census aquas dictas Aquarianas putant; Verum decoctum ex simplicibus pro lotione commemoratis, itemque ex alumine in aqua calibeata paratum pro eadem embroca videtur accommodatum.

Quod si priuata medicamenta thoracem respiciant, diriguntur vel ad vlcusculum à sputo sanguinis derelictum, vel ad sputum sanguinis, vel ad materiam in bronchijs pulmonum spirationem ipsam deprauantem; Si ad vlcusculum primum detergentia sint oportet, in quorum serie lacryma therebintini cyprij cum puluere ireos, & pulmonis vulpis præparati assumpta maximè conuenire videtur, ideò tempore decocti F chinæ mane ante syrupum bolum ex istis paratum propinare licebit, in quem vsum facit etiam lac asininum cum saccharo, vel melle bibitum post detergentia subsequantur implentia necesse est, inter quæ lac humanum primum, deinde caprile conuenientia existimo, & eò magis, vbi puluis boli Armenæ, mastiches, & sacchari immisceatur. Postremò pro agglutinatione saccharum rosatum atiquum, trociscique de camphora cum aqua pimpinelsæ laudantur, quò spectat syrupus de myrto cum puluere equiseti, qui citra insignem adstrinctionem potest agglutinationem, aut saltem callum inducere; vbi verò sputum sanguinis occurrerit, conserua rosarum cum puluere terræ sigillatæ, lapidis aematites, & coralli rubri, item & succus plātaginis conuenit, quò referenda sunt tum puluis testæ ouis, à quo pullus exierit, tum scroti fotus cum gelida; quibus non conferentibus, ad saccharum violaceum cum seminibus insciami albi, & ad Diaspermaton Galeni est deueniendum. Materia autem quæ in bronchijs pul- G monum continetur indiget expectorantibus, diureticis, ac discutientibus, priora varia sunt, mihi solum interim loch de pulmone vulpis, de pino, sanum & expertum arridet; Ad mouendas vrinas cum china in ventre pulli licebit incoquere capillos veneris, radices aperientes, liquiritiam, & huiusmodi; pro discussione materiæ eiusdem, idem, chinæ decoctum cum radicibus enulæ laudatur, in quem finem referendus vsus gummi ammoniaci, cum therebinthina, ac puluere ireos dati.

Ad iecoris feruorem nil præstantius est succis cicoreaceorum, & balneo aquæ dulcis, sicuti & pro hypochondriorum obstructionibus tollendis serum caprinum depuratum cum succo cicorij itemque calybs cum conserua boraginis præparatus, & suo tempore exhibitus non improbantur.

Ad maciem verò præter lac, & balneum aquæ dulcis pro perillustri patiente paranda erit confectio ex nuce indica, fisticis, amygdalis, pineis cum pulpa caponis, & per- H dicis adiectis speciebus Diatragaganti frigidi, modico cinnamomi, & puluere pulmonis Vulpis, abdomen inungendum oleo amygdalino dulci loto cum vino pariter dulci, & superponenda lana non lota.

Victus accommodatus instituatur, adeò vt omnem aeris iniuriam nobilis patiens aufugiat, bonis cibis vescatur, vinumque pauciferum subdulceque bibat, ac aliquando incœnatus cubitum eat, inter cibos ptisanam hordeaceam puluere penidiorum refertam, tamquam accommodatissimam leligat, à coitu abstineat, à venationibus; alijsque corporis motibus nimijs caueat, humili capite dormiat, & quieto aaimo viuat his enim omnibus, at primum D. O. M. beneficio spero futurum vt illustis patiens ad meliorum saltem vitæ statum restituatur.

A

PRO ILLVSTRISSIMA, AC NOBILISSIMA MATRONA in eam partus difficultatam incidente, sub qua longiori tempore, quam deceret, cum maximisque doloribus, atque cruciatibus fœtus expellitur.

CONSVLTATIO CVII.

QVAMQVAM difficilis partus sit expulsio fœtus maturi cum difficultate, nihilominus affectus est etiam, qui non vnam, & eandem rationem habet, quoniam sub eo (vbi iam aduenerit pariendi tempus opportunum) fœtus tum ex parte modi, tum ex parte temporis non eliditur, pront deceret; ex parte modi, quoniam inter parturiendum cruciatus, ac dolores insoliti accedunt, ex parte verò temporis, quia tametsi tempus ac cesserit ipsius partus constitutum, fœtus tamen non expellitur, aut si sic, longiori tempore quàm conueniret. Cum itaque illstrissima & nobilissima Matrona triginta annos nata temperamenti sanguinei cum subdominio pituitæ plures liberos conceperit, atque cum difficultate peperit, certum est ex relatis, ipsam in eam partus difficultatem incidisse, sub qua tempore longiori, quam sit conueniens, & cum doloribus, atque cruciatibus inconsuetis partus fieri solet.

B

Laborandum igitur mihi est circa causarnm inquisitionem; Cum ergo vitium quod communiter partus difficultas dicitur, nil aliud sit, nisi expulsio fœtus maturi, difficilis pendens ab expultrice vteri fustrata, satius quinimmò necessarium erit vitium hoc definire per motum, qui expulsio vocatur, in motu autem huiusmodi, ex Aristotele septimo Physicorum considerantur mouens expellens, mobile expulsum, atque spatium, seu via per quam expellitur, Mouens interim expellens, vt vnicuique satis constat, facultas est expultrix vteri, quod expellitur est fœtus, spatium autem os, atque collum eiusdem vteri existit: quare causæ difficilis partus necessariò ex altero horum trium petendæ.

C

Profectò quantum attinet ad ipsam facultatem, certum est hanc nulla alia ratione concurrere, nisi quà instrumento accommodato, spiritu inquam, & calore innato necessarijs ex Galeno quinto Aphorismo. 53. destituitur, nam fœmina ex eodem Galeno loco citato Aphorismo. 55. in partu valdè robusta esse debet, vt propterea non sit mirum, si spiritbus deficientibus, aut etiam aliò auocatis ob metum & pusillanimitatem, mulier languida euadat, & proindè pariat difficulter.

D

Ex parte verò mobilis, fœtus inquam, quinque aut etiam sex existunt, quæ partum difficilem reddunt, numerus inquam, magnitudo, robur, figura, & sexus infantis, quibus & crassities, densitasque membranarũ est addenda, propter quæ partum difficilẽ reddi posse ita vnicuique perspectum esse confido, vt nullo pacto in huius rei comprobatione sit immorandum: Atqui viæ etiam, vt dictum fuit, partum difficilem reddunt quatenus nimis, quam deceat, sunt angustæ; possunt autem esse tales vel ex propria natura, qua sic à primo semine genitæ fuerunt, vel ex accedenti ob constipationem, coalescentiam, subsidentiam, & compressionem, ob ossa pubis firmiora secundum compagem, & ita compressa, vt intro sint veluti gibba, ac proximè ad sacrum os accedant verum & ad vias partus, si cum difficultate fiat, siccitas earundem, atque pariter vlcus ex Auicenna referuntur.

E Quibus ita se habentibus duas (quantum ego colligere potui) ex his causis in casu nostro locum habere existimo, quarum alteram ex parte mouentis, alteram ex parte spatij desumo. Prior ex eo dependent, quod ob metum, & pusillanimitatem conceptam, occasione primi partus difficilis, spiritus (vt de se patet) in aliam pretem auocàtur, ac proindè facultas vteri ex pellens illis destituta, languescit adeò, vt coacta sit in expellendo frustari, quod sæpius euenire experientia quotidiana demonstrat.

Altera modò causa, quæ in spatium refertur, est quædam illius angustia pendens à siccitate partium, quas ad infantis exitum natura destinauit, nam vbi os, collumque vteri, ac pudendum ipsum tempore partus humiditate carent aquea, quæ ad tempus illud seruari solet, vt partes alioqui propria conditione angestæ ab humiditate illa irrigatæ, & madefactæ relaxentur, faciliusque partus exitum admittant, sit vt eædem angustiores potius redditæ partum difficilem reddant, decimoquarto de vsu partium F quinto, solet autem calamitas hæc fæminis accidere, quia membranæ, quibus inuoluitur infans nimis tenues, nimis molles, multo antè tempus debitum ipsius partus disrumpuntur, quibus disruptis humiditas illa serosa, & quæ vrinam infantis redolet, excernitur: Membranę verò illę tales ex semine vitioso, tenui inquam, aquoso, & frigido fieri consueuerunt, sed vtrum semen vitiosum sit ex parte viri, vel mulieris, in presenti merito dubitari potest, quoniam tamen mulier est temperamenti subpituitosi & vir (vt audio) est cacochimi valdè habitus idcircò in ea sum sententia, vt ex parte vtriusque, ut magis ex parte viri, semen culpatum existat.

Vt igitur nobilissima hæc fœmina ab huiusmodi miseria, si in eam rursus inciderit, vindicetur, & ab ea etiam imminente præseruetur, agendum est, vt suasionibus animetur, & constantior animo inter parturiendum fiat, partesque nimis exiccatæ humectentur, relaxenturque, ac facultas expultrix segnis reddita promoueatur, ac irritetur, G & quoniam malum hoc accedit ob languorem, imbecillitatemque membranarum ipsius fœtus, studendum est ne de nouo membranæ imbecilles, sed firmæ, ac densæ generentur, cum autem languidæ, molles, tenuesque ex semine vitioso gignantur, in id potissimum incumbendum, vt seminis vitium corrigatur.

Quæ an consequi possit Medicus, non ita certum existimo, illud tamen scio, vitium propositum haud cetere periculo, sæpiusque sub eo fœminas, ac infantes periclitari, inaliudqne vitium incurrere, & eo magis, vbi illud contraxerit habitum ac à primis seminarijs ortum duxerit, quòd in casu nostro suspicandum, vt propterea non sit mirum, si Auicenna nullam ferè fœminam in partu ad quattuor dies laborantem edere fœtū superstitem affirmarit, ac alij semper aliquid mali vel matri, vel infanti contingere dixerint, si mulier difficulter pariens fuerit pusillaminis, secundum vires rectrices debilis extiterit, praueque respirauerit, sed vt dictum fuit, ruinæ quoque, quas pro H posuit Galenus 1. ac 3. Epid. Magnus Auenzoar, necnon Albertus Magnus grauiores imminent, & quoniam malum hoc originem habet à partium genitalium angustia, periculum sine dubio magis ex parte fœtus, quàm parientis impendet; Vtcunque tamen danda est opera, quantum fieri potest, vt hæc omnia auertantur, quod aliqua ex parte nobilissima Matrona assequetur, vbi cum obsequentia, animi constantiam coniunxerit, quod spero futurum, speque huiusmodi concepta ad materias remediorū me confero.

Et primum de chirurgica statuo ex Hippocrate primo de morbis mulieribus venā in fernam esse secandam, quia patiens est iuuenis; & sanguine repleta, quod remedij genus eo tempore est administrandum, quo fœmina nobilissima doloribus angitur; Partes item infernæ iugiter sunt fricandæ, & deligandæ, ac inter cœtera curandum, vt doloribus incipientibus obseruet obstetrix, an os vteri sit apertum, nec ne, quia si sic, atque fœtus ad os vteri pateat, mulier in subsellio locanda, ac ab obstetrice ea faciēda dicen-

dicendaque sunt quæ propria peritia cognouerit necessaria. At si partes vteri angustę A maneant, & sponte non dilatentur, obstetrix manibus inunctis oleo amygdalino dulci, seu liliaceo eas aperire, ac sensim dilatare tentabit. Cœterum ad præseruationem, vt corpus ab humiditatibus excrementitijs immune seruetur, & vitiosi seminis generatio cohibeatur, cauteria in femoribus inusta mihi magnoperè placent.

Pharmaca alia sunt curatoria, alia præseruatoria, curatoria vel facultatem sopitam excitant, vel impedimenta remouent, communiter autem partum facilitantia, & dolores concitantia dicuntur; Quæ facultatem irritant, si intus assumantur, plura esse possunt, inter cœtera verò hæc mihi probātur. Primū paratur ex puluere boracis mineralis, corticum cassiæ fistularis, cinnamomi, & croci cum aqua Artemisiæ dato; Alterum ex theriaca Diaresseron, fructibus sabinæ pulueratis, cum syrupo de Artemisia in bolum exceptis, quibus ad do trociscos de mirra cum puluere cinnamomi, & croci in lixiuio dulci exhibitos, & si ab his medicamentis dolores non promoueantur laudo B potum aquæ tepidæ cum melle crudo. Exterius in hunc finem conuenit cataplasma ex Artemrsia, & satureia in vino Cretico coctis, ac imò ventri adhibitis, adiecta pulpa colocyntidis; linimentum quoque pro pectine, dorso, & locis inter fœmineis videtur maximè conueniens, paratur autem ex succo colocyntidis, rutæ, felle thauri, ac oleo cheirino, pessus pariter ex lana molli efformatus, ac therebintina illitus adiecto puluere Artemisiæ, rutæ siluestris, & Dauci, necnon opoponace, ac mirrha solet esse plurimum efficax, sicuti & suffitus ex resina pini, aut cortice pini. Huc etiam referenda sunt aliqua, quæ à proprietate indita operantur, inter quæ seligo corrigiam ex pelle cerui Illustrissimæ patienti cinctam, lapidem Aetitem à brachio ad femur tempore pariendi translatum, lapidem pyritem sinisra manu gestatum; sed & cinis quoque vngulæ asini, uel equi partibus infernis illitus ad idem ualet, in quem usum assumitur, & puluis castraturæ scrophæ, uel testiculorum equi siccatorum ex aqua C matricarię.

Ad impedimentorum remotionem faciunt, quæ angustiæ, ac siccitati uiarum partus prospiciunt, quæ tum interna sunt, tum externa, atque omnia hæc tempore partus usurpanda; In genere internorum probo ego oleum amygdalinum dulce recens, cum decocto cicerum robeorum, uel faseolorum, adiecto nonnihil amygdalini amari, gratia detersionis; ità ualet fotus pudendi, ossis sacri, & uentris inferioris ex spongia madefacta in aqua lanarum, uel decocto maluarum, alteæ, meliloti, fœnugræci, sem. lini, foliorum lauri, lauendulæ, & calamintæ, à quo illiniendæ sunt partes oleo communi, uel amygdalino, aut liliaceo mixto cum pinguedine gallinæ, & mucilagine alteæ.

Postremò medicamenta occurrunt præseruatoria antè, & post conceptum, quę ante conceptum in id referuntur omnia, vt semen coctum, & crassum gignatur. Ideò D habita totius prouidentia cum viro, & fœmina illustrissimis per ea, quæ succum pituitosum detrahunt, studendum ut calor uigoretur, & semen optimum, copiosumq; gignatur: Pro calore uigorando præter utramque magnam Antidotum, thermas calidas, ius columbi turrialis cum ligno sassafras medicatum, laudo quoque ut in uterum injiciatur oleum de cherua, uel expressum nucis myristicæ in uino Cretico dissolutum, atque hæc eadem abdomini lumbisque adhibeantur, quibus partibus in uiro Illustrissimo, necnon etiam testibus illa sunt admouenda; sed & insessus ex ijsdem thermis maximè conueniens, utrisque reputatur: Post hæc usum confectionis Diasatirionis, atque uini Cretici cum succo à pineis expresso non tantum assumptorum, uerum & admotorum probo.

At medicamenta, quæ tempore conceptus per uiginti quinq; dies ante partum cōueniunt, sunt, quorum usus intus, & extra est opportunus; Intus expertam habeo

aquam

E aquam florum sambuci ad vncias octo cum saccharo datam, sicuti oleum amygd. dulce ex iure assumptum, conseruamque florum maluæ; Extra conuenit balneum, insessus, & fotus ex aqua dulci decoctionis simplicium emollientium, lauendulæ, & foliorum lauri, à quo os sacrum, pecten, locaque muliebria vnguento ex mulcilaginibus alteæ, sem. lini, ex pinguedinibus, oleo amygd. dulci, & liliaceo cum cera exceptis inungenda.

Ipsius victus quoque maxima est habenda ratio, idcirco ante partum omninò curandum, vt mulier nobilissima in aere paulo calidiori, vel saltem temperatiori viuat, vt cibis laxantibus, minimè autem adstringentibus vescatur; Carnes ideo pingues, iura pinguia, butyrum, oleum, passulæ, caricæ, malua, lapatũ, beta, ac huiusmodi erũt opifera; vinum bibat moderatum, & subdulce, somnus vigiliam excedat, & aluus mollis asseruetur, clysteribus potissimum emollientibus, vel iuribus pinguibus tum F per se, tum maximè cum oleo amygdalino dulci recenti ante prandium assumptis. Coitus etsi aliquando conducere videatur, quoniam tamen fœtui noxius est, idcirco dimittendus; Corpus ambulationibus, at præsertim ascendendo, descendendoque factis exercendum; atque imprimis, & ante omnia curandum vt maxima animi fœmina illustrissima fruatur quiete, præcipuè verò ab ira, timore, ac mœstia caueat.

Verum enimuero prædictus aer tempore etiam partus videtur oportunus, quod si vires patientis nimium exoluat, permuttandus est ad frigidum, cibusque hoc eodem tempore debet esse euchimus, facilis concoctu, quantitateque modicus; quocirca panis coctus in iure pingui ferè consumpto, oua sorbilia, succus carnis, distillatum, carnesque auium quammaximè conueniunt; Et si vires ob aerem calidiorem deijciantur prædicta succo mali punici, cydonij, & arancij condiri poterunt, quo in casu panis bucella vino, cui aliquid succi prædicti sit immixtum, imbuta est offerenda; Potus G vini sit odorati, & eo tempore, quo Matrix hiare incipit, ab omni potu est abstinendũ, somnus haud est non concedendus nisi vires collabantur, Ac antequam os vteri aperiatur, doloribus affligentibus, mulier nobilissima deambulando modo adscendere, modo descendere debet, deinstare, post assurgere, ac denuo quiescere, & ita vicissim modò quieti, modò motui sese tradere, vt ligamenta disrumpantur, ac infanti facilior exitus præparetur, & vbi os vteri hyat, sicuti in sella locanda, & non amplius mouenda est, ita vociferare, singultire, eructare, & cum labore vomitum icere, sternutareque ex quinto Aphorismo. 35. debet, propterea in his ipsis eam iuuare licebit, atque etiam hortari, vt spiritum cohibendo inferius vterum, ac fœtum impellat; ad hæc vbi mulier nobilissima timido, ac pusillo animo fuerit, Medicus, & obstætrix suasioinibus spem, ac animum ipsi addere, ipsamque consolari tenentur, quocircà Medicum prudentissimum ob stetricemque sedulam esse oportet, vt ea etiam in huiusmodi casibus H desideretur, quæ sæpius ipsa pepererit.

Cœterum si victus ratio ad virum nobilissimum referatur, non est difficilè ex dictis intelligere, totam eo dirigendam, vt boni succi in corpore gignantur, ac omnis occasio cruditatis auferatur; his enim omnibus, D. O. M. auxiliante, spero futurum illustrissimam, ac nobilissimam fœminam in similem, de qua nunc conqueritur calamitatem, in posterum aut non casuram, aut certè minori longè cum molestia.

PRO

A

PRO ILLVSTRI, AB NOBILI MATRONA GONAGRA Podragaque detenta.

CONSVLTATIO CVIII.

ILLVSTREM ac nobilem Matronam laborare ſymptomate ad facultatem tatricem articulorum penes illorum actionem deprauatè vitiatam attinentem, quod vocant dolorem, ſatis conſtat, qui cnm articulos & in genibus, & in pedibus occupet, gonagra, atque podagra dicendus erit; quorum cauſam tum in B agentis efficaciam, tum patientis habilitatem ego referrem; Agens eſt obiectum contriſtans, ac ſymmetriam organi ſenſus tactus auferens, quod eſſe duplex exiſtimo, nempè ſolutionem vnitatis (quando punctionem ſe percipere circa locos dolentes referat nobilis Matrona) & intemperiem calidam cum materia, quoniam tumor inflammatorius (vt audio) tempore dolorum eaſdem partes affectas exercet; naſcitur autem ſolutio vnitatis, quantum ego puto, non ſolum ex copia humorum diſtendente, ſed magis etiam ex eorundem mala quadam qualitate mordente, ac veluti dilaniante; Materiam verò intemperiei aſſociatam eſſe ſanguinem, & bilem, plura demonſtrant, at præſertim quod tempore Veris, ac Aeſtatis illuſtris fœmina doloribus hiſce ſolicitatur, qui cum tenſione pungunt, patienſque iuuatur à ſanguinis detractione, atque temperamenti eſt ſanguinei cum ſubdominio bilis; Cœterum ſuccis prædictis aliquam etiam pituitæ à capite diſtillantis portionem admiſceri, querelæ, quas iam C habuit, & nunc habet circa caput illuſtris matrona, perſuadent.

Atqui humores hi in articulos decumbunt quoniam ad id patiendum ſunt habiles pluribus de cauſis, propter quas partim ſuſcipiunt, facta tranſmiſſione, partimque trahunt: ſuſcipiunt quoniam laxi à natura indies laxiores fiunt propter intemperiem acquiſitam: fit autem à toto tranſmiſſio ſeſe exonerante à ſanguinis, bilisque copia, qui quidem ſucci in eodem toto præter varias, ac diuerſas cauſas, quas interim, tamquam notas ſubticebo, ſunt collecti ob ſuppreſſos menſes, aut ſaltem diminutos citius, quàm par eſſet, dicebat enim Hippocrates ſexto Aphoriſmo. 29. quod mulier, quæ ſingulo menſe purgatur, non incidit in podagram, ergo quæ non purgatur, in pedes aut genua delapſa materia, poteſt in podagram, gonagramque incurrere; attrahunt verò articuli in patiente nobili ob dolorem ſæpius eoſdem affligentem. De cauſis externis nil omninò dico, tum quia de ijs nulla mihi mentio facta fuit, tum quia nihil D faciunt ad curandi rationem.

Quamobrem nunc deueniens ad præſidia, conſtituto, prius omni ſtudio conandum Medico eſſe, ne ſucci prædicti ad articulos fluant, quod fiet partim cohibita illorum generatione per membrorum illos generantium alterationem, partim aliò ijſdem conuerſis, deinde humores in articulis detenti diſcutiendi, prius tamen habita totius prouidentia, atque interea impedimentum, ſi opus fuerit, quod eſt dolor amouendum, vnde Anodina erunt vſurpanda.

Quos aſſequi ſcopos vix poſſibile futurum puto, ſolet enim hoc vitij genus difficulter admodum materijs Medicis cedere, & præcipuè vbi ſæpius infeſtauerit, cui & ætas inclinans fauet; accedit quod inſtrumenta motus ita affecta quandoq; motu deſtituuntur. Procurandũ tamen eſt, ne in deterius illuſtris Matrona labatur, ſed in meliorem vitæ ſtatum traducatur, quod fiet recta materierum medicarũ adminiſtratione.

Quan-

E Quantum ideo ad chirurgiam attinet, vellem ego, vt singulo quoque vere nobili patienti in cubito dextro vena secaretur, à qua eam sanguinis copiam detraherem, quæ pro ratione virium, ac ætatis videretur conuenire: fonticuli, qui in crure, & brachio gestantur, mihi summoperè probantur; Quod si dolores vsque adeo illustrē patientem excruciarent, vt minimè remitti posse viderentur ex vsu medicamentorū, ego sinciput, aut occiput inurerem, ac ibidem vlcus de more excitatum ad aliquot dies apertum detinerem, deindè post totius euacuationem loco affecto hyrudines apponerem.

Medicamenta, si ad dolorem referantur, varia propono, vti embrocam ex aqua dulci tepida, seu lacte vaccino, vel oleo rosato completo, vti fotum factum cum petijs madefactis in decocto verbasci, in quem finem etiam emplastrum ex pane cocto in lacte cum oleo rosato completo cum camphora probatur, sicuti & inunctio ex oleo ranarum, vel rosato completo.

F Quòd si medicamenta ad causam doloris attineant, primum lenientia probantur ex melle ros. & syrupo ros. solutiuis, vel ex casia, & diacatolico parata; post hæc vsus præparantium ex decocto endiuiæ, betonicæ, boraginis cum syrupo de endiuia, de succo betonicæ, & de rosis siccis factorum est opportunus, à quibus pro purgante laudo Rhab, infusum agarisci trociscati cum mana; quinimò, denuò præparatis humoribus, probo vsum pilularum aurearum, & de hermodactylis, atq; singulo mense exhibitæ pilulæ de hermodactylis cum pilulis de Rhabar. mihi summoperè arrident. His peractis chinæ decoctum, vel salsæ, & guaiaci omnibus præfero medicamentis, cui proximè accedit lachryma therebiuti cum puluere iuæ assumpta.

Extrinsecus finitis doloribus, & lotiones ex aqua cum sale, aut à natura, aut arte medicata, vel ex vrina factas articulis, & inunctiones ex oleo salis cum oleo ros. omphacino adhibitas maximè probo, quinimmò; & vinacea plurimum valere scio.

G Pro capite stillicidium ex therma aliqua in actiuis temperata, & valdè exiccante, aut loco huius est maximi vsus lotio, quæ paratur ex lixiuio dulci decoctionis camomeli, verbenæ, betonicæ, ros. rub. sandalorum, foliorum oliuæ; prius tamen caput purgijs, vti oportebit, ideò non solum quæ per nares, sed & quæ per palatum caput purgant, vsurpanda; qua propter in nares mulsa decoctionis radicum betæ, atq; maluarū trahi poterit, in ore ad masticandum retineri radix maluæ exiccata, vel sola mastichæ. Hepar interea cicoreaceis castigare necesse erit, ne tantam bilis copiam aggeneret.

Tandem illustris Matrona tempore dolorum viuat victu tenui, ac à vino abstineat, bibatque aquam calybeatam, vel aureatam, in qua saccharum ros. sit dissolutum, Absentibus verò doloribus, mediocri victu vtatur, qui tamen sit extenuans, & propè tēpus inuasionis dolorum, aut abstineat à vino necessarium est; aut subrubro, diluto

H tamen plurimum vtatur; At qui alijs temporibus vinum fuluum minimè fumosum china, sandalis, immò verò guaiaco cum radicibus cicorij medicatum bibat. Aluus clysteribus mollibus in proprio seruetur officio, finitisque doloribus, exercitium leuibus ambulationibus factum non improbo, sicuti neq; somnum moderatum, non tamen statim à cibo vitupero, inter cœtera demum ab omnibus animi passionibus caueat, ac sibi Deo Optimo Maximo fauentem obtineat, sic etenim medicatio ex voco succedet.

PRO

A

PRO EGREGIO VIRO SCIRRO LIENIS laborante.

CONSVLTATIO CIX.

QVOD tumor in hypochondrio sinistro egregij viri sit de serie scirrorum, suadet insignis ad tactum durities percepta; quod verò talis existat exquisitè, ex absentia doloris liquet; & quamquam molestiam aliquam cum sensu grauitatis ad partem illam percipiat æger, hoc tamen in sensum partium loco laboranti adiacentium, referendum existimo, tumor enim pensilis factus, egregio viro stante, atque etiam incidente, distrahit, ac deorsum partes trahit circunsitas, vt sensus ille grauitatis necessariò fiat. B

Cœterum tumorem hunc lienem occupare, præter illius positum; habilitas ipsius lienis ad huiusmodi tumoris generationem suadet, lien etenim, qui & sanguine crasso, ac fœculento nutritur, quiq; pluribus vasis est refertus, facilè hoc morbi genus, vt vnicuique patet, incurrere potest, & quamuis musculi abdominis ea in parte sint superpositi, eos tamē minimè affectos esse existimo, quando tumor non partibus extimis, sed paulò profundioribus obseruetur.

Huius tumoris principia, & modus generationis ad curationem primum inuestiganda. Quarè duo propono principia, succum videlicet melancholicum, necnon pituitosum crassum, & lentum, illum à iecore, hunc autem à ventriculo ad lienem transmissum, tanquam ad locum, non tantum ex propria natura imbecilliorem, vt tactum fuit, verum etiam ex accidenti ob intemperiem frigidam excitatam. Porrò succus ille melancholicus propriam habuit originem à iecoris intemperie calida, necnon ab alimentis paulo crassioribus, quibus patiens vsus fuit, qui cum interea sit habitus, ac temperamenti melancholici (cum tamen prius à primordio ortus fuerit naturæ biliosæ) sine dubio & iecur succi melancholici ferax habet, quare & illud ipsum feruidius existere oportebit, nam succus huiusmodi ex omnium sententia à nimio calore iecoris generatur. C

Cum itaque hoc verum sit, & ventriculum iusto frigidiorem, atque ad gignendum succum pituitosum in egregio viro maximè aptum esse, necessariò quoq; fateri oportet nam præter id, quod iecur feruidius substantiam calidi innati ipsius ventriculi depopulari ab omnibus proponitur, sæpè etiam accidit, vt cruditates in ventriculo genitæ, ibique retentæ intemperiem cognatam inducant, & ob id ipsum frigidiorem reddant, cruditates autē huiusmodi gignūtur triplici de causa. Prima, quia feruore à iecore ori superiori ventriculi impertito patiens sitibundus euadit, vnde plurimū potū assumens insignem occasionem humores crudos in ventriculo gignendi sibimet impertitur; accedit quod iecur feruidius iusto difflando fumos in ventriculum emittit tempore concoctionis, vt coctionem ipsam labefactari sit necesse, à coctione autem vitiata occasio cruditates coaceruandi exoritur, quod accidit & ob humoris melancholici præsentiā quia sua natura frigidus, & siccus coctioni, quæ fit in calido ac humido reluctatur; Vt his omnibus rationibus facilè sit intelligere ventriculum in egregio patiente sine dubio frigidum esse, quod pariter ex potu aquæ prægresso colligi potest. D

Verum quoniam (quòd attinet ad scirrum) ex Galeno quinto Sympl. triplex est scirrorum modus generationis, per repletionem primus factam à copia materiæ, per siccationem secundus à causa valenter siccante ortam, ac per concretionē postremus à frigidi-

E frigiditatē inductam, cū in proposito casu præcesserit intemperies frigida lienis, iure optimo scirrum hunc per concretionem ortum fuisse sancire oportet, quamquam etiā & repletionem quoquo pacto locum habuisse non dubitem, à qua repletione obstructiones fuere subortę, à quibus propagata materia per parenchima lienis tumor fuit aliqua ratione suscitatus; Causa verò illius frigidæ intemperieri potus extitit frigida, tametsi eadem lienis intemperies sed intra latitudinem sanitatis veluti à primò semine substiterit, vt referunt; Vtrum autem gelidæ potus possit lienem potissimum immutare, colligo ex mente Diuini Hippocratis qui lienem in humano corpore locū aquæ constituit, & sanè summa cum ratione: quia lien præter id, quod est receptaculum humoris melancholici, cuius Comes perpetuus est ichor, vt Diuinus idem Hippocrates sanguinem melancholicum aquam dixerit, laxus adhuc, rarus ac pluribus vasis refertus, vel facilè tenui liquore, facileque penetranti, vt est aqua, imbui potest, vt F non sit mirum si potus ille morbosam illam intemperiem in lienem introduxerit. Atq; hisce omnibus causis varia, ac penè innumera errata in omnibus ferè rebus non naturalibus, at præcipuè in alimentis improbis assumptis, in intempestiuo, ac nimio motu corporeo, vsuque crassioris aeris perpetrata adijcere teneor.

Quare si egregio patienti (vt pietas Christiana suadet) est succurrendum, oportet lienem & ventriculum calefacere, iecur refrigerare prius tamen obstructiones per attenuantia, ac detergentia, incidentiaque emendare, materiam impactam, præmissa emollitione discutere, sed ante hæc iterum, atque iterum toti prospicere est necessariū.

Verum quoniam scirrus exquisitus, vt est ille, de quo interim agitur, materijs Medicis non cedit, quoniam pars laborans facultate regente, quæ est morborum medicatrix destituitur scopos propositos attingere haud licebit, & eo magis quoniam plura viscera sunt malè affecta, ac tolerantia, quæ omnium signorum salubrium sigillum G existit, quam maximè desideratur, quando vires totius corporis in dies magis ac magis languere videantur, quod & ætas egregij patientis inclinans permittit; Sed quoniam ipse prudens, ac obsequens est, & morbus de genere eorum tractatur, qui etiam si non sanentur, ægros tamen (si benè hi à Medicis tractentur) non interimunt, spero saltem futurum, vt à maiori calamitate, hydropica nempè passione mox imminente præseruetur; quamprimum idcircò materijs præsidiorum est ipsi succurendum.

Si de chirurgicis igitur sit cogitandum, nunc postquam affectus est ferè confirmatus, missionem sanguinis ex partibus infernis, interim verò ex talo sinistro per sectam venam, Autumno futuro ex venis podicis per hyrudines applicitas probo; fonticulum etiam laudo in parte domestica femoris sinistri gestatum immissa pila cerea helleboro nigro, & Agarico referta, sicuti & plures inustiones ad lienis regionem factas, vesicatoriaque adhibita non improbo, & eò magis vbi vlcera excitata diutius quàm H fieri poterit asseruentur.

Pharmaca respiciunt materiam tum in toto tum in parte determinata, necnon & viscerum discrasias; Quapropter si de prioribus sit sermo, lenita aluo cum syrupo de polypodio Magistri Augustini vocato, & melle rosato soluente, quod ex succis dicitur præparatisque humoribus decocto in iure columbi turrialis parato, betonicæ, lopulorum, fumariæ, boraginis, Citrac, Agrimonij, cicorij, & passularum, adiecto syrupo de cicorea composito, & bisantino cum aceto, vel oxymelle composito, deturbandi vlticicoreæ loco sunt ijdem humores infuso Agarici, helsebori nigri cum syrupo de polypodio; post hæc denuò præparandi sunt humores oxymelle facto cum decocto tamarisci, prassij, cuscutæ, corticum capparorum, hysopi, calamintæ, cicorij, boraginis, radicum aperientium, liquiritiæ, vel Alteæ, ac pro purgante vsurpanda sunt Catapocia ex helleboro, quinimmò & interuallis quibusdam vsus alicuius purgantis placidioris mirificè proderit, quare syrupus de polipodio propositus, vinum cum sena, & Cartamo, vel cum

vel cum myrobolanis Indis, & chebulis medicatum, item & puluis hellebori nigri A præparati cum succo rosarum ter iroratus, ac in vmbra exiccatus ad grana decem ex ouo sorbilli exhibitus arridet.

Sed huc referenda quoque sunt, quæ insensibiliter euacuant, atque obstructiones reserant, ius ideo galli antiqui cum simplicibus iam dictis, china, & sassafras alteratū, pilula ex Amoniaco ante syrupum matutinum assumpta maximè conuenit, præcipuè verò si Ammoniacus in aceto scillino dissoluatur; vinum etiam calybeatum, itemque trocisci de Agno Casto Rasis, ac oxymel tum scillinum, tum ex decocto asari cum aceto scillino paratum vsui esse poterunt; De vino autem statuo, vt prius bulliat in duplici vase cum aqua Scolopendrij, adiectis simplicibus spleneticis, cariophils, ac cypero, in quo vino postmodum, de more, calybem immacerare opportebit, & aliquā-do in vino ita præparato helleborum, polypodium, & Cartamum pariter immacerare expediet. B

Exterius stillicidia ex aqua lanarum, vel ex oleo sem. lini, & rutaceo, vel ex decocto simplicium iam dictorum laudantur, potissimum verò quod ex oleo communi cum modico aquæ Ardentis, plantis spleneticis, radice cyclaminis, peucedani, hellebori vtriusque liquiritiæ, maluarumque & colocyntide, facta ebullitione in duplici vase, paratur: A stillicidio adhibendum est vel Cataplasma Oribasij ex fermento acri in aceto dissoluto, ac ad spissitudinem cocto, adiectoque puluere thymi, pulegij, serpilli, & absynthij, vel vnguentum de Artanita Mes. fotus quoque ex spongia madefacta in aceto decoctionis radicum filicis, & extinctionis lapidis piritis igniti huc est referendus, à quo vel oleum ex radicibus cucumeris agrestis, aut cyclaminis factum, vel vnguentum, quod ex partibus æqualibus butyri rec. olei nardini, & succi radicis cyclaminis, sisimbrijqne aquatici conficitur, est vsurpandum; postremò & ceratum ex Oesipo cum aliqua portione cerati Diapirites, vel Diachilon magnum cum gummis, C adiecto Ammoniaco, succoque tabacci, maximè efficax habetur.

Pro lienis autem alteratione conueniunt omnia calefacientia commemorata, solum etenim ad illius proportionem seruandam addendus est puluis lienis Asini, vel Equuli.

Gratia verò ventriculi granas mastiches deuorata, aromaticum rosatum, & cariophylatum assumptum, ac ceratum ex mastiche cum laudano, & Bezoino videntur accomodata.

Pro iecore demum nil præstantius excogitari potest succo cicorij tum assumpto, tum adhibito.

Victus ratio iam per se viro Excellentissimo curanti cognita est, id autem semper constitutum habeat, vt cibaria in aqua calibeata coquantur, & vinum medicatum cum simplicibus spleneticis, vel calibeatum, aut etiam auratum offeratur, item vt aluus in proprio sit officio, deuorato pane in prima mensa ex tota farina cum puluere tartari albi, fœniculis, ac passulis parato. Atque vtinam hæc omnia in salutem egregij viri succedant. D

PRO

E

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO SENATORE Bononiensi, melancholia Hypochondriaca cum anxietate ventriculi inspirationem lædente dolore mordicatiuo ad cordis regionem cum extensione, necnon inappetentia satis insigni laborante.

CONSVLTATIO CX.

F QVOD affectus melancholicus tum frequentissimè ingruat, vt iure communis calamitas omnibus hominibus sit censendus, tum cœterorum præter naturam affectuum causa existat, vt meritò seminarium veluti quoddam omnium ferè morborum sit habendus, apud omnes constat, quorum ego diu mecum causas plures animo reuoluens, potiorem ea non adinueni; quod nullus hac nostra tempestate reperitur, qui in viuendi modo plurimum non delinquant, ac omnem cruditatis (cuius morbum præfatum sobolem existimo) occasionem sibi non suppeditet, quod affectus huiusmodi calori natiuo omnium nostrarum actionum effectori, & sub cuius mediocritate animal salubriter viuit, adeo infensus eiusdem statum maximè peruertat; ex quibus non mirum si & maior pars hominum hoc morbo detineatur, & innumera mala antiquis haud excogitata ab eodem tanquam germina proficiscantur, quæ ipsum alterum Protheum infinitas propemodum figuras referentem efficiunt, quæ postmodum Medicis tanquam notæ sui existentiam indicantes G inseruiunt.

Perillustris itaque Senator, quoniam præter timorem, ac mœstitiam, solitudinem ac de propria salute desperationem, præter somnia turbata, percipit in imo ventre rugitum, dolorem ventriculi interpolatum patitur, scatet flatibus, sæpiusque à Medico fuit medicamentis conuenientibus absque aliquo fructu tractatus (vti sub hisce malis euenire solet) necessariò affectu melancholico ab hypochondrijs corripitur, vt non tantum cerebrum, sed etiam partes hypochondriorum afficiantur, verum præter Symptomata dicta, tria adhuc alia eiusdem melancholiæ germina, ac partus obseruantur, quæ ipsum pariter malè habent. Primum est anxietas ventriculi à nullo forsitan benè explicata, & cognita, sub qua perillustris patiens nescit loco stare neque potest liberè spiritum trahère, ita vt respiratio secundum inspirationem difficilis reddatur, & sicuti ipse refert, inter attrahendum aerem, thoracem veluti vinculo adligatum H dilatare non valet, corque veluti opprimi sibi videtur, cum tamen malum sit in ore ventriculi superno, nam anxietas Apoxia Græce dicta, affectus est oris prædicti ex Gal. 6. Aph. 56. distinguitur autem à Cardialgia, quoniam hæc à dolore cum insigni qualitate dolorifica haud est immunis, anxietati verò iungi difficilem spirationem traditur etiam à Gal. 2. acut. 44.

Alterum Symptoma dolor est mordicatiuus, ad cordis regionem cum extensione perceptus, quem attinere puto ad membranam musculorum intercostalium internorum, & externorum, vel ad pleuram, nam ad cor nullo pacto attinere possibile est, quoniam pulsus mutaretur, ac nobilissimus patiens tandiu forsam superstes non fuisset; Immò in pulsu (etiam si per quattuor menses assiduò laborauerit) nulla est obseruata mutatio.

Nec obstat, quod respiratione læsa sicuti in patiente perillustris læditur, necessarium

rium sit pulsum illi coniunctum mutari, quoniam cum respiratio sit læsa secundum inspirationem tantum, necessariò frequentior & parua euadit, hinc sub frequentia temperatur caliditas cordis, & proinde pulsum haud mutari contingit, vel dicatur, quod tametsi dilatatio thoracis sit imminuta, vitium tamen est pusillum, & exinde non augetur vsus, sicque pulsus manet immutatus, quinimò ex 3. de Præsag. ex pulsu 3. Si in corde fiat mutatio aliqua, arterijs eam non communicari necessariò, Gal. concedit. A

Postremum Syptoma est inappetentia insignis, vt comedat non appetens vir nobilissimus.

Ex his igitur ni fallor, mala omnia, malorumque sedes innotescunt. Verum audio grauissimos viros, cor ipsum affici sensisse, ac anxietatem illam, quam patiens perillustris cordis oppressionem vocat, esse cordis affectum, quem alij rudimentum syncopis, & Lipotimiæ, vel palpitationis constituerunt, Alij verò affirmantes affectus cordis attinere ad facultatem vel animosam (cuius affectio est sincope, excandescentia, ac huiusmodi) vel pulsatilem, dixerunt affectum à me anxietatem vocatum ad pulsatilem facultatem attinere, quia imminuta est pulsus dilatatio, pulsumque vehementer non mutari affirmarunt, quoniam pusillus est affectus, neque euentandi necessitas augetur. B

Verum (saluo semper meliori iudicio) nullum horum vitiorum adesse puto, quia tametsi hæc, quantum velint, pusilla adessent, ex necessitate in pulsu insignis mutatio præsens esset, sicuti & Galenus pluribus in locis, experientia, immo ratio ipsa docet.

Sed iam principia generationis istorum omnium præter naturam affectuum sunt inquirenda, exordiumque ab hypochondriaco, vti à causa aliorum sumendum: Porrò fit vitium hoc à phantasmate tenebricoso imaginationi oblato, meritò cuius eadem imaginatio nunc deprauatur, non quia nobilissimus patiens ad sensum malè loquatur, sed quia timet non timenda, nam continuò aliquod sibi futurum malum corruptiuum imaginatur citra causam manifestam, quod propriè essentiam timoris ex Aristotele constituit: Atqui phantasma illud à spiritualibus animalibus ob admixtionē vaporum melancholicorum tenebricosis redditis efformatur, & vapores illi ab hypochondrijs eleuantur æstuantibus ob quandam eorundem inflammationem, quæ ab obstructionibus ibidem contumacibus existentibus oritur, quæ quidem inflammatio non modo sanguinem contentum in vasis illius ad naturam melancholicam perducit, sed etiam fumos eleuat, qui in caput delati, spiritus animales inquinant, imò verò, & in corde recepti spiritus vitales, materiam illorum, pariter inficiunt, obstructiones autem primum sui ortum habuerunt ab humoribus crudis in ventriculo genitis occasione externorum errorum, refertur enim in cibo, potu, Venere, & animi passionibus plurimum nobilissimum ægrotantem deliquisse, qui errores quammaximè nocent, vbi in ventriculum alioqui à primo semine imbecillum incidunt, quem ad succorum prædictorum generationem vndequaque disponunt, id, quod in casu nostro locum habet; Cæterum & erroribus prædictis in subsidium accedit iecur, quod suo calore succos illos trahens proprias obstruit venas, caloremque exinde extraneum sibi comparat, meritò cuius cracessefaciens sanguinem, ac in ventriculum difflans, ob idque coctionem perturbans, cruditatesque multiplicans obstructiones fouet, & auget, ex quibus causa aliorum vitiorum innotescit, nam quoad anxietatem, cum hæc fiat ex Galeno à pluribus causis, existimo nunc fieri ab humore excrementitio crudo in tunicis oris ventriculi imbibito, eique molesto, & à flatibus ventriculum veluti inflantibus, nam vtraque hæc materia in hypochondriaca affectione detentis copiosè generatur, humor quidem crudus non tantum ob rationem dictam, verum etiam quia idem humor copiosè coaceruatus in ventriculo, ibidemque detentus intemperiem tandem cognatam inducit, in ventriculoque generationem eiusdem succi multiplicat; Pariter & flatus gene- C D

E rantur, quoniam ob ventriculi refrigerationem, ac alias causas calor languescit, languidusque agens in materiam excrementitiam, quinimmo in cibum flatus, & aquam gignit quæ discurrendo etiam per hypochondriorũ cauernas murmur illud efficiunt; Atqui humeris crudi, & flatuum generationi plurimum fauet copia potus, quem hypochondriaci ob æstum hypochondriorum ingerere coguntur.

Vtcumque tamen in hypochondriacis anxietas fieri potest, ac sæpius fit, vt non sit mirum, si vsque adeo suspiriosi euadant: Quod autem materia nunc sit imbibita, probari potest ex eo quod vitium factum est continuum, & remedia non conferunt.

Sed quomodo ab humore crudo inducatur anxietudo, & anxietudini adiungatur respirationis læsio, non est difficile intelligere, nam Galenus 7. Aph. citato proponit non expresse humorem crudum, sed proprietatem humiditatis, per quam ego puto ipsum intelligere qualitatem aliquam vitiosam ipsius humoris, vt in pica, quæ quidem F qualitas vti intensa, & molesta calori natiuo, ac temperamento oris ventriculi superni citra puncturam, ad Cardialgiæ differentiam, anxium patientem perillustrem reddit impeditur verò respiratio ab hac humiditate imbibita, & à flatibus diuersa sanè ratione, ab illa deorsum tracto Diaphragmate perinde ac in hydropicis ex Galeno tota aqua euacuata, iecur, quod veluti innatabat prius aquæ illi, pensile postmodum redditum secum trahit spiritualia, ac ansam præbet suffocationi; à flatibus, qua horum occasione Diaphragma in angustiam agitur ob ventriculum inflatum sursum impellentem, ex quo thorax, prout deceret, dilatari non potest; ex quibus liquet etiam flatus predictos regionem cordis adscendentes, ac in musculis prædictis sub membranis, imo sub pleura conclusos mordicando, distendendoque dolorem excitare, Adhuc & inappetentia ex eodem vitio hypochondriaco originem habet: nam cum illa fiat vitio vel partium attrahentium, vel ventriculi, in præsentiaque nil adsit, quod ostendat par- G tes attrahentes malè affectas, relinquitur ob ventriculum accidere bifariam, primo nimirum quatenus non fit suctio, cum non adsit penuria, quoniam humore crudo ventriculus, copiosoque scatet. Secundo, quia non fit suctionis sensus propter intemperiem ventriculi frigidam, & humidam secundo Aphorism. vigesimo, & primo Epid. 1. 27. in casu autem proposito potissimum humidam relaxantem, sensumque obtundentem, nam tametsi vt plurimum inappetentia fiat ab humore calido, nonnumquam tamen & ab humore crudo, qui in præsenti redundat ob vitium melancholicum, & propterea hæc inappetentia in illud quoque referenda venit.

Et si aliquis obijceret, quod Aristoteles in fine septimi Ethicorum dixerit, corpora melancholiorum appetere, atque mordere, dicendum vel ipsum de melancholia à toto loquutum fuisse, vel (dato etiam quod de hypochondriaca loquutus fuerit) tunc vt plurimum esse intelligendum, vel etiam semper, in illis tamen, in quibus melancholi- H cus succus sensim, & in quantitate moderata ad os ventriculi transmittitur, vel demum de melancholicis absque anxietate, & proinde de melancholicis non morbosis ibi fuisse loquutum, est respondendum.

Vtcumque tamen Medicus interea curans debet iecur refrigerare, ventriculum calefacere, atque siccare, horum viscerum, at cordis præcipuè proprietatem conseruare, verum prius referandæ sunt obstructiones attenuantibus, ac detergentibus, materia impacta discutienda, flatusque dissipandi, atque ante hæc non semel toti est consulendum.

Sed quoniam maximus obseruatur recessus à statu naturæ, & melancholia dicta est ex se vitium contumax, occurruntque contrariæ indicationes (vt non sit mirum, si plura remedia hucusque fuerint vsurpata sine fructu) præterea afficitur cor vitæ principium, afficitur & os ventriculi supernum, Medicatio plena difficultatis erit, immo nec omnis periculi suspicio aberit, quãdo & Syncope, & palpitatio immineant, speran-

ſperandum tamen, diligenti adhibita Medicatione futurum, vt ſi mala non finiantur, A imminuantur ſaltem, illaque grauiora præcaueantur, nam affectio hæc melancholica eſt quidem progreſſa, ſed adhuc etiam in habitudine, corpus eſt ſatis bene habitum, & in ætate florentiſſima, nempè vigeſimum ſecundum annum attingēte conſtitutum, quæ omnia Medico curanti multum ſpei pollicentur.

Quam ob rem de materijs præſidiorum decernens (poſtquam vena in cubito ſecta fuit, & ſumma cum ratione, quoniam ſanguis in toto ſubpeccabat) laudarem vt interim quæ in talo ſiniſtro vena reperitur, tunderetur, demū, quæ ad anum pertingunt hyrudinibus aperirentur, ea tamen cautela, vt ſanguis craſſus, ac niger prodiret; ſed & Cauterium in femore ſiniſtro ſecundundum partem domeſticam eſſet præſtantiſſimū, ideo patientem perilluſtrem etiam atque etiam hortor vt illud admittat, iuges interea frictiones, deligationes, ſiccæque ventoſationes erunt opiferæ, ac poſt totius medicationem maximè proderit ventriculo, ac thoraci ſecundum partem dolentem, paulo B tamen infra regionem cordis cucurbitulam apponere; atque vt cauterium magis operetur, expediet in eo pilā ceream cum puluere Agarici, vel colocyntidis aliquando, & hellebori nigri factam geſtare.

In medicamentorum ſerie hæc vtique conueniunt, & primum pro lenienda aluo mel roſ. ſoluens, & ſyrupus de polypodio magiſtralis, ſeu Magiſtri Auguſtini dictus, vel caſia cum puluere Epitimi, & modico ſpecierum hieræ; Secundò ad præparandos humorss decoctum boraginis, meliſſæ, ſem. citri, betonicæ, cicorij, cū ſyrupo de corticibus citri, decicorea, de ſuccoque betonicæ, pro quibus humoribus deturbandis tertiò, cōuenit infuſū Agarici trociſcati, & ſenæ in decocto hellebori nigri, ſem. cartami, & rerūcord. factū, addita māna ad humores tenues, ac ſeroſos educendos. Quarto, pro purgandis humoribus per Epicraſim, ac vices, primū pilulæ de tribus cum Rhab. ita tamen vt loco Aloes helleborus niger, vel ſena ſubſtituatur; ſecundo vinum cum C ſena, myrobolanis chebulis, & ſeminibus cartami medicatum. Tertiò, cydoniatum ex pulpa cydoniorum cocta in vino decoctionis polypodij quercini, & Epitimi, adiecto in fine puluere mechiocani, & cinnamomi. Quartò ſyrupus de polipodio decocto ſem. cartami dilutus: Verum ſemper ante horum vſum duobus, vel tribus diebus Senator nobiliſs. aſſumat cochlearia aliquot oxymel ſimpl. ſyrupiſque de boragine.

Quinto loco pro euacuatione inſenſibili tum guaiaci decoctum, & Chinæ cum cicoreaceis, boragine, menta ſicca, ſem. coriandr. vel aniſorum, & paſſulis paratum, tum ius galli antiqui, vel columbi turritæ ex ligno ſaſſafras, china, ac ſimplicibus alijs medicatum probo, atque hæc ſunt medicamenta totius.

Iam particularia ſuccedunt, primum itaque gratia ventriculi pro euacuatione ſenſibili, necnon inſenſibili, aquam Tettuccianā per quattuor, vel quinque dies aſſumptā laudo, perilluſtris namque patiens haud eſt excarnis, & affectus melancholicus non D eſt hecticus, vt aquæ Thermales videantur deteſtandæ; deinde ad euacuationem eiuſdem ventriculi inſenſibilem, ad alterationem, ſuique proportionem ſeruandam probo hieram ſimplicem cum minori doſi aloes ſecundum Galenum compoſitam, Diatrionque piperion aſſumpta, imo verò & vinum potens, ac odoratum cum portione aquæ ex Hyppocrate in Aphor. illo ſeptimæ Sectionis, huc refero, quod magis proderit, ſi floribus anthos, vel radice enulæ fuerit medicatum: quinimmo, & ſcillā ipſam, extractum florum anthos, elixir, vitæ, aquam cinnamomi ſtillatitiam, oleum ſem. odoratorum chymicum, puluerem Angelicæ odoratæ ex vino datum huc pariter referrem.

Atqui & exterius pro embroca ventriculi aqua Tettucciana (cum vir nobiliſſimus ſit carnoſos) deinde oleum dulce commune decoctionis maſtiches, & ſaſſafras cum vino in duplici vaſe factæ conueniunt, ſicuti & ceratum, quod

E

℞. nucis muscatæ
cariophylorum } an. onc. i.
cinamomi

Absynthij
mentæ
maioranæ } an. m. i.
calamenti mont.
rosarum rub.

Cyperi Orientalis onc. ſ.

F

M. infundantur in lib. V. aquæ ardentis per viginti quattuor horas, deinde colaturæ factæ cum forti expreſſione adde.

Maſtiches
mirrhæ
laudani } an. onc. iij.
ſtyracis calamitæ
bezoini

Amoniaci libra ſ.

Muſci ſcrup. i.

G

Iterumque infundantur in eadem aqua per duos dies, deinde extrahatur liquor per balneum Mariæ, & fæces vſui ſeruentur, quibus adde Reſinæ pini claræ onc iiij. & cum cera fiat ceratum pro ſtomaco.

Ad cordis autem alterationem, flatuumque circumſitorum diſcuſſionem, præter vtramque Antidotum magnam antiquam, confectiones dictæ Alchermes, Diambra, Diamuſcus, & lætificans Almanſoris arrident; Regionemque cordis inungerem vel omnibus hiſce medicamentis in aceto roſato liquatis, adiecto paulo Croci, vel oleo ipſius Croci, vel balſamo naturali, vel oleo Magni Ducis ad venena; Sacculus quoq; ſericus ad regionem cordis geſtandus ex ſpeciebus Diambræ, & lætificantis Almanſoris in hunc finem arridet.

H

Pro iecore ſerum cum ſucco cicorij, atque boraginis propono, quoniam, ſi à corpore per Aluum excernatur ſerum, flatulentis ex Gal. 5. Aph. 64. non nocet, poſtulanteque vſu aquàm noſtram Porrectaneam veterem, tamquam ventriculo haud inimicam laudo; Extra perfundatur iecur ſucco cicorij, & aceto, in quibus fuerint macerati ſandali, balneumque aquę dulcis toti adhibeatur.

Poſtremò deobſtruentia non ſunt negligenda, quæ tamen ſtatim poſt totius prouidentiam, ac potum aquæ Tettuccianæ vſurparem, inter quę duo potiſſimum ſeligerem Diacalamentum, & calybem præparatum cum ſpeciebus lætificantis, vel Diambræ in conſerua boraginis, vel in vino odorato exhibitum: Nec deſiſtendum ab vſu deobſtruentium exterius ventri admouendorum, oleum idcircò aniſorum deſtillatum, ac balſamum artificiale mihi probantur, quinimmò & cum Arabibus ad Sinapiſmos deuenirem.

Victus

Victus ratio consona sit, ideo boni cibi, & puluere panis biscoti, ligni aloes, Croci, A & sacchari conditi offerantur, omnes cruditates longè absint: Vinum conuenit fuluũ odoratũ moderatè potum, melissa, atque coriandris medicatum, Aluus mollis est seruanda pilulis de aloe succotrina in succo rosarum nutrita, corpus modesto, opportunoque exercitio tractandum, somnus longus, ac profundus euitandus, ac in primis animus in maxima quiete est detinendus; Vtinam Modo D. O. M. nobilissimo, ac perillustri Senatori faueat, quemadmodum tum ex corde præcor, tum vehementer exopto.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO VIRO VENTRICVLI dolore interpolato, tumore duro ad costas nothas versus hypochondrium dextrum subtus musculum longitudinalem, iecoris obstructione, necnon adstrinctione alui detento. B

CONSVLTATIO CXI.

VITIA, de quibus vir nobilissimus conqueritur duo sunt præcipuè ni fallor, dolor ventriculi per interualla contristans, necnon tumor durus, grauis, dolensque ad costas nothas versus hypochondriorum dextrum subtus musculum longitudinalem; Cœterum quoniam sunt plures ventriculi partes, videre nunc oportet quænam doleat. Puto igitur dolorem hunc ventriculi partem infernam obsidere, quæ in Piloron desinit, quod positus doloris apertissimè demonstrat nam hic ipse ad hypochondrium dextrum versus musculum longitudinalem extenditur, quam eandem partem occupari tumore, tactus, visusque suadent. Verum & his duobus vitijs quædam alia adnecti conijcio, primumque est iecoris obstructio, quam facilè ex colore totius insolito, bilis reiectatione per vomitum, itemque ab vrinis igneam naturam præseferentibus deprehendo, Alterum verò est alui adstrictio perillustri patienti inconsueta. C

Quorum omnium malorum (vt dogmatica instituatur curattio) oportet modum generationis instituere. Arbitror itaque eorundem omnium vnicam esse radicem, prouentum nempè pituitæ à ventriculo frigidiori, & humoris melancholici à iecore feruidiori, ventriculus autem factus est frigidior ob errores externos, iecur verò ferdius ob obstructiones. Ad interim pituita à calore debili in flatus resoluta, perbellè dat occasionem generationi doloris ventriculi, quæ postmodum cum humore melancholico permixta, atque in tunicis ventriculi imbibita, tumorem durum grauantem, atque dolentem progignit, qui ratione doloris in serie scirrorum illegitimorum est reponendus; Pariter vterque succus prædictus in venas iecoris decumbens, contumaces parit obstructiones, pituitosusque in intestinis acrimoniam bilis destinatæ expultrici eorundem obtundens, occasionem præstat alui ipsius adstrictioni, cui plurimum etiam fauere puto obstructionem meatus, qui à vesica fellea ad intestinum duodenum porrigitur, merito cuius intestina stimulo destituta retinent fœcês præter naturam. D

Quibus hunc in modum adductis, ad Medicum attinebit, humorem pituitosum, & melancholicum euacuare, eorundem generationem per alterantia viscera in-

E contrarium cohibere, tumorem durum emollire, atque discutere, obstructiones per attenuantia, ac detergentia aperire, & si fuerit opus lenire dolorem.

Quos obtinere scopos propter ætatem iuuenilem, prudentiam, ac patientis perillustris obtemperantiam nullo modo erit impossibile, atque hoc eo magis, quoniam diebus præteritis à medicatione adhibita conuenienti iuuamentum non leue fuit subsequutum, aliqua temen meo iudicio occurret difficultas, quoniam affectus propositi a materia crassa, lentaq; dependent, quæ difficile admodum remedijs Medicis vincitur, At non ob id ad materias præsidiorum alacri animo non est deueniendum.

De chirurgica ergo statuo vt euentandi gratia iecur, Vena basilica secetur, deinde cauterium in femore dextro secundum partem domesticam infigatur.

De materia verò pharmaceutica ita decerno, vt lenita aluo cum melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio Magistrali præparatisque humoribus decocto betonicę, F boraginis, lupulorum, fumariæ, capillorum veneris, coriandrorum præparatorum cum syrupis accommodatis, iisdemque cum infuso senę, & Agarici, adiecto melle ros. sol. deturbatis, quamprimum deueniatur ad Chinæ decoctum alteratum cum betonica, capillo ven. Citrac, Agrimonio, radice filicis maris, liquiritiæ, & Alteæ, adiectis passulis, coriandris præparatis, & nuce myristica. Post quæ, tempore anni permittente omnibus præfero medicamenta calybeata ab Excellentissimis curantibus proposita: sed & ius galli antiqui medicatum cum simplicibus iam propositis mihi non parum arridet, & eo magis, si ante syrupum matutinum offeratur patienti nobilissimo pilula ex Ammoniaco parata.

Verum tamen præter medicamenta iam dicta, certò scio maximè conducturum viro perillustri, potum aquę Tettuccianę ad quattuor, vel quinque dies post totius medicationem, quemadmodum etiam existimo necessarium aliquod purgans placidum G aliquibus interuallis assumendum, pilulæ idcirco de tribus cum Epithimo paratæ mihi summoperè placent, sicuti ad flatuum discussionem, vrgente necessitate, & aqua stillatitia Cinnamomi, & oleum seminum odoratorum non displicent.

Pro alterandis autem visceribus ego sentio gratia ventriculi maximè conuenire aromaticum rosatum, ac Zinziberis radicem conditam assumpta: Exterius verò nil præstantius stillicidio facto cum oleo decoctionis Aromatum, & simplicium stomaticorum. Gratia iecoris intus cicorij succus extra perfusio facta ex eodem succo cum aceto sunt opportuna.

Pro dolore, si aliquando vrgeat, apprimè laudatur theriaca deuorata, sicuti embroca ex oleo Camomelino, anethinoq; cum aliqua portione masticini extra miri vsus esse creditur; in quem vsum pariter facit omentum in prædictis oleis calidis maceratū necnon placentula ex vitellis ouorum parata, puluere cumini aspersa, & admota.

H Tandem ad tumorem facit embroca facta primum cum oleo amygdalino dulci, vel sem. lini cum Camomelino, quibus in progressu addendum est oleum de spica nardi, absynthinum, atque irinum, facit & emplastrum de meliloto, cui in progressu poterunt addi species Diagalangæ, facit adhuc & ceratum ex mucilaginibus, ac Diachilon gummatum, cui ceratum sacrum, vel Diapirites tandem addere, non erit inutile.

His omnibus demum adijciendus erit victus accommodatus, qui quoniam melius ab Excellent. viris præscribetur, quam interim a me proponi posset, subticebo, tantumq; D. O. M. precabor, vt remedia iam dicta salutaria nobilissimo, ac perillustri patienti reddat.

A

PRO REVERENDO ADMODVM CANONICO Congregationis Lateranensis Struma ad collum miserè detento.

CONSVLTATIO CXII.

TVMOR circa collum ad sinistras in admodũ Reuerendo Canonico dubio procul est, quem Latini Strumam vocant, Arabes Scrophulam, sicuti & locus affectus hoc mali genus pati consuetus, & tumoris durities docent, est enim Struma teste Gal. decimo quarto Methodi vndecimo, Scirrus in glandula, quod vitium quemadmodum ex Paulo, & Celso fit in inguinibus, axillis, collo, ac facie, tanquam in partibus debilioribus, frequentissimè verò in collo propter capitis vicinitatem, a quo tanquam pituitæ maxime feraci sæpè materia communicatur, ita eos, qui nimium gulæ indulgent, & ob id pueros potissimum apprehendit, vt Scrophæ ob gulositatem (vt sic loquar) & ipsæ in hoc morbi genus incurrant. Quòd autem tumor propositus non sit qui à Guidone glandula vocatur, ex eo planè conuincitur, quoniam glandula est tumor æqualis, mobilis, parum mollis, vt plurimum in collo nascens: at noster tumor est fixus, aliqua ratione inæqualis, & durus, ergo Struma existit, & magna quidem quia ad aurem vsque peruenit; Cœterum cum Strumarum aliæ sint legittimæ, aliæque spuriæ, illæ ab Aetio, & Paulo mansuetæ vocatæ, hæ verò tum infammatoriæ ab Auicenna ob admixtionem sanguinis feruidioris nuncupatæ, tum cancerosæ ab auctoribus prædictis malignæ ab humoris atri miscella dictæ, Struma, de qua agitur certò est infammatoria, quod rubor, & dolor aliquis cum pulsu, aliquodque sanguinis subdominium in nostro patiente suadent; A natura verò Carcinomatis quia abest, tumor non est venosus, nec admodum dolens, & inequalis, non liuidus, vt cancer existit: Sit igitur Struma cum inflammatione, & cum vlcere, nam ab hinc per aliquot dies in inferiori parte quædam est subsequuta suppuratio, sicuti nunc in superiori parte ferè absoluitur, quando ibidem inundatio sentiatur.

B

C

Principia generationis huius mali solent esse humores pituitosi, crassi, & lenti, necnon melancholici naturales (teste Galeno secundo simpl. ac tertio Aphorism. vigesimosexto) aliquando simul, aliquandò seiuncti transmissi ad adenas; hic verò pituita seorsum locum habet, quemadmodum ex habitu admodum Reuerendi patientis aliquo modo pituitam referente colligere licet, ex admixtione nihilominus sanguinis tenuioris, feruidiorisque, vt constitutum fuit, Struma hæc a vera Struma degenerat, ac tumoris spurij naturam induit.

D

Modus profectò huius tumoris generationis inde liquet, quod cum ex Galeno 5. simpl. 4. induratorum triplex sit essentia, repletio, concretio, atq; siccatio, necessarium est, Strumam, quæ tractatur, sub aliquo horum modorum secundum propriam generationem cadere, quoniã igitur tumor est insignis, necessariò quoq; insignem humoris copiã arguit, at insignis humoris copia replet, quapropter sine dubio per repletioné genitus erit, verũ etiam per concretioné non tantũ ob loci, sed etiã materiæ frigiditaté, siccatio tamen omninò ab hoc loco explodenda, quãdò nulla causa siccans in casu nostro ꝓcesserit. Ad hęc cũ pituita, ac sanguinis feruidioris portio ad locũ affectũ

E fuerint transmissa, transmittanturq; rationi consentaneum est, vt sicuti datur locus, in quo continuò generantur, & à quo continuò transmittuntur, ita & cognoscatur gra tia itaque pituitæ caput præcipuè, meritò verò sanguinis feruidioris iecur talem locum constituo, & quemadmodum illa veluti opus præter naturam sequitur ad læsam cerebri coctionem ob intemperiem insigniter humidam cum aliqua propensione ad frigidum, coagentibus erroribus externis, ita & hic in feruorem iecoris feratur oportet; A quibus visceribus cum ob multas causas, tum verò maximè ob principatum in corpore tanquam robustioribus illos præter naturam succos ad locum affectum viribus quasi destitutum, propriaque natura imbecillum transmitti par est, imo errores externos non tantum pituitæ, vt dictum fuit, sed etiam sanguinis feruidioris generationi famulari pro certo habeo, quando sciam, patientem nostrum & vsu alimentorum, præcipuè verò vini meracioris, & motibus corporeis, alijsque ferè innu-

F meris modis sibi feruorem iecoris comparasse.

At quomodocumque se res habeat, in huius mali curationem materiam tumoris copiosam euacuare, moderatè calefacere, & emollire oportet, amotis prius impedimentis, fluxione scilicet ac eiusdem causis, illam quidem per retrahentia, his verò per alterantia cerebrum, & iecur in contrarium.

Quæ opera vix a Medico perfici posse existimo, quando mala huius census, vt quæ a materia viscida, crassa, frigidaque circa partes propria natura imbecillas exorta difficillimè sanentur, atque hoc eo magis vbi grandia, fixa admodum, ac in anteriori parte colli constituta extiterint, sicuti accidit in præsentia.

Quoniam tamen patiens, qui tractatur, est adultus, & ab huiusmodi calamitate vindicari exoptans, se futurum obsequentem Medico curanti pollicetur, non dubito quin curari, vel saltem præseruari possit.

G Quare de curatione decernens a chirurgia auspicatus, dico venam medianam cubiti lateris affecti quamprimum esse secandam, deinde post dies aliquot venę ani per hyrudines essent aperiendæ, tandemque vt setaceum in ceruice figatur etiam, atque etiam probo; Sectionem à Gal. 14. Meth. propositam, qua malum, & mali radices radicitus auferuntur, non propono, quoniam præter id, quod molestissima est, sanguinis quoque perfusionem irremediabilem sępius adfert, ac mali radices altiores penitus non extirpat, non tamen a ferro aperiente locum, in quo pus continebitur (vbi materiæ suppuratio aliqua apparebit) abhorreo.

Post hæc medicamenta primum vniuersalia, deinceps priuata succedunt; Aluus ideo primum lenienda melle rosato solutiuo, & manna, vel hiera simpliei Galeni cum casia, mox humores præparandi decocto roris marini, betonicæ, boraginis, sonchi, Scrophulariæ, adiecto syrupo de betonica, de cicorea, & oxymelle simpli-

H ci, postremo humores hi de turbandi infuso Agarici, & Rhabarbaro cum melle rosato solutiuo, vel Catapotijs cochijs, immo verò maximè conducturum arbitror, si pilulæ de tribus cum Rhabarbaro per interualla certa, exhibito prius per tres dies oxymelle simplici, propinentur; Verum hoc tempore post medicationem vniuersalem propositam, patienti parandum est decoctum ex guaiaco ligno, visco quercino, & salsa cum cicoreaceis, rore marino, & Scrophularia cum sandalis albis per plures dies assumendum, ea tamen ratione, vt ante syrupum matutinum bolus ex sale theriacali, puluere roris marini calcinati, & conserua rosarum, vel florum cicorij offeratur, atque sudor omni studio, ac diligentia adhibita promoueatur.

Atque vbi toti fuerit consultum, ad priuata medicamenta accedendum, ideo primum Catapotijs dictis, herrinis postmodum capite expurgato, alterantibus erit insistendum, quocirca conseruæ capitales cum Castoreo, vel Mithridato adiecta conser-

conserua rosarum, vel cicoreacea hora somni deuoratæ mihi probantur, sicuti lotiones primum siccę, quæ ex furfuribus, & floribus capitalibus calefactis, mox humidæ, quæ ex lixiuio cineris quercus, & decoctionis baccaræ, anthos, absynthij, verbenę cariopholorum, rosarum, & oliuæ (loco saponis Agarico vsurpato) parantur; Atque his non conferentibus, ad embroçam moderatè calefacientem, valenter verò siccantem, & hanc ipsam naturalem (quando remedia naturalia artificialibus efficaciora D. Hipp. affirmauerit) suo tempore erit deueniendum. A

Iecur similter, temperandum vsu confectionis ex tribus sandalis, & conseruæ cicoreaceę commixtarum, vel seri lactis caprini depurati, & infusionis sandalorum, ac denuò vel thermarum frigidarum epotarum, in quem vsum (sub aere tamen calido, vel saltem temperato) balneum aquæ dulcis, non solum hoc nomine, sed pluribus etiam alijs nominibus conducturum puto, & maximè si post ipsum regio iecoris vnguento sandalino ex succo cicorij, & hepaticæ loto cum aceto illiniatur. B

Sed remanet modo vt de topicis agam, propterea cum scrophulam quæ tractatur resolutione, suppuratione, immo etiam extractione opus habere cognoscam, mihi ad hæc omnia medicamenta sunt proponenda: Pro resolucione ergo eius, quod suppuratione reluctatur, laudo, vt locus cum liquore per insolationem a Verbena, vel rore marino extracto, aut balsamo naturali, aut oleo magni Ducis Hetruriæ foueatur, huc refero Cataplasma ex lentibus cum aceto coctis, aut quod ex cinere Cannarum, ac scylla cocta, melleque conficitur, tandem præmissa partis fricatione & id quod ex Camphora, saccharo, succoque limonum medicamentum componitur imponerem, quæ omnia ea ratione probo, vt aliqua tum proprietate, tum manifestè operantia addantur, vti radix acetosæ, plantaginis, & Iridis, necnon ipsa colocynthis, vt huius census medicamentum Diachilon magnum cum puluere radicum plantaginis, & ireos mihi maximè accommodatum videatur; Verum quia sæpè in Scrophulis, (præsertim autem in hac) tota materia resolutioni est inepta, suppurantibus quoque est agendum, ideò in hunc vsum præter Diachilon gummatum, ceratum triapharmacum dictum, & emplastrum ex radicibus Altheæ coctis, farina triticea, & oleo factum, maximè, quod a Paulo ex radicibus cucumeris agrestis, & struthio confectum proponitur, commendo, facta soppuratione, apertoque loco, ad mundificationem a melle cum puluere mirrhę, & ireos, vel ab vnguento basilico, itemque Apostolorum dicto non est recedendum, quo in casu nec puluis Asphodeli, aut floris æris improbatur; mox pro implendo carne loco vti licebit vngnentis de pompholigæ, vel de betonica, vel Isidis, tandemque ad cicatricem inducendam cerato phenicino, vel vnguento, quod est in frequenti vsu clarissimis viris. C D

℞. autem olei laurini
aquæ vitæ læuigatæ } *an. vnc. j.*
cerusæ pulueratæ
Alumnis vnc. ß.
salis communis drag. ij.

M. & fiat vnguentum.

Verum

E Verum tamen nec his tantummodo curantur Scrophulæ, vt ad extrahentia quoque caustica inquam, exædentia, ac putrefacientia deuenire liceat, quare vbi hæc ad vsum deducuntur, sicuti summoperè exopto, vt à venis, ac arterijs caueatur, locaque vicina in hunc finem vnguento de Cerussa, & infrigidante Galeni muniantur, ita in eorundem selectionem causticum ex aqua saponis, vel etiam, secundum aliquos, ex lixiuio fullonum factum, item & præcipitatum cum butyro, Argentum sublimatum cum succo plantaginis, vel vnguento ex succis, postremoque arsenicum simplex, vel sublimatum cum pari portione masticis, vel radicis ari impositum omnibus præferò, quibus consumpta Scrophula, sarcoticis cicatrizātibusq; dictis vtendū, prius tamen crusta butyro vel digestiuo loto eximenda, deinde locus detergendus, vt supra dictum fuit.

Cœterum, quoniam parum admodum hæc prodessent, nisi viuendi ratio commoda iniungeretur, ideo vt ab omnibus edulijs crassis, & viscidis, ab omni repletione, & F cruditate abstineat patiens, vinoque paucifero cum rore marino, vel guaiaco, & Scrophularia medicato, modesteque poto vtatur, in reliquisque omnibus modum seruet est necessarium; Vtinam modo hæc omnia prosint.

PRO ILLVSTRISSIMA, AC NOBILISSIMA MATRONA Bononiense abortum pati solita, sub quo fœtus vltra septimum mensem mortus eliditur.

CONSVLTATIO CXIII.

G QVONIAM Illustrissima Mulier quater concepit, semperque fœtum vltra septimū mensem perdidit, Idcirco cum Hippocrate primo de Morb. mulieb. quater etiam ipsam abortum fecisse censendum, cumque abortus bifariam accidat, expulso inquam, vel retento fœtu, primum contigit nobilissimæ fœminæ, vt de se patet, laborandum igitur solum circa inquisitionem principiorum illius.

Cum ergo abortus actio sit vteri læsa, partus videlicet præter naturam, & actio vel auferatur, vel imminuatur, vel corrumpatur, in præsenti corrumpitur, qua ante tempus debitum fit quidem partus, sed conceptus mortui, quod contingit ob læsionem facultatis expultricis læditur autem non ob molem immodicā, quoniam fœtus expulsi modestę magnitudinis fuere, quare ob morsum aliquem à putredine perditi conceptus H illatum, & ob pondus eiusdem, nam corpora mortua præter putredinem, qua scatent, maximè quoque grauia ob defectum spirituum euadunt. Sed cur perdatur interim fœtus, est id, puod principaliter quæritur, id itaque contingere potest ratione tum causæ internæ, tum externæ; Ratione causæ internæ ex parte fœminæ; vteri, ac fœtus, ex parte fœminæ occurrunt morbi, atque Symptomata, illi sunt febris, & præter naturam affectus partium determinatarum acuti, hæc verò sunt alui fluxus, tenesmus, vrinæ profluuium, immoderata quælibet euacuatio, syncope, dolor, atque conuulsio, horum enim ratione perditur fœtus ex partæ fœminæ. Ex parte vteri sunt morbi in intemperie qualibet, in compositione, & in soluta vnitate, in compositione quidem, qua mucores in vasis colliguntur, os vteri nimis amplum existit, vterus ipse tumore aliquo detinetur, tandemque ex Hiqpocrate libro de Superfœtatione paruus est idem met vterus; in soluta modo vnitate vlcera occurrunt: Tandem ex parte fœtus duo sese offerunt semen, & menstruum vitiosum parentum, & moles ac pondus ipsius fœtus.

Causæ

Causæ verò externæ sunt quæcumque extrinsecus aduenient, ac ita corpus afficiunt, vt quandoque etiam sint in causa, quod perdatur fœtus in vtero. A

Cum igitur tot esse posse causas abortus vnusquisque intellexerit, duas mea est sententia hic, locum habere, quarum altera reduci potest ad menstruum, quod plus quam pars sit seroso succo in muliere illustrissima diluatur, merito cuius calor innatus suffocatur, nam succus serosus totus non recipitur in Allanthoide tunica, sed sui ipsius remanet aliquid in venis, ex quo, calore natiuo suffocato, necessarium est, vt perdatur fœtus, potissimum vbi grandior extiterit, quoniam eo tempore maior copia seri redundat, quia fœtus tunc etiam temporis copiosiori sanguine indiget pro sui nutritione, ducorque in hanc sententiam, nam hæc mulier nobilissima plurimum mingere solet, temporeque puerperij aquositates copiosas emittit; Nec obstat, quod sana viuat, quoniam copia hęc seri in venis multiplicata non perducit necessariò illam extra latitudinem sanitatis, & eo quod iugiter per vrinas illud excerna. Altera causa, etsi ab omnibus non recipiatur, & ego illi non vndequaque facilè assentiar, est paruitas vteri, quam interea probo ex duobus, primum quoniam obseruo abdomen in hac illustrissima muliere adeo breue, & arctum, vt in illa ossa Illium fere costas nothas contingant, in paruo autem loco paruum etiam contentum contineri, necesse est, ac propterea in patiente nobilissima vterum paruum esse necessariò sequitur. B Et si quis obijceret, quod vterus à natura fuit factus substantiæ eius, quæ possit maximè extendi, ac dilatari, dico quod verum est, immo quod nullo modo vterus etiam paruus potest esse causa perditionis infantis per se obrationem addactam, sed per accidens tantum, quatenus inquam in abdomine angusto nimis locatur, quemadmodum hic obseruare licet, quod ea sanè ratione confirmatur, quia cum fœtus interea perdatur tantum, vbi grandis existit, necessarium profecto est, vt abortus causa actionem non habeat in fœtum, nisi vbi grandior factus fuerit, talis autem causa nulla alia esse potest, nisi paruitas ůteri, ergo abortus hic ab vtero paruo suam habet occasionem, nam, sicuti locus locatum seruat, quando inter, sese sunt æqualia, ita locus locatum destruit, dum sunt inæqualia. C

Et si quis quæreret, quomodo paruitas hæc enecare valeat? Resqondeo suffocando id efficere, nam arteriæ per compræssionem veluti clauduntur, sufficit autem, quod arteriæ vmbilicales, quæ ad bifurcationem arteriæ magnæ demandantur, in fœtu comprimantur, statim namque moritur fœtus, cui causæ potest, fauere, & humiditas illa serosa, de qua iam habitus est sermo, potest & fauere aliqua glandula Meleref, quamuis non insignis momenti, quoniam in abdomine angusto glandula quælibet vix etiam tumefacta valdè comprimere potest, atque hoc eo magis vbi fœtus est grandis, & quod me de hac re, vt suspicarer induxit, fuit audire, quod tempore gestationis vteri pars abdominis dextra magis est eleuata, quinimmo illustrissima patiens refert, non solum hoc sibi tempore prægnationis accidere, verum etiam extra tempus huiusmodi, ex quo mihi probabile satis videtur, vteri paruitatem modo dicto posse huius abortus causam existere, idque pręcipuè ex eo confirmari posset, quod nobilissima hæc fœmina sana viuit, vt propterea non incidat in abortum, nisi occasionem alicuius causæ illi naturalis. D

Quocirca rationi consentaneum erit humiditatem illam serosam absumere, & ne in posterum generetur prohibere, vterum partesque ad ipsum attinentes laxare, vt ille magis, ac magis distendi possit, qua ratione etiam musculi abdominis ab vtero repleto, atque distento facilè delluntur, impulsique necessariò dilatantur; Atqui glandulis etiā per emollientia, & resoluentia erit satisfaciendum, humore etenim pituitoso in glandulis euacuato, detumescent, atque postmodum Vterus est roborandus; quibus peractis, pro sola præseruatione laudo, vt conceptus factus in vtero ad tēpus vsque debitū (si fieri

E (si fieri poterit) conseruetur, ac retineatur; conseruabitur autem, si serositas illa (vbi grandior factus fuerit) euacuetur, qua eadem ratione commodius etiam in vtero paruo poterit detineri.

Quas intentiones explere prouinciam arbitror non impossibilem, nec admodum difficilem, quoniam generatio serositatis illius facilè cohiberi potest, & quæ modo genita existit, non est non facilè euacuare: Et quanquam vteri paruitas vitiũ sit naturale, nihilominus plurimum fœtui succurritur detracta illa serositate, sic enim post huius euacuationem in paruo loco seruari loco quoque potest, immò verò spero futurum vt illustrissima fœmina occasione solius mutationis ætatis possit ab huiusmodi calamitate præseruari.

Ad materias ideo Medicas descendens, quia subpeccat sanguis, missionem aliquam eiusdem ex cubito non vitupero, quinimò tempore gestationis vteri, propè F septimum mensem, eandem sanguinis euacuationem, modestam tamen, atque partitè factam non improbarem; nam vna cum sanguine detrahitur etiam serositas illa.

De pharmacis ita censeo, vt corpus primum præparetur leniente ex syrupo rosato, ac melle rosato soluentibus, secundo concoquente ex decocto cicoreaceorum, betonicæ, capillorum veneris, liquiritię, & syrupis accommodatis parato, tertio & postremo purgante vel ex infuso agarici trociscati facto in decocto rerum cordialium, & seminum cartami cum manna, vel ex puluere radicis mechiocani ex eodem decocto pariter cum manna exhibito, neque confectio illa adeo gustui grata, quæ apud Moniales Diui Laurentij paratur, estque diacartamum tabulatum, mihi displicet, quando seroros humores citra molestiam aliquam euacuet. Toto sic præparato deueniendum est ad alia medicamenta, inter quæ primum occurrit chinæ, & salsæ decoctum cum tantillo sassafras adiectis cicoreaceis, potissimum verò diureticis temperaG tis, vti est radix Apij recentis, cuscuta, capillus veneris, citrac, senecium, liquiritia, & semina melonum, in cuius decocti vsu per mensem integrum vt pergat illustrissima Mulier exopto, quo tempore etiam poterit cerata aliqua super partem dextram Abdominis gestare, inter quæ seligo, quod fit ex oleo seminum lini ad spissitudinem cocto, in fine adiectis mucilaginibus radicis cucumeris agrestis, ac modico litargirij, seligo pariter & Diachilon gummatum.

Post hæc roborandus erit vterus confectione ex hyacinto cum saccharo rosaceo, & Diamargarito frigido? Postremoque nec quæ a proprietatẽ agunt, erunt despicienda, probo itaque puluerem Vteri leporis, rasuræ eboris, & ligni aloes in ęquis portionibus ex ouo sorbili assumptum, collo suspensionem vngulæ vrsi, lapidis lazuli. in quem finem quoque lapis in vtero ceruæ ad inuentus eidem parti solet adligari, quinimò & pilli ceruini suffiuntur in vterum, quæ omnia ante conceptionem sunt H administranda, postquam ex parte pharmaceutica nullum præsidium occurrit, quod possit iuuamentum inferre, quoniam fœtus mortuus eliditur, non autem viuus, quo in casu medicamenta plurima prodesse possent ad retinendum fœtum in vtero.

Verum ne iam dicta sint irrita, inungenda est viuendi ratio ipsis proportione respondens, quæ in id tota est referenda, vt illustrissima hæc mulier ab alimentis abstineat ijs, quę serum multiplicare possunt, ideo edulia assa, panis aliquando ex tota farina cum sale, & anisis paratus, vel panis etiam biscoctus illi sint in vsu, bibatque vinum guaiaco; aut ligno Indico sassafras medicatum, tandemque alimenta quęcumque non solum, sed omnia in vnicam humiditatem superfluarum siccationem conspirent, faxitque Deus Omnipotens, vt prosint ad mentem illustrissimæ, & nobilissimæ mulieris.

PRO

A

PRO NOBILI VIRO SPVTO SANGVINIS CVM PVNCTIONE ad partem anteriorem thoracis circa mammam dextram, anhelandi difficultate, febreque detento.

CONSVLTATIO CXIII.

INTER casus formidalbiles, qui Medico curandi occurrunt, omnium potissimus est sputum sanguinis, quoniam sub eo non tamen Medicus, verum & Aeger vitæ periculum imminens præcognoscit, quandoquidem sputo sanguinis sputum puris, sputo puris phtisis, cui demum mors ipsa subsequitur, hinc Areteus occasione ægri hoc vitio laborantis dicere solebat, ecquis est videns instar victimæ nuper mactatæ se iugulari, qui non expauescat? Et eo magis, quia plura sese offerunt, quæ iam dicto victę periculo solent attestari, quòd scilicet ferè numquam huiusmodi malũ accedit, quin alia secum adiungat, & quod præcipuum esse consueuit, vlcus pulmonum existit, quod propter illorum irrequietum motum, & quoniam continuò destillationibus sunt obnoxij; medicamentaque non ita commodè, ac subitò ad ipsos perueniunt, nullo pacto sanatur; Vt nou sit mirum, si patiens noster prædicto malo detentus ob hasce, ac similes rationes in maximo versetur animi angore, vitæque discrimine, quocirca illi citò succurrendum esse censeo, vt satem à maiori ruina præseruetur.

B

In sputo itaque sanguineo, quod à multis diebus per incerta quędam interualla patitur vir præsens, affici thoracem, duo præter tussim præsertim suadent; primum est Sanguis nigricans, alterum est punctio ad anteriorem thoracis partem circa mammã dextram percepta, vt facilè sit intelligere, nullo modo sanguinem à pulmonibus prodire, quoniam, vbi pulmones emittunt sanguinem, hic ipse floridus est, & spumosus, nullus dolor, nullaque punctio ad thoracem sentitur; sed neque ab aspera arteria, quoniam positus doloris extra regionem ipsius obseruatur; præterea sanguis non ita modicus excernitur, vt fieri solet ab aspera arteria; verum nec à gingiuis, quoniam non simplici expuitione, sed tussi eijcitur, propter quam sanè causam nec à palato prodire potest, quoniam tunc excreatus requiritur necessariò; adhuc & ad palatum titillatio percipitur; quæ interim non proponitur, immò verò neque à capite prodit interea sanguis, qua per asperam arteriam solet in pulmones decumbere, ac postmodũ tussi excerni, quoniam tunc præter id, quod nullus dolon in pectore percipitur, Sanuis tantum secundum superficiem spumat, non autem secundum partes intimas, vt nunc obseruattur; sed pulmones etiam affici secundum bronchia, facilè comprobari potest ex aliqua anhelandi difficultate coniuncta; quæ dispnæa, difficilisque spiratio simpliciter dici poterit, quia sonitus adhuc in aspera arteria, vt in astmate solet euenire, non est præsens patiensque respirat, & si maneat ceruice non erecta, ex quo nequaquam ortopnæa liborat; Atqui Postremò secundum totum corpus, vnaque cor ipsũ, occasione febris, male se habet, vt patet.

C

D

Quorum omnium vitiorum generatio inde colligitur, quod sputum sanguinis est Simptoma secundarium necessariò a retentione venarum læsa dependens, retentio autẽ cum lędatur ob morbum vel in mala compositione, vel soluta vnitate, hic in hanc vitium refero factam non per fractionẽ, quia non præcessit causa externa ad id idonea, non adfuit plethora, aut saltem cacochimia materiei flatulentę coniuncta, neque per

incisio-

E incisionem, nam quod potuerit incidere, non adfuisse referunt, ergo quia patiens à pluribus annis passus est destillationem à capite salsam, quæ facultatem habet exædendi, puto sanguinem hunc per erosionem potius reiectari, cui tussis vehemens plurimum fauet, Huc accedit & illud, quod sanguis paucus & sensim egreditur, quod non in fractione, non in incisione, immò verò neque in mala compositione per anastomasim solet accidere, nec aliquis diapedesim morbum pariter malæ compositionis proponant, quoniam tametsi in hac sanguis modicus excernatur, hic ipse tamen tenuis exitit, & aquosus.

De spiratione verò difficili ita sentio, eam scilicet accidere propter materiam catarrhalem bronchia pulmonum occupantem, aerisque ingressum, ac fuliginum egressum liberum prohibentem, nam sic lucta veluti quadam excitata inter id quod ingreditur, & egreditur necessarium est, vt difficilis fiat respiratio.

F Tandem febris occasionem ego maximè adscribo alicui putredini, quæ destillationem in pulmonibus & quoquò pacto sanguinem etiam à venis effusum apprehendit, quandoquidem postremis hisce diebus, in quibus hic æger sanguinem expuit, inflammationem quandam subortam fuisse suspicor, vt sputa putredinis notam aliquam præseferentia suadent, ex quo quin imposterum eadem omninò purulenta, saniosaq; sint euasura, nullus datur meo iudicio dubitandi locus; Sed febrem esse putridam docent leues illę accessiones, quas ad vesperas circa noctem patiens experitur, symptomaticam tamen cuius meminit Galenus primo Aphorismo. 12. cui febris hectica quoque superadiungetur, nam febris, quæ huiusmodi pulmonum vitia sequitur solet demum esse mixtæ naturæ, partim inquam putrida, partimque hectica: Cœterum & causas huiusmodi vitia generantes, quas coadiuuantes dicunt (præter capitis intemperiem humidam cum excessu, & calorem aliquem illius) addere licet, quarum alteram internam, alteram externam arbitror, illa ichor est biliosus in iecore feruidiori genitus, & capiti communicatus, hæc verò ad malum aeris vsum pertinet, nam omnibus aeris iniurijs indifferenter sese exposuit vir propositus, merito quarum tusses, grauedines, aliaque similia mala suboriri scripserunt Hippocrat. & Galenus.

G

Quocircà, vt ille quantum fieri potest ab hisce malis subleuetur, à maioribus præcaueatur, necessarium est contra causas omnes prædictas pugnam inire, per remouentia, aut saltem corrigentia destillationem, iecur attemperantia, bronchia pulmonum ab infarctu vindicantia, & quicquid in illis continetur præter naturam absumentia, verum prius sanguinis grumis, si qui erunt in thorace dissipatis, sanguis omni studio, & diligentia erit cohibendus.

Curatio itaque, & primum per chirurgiam sic instituenda, vt modò ex vno, modo ex altero brachio sanguis extrahatur, nam hic motu quidem magis peccat, sed etiam copia subpeccat, morbus imminet magnus, vires validæ sunt, ætasque florens existit, hyrudines quoque ano applicitæ, sicuti & iuges frictiones, deligationes, ventosationesq; partium extremarum conueniunt, cauterium etiam in sincipite inustum videtur esse maximè opportunum, atque vt vnaqueque pars in morbo tam verendo suis non destituatur remedijs, putarem satius esse cauterium, vel setaceum in nuca excitare, vesicantiaque sincipiti adhibere, ac in progressu antequam Medicus de sanando cauterio nucæ cogitet, Cauteria in brachijs excitet.

H

Medicamenta quæ hoc tempore mihi videntur opportuna ad sanguinis grummos dissipandos, eiusque vitiosum motum emendandum dirigantur oportet, quibus & quæ distillationem ad intestina retrahunt sunt coniungenda, idcircò continua oris collutio ex posca, eiusdemque potus, veluti pitissando factus, itemque coagulum leporinum ex eadem posca cum saccharo ad lambendum exhibitum pro grumis dissipandis probantur, simulque eodem tempore Rhabarbarum cum aqua violarum irroratū,

& postea dilutum cum decocto myrobolanorum citrinorum, seminum plantaginis, acetosæ, tamarindorum; ac passularum propinatum mihi maximè placet, & vbi destillatio huic non cesserit medicamento, à pilulis Galeni quincto Meth. pro illa Matrona Romana præscriptis non abhorrerem; Deinde pro supprimendo sanguine præter Philonium Persicum cum violarum conserua, præter diaspermaton Galeni, mihi sunt in vsu primo puluis testæ oui, à qua pullus exierit, ex aqua plantaginis datus secundo succus plantaginis, vel per se, vel cum sero calibeato bibitus, tertio medicamentum, quod fit ex duabus vncijs sacchari violacei, & dimidia vnica sem. hiosciami albi datum ad drag. j. vel alteram, quarto trocisci de carta combusta qui

℞. cartæ vstæ drag. ij.
suberis
corticis interni ilicis
caudæ equinæ
pilorum leporis combustorum } *an. scrup. i.*
boli Armenæ orient.
linguæ serpentinæ
sem. hioscami albi
Philonij Persici scrup. iiij.

M. & num succo plantaginis, & saccharo fiant trocisci, quorum drag. i. vel duæ dari poterunt. Verum ante cibum per horam manè, & vesperi immò verò & ad lambendum singulis horis poterit patiens vti syrupo myrtino (qui non nocet pectori) cum puluere sanguinis draconis in lacrimis, lapidis hematitis & boli Armenæ, ac vbi difficilis spiratio vrgebit, ab his conueniens erit hauctus aquæ farfaræ, vel scabiosæ: Atque plurimum etiam ad supprimendum sanguinem conducet immergere scrotum in gelidam, maximus enim est consensus inter spiritualia, & genitalia membra.

Suppresso sanguine, ad destillationem est descendendum, quocirca præmissa leui præparatione totius corporis per medicamenta primum concoquentia ex cicoraceis, lingua serpentina, pulmonaria, farfara, hordeo, & sem. melonum cum syrupo myrtino de cicorea simplici, & de capillo veneris, deinceps per purgantia ex trociscis de violis absque sciammonio, infuso Rhabarbaro, & manna, dilutis decocto rerum pectorarium, & myrobolanorum citrinorum, oleo amygdalino dulci fricatorum, de aliquo medicamento siccante, dissipanteque destillationem est cogitandum: nullum autem præstantius meo iudicio excogitari potest iure pulli, in cuius ventre sit incocta copiosa china cum simplicibus superius commemoratis, eo tamen constituto, vt ante syrupum matutinum exhibeatur pillula facta ex therebintina cocta, vel Ammoniaco cum puluere cornu cerui vsti & pulmonis vulpis, his enim si quid in pulmonibus præter naturam continebitur, detergetur, siccabiturque, hora somni saccharum rosatum cum bolo Armena, vel corallis rubeis, vel puluere baccarum myrti offeratur, quæ spectat theriaca recens, atque hoc eodem tempore capiti adhibendum est cataplasma ex sinapi, tapsia, fimo columbino, cum aceto scillino paratum, ceratum quoque ex puluere limaciarum in clibano siccatarum, succo tabasci excepto, & secundum artem factum probo,

E probo, tempore verò opportuno stillicidium ex aqua Villensi, vel Porrectana veteri, vel alia simili, in qua coquantur oliua, rosæ, grana myrti, balaustia, camomelum, stecchas, cariophylli, sandali, & modicum aluminis, quòd si capitis lotionibus erit assuetus ęger, vtatur lixiuio dulci, & valdè temperato de coctionis sandalorum. Ante hæc tamen oportet caput herrinis expurgare, in quem vsum esse potest ex vsu decoctum hordei, hederæ terrestris, ac maluarum, cum melle violato solutiuo, verno etiam tempore aduentante, si, quod timorem, vlceris in pulmonibus incutiat adfuerit, nil præstantius lacte Asinino per plures dies assumpto, quod et iam iecoris feruorem compescet; nec febris vbi tunc temporis aderit, quæ nunc adest, huiusmodi lactis genus prohibebit, quoniam solum febris putrida, quæ est venarum passio lac prohibet, febris autem, de qua agitur est putrida secundum quid, quæ eo tempore vlcere existente, hecticæ naturam sapiet, quamquam etiam sperem futurum, vt diligentia F excellentissimi curantis tunc febris imminuatur, saccharum quoque rosatum recens tempore vsus lactis mihi maximè opportunum videbitur, deindè ad emendandam omnino iecoris calidam intemperiem sua tempestate ab vsu aquæ Villensis non abhorreo, quemadmodum neque ab vsu balnei aquæ dulcis, a quo regionem iecoris inungere vnguento facto ex oleo rosato completo in posca loto, & ex succo endiuiæ, ac hepaticæ adiectis cera, aceto, tandemque speciebus cerati sandalini maximè præstabit.

Cœterum (quod ad viuendi modum attinet) hoc præsenti tempore puto insistendum esse victui attemperanti, ac inuiscanti, cauendum ideò est ab aere calidiori, a cibis acribus, dulcibus, salsis, ac vtendum oriza, farre, millio cum hordeo decoctis in iure pedum vituli, vel porci cum carne aliqua laudabili coctorum in aqua calybeata, pedesque dicti, atque carnes etiam comedi poterunt, sublataque omni suspicione G hæmorargiæ oua haud erunt deneganda; Cibarijs omnibus nunc etiam inspergatur puluis ex amilo, coriandris præparatis, & saccharo, quinimmò & carnibus incoqui poterit ophioglossum, cidoniaque sub cineribus cocta, item poma, ac pira subaustera, dactili, & vuæ passę concedi poterunt. Verum ob difficilem spirationem victum mutare, & ab adstrigentibus abstinere oportebit, quare ptisana, & panis, vel oua ex iure patienti offerre non erit inutile. Pro potu nunc conueniens est aqua calybeata, in qua saccharum rosatum fuerit dissolutum, vel in qua tamarindi, ac sebesten sint incocta, vel vinum granatorum medij saporis cum eadem aqua dilutum; inposterum verò vinum album tenue, non valdè austerum aqua cocta cum china mixtum conueniet; Dormiat tamen eger capite humili, & vbi somnum voluerit adire, cochlearium assumat mixturæ, quæ ex duabus partibus pulpæ sebsten, vna sem. melonum mundatorum, atque dimidia seminum papaueris albi exceptis cum iuleb violato componi- H tur, quiescat animo, & corpore, vitet motus omnes corporeos, clamores, & vociferationes, aluum lubricam seruet vsu potissimum caricarum ante mensam commestarum, Deusque sit illi propitius, & adiutor.

PRO EGREGIO IUUENE TUMORE TONSILLARUM inflammatorio, tussi sicca, dolore thoracis punctorio ad partem anteriorem, raucedine, tandemque grauedine capitis cum sensu caloris affecto.

CONSULTATIO CXV.

TRIA in casu egregij Iuuenis dilucidanda propono, primum an vnica sit origo malorum, a quibus affligitur, secundum an mala huiusmodi sint sanabilia, nec

nec ne, tertium & postremum, si sanabilia, quibusuam præsidijs. Vt igitur primum innotescat, primò scire est necessarium, quæ sunt mala, de quibus conqueritur patiens, sunt itaque, ni fallor, tumor tonsillarum inflammatorius, vt oculus ipse demonstrat, rubor namque præter calorem, dolorem, ac magnitudinem auctam, præsens est. Sed quoniam tonsillæ prædictæ maximè duræ apparent, oritur difficultas, vt non inflammatio, sed scirrus videatur adesse, dicerem tamen, tumorem, inflammatorium existere ob rationes adductas, nam durities, quæ persentitur ex eo habuit occasionem, quod propter inflammationem hasce partes obsidentem calore agente, quicquid tenuę in sanguine existebat, pro maiori parte fuit absumptum, ex quo partes hæ magis terreæ remanentes duritiei iam dictæ ansam præstiterunt. Huic affectui succedit tussis quasi sicca, & inueterata, illudque modicum, quod expuitur salsum est, ac tussi dolor thoracis ad partem anteriorem punctorius adiungitur tertius affectus raucedo existit per interualla patientem affligens, quartus & postremus est grauedo capitis secundum partem anteriorem cum sensu caloris. A B

Quæ omnia mala ab vna veluti radice, à materia nempè calida, & acri pendere non est dubium, in inflammatione quidem tonsillarum sanguini permixta, vt propterea nonnihil Ersipilatodis huiusmodi inflammatio habere videatur; In tussi vero quatenus in pulmones decumbit, ibique (cum propter sui tenuitatem non expurgetur) intemperiem quandam parit calidam, à qua vna cum materia prædicta facultas expultrix irritata insurgit, ac tussim excitat, quinimmò & eadem materia partes continuas dissoluens, in thorace dolorem illum excitat; Pariter fluxio eiusdem materiæ interuallis quibusdam incrementum suscipiens in instrumentaque vocis delata raucedinem illam efficit; Capitis autem grauedinis nulla alia censetur causa, quam intēperies calida cum præsentia materiæ, ex quibus mea sententia patet, vnicam esse originem, & materiam omnium horum affectuum, quæ quidem materia, vt vnicuique satis compertum esse puto, generatur in cèrebro; & quoniam succus quilibet excrementitius necessariò supponit aliquam actionem læsam, propterea cerebri actionem facultatis concoctricis vitiari interim concludendum; Et quia vbi cerebri concoctio fit secundum naturam, necessariò duo excrementa generantur, vapor, ac mucus, ita etiam & eadem concoctrice à scopo deuiante, excrementa duo morbifica fiunt, vaporosum, atque mucosum, quod postremum in casu nostro locum habet; Deuiat autem in egregio iuuene facultas concoctrix à proprio fine, quoniam cerebrum laborat intemperie calida, vti liquet ex sensu caloris in capite precepto, ac sputi salsedine, solet enim cerebrum, agente calore, si non putrefaciente, saltem exurente plurimos fumos exustos concitare, qui humido aqueo in cerebro commixti pituitam salsam efficiunt, quod contigisse patienti nostro video, cum neque fœtor aliquis, qui putredinis comes esse solet in excrementis cerebri obseruetur; Atque huius pituitæ generationi fauet iecoris caliditas, merito cuius fumi calidi in cerebrum feruntur, materiaque biliosa ipsi cerebro communicatur. C D

Cœterum quod ad secundum propositorum attinet, mala omnia prædicta ferè insanabilia constituo, quando destillatio illa sit patienti veluti hæreditaria, illius etenim occasione & parens ipsius, sororque phtisici perierunt; circa præseruationē tamen multum mihi spei remanet, non solum quia patiens est obediens, obsequensque præceptis medicis, verum etiam quoniam affectus, de quibus querelas habet, conformes ætati calidæ ipsius, qui vigesimum quintum annum non transcendit, existunt; Amplius remedia generosa hucusque haud fuere tentata, vt ex his, ac alijs similibus plurimum sperare liceat, sed & in huiusmodi præseruatione nonnihil difficultatis occurret, vt etiam aliquod insigne periculum impendeat, nam destillatio, quasi in habitu, acris, atque

E maligna ex omnium medicorum sententiam phtisim minari solet, cui & raucedo sub ratione signi non parum fauet.

Quantum modò spectat ad postremum caput, si materiam genitam, & fluxam spectem, indicatur euacuans, discutiens, si genitam, & fluentem retrahens per modum interceptionis, reuulsionis, ac deriuationis; At si materiam gignendam respiciam, indicatur alterans iecur, & cerebrum ad frigidum.

Quam ob rem his subnectens materias præsidiorum, propter sanguinis subpeccatum, ac iecoris ferUorem, venæ sectionem in cubito patienti conducturam fore puto, sicuti & cauteria primum in sincipite, deinde in altero brachio, & crure gestata summoperè necessaria esse statuo; Apertionem autem venarum sedis, item & cucurbitulas nucæ, ac occipitio cum incisione affixas non improbo, sicuti & adaucta destillatione vesicantia capiti adhibita non vitupero.

F Quòd si ad medicamenta, & primum communia me conuerto, necessarium est prius aluum ipsam lenire casia cum manna, vel melle violato solutiuo pariter cum manna, & ad præparationem humorum conuenit medicamentum factum ex endiuia, cicorio, violis, boragine liquiritia, passulis, adiecto modico betonicæ, & decoctis omnibus in iure, additisque syrupis accommodatis, Demum ad eosdem humores deturbandos, Medicamentum factum ex manna cum trociscis de violis absque scam, vel ex infuso Rhabarbaro, & agarici, cum syrupo violato solutiuo summis laudibus extollo, quamquam & pilulæ de tribus cum Rhabarbaro videantur esse posse ex vsu, quibus medicamentis adhibitis, de his quæ priuata dicuntur, est cogitandum, hæc igitur si dirigantur ad materiam genitam in capite existentem, possunt sensibiliter euacuare, & insensibiliter, in genere itaque eorum, quæ sensibiliter euacuant, herrina parata primum ex aqua hordei, alteę, maluarum, cum melle rosato Zuccarino, deinde ex aqua

G sampsuci cum succo betæ cum melle rosato simpl. sunt maximi vsus, sicuti & ad euacuationem insensibilem ceratum capitale Montagnanæ, castigatum tamen cũ puluere rosarum propter calorem capitis, vel emplastrum ex cochleis cum testa tusis erit efficacissimum, si verò materiam hanc genitam non solum in capite, verum etiam, & in torace receptam intueor, nil præstantius excogitari potest medicamento eandem insensibiliter euacuãte, quod sit ex China, & salsa cum sandalis, ac in iure paratur, & quoniã materia prędicta est acris, ideo attemperari debet lacte asinino modo consueto exhibito, vel medicamento hora somni deuorato, quod ex duabus partibus pulpæ sebesten, vna sem. melonum, & media papaueris albi, iuleb viol. exceptis efficitur, ad hæc oportet & intercipientia gratia istius materiæ genitæ administrare, in quorum serie tum diaspermaton Galeni, tum pilulas de cinoglossa summoperè laudo.

Sed præter medicamenta materiam genitam respicientia proponere est necessa-

H rium, quæ ad gignendam referuntur, & sunt alterantia quare gratia iecoris conuenit serum cum succo cicorij exhibitum; conueniunt & aquæ Villenses, ac Porrectaneæ veteres bibitæ, balneum etiam aquę dulcis toti administratum non erit inutile, perfusio pariter iecoris facta ex succo cicorij, hepaticæ cum aceto, ac speciebus cerati sandalini plurimum proficiet: Gratia verò capitis conseruæ ex floribus violarum, rosarũ, & cicorij hora somni assumptæ plurimum valent, sicuti etiam & lotio capitis ex aqua dulci tepida, necnon embroca cum aqua Villensi, vel decocto simplicium moderatè refrigerantium, atque siccantium, qualia sunt rosæ, folia oliuæ, myrtus, gallæ, nuces cupressi, semperuiuum, flores violarum, sandali, alumen & huiusmodi, quibus gratia caloris addere oportebit camomelum, & anethum.

His omnibus postremo addenda est ea viuendi ratio, quæ sub hisce continetur regulis, videlicet vt patiens omnem aeris, præcipuè calidioris iniuriam aufugiat, vtatur pro cibo ptisana, lacte sem. melonum, ouis recentibus, carnibus laudatis elixis; farre, &

oriza,

oriza, pro potu decocto iuiubarum, vel passularum, vel sebesten, per pluresque dies A abstineat à vino, Amplius vt noctu tantum, & capite humili dormiat, Alui beneficio fruatur, & si fuerit opus aliquot interuallis deuoret ante prandium drag. ij. vel iij. floris cassiæ, corpus exerceat moderatè, ac postremò omnia animi accidentia aufugiat Deo Optimo Maximo sibi fauentem humiliter precetur.

PRO PERILLVSTRI, AC NOBILISSIMO POLONO AFFECTV hypochondriaco cum rudimento nephritidis detento.

CONSVLTATIO CXVI.

PERILLVSTREM, & nobilissimum virum laborare affectu hypochondriaco cum rudimento nephriticæ passionis; non est difficile dignoscere, nam & somnia turbata, præter timorem, atque mœstitiam, & copia flatuum cum rugitu imi ventris melancholiæ hypochondriacæ certissima solent esse testimonia, & proinde non mirum (quod spectat ad flatus) si in viro nobilissimo punctiones plures, & ad partes abdominis, & ad regionem cordis fiant; Rudimentum verò alterius affectus non solum ex arenulis cum vrina excretis, verum etiam ex dolore circa Renes percepto liquet, B

Porrò principium generationis immediatum affectus hypochondriaci est accensio quædam, seu Phlogosis fundum ventriculi, atque mesereum obsidens, merito cuius ibidem sanguis contentus conburitur, & combustus in cor, cerebrumq; fumat, vnde postmodum malorum, de quibus vir perillustris conqueritur, origo suscipit occasionem, vt cogatur exinde vitam ærumnosam, & inquietam ducere: fit autem accensio illa ab obstructione partium dictarum excitata ab excremento crasso, & viscido propter errores in victu perpetratos in ventriculo genito, cui fauet & iecur à primo semine iusto feruidius, quod sicuti crassum sanguinem dictis partibus impertitur, à quo obstructio dicta contumacior in dies efficitur, ita etiam sibi viam sternit ad maius augmentum feruoris, qui ventriculo communicatus non solum accensionem in illo præexistentem adauget, sed adhuc ipsum ventriculum ad iugem excrementi crudi generationem disponit, non tantum quia fumos calidos in eundem emittit, qui coctionē perturbant, verum etiam quia humidum ventriculi depascitur, ex quo calor qui in eo fundatur, ad eum deuenire statum omninò cogitur, vt alimentum conficere nō queat. Atqui arenularum generatio pendet ex calore Renum immediatè, necnon ex materia cruda a ventriculo suppeditata vi caloris earundem partium attrahentis. C

Quibus malis vt occurrat Medicus, in hosce scopos intendat oportet, primum vt D corpus ab excremento pituitoso, & melancholico expiet, deindè meritò obstructionum attenuet, detergatque, atque simul flatus dissipet, amplius ventriculum calefaciat iecur, & Renes attemperet, & ad pristinum robur deducat.

Quos obtinere scopos non erit impossibile, nam patiens nobilissimus est prudens, florentis ætatis, & bene habitus; res tamen aliquam habebit difficultatem, quoniam affectus hi natura sunt cōtumaces, vt satis colligere licet ex multitudine remediorum à me citra fructum aliquem aliàs præscriptorum.

Quare ad curationem deueniens, si de actis mihi vobis, viri excellentissimi, reddenda sit ratio, dico omnes materias Medicas pro scopis propositis attingendis vsurpasse; Quod enim attinet ad Chirurgiam, quoniam noluit vir perillustris venæ sectionē admittere, apertę fuerunt venę ani hyrudinibus, vt fieri solet; quod verò ad Pharmaciam, prius babita totius prouidentia medicamentis accommodatis per plures dies

E ius colombinum cum china, modico sassafras, coriandris, menta, capillo veneris, citrac boragine, lupulis, cicorio, & hepatica medicatum assum, sit, interimque ad flatus dissipandos rotulam ex cinnamomo, coriandris, & seminibus melissæ paratam ante cibum assumebat, totúque abdomen vnguento parato ex oleo amygdalino dulci, pulueribus carminantibus, & aromatibus inungebatur, atque cordi oleum ex floribus citri cui aliquot grana galliæ muscatæ erant immixta, admouebatur. Post hæc, quoniam parum, aut nihil iuuamenti persensit vir nobilissimus, deueni ad medicamentum calybeatum, quod sumpsit per plures dies, & iussi etiam parari conseruam ex carne pomorum apiorum cum speciebus lætificantis Almansoris, quibus omnibus comparem viuendi rationem adiunxi. Deinceps caloribus aduentantibus curaui, vt assumeretur serum depuratum, succusque cicorij simul mixta.

Quid autem in posterum sit agendum, hæc est mea sententia. Aperiatur vena com-F munis brachij dextri, deinde post aliquot dies, quæ in talo vena existit, & alijs non cuferentibus, necesse erit fonticulum de more in femore dextro secundum partem domesticam excitare, quæ dum peraguntur, si punctiones vrgebunt, non erit malum cucurbitulas siccas abdomini sæpius & regioni cordis adhibere.

Ex parte pharmaceutica adhuc quædam alia post totius prouidentiam vsurpanda super sunt, inter quæ primum occurrunt thermæ frigidæ, vt sunt Lucenses, vel aliquæ aliæ similes, hisce temporibus ebibitæ, post quarum vsum, & lauacra per modum balnei in aqua dulci tepida non displicent, sicuti haud inutile credo esse posse lac asininum tempore opportuno, & modo consueto cum saccharo modicoque specierum aromatici rosati sumptum. Transacta autem æstate, ius galli medicatum cum simplicibus supra commemoratis erit maximi vsus, & eo magis, vbi antè syrupum matutinum dabitur drag. vna medicamenti ex pulpa cordis accipitris, folio, ac sale theriacali, quo G etiam tempore à cęna modicum sacchari boraginati, & buglossati cum speciebus diamusci dulcis, & puluere cordis lupi permixtorum assumere præstabit; aere postmodū facto frigidiori, non parum conferet vsus extracti croci, quod fit ex croco in aqua ardenti macerato, & saccharo rosato permixto, à quibus qui exprimitur succus, datur ad mensuram cochlearij. Atque pro ventriculo deinceps maximè conueniet embroca parata ex oleo amygdalino dulci, cui aromata, carminantia, & stomatica cum vino Cretico in duplici vase fuerint incocta; Pro corde verò valet theriaca cum croco, & speciebus lætificantis Almans. in vino maluatico liquata, & illita, valet & balsamum, adhuc & smaragdus, hyacinthusque super cor gestata, ac in annulis mirificè prosunt.

Quibus omnibus eam viuendi rationem adiungerem, quæ medicamentis responderet, hoc est vt nobilissimus patiens quantum fieri posset, omnes aeris inclementias H deuitaret, vesceretur cibis optimis, vti essent oua recentia, carnes laudatæ, pisces in aquis claris, & saxis degentes, ad gustus tamen gratitudinem vtique fructus aliqui; vt pruna persica, amarenæ, armoniaca, poma, & pyra dulcia, vuæ pensiles, ficus, cotonea, oliuæ, capparesque salita concedi possent, quemadmodum ex oleribus fœniculus, asparagus, cicorium, endiuia, borago, & huiusmodi, Bibat interim vir perillustris vinum album, tenue, mediocre, quod magis etiam proderit, si tempore vindemiarum cum melissa, boragine, atque coriandris alterabitur; quinimò vrgente necessitate, haud erit inconueniens, aliquid sassafras addere; semper fugiat crapulam, omnemque repletionem, cibaria item flatuosa, excrementosa, ac difficilia concoctu; post omnem mensam vtatur vel coriandris saccharo conditis, vel conserua cydoniorum, vel demum saccharo rosaceo, studeat; vt aluus de more respondeat, in quem finem vti poterit prunis, & passulis, maioribus præparatis cum manna dissoluta in infuso senæ, & polypodij, vel pilulis

ex aloe succotrina illota formatis, clysteres etiam mollientes in hunc vsum non vitupero, somnus sit nocturnus, non statim à cibo factus, ac tandem quies corporis, & animi non absit, quæ omnia vt sint proficua pro salute perillustris, ac nobilissimi viri D. O. M. precor,

PRO PERILLVSTRI, AC EXCELLENTISSIMO IVR. PER. Ariminense fluorem sanguinis ab ore patiente.

CONSVLTATIO CXVII.

PERILLVSTREM & excellentissimum virum solicitari à fluore sanguinis ex ore, referunt excellentissimi curantes; Cœterum, quoniam sangurs ab ore prodiens potest vel a capite, vel thorace, vel à partibus oris prosilire, ea propter locum affectum distinguere interim oportet; quoniam igitur tussi non excernitur, à thorace non potest exire, verum quod à capite, aliqua potest esse suspicio propter hemorargiam, quam aliàs passus fuit vir perillustris, ac vt quod ingenuè sentio, liberè fatear, puto ego per palatum sanguinem hunc à capite emanare, quando sanguis vsque adeò copiosus excretus ab ore, à thorace minimè proueniens, nulla ratione possit à gengiuis tantum, vel alia qualibet oris parte prodire, atque hoc eo magis, quoniam arbitror nobilem patientem absque sputationis occasione, spontè inquam; sanguinem excernere, quem ideo à capite non est dubitandum prouenire, sed quòd à gengiuis idem prodeat, indicio est, præter sensus testimonium, simplex expuitio sanguinolenta.

Quam ob rem ad causas descendens dico, quod cum symptoma hoc sit secundariũ in genere excretorum præter naturam, necessariò dependet ab actione aliqua lęsa, quæ nulla alia interea esse potest, nisi quæ facultatis est retentricis, cumque actio quælibet ex Galeno tertio de simpt. causis primo lædatur vel facultate læsa, vel propter errorem externum, vtrumque in casu nostro locum habet, primum enim læditur facultas retentrix vasorum capitis ob anastomasim illorum vt patet ex copioso affatim, atque periodicè sanguine excreto, læditur pariter & facultas retentrix gingiuarum propter diapedesim, quoniam cum nulla fiat in illis corosio, atque sensu iudice exiguus admodum, calidus, & mordax sanguis excernatur, necessariò hunc ipsum per transcolationem exire, est necessarium, quamquam & apertis exiguarum venarum ad illas pertingentium osculis, non sit impossibile sanguinem prodire modo dicto. Error autẽ externus est vitium sanguinis tum in quanto, vndè nascitur Anastomasis, tum in quali, vndè diapedesis, nasci etenim illã à copioso sanguine fatetur vnusquisque, sicuti & hanc ex calidiori, atque tenuiori, defluit sanguis hic propter iecur a toto corpore in partes prædictas per transmissionem, vti ad locum imbecillum, quemadmodum hæmorargia pręgressa videtur attestari propter iecur quidem, quoniam vt calidum, & humidũ plurimum sanguinem gignit, vt verò calidius factum ab erroribus externis, & in victu proprietatis sanguinem secundum qualitatẽ culpatum gignere potest. Quibus ita cõstitutis, quoniam à qualibet sanguinis euacuatione immodica, spiritus dissipatur, calorque natiuus maximã iacturã patitur, non est mirum, si ciborũ inconcoctio, flatulentia, cœteraque huiusmodi ventriculi symptomata, & animalis facultatis imbecillitas fiant; Ad hæc quoniam in qualibet sanguinis euacuatione agitatio maxima in eiusdem massa succedit, non mirum si in proposito casu bilis commota in os

E ventriculi decumbens Cardialgiam, & pro indè lipotimiam inducat.

Quare vniuersa medendi ratio tum in præseruationem, tum in veram curationem dirigatur oportet, meritò itaque illius copia sanguinis est minuenda bilis ipsi commixta præparanda, ac indè deturbanda, tandemque iecur temperandum, caputque, ac gingiuę roborandæ, meritò vero huius sanguinis impetus in caput est coercendus, per reuellentia, & per adstringentia, sanguinemque incrassantia.

Quos scopos assequi & si haud impossibile putem, rem tamen operosam valdè, atque difficilem arbitror, necnon sine periculo, nam malum est quasi in habitu, causæ morbificæ sunt adeò intensæ, plura symptomata, eaque non contemnenda complicantur, plures partes, eæque principes afficiuntur, & denique vires propter morbi diuturnitatem, ætatemque declinantem non resistunt, vt iure grauiora longè mala superimmineant, sicuti totius refrigeratio, ac phtisis ipsa, sed non ob id ad materias Medi-F cas non est vt descendam.

Et quantum ad Chirurgicas spectat, ad præseruationem laudo, vt bis in anno secetur basilica dextra per quattuor dies antè tempus illud, quo symptoma huiusmodi prorumpere consueuit; præterea si studendum sit curationi, probo venæ sectionem in talo, apertionem venarum sedis per hyrudines, siccas cucubitulas infernis partibus appositas, ac demum lotiones, frictiones, & vincula dolorifica crurum.

Inter medicamenta præseruatoria pro lenienda aluo laudo cassiam cum diacathoico, vel syrupum rof. sol. pro bilis præparatione arridet mihi decoctum in aqua calybeata sonchi, cicorij, accetosæ, hepaticæ cum syrupis de succo cicorij, & acetosæ; purgãs vero ex Rhabar. diacatholico, & cassia poterit institui, quibus ad vsum deductis cogitandum de secunda præparatione, quæ commodè fiet medicamento proposito, additis plantagine, portulaca, atque syrupis ex ijsdem simplicibus, & rosis sic-G cis paratis, pro catartico non displicebit Rhab. cum eodem diacatholico cum decocto myrob. citrin, tamarindorum, sem. plantaginis, portulacæ, & accetosæ in aqua calybeata parato dilutum.

Atque ad alterationem iecoris intus probo serum caprinum, vel vaccinum depuratum, & calybeatum, cum succo accetosæ, & cicorij exhibitum, quò pertinent thermæ, frigidæ tempore debito epotę, potissimum autem Villenses, Porrectaneę veteres Beatæ Virginis Patauij, ac tandem Brandulenses, quæ etsi nullum habeant frigoris excessum, summam tamen vim obtinent adstringendi; Exterius commendo iecoris perfusionem cum succo cicorij, hepaticæ, additis speciebus confectionis ex tribus sandalis.

Verum ad capitis robur theriaca recens, saccharum rof. antiquum cum bolo Armena, corallis rubris, & puluere ophioglossi hora somni deuorata plurimi facio, sicu-H ti & embrocam sincipiti admotam ex thermis prędictis, vel aliquo decocto ex arte parato, quod eandem cum thermis facultatem obtineat.

Deindè ad gingiuas roborandas conuenit frequens oris ablutio cum ijsdem thermis, vel cum decocto equiseti ophioglossi, nucum cupressi gallarum, & malicorij in aqua calybeata facto, huc pertinet. & succus plantaginis, in quo liquetur alumen, vinum etiam cydoniorum, extinctionisque laminæ aureæ erit opportunum.

Pro curatione laudo diatragagantum cum bolo in ore detentum, sic & succum plantaginis non solum in ore detentum, verum etiam & epotum, in quem vsum pariter facit theriaca recens cum seminibus hiosciami albi.

Quibus omnibus compar victus ratio est addenda, quare excellentissimus patiens vitet omnem aeris calidioris, atque ventosi inclementiam, abstineat a gestatione grauium supra caput, atque demum omnes causas externas caput ipsum calefacientes effugiat, cibum sibi parari curet ad frigidum inclinãtem, qui adhuc sit inuiscans, vndè

carnes

carnes in qua calybeata cum pedibus vituli decoctæ maximè probantur, sicuti & far, A oriza, millium, ac fructus austeri; Condiantur autem cibaria cum succo Aranciorum, corallisque rubris, & alterentur seminibus plantaginis, portulacæ, acetosæ, radice consolidæ maioris, & huiusmodi, Potus sit vini nigri subaustri, pauciferi, quod poterit etiã alterari cũ sandalis, corpus exerceatur, modestè tamen, ac sine sudoris euacuatione, nõ statim a cibo, sed ventriculo ieiuno, somnus deuitetur meridianus, fiatque capite humili super puluinar, non plumeũ, sed lareũ cum floribus rosarũ, & nenufaris, Aluus seruetur mollis clysteribus emollientibus, ac postremò studium post cibum, curas, negocia, solitudinesque quantum fieri poterit, sicuti iram, ac excandescentiam euitare proficuum erit, quibus omnibus vt fœlicem successum D.O.M. benignè largiri velit, exopto.

PRO NOBILI QVODAM VIRO SALIVATIONE, NECNON lipitudine laborante. B

CONSVLTATIO CXVIII.

VITIA, quibus nobilis Vir afficitur, duo ni fallor, existunt, Alterum est quod a Cælio Aureliano Saliuatio, communiter expuitio dicitur, audio etenim per screatum multum humoris ipsum excernere, Alterum est affectus oculorum complicatus, nempè leuis quædam lippitudo, seu potius oculorum rubedo, eorundemque pruritus, atque mordacitas.

Quorum omnium causam proximam humorem esse constituo, & calidum, & frigidum, calidum duplicem, salsum, vt mordacitas indicat, & sanguineum, vt rubor oculorum connotat, frigidum verò quandò saliuationi sapor salsugineus, vel amarus haud associetur; Atqui humores hosce in locis affectis generari, non est vt aliquis existimet, nam alibi geniti in illas partes decumbunt: cum etenim nobilis patiens narret, se ad palatum aliquando, veluti descensum quendam persentire, credibile omninò est, a capite illos prodire, atque potissimum per transmissionem quoniam ad palatum, & ad oculos neque dolor, neque calor aliquis insignis ante fluxionis initium fuit perceptus. Nec difficile est, vt credatur, quod mala hæc oriantur ex materia a capite transmissa, quandò vnica destillatio, ex Auicenna, sit omnium ferè ęgritudinum occasio. Sed præter causam proximam reperio remotam tum internam, tum externam, interna est intemperies calida, & humida capitis, sicuti indicio sunt capillorum eiusdem capitis durities, rubor faciei, ac morsus ad oculos obseruatus, a qua intemperie, læsa concoctrice cerebri, excremẽta gignuntur, quæ a calore illius exusta quasi salsedinem aquirunt, quamquam etiam ex bile delata a iecore feruidiori (vt licet ex temperie corporis, ætateque patientis biliosis animaduertere) exurente oriri prædictam salsedinem existimem, quinimmò & a ventriculo frigidiori excremeutum crudum transmutationi, quæ fit in cerebro tamquam materiam suppeditari, non dubito, nec propensionem illam ad somnum in cerebti frigiditatem (nam hæc nulla adest) sed in humiditatem excedentem refero; Ventriculum autem esse frigidum illud vnum sufficiat argumentum. Iecoris nempè caliditas; Causa modo externa mouens est, & colligens, hæc ad errata in vsu alimentorum spectat, illa in exercitia corporis immoderata, intempestiuèque facta refertur, sicuti & ad aeris iniurias, quibus nobilis patiens non semel se ipsum exposuit. C D

Quare vt pristinę sanitati restituatur, prius destillatio illa est finienda per attemperationem

E rationem cerebri, omniumque aliarum partium laborantium, earum imprimis facta peculiari euacuatione, quod si sic finiri ex toto non poterit, quod remanet ipsius in aliam partem erit deflectendum, post hæc oculi præsertim secundum propriam proportionem in pristinum naturale robur accommodatis præsidijs roborantibus erunt redigendi, verum antè omnia acredo humorum attemperetur, ac totius habeatur prouidentia est necessarium.

Hos autem fines attingere prouinciam arbitror, non impossibilem, nam vitia proposita adhuc sunt in habitudine, ac patiens in ea est ætate constitutus, vt vires valdè sint robustæ, proindeque inclementijs morbificis resistent, quamquam, nisi citò succuratur res haud omninò immunis videatur a periculo aliquo insigni, sicuti de la psa materia ex palato in pulmones per asperam arteriam est sputum sanguinis, & phtisis, quemadmodum etiam est aliquis oculorum grauior affectus.

F Et propterea statim cogitans ego de materijs Medicis, & primum chirurgicis, secta vena mediana, vel cephalica in cubito dextro, appositis hyrudinibus post aures, necnon cucurbitula cum scarificatione occipitio, vesicantia ibidem, ac vertici capitis adhibita, præferrem omnibus alijs, sicuti & cauterium pariter in vertice, vel setaceum in ceruice nulli auxilio chirurgico postponerem, & cucurbitulas, frictiones, ligaturas, atque lotiones partium infernarum non improbarem; de cauterijs vero illud nulla ratione prætermittam, vt antequam prædicta sanentur, alterum in brachio sinistro, alterum cruri dextro infigatur.

Cœterum de materijs pharmaceuticis ita sentio, vt quamprimum leniatur aluus cum syrupo ros. & melle viol. solutiuis, deinde humores præparentur endiuiæ decocto, sonchi, boraginis, Mentæ, & betonicæ cum syrupis de endiuia, de succo betonicę, atque boraginis, a quorum vsu pro purgante laudo medicamētum ex Agarico Rhab. G & sena infusis cum Manna atque bis prædictis præparantibus exhibitis, pro secunda purgatione vterer pilulis de tribus cum Rhab. Quibus peractis, salsæ decoctum cum sandalis, modicoque guaiaci per quadraginta dies de more exhibitum summis laudibus extollo, deinceps tempore conuenienti vsum lactis asinæ, & seri depurati cum succo cicorij non improbo, quò pariter spectant, sed suo tempore thermæ frigidæ potæ, quibus attemperandi iecur a natura insita est facultas; Ad caput autem exiccandū saccharum rosatum hora somni cum bolo Armena, puluereque corallorum rubeorum per plures dies assumptum mihi plurimum arridet, sicuti exterius embroca, ex thermis iam dictis per se vsurpatis vel ex decocto in aqua calybeata parato cum valenter exiccantibus, temperatis tamen in actiuis qualitatibus non displicet, quemadmodum, & pro iecore perfusionem ex succo cicorij cum sandalis & aceto factam probo, atqui ratione demum oculorum, ablutionem cum sero calybeato, vel aureato, in quo fœni- H culus maceretur, tamquam maximè proficuam propono: Ventriculi vero hoc in casu peculiarem haud haberem rationem, quando sciam, attemperato iecore, ipsum esse statim conualiturum, & eò magis, quoniam de eo nulla peculiaris habetur querela.

Postremo victus rationem instituerem moderatè attemperantem, quæ simul etiam refrigeraret, & hume faceret, quam optimè nouit Excellentissimus curans, vt interim ego tacere omninò possim, ac debeam, Deumque O. M. rogare, vt hæc omnia a me proposita, & ab Excellentissimo curante proponenda in gratiam cedant valetudinis nobilis propositi patientis.

PRO NOBILI IVVENE FEBRE TERTIANA atque Cardialgia detento.

CONSVLTATIO CXIX.

DVO, ni fallor, sunt pręter naturam affectus, quibus nobilis, & egregius iuuenis detinetur, quorum alter in genere est symptomatis facultatis sensitricis oris ventriculi superni, qui quoniam angorem habet adiunctum, ideo iure merito Cardialgia vocari poterit, nam (vt norunt Viri Clarissimi,) huius affectus tres reperiuntur species, quarum prima Cardialgia in specie, in qua angor absque morsu sentitur, secunda Cardiogmus, in quo angor cum punctura, morsuque percipitur, tertia Cardiaca affectio dicitur, ad quam extremorum frigiditas, frigidusque sudor subsequuntur: Alter autem affectus de genere est morbi in intemperie calida, vocatus febris, quæ interim non diaria, non hectica, sed putrida existit, nam frequentia, & celeritas pulsus, rigor, reliquaque simptomata, de quibus nobiscum patiens conqueritur vnius febris putridæ comites esse solent.

Sed quæret aliquis hoc in loco, an Cardialgia, quæ vna cum febre inuadit, debeat dici symptoma febris, ex vna etenim parte videtur quòd id assirmare liceat quoniam non accedit, nisi febris ingruat, ex altera vero parte quoniam Cardialgia sine febre etiam fieri solet, & quoniam cardiaca affectio non fit absque venefica qualitate, nulla autem febris intermittens ex Galeno quinto Aphorismo 43. fit ex qualitate venenata, dicendum videtur cardialgiam hanc nulla ratione febris huius existere symptoma, sed potius affectum esse distinctum. Pro solutione dico, reuera febrem, & Cardialgiam inter sese distingui propter rationem nunc adductam. Ad illud autem, quod tempore accessionis febris, inuadat Cardialgia, respondeo contingere, quoniam ab eadem causa febris, sed remota valdè ad ventriculum transmissa in accessionis principio, fit & Cardialgia. Et si quis rursus instaret, quod in hac affectione euomatur humor porraceus, qui generatur in ventriculo, vt propterea non sit verum fieri humoris transmissionem; Responderem quicquid sit de loco generationis bilis porraceæ, Cardialgiam interim fieri a bile ad ventriculum transmissa.

Cœterum vt redeam ad febrem, hæc quoniam inuadit cum rigore, erit de genere inter mittentium, quoniam pręcessit vsus calidorum, nunc viget ætas, bilisque euomitur, ideo erit de genere tertianarum, notharum tamen quia cum bile est admixta pituita, vt ex vomitu constat.

Quibus ita constitutis, principia generationis tum febris, tum Cardialgiæ, indagare oportet; Quantum igitur attinet ad hanc, quamquam & ipsa ex vaporibus a vermibus emortuis eleuatis, ab ichore sanguinis, necnon a bile fieri possit, in casu nostro, vt vomitus, tertianaque suadent, à bile fieri, quæ sua copia, qualitateque insensa passionē dolorificā insignē parit, vnde Angor, & Cardialgia ipsa, haud est ambigendū, bilis aūt quę est causa principalis flaua existit, cui porracea, tāquā causa coadiuuās admiscetur.

Febris vero à fuligine cordi communicata à bile, pituitaque in venis meseraicis putrescentibus suam trahit originem, noui etenim antea nobilem hunc virum secundum viscera naturalia malè habentem, vt propterea mihi non sit mirum ad illa venas attinentes focum esse putredinis; Atqui putredo humores hosce depascitur ob prohibitam transpirationem ab obstructione illarum venarum inductam, quę obstructio ex crassitie, lentoreque humorum ortum duxit.

Hinc ratione Cardialgiæ humor biliosus euacuandus, ac attemperandus, calor

innatus

E innatus conseruandus, ac attemperandus, at ratione febris refrigerandum, & humectandum, putredo facta eradicanda, fiens refrigerantibus, & siccantibus emendanda, humor ad focum putredinis confluens alterandus, & euacuandus.

Quibus scopis satisfacere nec impossibile, nec difficile erit ex parte febris, quoniam intermittit, ita, vt natura possit recreari; verum ex parte Cardialgiæ est difficultas, ac periculum impendet, nam cor, quod est vitæ principium trahit in consensum, ac plures fuerunt adinuenti, qui occasione illius perierunt, vt idcircò cito sit succurrendum.

Et quod attinet ad Chirurgiam sectio venæ mihi nullo pacto probatur, propter ventriculi affectum, loco tamen illius cucurbitulę scarificatę partibus infernis poterunt adhiberi, vrgenteque eodem ventriculi affectu, eędem cucurbitulę siccę pariter coxis, & cruribus, abdomini etiam admotę proderunt, sicuti & frictiones, extremo-F rumque ligaturę plurimum conferent.

Medicamenta vel ad febrem cum sua causa, vel ad cardialgiam rediguntur, si ad hanc, ingruente accessione exhibendum est oleum amygdalinum dulce recens cũ aqua hordei, quo mixto vomitus, aut saltem aluus irritabitur, materiaque morbifica attemperabitur, sicq; euacuato ventriculo ad corroborantia externa, & interna deueniendum, in genere internorum probo syrupum de ribes, de agresta, conseruamque accidi citri cum puluere Margaritarum. At in externorum serie probatur mihi fotus factus cum spongia madefacta in vino nigro austero in quo absynthium, Menta, flores lambruscæ, & rosarum, ac semina coriandri fuerint incocta; probatur & cataplasma ex palmulis cum puluere rosarum, masticheS, cariophyllorum, aloes, oleo masticino, vinoque nigro austero exceptis, adiectaque crusta panis in aceto macerata.

Pharmaca, quæ febrem respiciunt, lenientia primum, præparantia, atque purgan-G tia sint oportet, pro lenienti igitur conuenit syrupus rosatus solutiuus cum sero dilutus, vel casia cum tamarindinis; pro præparante valet cicorij decoctum, acetosæ, boraginis, ac pimpinellæ, pro purgante nil præstantius infuso Rhabarbari, & Agarici cum manna.

A quibus ad viscerum alterationem serum cum succo cicorij, vel conserua cicoracea cum modico specierum aromatici rosati erit opportunum, & quoniam etiam extra possunt alterari viscera, ideò pro iecore laudo perfusionem ex succo cicorij cum aceto factam, pro ventriculo seligo oleum mentinum, & absynthite. Verum quia tertianæ nothæ aliquando ob insignes obstructiones in longum protrahuntur, ideò iam dictis ad vsum deductis, laudarẽ, vt patiens vteretur syrupo de duabus radicibus, bisantino cũ aceto, oxymelle composito cum decocto Agrimonij, capilorũ ven. Citrac, & huiusmodi aliorũ, sed singulo quarto vel quinto die vt assumat scrup. ij. mixti ex pi-H lulis de tribus cum Rhabarb. & aggregatiuis, erit necessarium; Quod si aperientia iam proposita non sufficiant ad trociscos de Eupatorio, de Rhabarbaro, de Capparibus, de Absynthio, necnon ad ius galli anti qui meo iudicio deueniendum.

Tandem huiusmodi victus est instituendus, quod scilicet patiens decumbat, & quiescat animo, itemque corpore in aere potissimum subfrigido, qui, inclinante morbo tẽperatus existat oportet pariter tempore accessionis caueat a somno, dormiatq; in febris inclinatione, ac tempore interualli; si opus fuerit, aluus clysteribus emollientibus ac refrigerantibus irritetur. Vtatur autem pro cibo ptisana, & pane ex iure, in progressuque oua concedantur, in inclinatione carnes: Potus nunc in principio sit vini granatorum cum aqua, deinde vini albi oligophori, ac tènuis esse poterit, atque occasione Cardialgię frustum panis in vino granatorum infusum præstabit offerre; Quæ omnia dubio procul sufficient ad recuperandam nobilis propositi patientis valetudinem, vbi D.O, M. fuerit propitius.

PRO

A

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMO SENATORE *Bononiense difficili respiratione cum sonitu, quandoque etiam recta ceruice celebrata, Melancholia hypochondriaca, necnon macie totius insolita correpto.*

CONSVLTATIO CXX.

SENATOR perillustris, ac nobilissimus, cum prius vertiginosus, de in attonitus, mox paralisi secundum partem corporis dextrā correptus, & ab his sanitati fuerit restitutus, nunc in affectum grauissimum, difficilem inquam respirationem incidit, quæ cum sonitum coniunctum habeat ad asperam arteriam, & res aliquando eò perueniat, vt nobilissimus patiens recta ceruice respirare cogatur, primum Asthma, deinde Ortophnæa dici debet, quæ adhuc cōtinua est, a tussique libera, leuique etiam motu exacerbatur, & statim a cibo mitior euadit, post sextam tamen horam ab assumpto cibo recrudescit, cui difficili respirationi adiungitur, & melancholia flatuosa, vt ex rugitu imi ventris, aluo adstricta, flatuum copia erumpentiū, somnis turbatis, ac animo deiecto dignoscitur, adiungitur & macies totius admodum insolita, qua in re adeo sibi vir perillustris dissimilis existit, vt qui ipsum antea nouerint, nunc non nisi cum summa animi admiratione eum recognoscant. B

Quos omnes præter naturam affectus & a causa communi pendere, & sibi inuicem causas esse non dubito, causam communem excrementum constituo a capite in partes spirituales decumbens, sicuti ex abundantia sputi, stertoreque deprehenditur, in cuius confirmationem, quæ præcesserunt, accedunt: nam cum antea affectus illi præcesserint qui sunt partus materiæ in capite genitæ, ibidemque firmatæ, rationi consonum apud me est, vt ab his interim immunis aliam calamitatem, respirationem nempè læsam, quam nunc patitur Senator nobilissimus, occasione illius materiæ ad spiritualia decumbentis incurrerit; accedit quod caput magnum (quale est quod interea tractatur) destillationum maximè ferax esse solet, cum igitur a cerebro excrementum huiusmodi dilabatur, necessariò ibidem generatur, cumque sit excrementum, necessarium est, vt in coctione nerebri generetur verum quoniam in qualibet coctione duplex excrementum, crassum inquam, ac tenue producitur, hoc sine dubio crassum existit, quod ratione copiæ opus præter naturam factum a causa peruertente coctionem, pendeat oportet, quæ nulla alia est, nisi frigida, & humida capitis intemperies, vt ex absentia saporis in sputo calorem rèferentis liquet, necnon ex eiusdem sputi perseuerantia, quæ eandem intemperiem demonstrat esse confirmatam, Atqui sanguis vitio ventriculi crudus vti obiectum improportionatum alteratrici cerebri oblatum vna cum intemperie iam dicta ad excrementi illius productionem dubio procul concurrit. C D

Sed quanam ratione mala iam proposita ab huiusmodi capitis excremento fiant, videre sad curationem oportet: Profectò illud certum est quod ipsum (cum expultrici cerebri robustæ fuerit infensum) necessariò expellitur vel ad solitas vias, sicque tantū expurgatur, nilque mali parit, vel ad alias partes subiectas, maximè verò ad tracheam, bronchiaq; pulmonum sicque illas præter naturam afficit, atque hoc eo magis, quoniam caput prompte admodum in pectus expellit noxia, pulmonesque ad fluxiones sunt accommodati, non tantum situs ratione, verum etiam quia laxi ex propria natura existunt, & ob fluxionem diuturnam in casu nostro habitum contraxerunt; Excrementū igitur illud sic in partes iā dictas transcursum, easdē obstruit, estque in causa, vt

liberè

E liberè non attrahatur aer, & fuligines pro cordis refrigeratione haud transmittantur vnde inter ingredientem, & ægredientem aerem necessario fit pugna, merito cuius cũ paucus admodũ aer, & vi inspiratus non sit sufficiẽs ad cordis euentationẽ, natura huic defectui satisfacere intendens, crebra vtitur iterata, parua, difficilique spiratione, quæ inæqualis, & inordinata sepè etiam euadit, quod si ob causarum, ac pugnæ illius vehementiam frequentior fiat, oritur stertor, si frequentissima, ægri coacti sunt assurgere, rectaque ceruice respirare, illud quidem accidit, vel quia Modicus aer, qui inspiratur, humori obstruenti permiscetur, permixtusque illum scindit, defringit, ac agitat, vt in transitu necessariò in pectore sonitum efficiat, vel quia sputum non expurgatur, sed ob nimiam plenitudinem feruet secundo Progn. & ob id agitatur, ac sonus editur, vel quia aer ad laryngem ab excremento à capite defluente madidam pertingens, vocem minimè sonoram efficit, sed cum stertore, & inæqualitate; spiratio verò recta fit F ceruice, quoniam ægris decumbentibus pulmones, eorumq; bronchia in se concidũt, ac subsident, vt exinde maiori euentationis orta necessitate illi assurgere cogantur, quo arteriæ sic magis dilatentur, atq; ita suffocàtionem, quam timet aufugiant. Quæ omnia cum perillustri Senatori acciderint, non est mirum, si Asthmaticus, ac Ortopnoicus euaserit.

Atqui obstabit ille, non adest tussis, ergo bronchia pulmonum non recipiunt; Dicendum bronchia quidem recipere, sed tussim abesse, quoniam mareria quæ descendit, in tracheam est pauca, benigna, sensimque descendit ac æqualiter instar aquæ per parietes diffunditur; sed dicet aliquis ergo non apparet qua ratione adeò insignis possit esse spirandi difficultas, de qua vir nobilissimus conqueritur; Respondeo in eo etiam leues arterias, sicuti ex pulsũs varia inæqualitate, ac deformitate intelligitur, à materia catarrhali obstrui, quæ sic obstructæ pulmonum bronchia premunt, atque ita G anhelandi difficultatem fouent, & augent, cui fauet etiam hypochondriaca affectio; vt supra tactum fuit, nam huius occasione multi flatus, & hi ipsi crassissimi (quoniam rarò admodum erumpunt) progignuntur, qui in ventriculo retenti, eundem veluti angore afficiunt, & inflant, sursumque Diaphragma pellunt, spirandiq; difficultatem intendunt, vt non sit mirum, si à flatuum illa (quamuis pauca admodum) eruptione aliquando perillustris patiens iuuetur. Ex quo liquet ratio cur statim à cibo mitescat affectus, nam ab hoc deorsum pelluntur flatus qui anxietatem efficiebant, at post sextam horam idem affectus, immanior efficitur, tum quia tunc temporis celebratur coctio, & vna flatus in ventriculo alioquin imbecillo multiplicantur, tum quia vapores in caput delati ea hora potissimum destillationem maiorem promouent, aut quia calorem ratione iecoris feruidioris, ac agitationis, quæ fit in ventriculo, nacti, cerebri excremẽtum eliquant, aut quia ab eiusdem cerebri frigiditate densati illud ipsum copiosius H reddunt. Cœterum ab eodem cerebri excremento alia duo mala generari, pro certo habeo, vbi enim illud in præcordia delabitur primum ventriculi actionem labefactãs generationi cruditatum præbet occasionem, quibus deinde permixtum à iecore calidiori trahitur per meseraicas, ac in illis peruicaces parit obstructiones, merito quarũ calore accenso nimis sanguis, exuritur exustus incor, ac cerebrum fumos emittit, atque sic vir nobilissimus euadit melancholicus, eodemq; pacto prorsus secunda, ac tertia coctionibus labefactatis ineptum pro nutriendo corpore gignitur alimentum, vnde marcoris occasio.

Quare medicationi Medicus curans intentus in id potissimum incumbat, vel vt destillationem adimat per siccantia; vel saltem alio ipsam retrahat, materiam impactam discutiat, obstructiones aperiat, alteret in contrarium viscera, vnaque calorem natiuum trium coctionum instrumentum roboret, quæ tamen omnia totius prouidentiam præsupponunt.

Verum

Verum enim verò nec Medicus in hisce sui voti compos euadet, quando ferè certus existam, mala, hæc, quæ sunt in habitu, à causa morbifica insigni, quæ (quoniam ex parte difficilis spirationis iugiter agit) subitam minatur suffocationem, viscera principalia pro maiori parte, ac totum quasi corpus iam morbis, ac ætate confectum exercent, vixq; tolerantur, expugnari nullo pacto posse, & eo magis, quoniam vis medicamentorum, antequam ad loca deueniant affecta, plurimum refringitur. A

Verum tamen cogitans ego de materijs Medicis, & primum de chirurgicis in corpore alioqui ex primo semine sanguineo sanguinem per hirudines à podice mitterem deinde setaceum infigerem in ceruice, atque necessitate volente à vesicantibus femoribus, & cruribus, tandemque & sincipiti adhibitis non abhorrerem, sic enim & Galenus in nobili illa Matrona 5. Meth. tapsiam cum stercore columbino capiti applicabat, quod medicamenti genus ipse quoque etiam, atque etiam laudo quinimmo, & cauterium ibidem actuale affixum vbi augebitur destillatio, non erit inopportunum; neq; ab huius vsu me amouet illud, quod materia grauis, & crassa haud possit ascendere, & dato quod id fieret, egredi per os durum non valeat, quoniam materia grauis sursum etiam mouetur expulsa à natura ad locum imbecillum per cauterium reditum, accedit etiam quod os in vertice ob suturam coronalem est peruium, ac vbiq; porosum, detractaque primæ laminæ squama, occasione ibidem infixi cauterij, scio meditullium adeò molle existere, vt maximè tactui cedat, quod ego sępius ipso stylo, dum cauteria similia tractabantur obseruaui; dum autem huiusmodi cauteria erunt sanāda seruato eo, quod iam in brachio sinistro gestabat vir perillustris alterum in brachio, alterum in femore dextris excitarem, ac vbi immaniter à spirandi difficultate premeretur, vt extrema fricarentur lotionibus, ligaturis, ventosisq; tractarentur omninò curarem, vertebrisque thoracis cucurbitulas siccas admouerem, inustiones ex Aetio circa medium tum vertebrarum ad dorsum, tum costarum ad pectus non damno: nec aliquis admirabitur me omnes ferè materias chirurgicas, & vehementes pro ponerre vbi viderit, affectum grauissimum interim, difficultatem inquam anhelandi subitam minari suffocationem. B C

Quapropter de medicamentis etiam maximè conuenientibus pensitandum, quæ si euacuātia esse debeant, gratia totius laudo pro leniente mel rosatū solutiuum cum decocto cartami, & polypodij dilutum, pro purgante infusum Agarici trociscati cum eodem melle rosato, vel Catapotia de hiera cum Agarico, maximè verò de Agarico Mes. quibus per vices adiectis floribus sulphuris, & puluere ireos summa cum vtilitate patiens nobilissimus vti poterit, vehementia ab antiquis proposita non propono, quoniam ille, qui ferè nunquam ab accessione est immunis, ab his materiam agitantibus, vel facilè suffocari posset, clysteres tamen, & glandes acres non improbo. Cœterum, totum ipsum per guaiaci decoctum, & chinę insensibiliter euacuare oportebit, ventriculum autem sensibiliter per vomitum (quoniam facilè vomit, ipsique est assuetus) ea potissimum hora concitatum, qua magis pati consueuit perillustris æger. Diuinus enim Hipp. eum euacuare iubebat præcipuè singulo mense: ad thoracis verò euacuationem sensibilem, & Arteriaca, & diuretica viderentur opportuna, quare & Eclegma de pulmone vulpis, vel de Pino cū puluere radicis ari, & mulsa decoctionis botridis ad lambendū, therebintinaq; lota cū aqua farfarę, adiectis speciebus electuarij Iustini deuorata mihi maximè arrident; Atqui & caput ipsum proprijs est euacuandum medicamentis, ideò præter Catapotia de Agarico proposita, herrina præsertim, quæ ex hederæ succo, vel betæ cum decocto maioranæ, vel secundum Mesue ex succo cucumeris agrestis cum lacte muliebri parantur, erunt accommodata. D

Verum pro harum omnium partium insensibili euacuatione hæc mihi probantur, & primum pro capite fotus eiusdem ex aqua ardenti, cucufa duplicata, in cuius

E medio pulueres ex floribus capitalibus, lignoque aloes fuerint consuti, emplastrum ex cochleis tum testa tusis, ceratum capitale Montagnanæ, vel de betonica cum quinta parte cerati sacri, odoramentum quoq; ex spongia madefacta in aceto, in quo stecas, origanum, thymus, pulegium, & betonica bullierint, hora somni syrupus de calamẽto, cum modico aquæ sampsuci, vel theriacæ modicum cum puluere Nardi.

Pro thorace offeratur therebintina cum puluere ireos, & pulmonis vulpis, vel electuarium ciphoides, vel ius galli antiqui, in cuius ventre sint incocte guaiacum, vel sassafras, china (sal sa propter ventriculum non placet) hysopus, farfara, pulmonaria, scabiosa, betonica, prassium cicorium, borago, capill. ven. liquiritia, radis ireos, semina vrticæ, anisorum, & fœniculi, ita tamen, vt ante syrupum matutinum pilula ex sulphure loto in aqua maluarum, ammoniaco, & puluere ireos exceptis therebintina deuoretur, huc refero Cataplasma ex farina liliacea, puluere ireos, cimini, & pumicis cum melle, necnon illitum ex theriaca Diatesseron cum mucilagine altheę.

F Pro ventriculo præter oleum ex seminibus odoratis chymicum, & aquam ex Cinnamomo, vel radicibus Angelicæ odoratæ stillatitiam, tum Diaciminum, tum electuarium de baccis laudi prodesse solet, quæ etiam exterius regioni ventriculi adhibita non inutilis erunt vsus.

Post hæc medicamenta euacuantia, de alterantibus erit cogitandum, quæ si respiciant materiæ præparationem, ex betonica, hysopo, farfara, cicorio, boragine, & liquiritia cum syrupis proprijs parari poterunt; At si ad viscerum, ac partium intemperantias referantur, gratia capitis (vbi affectus permitteet) nil præstantius embroca ex aliquibus thermis sulphureis, salsis, aluminosis, vti sunt aquæ nostræ à Porrecta noua; gratia ventriculi, atq; thoracis, qui quin ab aliqua intemperie sit immunus vix fieri potest eædem aquæ (affectu pariter mitescente) bibitæ, exterius verò pro ventriculo tantum sub stillicidij forma adhibitæ videntur opportunæ.

G Atque sicuti hæc omnia, vbi mitior euaderet affectus, essent administranda, ita, vbi grauior fieret, studendum vt leniatur thorax, dilateturque, materia fluxa euacuetur, fluens retrahatur. Ideò hoc tempore clysteres, & glandes acies, purgatorium, quod non valde exagitet, quale est ex Agarico, hiera simplici cum Ammoniaco compositũ, mediamenta guttatim bibita, vti oxymel simplex cum Ammoniaco in aqua farfaræ dissolutum, vel acetum, aut oxymel scillinum, vel tandem syrupi de hysopo, de liquiritia, & farfara, cum oleo sulphuris mihi valdè probantur, theriaca etiam serena, quæ pectori anhelanti tollit onus, videtur accommodata; quo in casu non abhorrerem à suffumigijs factis vel cum decocto pectorali, adiectis farfara, pulmonaria, hysopo, & prassio, vel cum decocto seminum ocymi, in quo moscus fuerit dissolutus, à quo statim aqua farfaræ, vel ptisana diluta est bibenda, pectori autem adhibeatur papirus crassior oleo amygd dulcium, & liliaceo, mucilagine altheæ, ac modico succi radicum enulæ imbutus.

H Superest modo, vt viuendi modum accommodatum, præsidijsque iam dictis respõdentem instituam, quò nullum efficacius est adinuenire præsidium ex Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem; Versetur itaque patiens nobilissimus in aere temperato quoquo pacto ad siccum vergenti, claro, lucido, & aprico, ideo in ampla domo maneat, cibo vtatur extenuante, extergenteque, & coctu facili, qui non plurimus vna vice, sed paucus, & sæpè dandus erit, vt omnis cruditatis occasio effugiatur, & vbi malum ingrauescit admodum, cibus interdicatur, aut exiguus valde, sorbilisque detur, qua propter cibi salubres erunt ptisana, amygdalatum, & pineatum cum acetoso simplici, aut oxymelle condita, & carnes columborum turrialium, atque auicularum montanarum aromatibus præcipuè apparatæ: Potus aliquando (vbi scilicet affectus mitescit) sit vini tenuis, aquosi, subpallidi, modicè sumpti, quod eò magis proderit, si

radicibus

radicibus enulæ, vel prassio factitium reddatur. At ingrauescente morbo, à vino abstineat Senator perillustris, bibatque decoctum pectorale, vel mulsam ex Cinnamomo, curandumque hoc tempore ne siticulosus maneat, aliàs materia nimis excicaretur, nã ob assiduam anhelationem spontè materia siccatur, reliqua adhuc omnia in victus ratione respondeant, prout par est, & D.O.M. languorum omnium, omniumq; præter naturam affectuum miserator concedat, vt hæc viro nobilissimo; & perillustri euadant salutaria. A

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILISSIMA MATRONA Romana vteri hæmorrhoidibus, eiusdem luxatione, necnon febre l. bo ante. B

CONSVLTATIO CXXI.

IN mulieribus, vbi sanguis præter naturam ab vtero prodit, necessariò fit mensium, aut profluuium immoderatum, aut stillicidium, vel vterus laborat hæmorrhoidibus; Cum itaque in perillustre, ac nobilissima fœmina sanguis ab vtero prodeat, sub altero ex modis iam dictis prodire erit necessarium verum non sub forma profluuij, quoniam vt dicebat Galenus 6. loc aff. 5. Mensium profluuium debet esse copiosum, sine circuitu; cum mala tolerantia, mutatione coloris, tumore pedum, alijsque similibus, quæ in patiente nobilissima haud obseruantur, sed neque sub stillicidij forma, quoniam ex Actio, in stillicidio exiens est crassum, vel viscidum, & ideò cum dolore gutatim exit; Interim autem sanguis excretus est subtilis, calidus, & aliquando citrà dolorem cum circuitibus exit, ergo necessariò perillustris hæc fœmina afficitur hæmorrhoidibus ipsius vteri, quo affectu posse vterum detineri elicio ex D. Hippocrate libello de hæmorrhoidibus, qui scribit; Quum bilis, aut pituita ad venas recti intestini decubuerit, sanguinem, qui in venis est calefacit, calescentes autem venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahunt, replentur, earumque capita super eminent, fiunt hæmorrhoides, ex quo ego quid simile vtero contingere posse existimo, verum quoniam hoc maximè fit in partibus illis, in quas vasa desinunt, quorum vasorũ osculis humore nimio, eoq; crassiore feruescenti turgentibus eminentias quasdam suboriri necesse est, idcirco ad collum vteri ex Paulo, & Cleopatra id fieri oportet, proindeque cum ad tactum (vt retulit obstetrix) eminentiæ iam dictæ inæquales ad uteri ceruicem in perillustris fœmina obseruentur, fatendum iure est, ipsam secundũ vterũ hæmorrhoidibus laborare, quæ an sint cecæ, vel fluentes, non est vt aliquis ambigat, fluentes etenim sunt, vt de se constat; An verò sanguis prodeat per resudationem, fractionem, erosionem, aut apertionem; videre est necessarium, non per resudationem, quia tunc quod exit gutatim, & aquosum exit, id quod non accidit interea non per fractionem, quia causa externa minimè præcessit, quæ potuerit huius esse occasio, item sanguinis insignis redundantia abfuit, non per erosionem, quoniam in hac sanguis paucus, & sensim, aliquandò etiam quid purulentum excernitur, neque causæ præfuerunt, quæ possint tunc erosionem efficere, modò cum sanguis his copiosus excernatur, nullumque pus appareat, relinquitur vt per apertionem osculorum venarum ad vteri ceruicem attinentium sanguis prodeat, & eo magis, quoniam copiosus, vt dictum fuit, affatim excernitur, etiam si corpus non sit plethoricum, sed potius cacochimum. C D

Nec

E Nec obstat quod in osculorum venarum apertione dolor absit, hic verò dolor prædictus sit insignis cum sensu mordicationis modo ad inguem, modò ad imum ventrē, circaq; regionem vteri, & eiusdem colli, quoniam dolor, (vt innotescet,) fit cum sanguis confluxus ad vasa ceruicis vteri non expurgatur, sed retinetur, cessatque statim atque sanguis detruditur; Cœterum cum hęmorrhoidarum aliæ fici, aliæ Mori, aliæ alterius formam pro conditione, variaque venarum magnitudine præseferant, cum hoc parum ad curationem faciat, nullam apud me interim facit difficultatem, & eò magis, quoniam huiusmodi differenciæ visu propriè deprehenduntur, illud autem interea certo certius existit, hæmorrhoides esse dolorificas. Quibus an iungatur aliqualis vteri luxatio, merito dubitari potest, nam ex altera parte si perrennem ferè sanguinis emanationem inspiciam, mihi non videtur rationi consentaneum vterum posse luxari, qnando causa luxationis detrahatur, quod si ex altera parte dolorem intuear, F cum hic fiat ob copiam sanguinis ad vteri vasa transcursi distendentem, ac magnitunem ligamentorum permutantem, non possum non affirmare, vterum situm mutare, quando Galenus sexto de Locis aff. habeat, vterum quoquò pacto luxari repletis vasis, & ligamentis ipsius. In qua difficultate sic ego sentio, vterum quidem luxationem pati, & quamquam semper aliquid sanguinis emanet, tamen remanere illius tantum, quòd satis potest luxationem illam efficere, partialem saltem, quoniam existimo luxationem dexteram solummodo vteri partem occupare, nam dolor illam partem occupat, ac dextrum crus grauatur, & afficitur; Nec obstat quod vbi in latus dextrum nobilissima patiens decumbit, dolor augeatur, quoniam fit compressio, & à compressione dolor augetur, nam & super sinistrum decumbens grauitatem ad latus dextrum persentit. Atqui febris certo hæmorrhoidibus coniungitur, de genere tamen Symptomatum, quoniam augetur, & minuitur aucto, & imminuto dolore, febri verò atte-G stantur notæ putredinis, pulsus nempe frequens, & velox vltra solitum, necnon vrina crassa, & rubra.

Causæ horum vitiorum pertinent ad hæmorrhoidum causas, quibus adinuentis, & illæ statim innotescent, Dico igitur, quod quia hæmorrhoides sunt eminentiæ quædam, necessariò fieri debent à materia copia, & qualitate peccante, nam quemcumq; tumorem præter naturam etiam minimum ab hac eadem materia fieri colligitur ex Galen. lib. de Tum. Rursus quoniam hæmorroides prædictæ sunt de genere fluentiū, & vt tales ex eodem Gal. 2. ad Glauconem capite de cancro, & ex Aetio inter Morbos in via dilatata reponuntur, dilatatur autem via à facultate expultrice à copia materiei, eiusdemq; acri qualitate irritata, ideo hæmorroides hæ vt fluunt, ab eadē etiam causa pendebunt, à qua vt eminentias iunctas habent oriuntur.

Sed quænam sit hæc materia secundum speciem videre oportet, arbitror itaq; ego, H hanc esse miscellam quandam, ex humore scilicet melancholico exusto, ex ichore pituitoso, qui loturam carnis refert, tandemq; ex sanguine florido, atq; laudabili, humori melancholico primum attestatur sensus caliditatis, crassities in linteaminibus obseruata, demumq; color niger in excretis non solum per vterum, sed etiam per aluum deprehensus, de ichore pituitoso fluxus muliebris prægressus, colorq; veluti loturæ carnis per interualla in exeuntibus ab vtero perspectus, postremò color floridus, qui aliquando in prædictis excretis apparet, & virium aliqua iactura interdum sanguinem excerni laudabilem demonstrant.

Verum causa generans harum materierum, & vis earundem est perpendenda; Quantum ad primum, certum teneo, sanguinem laudabilem, tanquam opus secundum naturam ab ipsius hepatis facultate sanguificatrice generari, reliquos verò succos tanquam opera præternaturam ob intemperiem aliquam fieri, humorem quidem melancholicum ex intemperie calida iecoris, ichorem pituitosum à frigida vētriculi intem-

intemperie, quam ab intemperatura calida iocinoris pabulum caloris natiui ipsius A destruente originem habuisse non suspicor, sicuti certum habeo illam iecoris intemperiem à varijs medicamentis aromatibus donatis à perillustri patiente, dum Romæ esset, assumptis ortũ duxisse, quo in casu puto etiam coegisse, & intemperaturam calidã iecoris eiusdem, intra latitudinem tamen sanitatis à primo semine acquisitam. De vi huius mixtæ materiæ ita sentio, quod copia, & acredine vasorum vteri ad collũ eiusdẽ pertingentium facultatem expultricem irritando, sit in causa, vt ferè semper aliquid sanguinis ad vtero stillet, retentrix enim velit, nolit, sic cedere cogitur expultrici. Verum quoniã ob continuum ferè dolorem longè maior copia sanguinis ad vterum trahitur quam possit per osculorum venarum prædictarum apertionem euacuari, fiunt eminentiæ illæ, ab istis distensio, atq; compressio, à quibus dolor, vt ex his facilè sit vnicuiq; intelligere succos commemoratos, nunc ad vterum per attractionẽ cõfluere, cum antea fluxioni occasionem dederit imbecillitas vteri occasione fluoris muliebris B acquisita, vt exinde prius horum succorum fluxio per transmissionem facta fuerit.

Sed vnde nam sit quod dolor potissimum circa quintam, sextam, & septimã horam noctis inuadat, vnicuique facilè erit intelligere, qui nouerit horam vniuscuiusq; humoris motui destinatam, nam ex omnium sententia monetur sanguis ab hora nona vsq; ad decimamquintam ab hac bilis ad vigesimamprimam, pituita verò à vigesima prima vsque ad horam tertiam noctis, à qua melancholia vsque ad horam nonam, quare cum in dictorum succorum miscella melancholicus dominetur, non est mirum, si tempore prædicto dolor insæuiat.

Quam ob rem materia fluens ad vterum est retrahenda, aut in aliam partem ipsam de flectendo, aut ipsius, quæ præter naturam est, generationem per iecur refrigerãtia, & ventriculum calefacientia cohibendo; rursus, quia eadem materia copia peccat, est minuenda, quia qualitate lædit est attemperanda, verum quoniam vteri venarũ oscula C sunt patentia, hæc adstringere oportebit, sicuti, & vterum imbecillum roborare expediet, quæ dum fient, dolori erit prospiciendum.

Quas intentiones si itá facilè Medicus posset explere, quemadmodum facilè potuit adinuenire, adinuentasque necessarias agnoscere, nulla profectò in tractanda hac perillustri patiente difficultas occurreret; sed quoniam multa sunt, quæ obstant, difficilẽ ideò hanc esse prouinciam Medicus reperiet, nam primo vteri vitium (hæmorrhoides inquam) aliorum origo valde contumax existit ratione loci, qui non solum ex sui natura aptus natus est, quæcumque sint excrementa, recipere, sed etiam medicamenta non itá facilè potest admittere. Secundò causa morbifica, vt obseruatum fuit, vehemẽter agit, pluraq; alia mala minatur, nam ab hac & sterilitas, & caro spongiosa, & scirrus, immo verò & vteri vlcus imminet. Tertiò hoc eodem tempore plures præter naturam affectus, vt ex dictis liquet, simul complicantur, viresq; non resistunt, vt nonnulla ani- D mi deliquia superuenientia demonstrant: Verum tamen quoniam patiens nostra nobilissima ætatis est iuuentutis, affectus non sunt in habitu, sperandum vt possit materijs Medicis conuenientibus sanitati restitui.

Quantum ergo ad chirurgiam attinet, probo ut primum à cubito per sectam uenã, deinde per hyrudines à uenis ani sanguis detrahatur, probo etiam, ut partes, potissimũ supernæ continuo fricenter, ac deligentur, & perseuerante morbo cauterium in brachio sinistro ad reuellendum, & in femore dextro ad deriuandum mihi maximè arridet; Et quamquam sanguis concretus retineretur, spongiosaque caro superexcresceret, nunquam ad sectionem, tanquam temerariam, & nimia audacia plenam deuenirem.

Medicamenta verò referuntur ad materiam morbificam, & ad Symptomata, et si ad materiam vel extra vterum, vel in vtero, si extra vterum conueniunt pro lenienti

E syrupus de polypodio magistr. cum melle rof. sol. pro præparanti decoctum boraginis lupulorum, fumariæ, endiuiæ, cicorij, & betonicæ cum syrupis accommodatis, pro purgante decoctum hellebori nigri cum infuso Agarici præparati, & syrupo de polypodio dicto, Demum pro alterante præter serum depuratum calybeatum cum succo cicoreaceorum exhibitum, præter caprinū lac pariter calibeatum assumptum, summis laudibus extollo thermas frigidas: Exterius verò suo tempore balneum aquæ dulcis, necnon perfusionem iecoris factam cum endiuiæ succo, aceto, & puluere sandalorum: nec diffido (si modo iecori fuerit consultum) quin ventriculus debeat imposterum benè propriò fungi munere.

At medicamenta, quæ materiam in affecta parte existentem respiciunt, esse posse tum interna, tum externa non ignoro, in serie priorum est chinæ decoctum, vel salsæ, sandali citrini, radicis Pentaphili in iure cum cicoraceis paratum, est & triphera F minor ex arte Phenonis, itemque pilulæ de Bdelio, hæc enim omnia materiam impactam absumere valent: Exterius autem in eundem vsum valet oleum de nucleis Persicorum, vel Pinearum torrefactarū in mortario plumbeo deductum, huc spectat oleū momordicæ succus verbasci cum puluere spongiæ, Aristolochiæ, & nucum Cupressi adhibitus, ita valet & acacia in vino dissoluta, quæ omnia vel cathetere poterunt in pudendum inicij, vel pessario immiti, vel simplici in unctione digito illito facta adhiberi, in quem vsum quoq; suffitus cum lapide pirite ignito, aceto asperso mihi arridet: Quibus non conferentibus deueniendum ad insessus ex aqua thermali sulphurea, salsa, & aluminosa paratos, ad puluerem foliorum ficus, vitium, & viridis æris, prius ipsis cum melle exceptis, ac in furno siccatis, tandemque ad puluerem calcanti, & plumbi vsti cum oui albumine, vel ad id, quod ex partibus æqualibus aluminis scissilis acaciæ, calcanti, oleo rosato omphacino exceptis conficitur medicamentum, Pubi G etiam, & perineo adhiberi poterit Cataplasma ex limacijs cum testa tussis, ac olibani puluere exceptis, vel quod ex lentibus cum cortice in aceto, & vino nigro austero coctis paratur.

Pro dolore leniendo primum occurrit iniectio ex lacte Asinino, vel ex aqua hordei cum mucilagine sem. Altheæ, psilij, & maluarum cui vrgente necessitate emulsio sem. papaueris albi immiscebitur; in eundem vsum facit oleum ascellorum, & scarabeorum; Inunctio adhuc est mihi in vsu satis perutili parata ex medula ceruina, butyro recenti, & oleo sem. lini in mortario plumbeo conductis, vel ex vnguento populeo cum oleo momordicæ, adiectis (vrgente necessitate) aliquot granis Opij, & Croci; Insessus etiam ex Altheæ decocto, maluarum, Camomeli, Anethi, verbasci, calendulæ, sem. lini, rof. rub. & capitum papaueris albi (si fuerit opus) in aqua pluuiali, vel cisternæ calybeata facto probatur, ex quo decocto euaporatio ad vterum fieri poterit, H pubi verò, & perineo adhibeatur Cataplasma ex mica panis, & oleo rosato completo, adiectis tribus, vel quattuor luteis ouorum, atque in maxima doloris vrgentia à theriaca recenti, vel Philonio Persico, si nimis fluat sanguis non abhorreo.

Postremò pro vteri roboratione confectio facta ex puluere matricis leporis præparata. rasura Eboris, & Margaritis præparatis, ac Mastiche, adiecto saccharo albissimo in aqua rosata, & melissæ liquato summoperè valere consueuit.

Victus ratio sit attemperans, moderatè incrassans, idcirco carnes optimæ, pisces saxatiles in aqua pluuiali, vel cisternæ calibeata coqui poterunt, & ex hordeo cum farre in iuribus illarum carnium cocto varia fercula parari haud inutiliter poterunt, emulsio etiam quattuor sem. maiorum frigidorum non improbatur, ex oleribus, cicoracea, borago, buglossumque concedantur, ex fructibus vua passa, amygdalæ dulces recentes, poma, pyraque subaustera cocta non improbantur, immo verò maximè probo, vt omnibus cibarijs inspergatur puluis cordialis pro cibo, oua ob morbi longitud

nem

nem non poterunt denegari, sint autem tremula, vel in aqua cocta, sed recentia, vinum A præsente febre vt detestetur nobilissima patiens, necesse est, interim tamen loco eius substituatur vinum granatorum medij saporis cum aqua calibeata dilutum, & vbi vinum ipsum erit concedendum eligatur subrubrum, pauciferum, & subausterum, quod magis proderit, si sandalis citrinis, & china alteretur; Aluus clysteribus attemperantibus ex oleo communi, vel amygd. dulci, butyro, brodioque hordeaceo paratis subducatur, demumque reliqua omnia dictis respondeant, prout decet, Deoque O. M. fauente optatum sortiantur effectum quæ proposui.

PRO EGREGIO QVODAM VIRO SCIRRO CANCEROSO CVM vulcere circa gingiuam in inferiori mandibula ad dextras existente detento. B

CONSVLTATIO CXXII.

TVMOR præter naturam, qui gingiuam in inferiori mandibula ad dexteras occupat, scirrus existit; nam ibidem cum duritie, atque renixu aucta magnitudo reperitur; & quoniam nullus dolor, nullusque sensus, saltem secundum dextram partem adest, ideo scirrus secundum hanc legitimus est habendus, vereque scirrus, vt habetur à Galen. 14. Meth. & 2. ad Glauconem, præterea est immobilis ad Strumæ, & glandulæ differentiam, quæ etsi scirri dicantur, mobiles tamen existunt; Cœterum hunc non esse simplicem scirrum, sed complicatum cum rudimento quodam cancri, ita vt scirrus cancerosus dici possit, facilè est ex inæqualitate, & liuore in ore ad partem illam perceptis ostendere; atqui adest & vlcus, qui à cõtinuò ichor fœtidus graueque olens emanat ab eminentijs quibusdam erosis dolentibus C ad tactum aliquo modo secundum partes internas; rursus quoniam, ex Paulo, Cancer vlceratus vel est sordidus, vel purus, hic, de quo agitur, purus profectò est, quoniam cum liuore cruor quidam, & materia tenuis excernitur.

Causam scirri immediatam humorem constituo pituitosum crassum, & lentũ per congestionem, non autem per defluxionem à capite (de quo nulla querela à patiente nostro habita fuit) ibidem collectum, item humorem melancholicum naturalem simul mixtos, de humore melancholico fidem faciunt prægressa quartana, necnon subdominium melancholicum in proprio patientis temperamento. Concedo equidem antea tumorem à simplici pituita ortum duxisse, nam veluti meliceris fuit, vti à suppuratione substantiam similem melli reddente colligere potuit vnusquisque; sed nunc ob colorem fuscum partis internæ humorem melancholicum admisceri pro certo habeo, ab his autem duobus humoribus & seorsim diuisis, & coniunctim vnitis scirros fieri D posse scribitur lib. de Atra bile, & 14. Meth. Cœterum duritiem acquisiuit scirrus prædictus tum à repletione partis ob copiam humoris, tum à concretione à frigiditate ossis mandibulæ facta, immo & ab ipsa siccatione, qua nimirum celebrata suppuratione, disrutoque apostemate pars tenuior est excreta, & quicquid crassum est remansit. Verum quoniam cancer fit ex melancholia genita per adustionem, vel melancholiæ naturalis, vel flauæ bilis lib. de Atra bile cap. 3. dico, præsens cancri rudimentum suam habere occasionem ex Atra bile genita per adustionem bilis, quod ætas iuuentutis confirmat, necnon habitus, ac ægri temperies biliosa, quam pili flaui in toto ferè corpore enascentes ostendunt.

Sed & causæ remotæ eiusdem tumoris tum externæ, tum internæ non sunt contemnendæ, priores in errata externa, in quæ iuuenes incurrunt, referuntur omnes, posteriores verò, & mouentes esse, & generantes non hæreo, mouentes ad facultatem

E expultricem totius, partisque laborantis imbecillitatem refero, nam partes oris laxæ, admodum sunt, & humidæ, ob idque ad suscipiendum aptę, merito quarum causarum humores per transmissionem, coagentibus his, quæ sanguinem acuunt, vsu nempe alimentorum calidorum, motuque corporeo, quibus patiens vsus fuit, ad locum confluũt affectum, causæ de demum generantes in alimenta ad generandos humores dictos idonea, in iecorisque caliditatem meo iudicio referuntur.

Hinc scopos Medicos facilè est elicere tum præseruatiuos, tum curatiuos, pręseruatiui in causarum ablatione consistunt, primo scilicet in totius euacuatione. Secundo in prohibenda humorum dictorum per sublationem causarum mouentium, & generantium, fluxione, atque generatione, proindeq; refrigerandum iecur, ventriculus calefaciendus, & pars affecta attemperanda, roboranda, & constringenda, quibus scopis Morbi tantum augmentum prohibebitur; Scopi verò curatiui in vnicam partis affectæ euacuationem reducuntur.

F De prognostico ita sentio, quod liceat .s. scopos præseruatiuos obtinere, quoniam patiens est ætatis iuuentutis. aliqua tamen occurret difficultas, quoniã magnus obseruatur recessus à naturæ statu, causæ valenter agunt, præsertimque intemperies calida iecoris est in habitu: At scopos curatiuos absoluere per ea, quæ discutiunt, apud me est impossibile. nam facultas partis est abolita, medicamentaq; actu ari minimè possunt.

An verò possit per recisionem, quæ fit & fero candenti, & medicamentis corrodentibus malum hoc deleri, meritò dubitari potest: nam ex vna parte id fieri posse videtur, quoniam pars est ignobilis, cui nulla vasa insignia, alicuiusue momenti assistunt; præterea, ibidem alias est facta sectio, cuius occasione nil mali fuit subsequutum, & iure quidẽ: quia contra verum cancrum haud agebatur, hinc non obstat Aphorismus ille sextæ sectionis trigesimus octauus, vt pote qui de veris cancris, intimis, & non

G vlceratis, adhuc ægros fatigantibus, & magnis existentibus, 2. ad Glauconem, loquatur, non autem (vt notat Gal. ibidem) de his, qui in summa cute exulcerati, & in parte, quæ rescindi posit existunt. Et si aliquis objiceret ex Gal. vlcera ab Atra bile esse prorsus insanabilia, responderi posset pro hac parte, quod Galeni sententia de vlcertbus ab Atra bile sincera genitis venit intelligenda. Ex altera verò parte (quod erat principale institutum) recisio nullo pacto videtur conuenire, non quidem per ferrum cãdens, quoniam alias absq; fructu tentata fuerit, & summa cum ratione in similibus namq; tumoribus dubio procul vasa materiã continuò suppeditant; adhibito autem igne, insignis à vasis fieri solet attractio, hinc augmento tumoris perbellè datur occasio; præterea, corrosiua partes pænitiores non petunt, quocirca frustra adhiberentur; demũ incisio cum scalpello non probatur, non enim est tuta propter vasa externa.

H At quid ego sentiam nunc, vbi de materijs chirurgicis loquar, breuibus aperiam, quas materias respicio, primum vt disponentes, quę sunt sectio venæ in cubito dextro, & hirudines ano applicitæ. Secundo vt curantes, inter quas ego seligo ferrum candens; Ad propositam autem difficultatem respondeo, quod tametsi non possit ita perfectè sanari vitium huiusmodi, potest tamen ea ratione præcaueri, qua saltem ne augeatur, prohibetur, nam aliùs posset ad tantam peruenire molem, quæ omnino intolerabilis existeret; tandem materias chirurgicas vt præseruantes intueor, ac inter has vnam instar omnium propono cauterium in brachio dextro.

Medicamenta, quæ totum respiciunt, primum occurrunt, hinc pro lenienda aluo casia cum electuario lenitiuo probatur, pro præparandis humoribus decoctum cicoreaceorum, lupulorum, & fumariæ cum suis sirupis, pro quibus humoribus educendis infusũ Rhab. & senæ cum manna, pilulæq; aggregatiuæ conueniunt, quinimmo statutis quibusdã interuallis non desisterẽ ab vsu syrupi de polypodio Magist. cum syrupo ros. soluente, vel ab infuso Epitimi, ac myrob. citrn. Et pro euacuatione insensibili Chinæ

decoctum

decoctum cum sandalis, cicoreaceis, ac liquiritia arbitror præstantissimum. A

Atq; pro alteratione iecoris thermæ frigidæ Lucenses; vel Beatæ Virginis Patauij vel Calderianæ, serum, & lac caprinnm bibita, balneumque aquæ dulcis sunt admodum accommodata.

De topicis medicamentis ita statuo, vt alterum horum affectæ parti admoueatur; primum est vnguentum, quod ex virgæ aureæ, seu tabacci succo, cum oleo rosato, & cera ductis in mortario plumbeo conficitur; alterum est aqua ex mercurio, & antimonio stillatitia. Tertium est Cinis Antimonij, postremum puluis ex duabus partibus tutiæ, vna Arsenici sublimati, pluries lotis, & in aqua plantaginis ebullitis, verum & aquam stillatitiam ex ranis viridibus, vel puluerem ab humano stercore, & anetho crematis, tanquam à proprietate agentia non damno.

Et dum hæc administrantur, studendum est, vt patiens probè, & appositè viuat, vtatur in quam probis alimentis, cibis cum simplicibus refrigerantibus medicatis, B vescatur ptisana hordeacea, ferculis ex cucurbita, endiuia, lactuca, ac similibus vtatur vino oligophoro aqua hepaticæ, & boraginis diluto. in reliquisque omnibus modum seruet iam dictis respondentē, sic etenim, Deo fauente, melius in dies se habebit.

PRO ILLVSTRISSIMA, ET EXCELLENTISSIMA Puella Hispana Carie Dentium cum suspicione doloris, & nigredinis eorundem eff ecta.

CONSVLTATIO CXXIII.

ARS Cosmetica Medicinæ pars etsi ad vitam minimè faciat, meliori tamen C vitæ conducit, vt iure meritò nonnunquam in eam non tantum pulchritudinem amissam reparandi, aut resarciendi gratia, verum etiam & præsentem conseruādi Medicus incumbere teneatur, atq; hoc eo magis vbi pluchritudo omnem ferè gradum attingit: Qua propter, cum Illustrissima, & Excellētissima puella vndecim annos nata, temperamenti biliosi cum subdominio sanguinis, bona non tantū animi, ac fortunæ, sed etiam corporis, formam inquam (vt audio) absolutissimā statim in primo sui ortu nacta, in calamitatem formæ illi nonnihil detrahentem postmodum inciderit, meum erit onus omni studio, atque diligentia (quantum per me licebit) ipsi succurrere, & eò magis, quoniam de clade partis ob cibi necessitatem, & locutionem homini datæ quales dentes existunt, ratio est habenda.

Secundum dentes igitur, ac hos ipsos incisorios soluta vnitate afficitur nobilissima mulier, qui præter naturam affectus teredo, seu Caries, atq; perforatio nuncupatur, D cui primum, facta abrasione, erosione deinde insigni, subsequuta est etiam duorum imminuta ad dimidium altitudo, sic enim ex Gal. in affectuum complicatione euenire aliquando consueuit, vt vnus ad alterum ad causam veluti propriā subsequatur; Ceterum quoniam dentes, qui in dies eruduntur a dolore, & coloris mutatione (quorū tamē in casu proposito nulla fit mentio) ferè nunquam liberi reperiuntur, eadē pene ratione hæc duo, perinde ac altitudinem imminutam, erosionem illā comitari suspicor.

Nec obstat quod erosio, & soluta vnitas non in gingiuis, atq; substratis neruis ad radices dentiū, sed in eorundē substantia fiat, quæ tāquam ossea sensu est immunis, ex quo nullus dolor fieri debeat, quoniam dentes inter substantias osseas, quemadmodū illud cōmune habent; ut sint frigidi, sicci, & duri, ita & id peculiare retinent, ut radiū spiritus animalis admittant, ut traditur ab Arist. 34. Probl. 2. ac 3. à Gal. 6. Epid Comment. 6. t. 24. 5. de Anatom. administrationibus tertio. Quinimmo dentes

E habere sensum exquisitum scribitur ab eodē decimosexto de vsu partium cap. 3. cuius ea censetur ratio, vt colligitur ibidem cap. 2. quia neruos molles habent, qui initio generationis eorundem in minutissimos distributi surculos per intimam illorum substantiam tunc mucosam sese insinuant, & commiscentur, atque sic dentes cum neruis facilius consentiunt, quod cum verum sit, non est mirum, si ipsi etiam secundum substantiam doleant, vti ab Hipp. 5. Epid 26 in vxore Alpasij, & denuo à Gal. 5. local. 8. & 9. capitibus traditur, quibus Actuarius, & Trallianus non contemnendi, quinimmò plurimi faciendi auctores adstipulantur.

Et quod in contrarium de lima citra dolorem dentes absumente adfertur, leuem satis efficit, difficultatem, quoniam partes dentium eminentiores derasæ, & per consequens à neruis (à quibus vim sentiendi recipiunt) remotiores obtusam adeo sensationem habent, vt nullam penitus habere videantur; Causa autem, propter quam F remotior à neruis dentis substantia manifestā molestiam, ac proximior non percipiat hæc iure merito potest adferri, quod scilicet ob duritiem, ac densitatem vix spiritum animalem admittat, densior verò redditur, a c durior ob occursum frigoris ambientis. His etiam & illud accedit, quod lima ob motum intermedium calorem sensim inducit, quo minus dentes, quam si frigus paterentur, afficiuntur, vt placuit etiam Aristoteli 34. Probl. 3.

Sed agè iam principia generationis Cariei hinc sumpto exordio, sunt perquirenda, quamlibet nempe solutam vnitatem à causa fieri ab efficacia agentis, & promptitudine passi petita. Ex parte agentis occurrit causa externa, & interna; Interna succus est abradens, & erodens, vnde Galenus de Causis Morborum, vltimo in osse ab humore acri Cariem proficisci scribebat, hic autem succus pituitosus & crudus, quemadmodum in capite ob imbecillitatem concoctricis facultatis generatur, ita ob robur G expultricis ab eodem capite in dentes transmittitur, qui cum non sit acris ex propria natura, talis non tantum ex putredine simplici, aut in capite, aut in præsæpiolis (quod vti sæpius contingens magis probo) Dentium concepta, verum etiam & ex putredine venenata à lue venerea medio semine alterius parentis infecti, corpori Nobilissimæ patientis inserta redditur, solet enim lues illa proprio seminario putredinem nobis certa quadam, & occulta proprietate aduersariam adferre; Putredo enim ex contagio colligitur, quoniam ex Aristotele in Problematibus passim non est quid contagiosum, quod à putredine sit immune, proprietas autem aduersaria ex vsu alexipharmacorum cum fructu innotescit.

Sed quæret aliquis interim, quid causæ esse possit, vt lues hæc huic inserta corpori potius in hac parte, quàm in alia sese patefecerit. Quod vt intelligatur, prius tanquam ratum, & firmum accipio subiectum luis venereæ, si ad ipsius affectus referatur, in-H differenter esse posse tum ipsum totum, tum quamlibet eiusdem partem, si ad virulentiam, ac illam certam proprietatem, ita etiam esse posse quamlibet partem, non ergo semper iecur, nam quamquam agens in proximum semper agat, id verum tamen est, si proximum sit dispositum & imbecillum, non nego tamen sæpius iecur esse fomitem, quod patet ex Symptomatibus superuenientibus, quorum iecur malè affectuum valdè ferax existit; Quælibet igitur pars potest esse subiectum tum qualitatis, virulentę, tū affectuum illius, sicuti experientia facile est in illis confirmare, qui secundum caput, & partes tantum supernas afficiuntur, & liberos benè valentes procreant, vxoresq; non inficiunt; quod cum verum sit, iam non est vt admiretur aliquis, si in Excellentissima puella lues ratione virulentiæ, necnon affectus dentes, & forsan etiam caput, tanquā partes imbecilliores, atque rariores, ac ob id ad patiendum magis idoneas, sibi selegerit inquinandas.

Et si quis rursus quæreret, cur citius lues hæc sese non manifestauerit; Responderem,

rem, quod inæqualitas illa proportionis agentis ad passum, quæ in actione est necessaria, prius non viguit, propter robur caloris, & partium, quod cum fuerit postmodum à coctionibus omnibus, ob errores externos vitiatis imminutum, lues, apparuit. A

Causæ profecto externę & in huius vitij generatione maximum habuere momentum, vix enim fieri potest quin in illis pueri plurimum non delinquant; quinimmò & habilitas passi plurimum fauit, nam dentes propositos mollissimos esse non dubito, quando ex moribus, temperie, habitu corporis, carnis mollitie, ac educatione molli id colligere sit necessarium, dentes autem molles ex Galeno quinto loc. affectorum octauo, facilè admodum eroduntur.

Quibus ita se habentibus, non est difficilè intelligere, quanam ratione alia vitia in erosionem sint referenda, nam citra aliquam controuersiam imminuta illa altitudo à carie substantiam dentium absumente dependet, dolor pariter à carie proficiscitur vt pote quæ numquam à soluta vnitate, numquam ab intemperie separatur, quam interea calidam esse ob materiæ acrioris præsentiam existimo, solent enim succi morbifici, vbi diu in aliqua parte morantur, intemperiem sibi cognatam excitare, cui & illud accedit, quod si non ab intemperie calida, sed frigida dolor dentium propositus fieret, iam necessariò esset insignis, quo dato, sine dubio doloris in scriptis ad me missis mentio facta fuisset, quod autem à frigida intemperie insignis fiat dolor, patet ex Hippocrate quinto Aphorismo. 18. frigidum enim neruis, ossibus, ac dentibus maximè est inimicum; Postremò nigredo quoque fit à perforatione; qua succi vitiosi in dentes affluxi eorundem superficiei adhærent. B

Quid igitur in hisce calamitatibus in gratiam illustrissimę & excellentissimę puellę est agendum? certè nil aliud, nisi vt solutum vniatur continuũ, sed impedimenta prius & propria, & communia sunt remouenda, propria, si quid deficit resarciatur, communia, si quod influit retrahatur, quod fluxum dissipetur, quod fluxurum inhibeatur per alterantia viscera succum vitiosum generantia, putredini per siccantia, ac alexipharmaca luis Venereæ prospiciatur, dolorq; tandem, si aderit mitigantibus demulceatur. C

Verum continuum solutum medicamento minimè sanare licebit, est enim cum deperditione substantiæ osseæ, quæ restitui non potest, licebit attamen impedimenta de medio tollere, atque sic excellentissimam puellam à maiori labe præseruare, quoniam illa tametsi pro maiori parte sint progressa, non propterea vsque adeò radices altas iecere, vt ipsa non subsit spes adimendi, cui plurimum etiam meo iudicio mutatio ætatis est conductura, præterea corpus benè satis affectum, atque sub hisce malis non valdè pati, torquerique illustrissimam puellam mihi videor videre, in aliquam tamen incidet Medicus curans difficultatem, quoniam præterquam quod, vt dictum fuit impedimenta hæc sunt quoquo pacto progressa, pueri etiam aliquandò præceptis Medicorum haud obsequuntur, vt non liceat eorum, quæ sunt opportuna remedia vsu, atq; beneficio frui; Augetur vlterius difficultas propter fomitem Gallicanum à primo semine contractum, à quo etiam maiora longè mala futura suspicor. D

Quamprimum ideo ad medicationem præsentium accedendum, quæ si per materias chirurgicas fieri debeat, certum est, has omnes impedimenta respicere; debere primum igitur, quoniam subpeccat sanguis, missio sanguinis per hyrudines cubito, aut per cucurbitulas cum scarificatione dorso applicitas mihi probatur, deindè cauteriũ, vel setaceũ (quod magis arridet) in postica capitis parte probatur, à quo per aliquot dies gestato, sanatoq; substituendũ cauterium in altero brachio, immò vrgente necessitate à vesicantibus capiti, itemq; scapulis admotis (nisi ætas forsan reclamaret) non abhorrere, iuges quoq; frictiones leues, vel saltem deligationes extremorũ non displicent; tandem ne vlterius erosio progrediatur, ad aurum cadens (munitis dentibus proximis cum cera, vel pasta) in foramen dentis immissum, vel ad oleum calcanti,

E atque sulphuris instillatum est confugiendum, deinde folijs auri cauerna erit implenda, quibus nisi Medicus intentum assequatur, iam absumptis ex toto dentibus cum propria radice, dentes factitios ex ebore modo consueto paratos in alueolis illis reponere oportebit, & conseruare.

At si medicatio per pharmaca sit perficienda, hæc tum communia, tum priuata esse possunt, in serie priorum occurrunt primum lenientia ex manna, vel syrupo, & melle rosatis soluentibus; dein præparantia ex iure decoctionis cicoreaceorum, & betonicæ, adiecto gramine ob verminationem, ad quam adeò pueri sunt proni, Postremò purgantia ex infuso agarici trociscati, & Rhabarbaro cum melle rosato solutiuo parata; de purgantibus autem statuo, non semel, sed interuallis aliquot constitutis esse repetenda, quæ tamen leuia, atque familaria existant, ideò placentulæ ex amygd. dulcibus cum saccharo refertæ pulpa cartami, vel Agarico trociscato, necnon Rhabarbaro, F sicuti & rotulæ ex extracto agarici, atque Rhabarbari chimice parato paratæ non improbantur, Infusum etiam myrob. cheb. & Indorum in vino haud potenti factum pruna dulcia, ac passulæ cum infuso Agarici, & Rhab. præparata, vti & vinum cum myrobolanis dictis, & Cartamo medicatum non displicent. Verum & ad euacuantia insensibiliter est deueniendum, quocirca guaiaci decoctum, & chinæ (prout decet castigatum) opportunum mihi videtur, pari ratione tabulæ ex extracto guaiaci, & chinæ cum saccharo in aqua betonicæ, atque cicorij dissoluto compositæ, sal quoque chymicum ex ijsdem medicamentis compositum, & ex aquis capitalibus, vel ex Conserua aliqua capitali propinatum valdè sunt efficacia.

Medicamenta modò priuata respiciunt vel materiam, vel dolorem (si quis aderit) vel qualitatem Veneream, vel capitis discrasiam; si materiam vel fluentem, vel fluxã: si fluentem, conueniunt euacuantia caput sensibiliter, & insensibiliter, inter ea, quæ G sensibiliter euacuant catapotia cochia ex ouo sorbili ante lucem ad scrup. j. data, necnon tentæ prius betæ succo, vel sampsuci cum melle rosato simpl. deinceps lacte humano, in quo Agaricus trociscatus, vel elaterium sint dissoluta, imbutæ, ac in ipsas nares immissæ laudantur. Insensibiliter euacuant quæ sincipiti adhibentur, vti ceratum capitale Montagnanæ, emplastrum ex cochleis cum testa tusis, vel quod ex nucibus cupressi in vino nigro austero, & aceto cum alumine coctis efficitur. Huc pertinent lotiones capitis tum siccæ ex furfuribus, ac floribus anethi calefactis, tum humidæ cũ lixiuio cum cinere salicum, vel sarmentorũ decoctionis betonicæ, verbenæ, absynthij, rosarum, myrtillorum, & cariophyllorum adhibitæ, & loco saponis sub aere calidiori vitello oui asso, sub frigidiori, ipso Agarico vsurpato, à quibus ad sinapismum mitem tamen, & modestum licet deuenire; hora vero somni saccharum rosatum antiquum cum tantillo Mithridaticæ confectionis, vel spicæ nardi item conserua aliqua capitaH lis cum bolo Armena, & cornu ceruino vsto, ob verminationem, sunt deglutienda, quinimmò rotulæ ex ijsdem bolo Armena, cornu ceruino, ac floribus capitalibus pulueratis compositæ mirificæ esse solent.

Verum ad materiam fluxam valent discutientia, & adstringentia, Vinum ideo myrrhatum, vel camphoratum, balsamum naturale, item & aqua medicata cum sale tum ammoniaco, tum gemmeo, aluminéque Zuccarino instillata, puluis quoque fimi murini vsti, vel coralli, mastiches, & camphoræ, vel galliæ muscatæ cum cypero, & mastiche impositus, pariter gummi hederę, aut cupressi cauitati impressum, dentifricium adhuc ex origano, malabatro, cornuque ceruino vsto paratum, vel quod ex testis cochlearum & ostreorum vstis, vel buccinis sale repletis, & pariter vstis, vel ex pumice puluerato ter cum aqua prius ardenti irrorato, deinde cum aqua rosarum, ac postmodum in vmbra siccatio maximè proderunt, & eo magis vbi alexipharmaca luis immiscebuntur. Pro dolore nil præstantius oleo therebintinæ chymico cum puluere camphoræ, cuius

oleum

oleum etiam chymice paratum est efficacissimum: Ad qualitatem Veneream delendã medicamenta proposita ex guaiaco, china, & salsa sunt admodum opportuna, quibus extractum addo cardui benedicti.

Pro capitis intemperie tollenda (quam ex relatis in humido plurimum excedere, in qualitatibus autem actiuis nullum excessum habere conijcio) omnibus ego præfero embrocã sincipiti ad plures dies administratam, & factã cum aqua aliqua thermali in actiuis temperata, & quę aluminis maximè naturam sapiat, vel (quod magis placet) cum decocto aluminis, myrtillorum, balaustiorum, rosarum foliorum olliuæ gallarum, nucum cupressi, sandalorum, betonicæ, stecadis, camomeli, baccaræ, & cariophyllorum in aqua calybeata parato. Aliqua etiam medicamenta pro euacuatione insensibili capitis proposita magis videlicet modesta in calore, ac frigore huc referenda.

Tandemque curatio sic per materiã dieteticam perficienda, vt scilicet omnis aeris inclementia fugiatur, quo in casu mutatio loci, si ad aerem clementiorem fiat, forsan non erit inutilis, cibus seligatur boni succi, facilis coctionis; & nullius fere excrementi, tempore vsus decocti guaiaci, ob ætatem sit subattenuans, hyemeque pro conficiendo pane farina chinæ, & salsæ decocto subigatur; Abstineat autem semper nobilissima puella à salsis, agruminibus, aromatibus, dulcibus, & his quæ crassioris existũt substantiæ. Vinum tenue bibat, fuluum, aut etiam subrubrum, oligophorũ, ac hyemali tempore cum guaiaco, salsaque medicatum, atque vbi decoctum potabit, parũ vini cũ secundo decocto degustet, post quamlibet autem mensam modicum assumat alicuius fructus subadstringentis, sub cineribus cocti, aut puluerem coriandriorum præparatorum cum tantillo cydoniati, reliqua vero demum ad viuendi rationem pertinentia (prout decet) respondeant omnia. Deum autem O.M. rogatum vellem, vt à præsenti sicut & à qualibet imminenti calamitate, medijs hisce præsidijs ex tempore à me propositis illustrissimam & excellentissimam puellam vindicet, atque præseruet.

PRO QVODAM EGREGIO MERCATORE BONONIENSE hydrope Ascite spurio laborante.

CONSVLTATIO CXXIV.

PRAETER naturam affectus, à quo vir egregius vexatur, hydrops est Ascites, quoniam illi venter tumet, & fluctuationis in eo sensus exauditur, necnon excreta per aluum aquosa redduntur; Verum quia sonitus aliquis ab abdomine percusso eliditur, idcirco flatus admisceri, proindeq; Ascitem spurium esse pro certo habeo, qui quidem eo quod color totius non est mutatus, nulla sitis, ac anhelandi difficultas, nullaque tussis adest, dubio procul erit incipiens.

Fit autem huiusmodi vitium, sicuti & quilibet alius præter naturam à toto genere tumor ex materia secundum copiam, & qualitatem peccante, quæ in præsenti est à prædominio aquosa, à subdominio flatuosa: sed quoniam vtraque hæc est opus extra naturæ leges, necessario ideo supponit aliquam actionem læsam eorum viscerum, quę generationi succorum in corpore sunt destinata, hepatis inquam, atque ventriculi, quorum actio læditur, vel ob læsam facultatem, vel ob obiectum improportionatum; vel ob vitium viarum facultati inseruientium.

In subiecto autem patiente vitiari facultatem sanguificatricem iecoris, & chilifi-

E chelificatricem ventriculi ob intemperiem frigidam puto, nam visceribus hisce vix ad frigidum immutatis, sicque eorum calore natiuo refracto flatuum ortui occasio est suborta, deindè verò aucta, intensioriq; reddita eadem frigiditate, succi aquosi generatio, & collectio est inchoata, quarum vtraque adaucta, venter intumuit, ex quo malum, de quo agitur fuit suscitatum. At qui caloris refractio, ac intemperies illi frigida sine dubio à causa per se, & ex accidenti pariter frigida suam generationem habuit, per se quidem occasione potus frigidæ, ex accidenti verò, quoniam præcessit causa resoluens, itemq; calore dissipans, nempè sanguinis vomitus copiosus bisfactus.

Vt ex his omnibus pateat, medendi rationem in id esse dirigendam, vt materia genita euacuetur, tùm sensibiliter tùm insensibiliter, sensibiliter quidem per aluum, si materia sit in abdomine, insensibiliter verò per aluũ lotiũ, & sudorẽ, si sit extra abdomẽ. Adhuc eiusdẽ materiæ noua generatio est cohibẽda calefactis visceribus, eorumq; proportione seruata, necnon natiuo calore reparato.

F Ad quos peruenire scopos forsitan licebit, nam vitium hoc est in habitudine, ac veluti ad fores, docebat etenim D. Hippocrates quarto acut. tertio, hydropem initiatum curari, adde quod noster hic affectus ad aliquem morbum acutum non fuit subsequutus: Non negandum tamen Medicum curantem in scopulos aliquos incidere posse, ita vt ipsi prouincia quoquo pacto difficilis, ac periculosa offeratur, quoniã iecur primaria laborat affectione, & fœtor in excretis alui persentitur, qui non solũ ex Auicenna periculum minatur, verum, & difficultatem non leuem inducit, indicio namque est virium languori, & succorum corruptioni, Vtcumque tamen spe concepta ob rationes prædictas, de præsidiorium materijs est cogitandum.

Ac primum de chirurgicis, ita decernendum, vt scilicet hoc tempore abdomini sæpius apponantur cucurbitulæ cum multa flamma, & postquam audio, nec femora, nec crura intumescere; cauteria in eis inusta etiam, atque etiam probo, in posterum verò,

G progrediente morbo a vesicantibus super abdomen, & eiusdem inustionibus non abhorreo; intumescentibus autem cruribus scarificationes, & punctiones omnibus antepono, Paracentasim adhuc vsu postulante (nam interim affectus est in principio) tamquam remedium adeò anceps, atque mortiferum non propono, vbi tamen ægroti eam sibi fieri exoptant, eos adhortari soleo, vt illam nulla ratione differant; etenim alias vires à morbo confractæ diuturniori, id remedij genus non admittunt, & quantum ad locum, perforetur vmbilicus, non abdomen propter musculos, nam ille à musculis est separatus, & eo magis, quia per vmbilicum natura sæpius euacuationem molitur; nec obstat quod musculorum extrema in ipsum terminentur, quoniam in lineam albam terminantur, circaque vmbilicum sunt perforata, vt pateat aditus vasis vmbilicalibus.

Et si quis interea quæreret, vnde nam sit, quod hydropici perforati moriantur, com-

H munis est responsio, quod vna cum aqua spiritus dissipantur. Sed arbitror ego, & id addendum (nam aliàs quotquot insignes hæmorargias patiuntur, propter huiusmodi rationem perderentur) quòd natura priuata oblectatione illius aquæ, quam ob longam moram, suborta quadam familiaritate contraxerat, succumbit, quod eo magis naturæ accidit, quoniam aqua illa ad longum etiam tempus absque aliqua noxa, ac molestia in abdomine detinetur, sed hæc obiter.

Venio ad medicamenta, quæ sunt euacuantia, & alterantia, priora si materiam fluxam respiciant, tum per aluum, tum per insensibilem digestionem extra corpus educunt; Per aluum educunt ea, quæ valentiora sunt, cum nulla adsit via manifesta, per quam materia in cauitate abdominis contenta ad intestina trahi possit, Cortex ideo radicis esulæ siccatus, ac tritus ad scrup. j. cum mastiche, & in bolo cum syrupo rosato solutiuo redactus, item æris squama ex Hippocrate ad drag. j. vel drag. j. ſ. cum cariophyl-

cariophyllorum, vel Cinnamomi puluere ex melle rolato solutiuo excepta laudatur. A
Vinum etiam cum stybio medicatum apud Iesuitas, ac demum Elaterium cum pilulis masticinis exhibitum huc sunt referenda, & quod in simili casu (quamquam non sit in classe vehementium) mihi est in vsu frequenti medicamentum, paratur ex puluere mechiocani in dosi paulo maiori solita dato ex iure columbi decoctionis brassicæ marinæ, anisorum, & passularum; Clysteres quoque ex decocto carminantium ebuli, atque similium ex melle cum radicibus cucumeris agrestis factitio, benedicta, oleo laurino, & elaterio parati apud me sunt ex vsu. Insensibiliter autem flatus euacuant vinum Hippocr. diaciminum, diagalanga, & electuarium de baccis lauri per os assumptum; Sed & aplicita flatus, ac aquam in eo contentam discutiunt, atque siccant, quẽadmodum in hunc finem vnguentum Agrippæ, vel Artanitæ cum elaterio, vel quod secundum Mesuem ex ipsomet elaterio paratur, pariter, & emplastrum quod fit vel ex stercore bubulo, aut Caprino in furno siccato cum nitro, alumine, sulphure, speciebus B emplastri de baccis lauri, farina lolij, ac lupinorum exceptis cum oleo laurino, ac therebentina, vel ex calce secundum Actuarij descriptionem adiectis baccis lauri, atque iuniperi, pariter fotus, qui fit per spongias madefactas in vino decoctionis Artemisiæ, anisorum, fœniculorum, cimini, radicis ciclaminis, & salis, tandemque perfusio ex aqua ardenti, supera sperso puluere cimini, elaterij, & piperis, ac superdato panno lineo in eadem aqua macerato mihi probantur.

Materia verò fluens euacuatur modo per aluum cum puluere feminum ebuli ex vino Cretico, aut cum succo radicis ireos, adiecto syrupo rosato solutiuo, aut cum manna dissoluta in vino decoctionis, & infusionis soldanellæ cartami, & radicis ireos rec. cum feniculis, cinnamomo, ac passulis parato, modò per vrinas cum therebentina, ac puluere fœniculi, aut anisorum, vel cum puluere rubeę tinctorum ex vino albo odoro, vel cum vino infusionis asari adiecto modico cinnamomi, vel demum cum sale C Artemisiæ ex aqua florum genistæ exhibito.

Quod si sudorifica opportuna videbuntur, ius galli antiqui cum guaiaco, & ligno Indico, quod sassafras vocatur, alijsque simplicibus accommodatis medicatum offeratur, & ab assumpto syrupo matutino instrumentum ligneum in lue Venerea ad sudores mouendos paratum sit in vsu.

Postremò medicamenta alterantia occurrunt, cuius census existunt electuarium cyphoides, theriaca antiqua, trocisci de eupatorio, atque de Rhabarbaro, necnon diacalamentum. Verum quoniam patiens noster in hunc morbum incidit occasione sanguinis per vomitum reiecti, & periculum denuò vomitus imminet, idcircò medicamentis omnibus mastichem addere saluberrimum erit.

Sed & victus accommodatus est instituendus, qui mediocris inter tenuem, & crassum sit oportet, necnon extenuans propria natura, ideò cibi salubres erunt panis fer- D mentatus, qui fœniculum, & salem receperit, carnes propria natura ficciores, & oua quibus immiscendi sunt puluere ex aromatibus confecti. Parcissimè patiens bibat, vtaturque vino albo, odoro, atque factitio ex absynthio, aut rapontico, aut prassio, adiecto mastiche, reliqua verò omnia iam dictis respondeant, sic etenim Deo concedente, Vir egregius pristinæ sanitati restituetur.

PRO

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI VIRO SARZANENSI PLVRIBVS usque grauibus circa partes omnes vrinarias symptomatibus affecto.

CONSVLTATIO CXXV.

DE quibus conqueritur vir illustris præter naturam affectus omnia sunt symptomata, quorum alia per interualla, alia continuò patitur, hæc, quemadmodum & illa in actiones læsas, qualitates mutatas, excretaque pariter mutata referuntur; & quod spectat ad ea, quæ per interualla nobilem patientem F affligunt, ad læsas actiones primo minctio ablata, quę potius interceptio dici meretur, ac postmodum abit, guttatim prius, dein liberè excreta vrina, secundo dolor quidam ad peryneum versus anum tempore equitationis, ac gestationis super curru sunt referenda; Ex qualitatibus verò mutatis pondus ad pubem, & inguina secundum partem humilem locum habet, quod potissimum vir illustris percipit, vbi se de latere in latus voluit, quasi rei de loco in locum traslatæ speciem præseferat; Demum excretum mutatum vrina est occasione motus corporei violenti sanguinolenta ita, vt perfectè sibi sanguinem admisceat. Atqui quæ continuò symptomata torquent, si ad actionem læsam referantur, sunt dolor punctorius ad radicem penis citra minctionem, qui quidem dolor sicuti inter mingendum, ita & post minctionē perseuerat; si ad qualitatē mutatam est calor circa eandem penis radicem, ac renum regionem cum aliquo sensu grauitatis, si denique ad excretum mutatum, lotium est rubeum, graue olens, crassum, G turbidum, ac sedimento crasso, lento, & quasi furfuraceo donatum.

Ex quibus constat, partes vrinarias ferè omnes esse affectas, id quod vbi causas explorauerim, magis innotescet, quas causas tum communes, tum particulares esse non hæreo, communes tres esse censeo, primam destillationem salsam (nam vt refert illustris patiens, continuam sputi salsedinem degustat;) secundam feruorem iecoris tum natiuum, vti latitudo venarum est indicio, tum adscititium, sicut vrina rubea demonstrat, adhuc & ventriculum pituitæ feracissimum id quod ab ante acta vita, ab excretis omnibus pituitosis, pluribusque alijs colligere potest vnusquisque; tertia tandem errata in victu, in alimentis præsertim, coitu, ac motu naturæ modum excedentibus.

Quibus de causis communibus constitutis, ad particulares, & primum symptomatum per interualla affligentium, accedam. Intercipitur itaque vrina expultrice fa-H cultate prostrata non ob obiectum improportionatum, copiam nempè lotij, vt de se patet, ergò ob vitium organi quod cum possit eandem facultatem labefactare, vel impedire, credo nunc impedire propter angustiam meatus vrinarij per constipationem quidem, sed non à calculo, de quo aliqua est suspicio: at mea sententia vana prorsus, pluribus nominibus, & primo, quoniam vrina ex toto, ad longum tempus, nec statim atque in principio minctionis supprimitur; Secundò, quia nobilis patiens lotium vnica vice reddit minimè aquosum, in quo neque sedimentum viscidum, sicuti caseus liquatus cernitur, sed fluidum potius aliqua ex parte, secundo neque à frequentia minctionum stimulatur: tertio nec ad peryneum pondus continuò persentit, nec in vrinæ missione cogitur egerere; quarto numquam calculos excreuit, aut quid aliud sabulosum (vt refertur) effatu dignum, tandemque non adest pudendi scalptus, vt propterea existimem ego huiusmodi angustiam fieri ob constipationem à tumore totius vesicæ præter naturam, vt ex candela immissa deprehenditur, [verum tumorem

hunc

nnnc potissimum anteriorem vesicæ partem ad sinistras occupare tactus ipse circa peryneum, ac pubem dijudicat, est quidem tumor ad collum pertingens frigidus, indolens ac durus, factus à pituita cum modico melancholiæ permixta, illam excreta in vrinis pituitosa demonstrant, hanc totius habitus melancholicus docet. Ab huiusmodi igitur tumore tempore minctionis contracta vesica efficitur angustia, accedente etiam materia crassa obstruente cum impetu ad eiusdem vesicæ collum mota; hinc fit vt inter equitandum facta compressione ad peryneum ab hoc eodem tumore tamquam à re graui contundente soluatur continuum, ac dolor exindè sequatur; fit etiam vt à viro illustri percipiatur interdum pondus illud, quod quoquo pacto de loco in locum transferri sibi videtur, nam tumor hic est veluti pensilis; fit adhuc tempore motus corporei calor ille in peryneo attritis partibus ab hoc eodem tumore: lotiũ autem sanguinolentum redditur ob vitium facultatis retentricis, non quidem vesicæ, quoniam tunc paucus ad modum esset sanguis, nec ita perfecte lotio permixtus: ergo renum, sed non propter diæresim, si quidem nil pręcessit, nec aliquid pręsens est, quod ipsam demonstret, sed neque per Anastomasim, & Diapedesim, ergo per morbum in compositione, dilatata inquam via, vti ex prægresso motu corporeo, ad quem homini symptoma ferè semper subsequi solet facilè est intelligere.

Supersunt modo explorandæ causæ particulares eorum symptomatum quæ continuò nobilem nostrum patientem malè habent; Dolor itaque ille ad radicem penis ab obiecto fit duplici improportionato, intemperie inquam calida ex accedenti ipsius vesicæ, vt apparet à sensu caloris, necnon solutione continui, quarum vtraque à materia erodente fluente in vesicam proficiscitur, fluit verò tum per modum attractionis propter calorem ibidem inductum, tum per modum transmissionis imbecilla reddita vesica, Atqui terminus à quo huiuscemodi materiei iecur est, & caput inusto calidiora; Ex quibus etiam satis liquido apparet caloris causa circa vesicæ Regionem, cum de calore renum ita se res habeat, vt præter materie calidioris in eosdem demissionẽ, & ipsi à primordio calidi admodum existant; Verũ enimuerò percipitur simul grauitas, quoniam renes & pilatati ad suscipiendum, & calefacti ad attrahendum maximè dispositi maximam humorum crassorum, & crudorum copiam à ventriculo sibi nanciscuntur; Vltimò tandem Vrina rubea ab Hepate bilem exustam coaceruante, graue olens ab aliqua putredine ob calorem extraneum in vesica prodit, sedimentum interea crassum ab humore quoque crasso à ventriculo proficiscente, furfuraceum ab exustione facta in renibus, ac vesica ex Galeno quarto Aphorismo.77. depender

Quamobrem scopi curatiui sunt materiam ad vesicam fluxam euacuare, impactam ratione tumoris discutere, fluentemque retrahere, adhuc eiusdem generationem cohibere per attemperantia cerebrum, ventriculum, renes, & iecur; emulgentes tandem venæ erunt constringendæ, interimque ardor compescendus, sed in primis, & antè omnia toti erit prospicendum.

Cœterum scopos hos adimplere ferè est impossibile, nam plures morbi, qui curandi nunc offeruntur contrarias habent indicationes, causasque maximæ actiuitatis, ex quibus potius, grauiora longè mala imminent, tabes inquam ratione hæmorargiæ, lapis, vrinæ suppressio, atque hæc eo magis, quoniam viscera principalia cerebrum, & iecur laborant adeò, vt virtus nequaquam toleret. Amplius nobilis patiens est intemperans; his tamen non obstantibus sperandum ipsum ob ætatem consistentem, ac robur virium quoquo pacto conseruaturum iri, quod tutius assequetur, vbi se præceptis hisce Medicis præstabit obedientem.

Propono itaque ex chirurgia in Vere venæ sectionem primum cubiti, deindè malleolorum, apertionem item venarum ani, fonticulum in brachio sinistro, & femore dextro, quinimmò & in vertice capitis ob destillationem à continuis interim frictio-

E frictionibus partium supernarum apprimè vtilibus futuris non desiderem.

Ex pharmacia verò medicamenta probo tum vniuersalia, tum particularia, ac inter vniuersalia præpono lenientia, inter quæ seligo mel rosatum solutiuum cum syrupo rosato pariter sol. vel casiam cum speciebus hyeræ, à quibus, præparantibus vterer, quæ ex betonica, cicorio, boragine, gramine, seminibus melonum, liquiritiaque conficerem, post quæ purgantia, & primum sensibiliter, sicuti pilulas de tribus cum Rhab. Medicamentum ex Agarico, Rhab. & manna, dein insensibiliter, vti chinæ decoctum, vel salsæ cum modico guaiaci, cicoreaceis, & diureticis aliquibus frigidis, aut saltem temperatis præscriberem; Quibus omnibus ad vsum deductis ad particularia deuenirem medicamenta, idcircò ratione capitis euacuantibus primum per nares, & os vterer illaque ex decocto hordei, sampsusci, ac melle viol. sol. cum manna hęc ex sola mastiche pararem; Pro alterantibus postmodum lotio ex lixiuio cineris radi-F cum oliuæ, vel embroca ex thermis Lucensibus, in quibus sandali, alumen, betonica, camom. & oliua incoquerentur, satis essent. At ratione ventriculi si euacuantia specto, vomitum inducant oporteret, cibus ideò varius, mollis & lubricus erit opportunus, si verò alterantia respicio, nil præstantius vnquam stillicidio ex oleis stomaticis calefacientibus, sed interea iecoris, renum, & vesicæ est habenda ratio, iecur itaque, renesque alterabunt serum depuratum cum succo sonchi, aquæ Villenses, Porrectanæ veteres Ficuncellenses B. Virginis Patauij, & Calderianæ, ad adstringendum autem aquæ Brandulenses, serum calybeatum, decoctum equiseti plurimum valent, quę omnia vt de se patet assumuntur. Admouentur verò & primo iecoris regioni vnguentum sandalinum, Galeni infrigidans nuncupatum, dein renibus, vnguentum ex oleo ros. omphac. rasura eboris, & cornu capræ cum cera, necnon illud quod ex corticibus castanearum efficitur. Medicamenta tertio loco particularia, quę pro vesica faciunt, G pubi, & peryneo poterunt admoueri; Pro peryneo ideò fotus cum spongia ex decocto altheæ, liliorum alb. cucum. agrestis, fenugræci, sem. lini, anethi, camomeli conueniens esset, à quo ceratum ex æsipo, vel diachilon gummatum cum portione diapirites vbi apponeretur, summoperè proficeret, quemadmodum & emplastrum ex radicibus iam dictis coctis, farina sem. lini, exceptis oleo liliorum alborum, atque therebintina, vel quod filij Zaccariæ, vel de meliloto dicitur. Pro pube stillicidium primum cũ oleo sem. lini, dein de decoctione radicum cucumeris agrestis, & paucedani, a quo cerata prædicta, & emplastra pariter conueniunt; Verum pro peryneo, & pube insessus primo ex aqua lanarum simplici, deinceps decocto simplicium iam dictorum, lutum etiam imprimis D. Bartholomæi, postea D. Petri, & D. Helenæ Patauij, vel saltem oleum chymicum ex luto illo paratum mihi probantur. De medicamentis demum ardorem compescentibus ita sentio, vt interius lac asininum cum pul. sacchari, & tro-H ciscorum Alchachengi, aqua ex siliquis fabarum stillatitia, decoctum altheæ cum butyro, & saccharo assumantur, & exterius balneum aquæ dulcis administretur, & cataplasma ex cicuta in lacte cocta peryneo, & pubi superdatum in hunc finem iniici etiã poterit lac prædictum, vel etiam humanum, atque aqua fabarum viridium quibus vel lac sem. papau. albi, vel syef album cum oppio addi poterit

Atqui quoniã irrita essent hæc, & cœtera quęcumque remedia, vanusque prorsus existeret omnis Medici labor, nisi victus proportione respondens institueretur, conueniet ideò victum moderatè extenuantem quantitate mediocrem præscribere, quique sit boni succi, facilis coctionis. Abstineat propterea vir illustris à crassis, viscidis, vaporosis, salsuginosis, acribus, acetosis, dulcibus, ac alijs huius farinæ alimentis, vinum bibat pauciferum, fuluum, non admodum vetustum, & quod maximè conferet cum guaiaco, & sandalis vel radicibus cicorij medicatum, atque sic reliqua omnia respondeant, nam ita melius se habebit nobilis patiens in dies D.O.M. duce, & auspice.

PRO

A

PRO ILLUSTRI VINCENTIO LIPPIO LUCENSE S.V.D. Perexcellenti, ferè cæco reddito.

CONSULTATIO CXXVI.

QUEMADMODUM oculos in illustri ac Perexcellenti viro ea ratione affici, qua visio ex toto ferè sit abolita, certum est vel ex ipsius testimonio, ita qui nam sint oculorum præter naturam affectus propria vniuscuiusque indicia demonstrant; Visionem ideo in patiente à principio, veluti per nebulam factam, mox paulatim hebetem redditam fuisse, nunc ipsum lucem veluti solam videre, illi oculorum vitio præsertim attestantur, quod cataractam, suffusionemve schola medicorum nuncupat, sicuti habitus ac patientis temperamentum, non leuem impuritatem spirituum, qui visioni famulantur præseferunt, quæ ex eo etiam confirmari potest, quod lucem eam, qua perexigua vir illustris fruitur obscurè admodum videt; Atqui quoniam oculus nullo quasi vitio, nulla ferè labe infectus apparet prospicienti, hic non immeritò posset suspicari, præter iam dicta, & obstructionem adhuc aliqualem in opticis neruis reperiri, quam sicuti distensio partium circumsitarum suadet pariter eandem aliqua pupillæ dilatatio in altero oculo, dum scilicet alter clauditur, apparens non integram docet.

B

Cœterum quonam pacto, suffusio, spiritunm impuritas, obstrnctio in neruis opticis huiusmodi visionis diminutionem efficiant, si breuiter explicetur ad curationem apprimè conducet, ac propterea primo supponendum, ad visionem secundum naturam, naturalem qnoque (vt par est) constitutionem eorum, quæ ipsi deseruiunt, esse prorsus necessariam, & proinde (vt solum ea quæ ad propositum faciunt attingam) facultas visiua, quæ tamquam princeps in chrystallino residet humore, spiritibus animalibus copiosis, puris, iisdemque lucidis indiget quibus ipsa postmodum propria facultate contractis, visorijsque redditis, vtitur ad visionem, hinc ipsos liberum, ac peruium à cerebro in oculos habere decursum necesse fuit, in quem vsum opticos neruos inter cœteros omnes foramine peculiari natura donauit, ex quibus omnibus lumen illud internum, cuius non semel meminit Aristoteles, pro visione inculpata quam necessarium facultati visiuæ resultat, quæ cum adhuc externum aerem qua lucidum, & species obiectorum in oculum sibi deferentem expostulet, partes eas, humorem puta albugineum, Rhagoidis foramen, quæ præcipuum visionis instrumentum crystallinũ antecedunt, in subtilitate, crassitie, splendore, tota denique consistentia mediocres esse oportet, vt oculi lumen internum cum externo speciebusq; visibilibus aptè copulari queat.

C

D

Quæ omnia cum in illustri hoc patiente obscurè admodum sint, haud alicui debet esse mirum, si ad eum diminutæ visionis gradum miserè deuenerit, qui à cæcitate, vel minimum recedit, quandoquidem in ipso etsi propria visoria facultas per se primum non afficiatur, eo tamen nomine mea sententia ipsam affici certo est concludendum, qua spiritus animales non solum omnino impuros, syluestres, visionique ineptos habet, verum adhuc & deficientes, sicque lucem oculis intrinsecam iam dictam ad visum inculpatum quam necessariam auferri opportet, sicuti etiam aliquid in humore albugineo, foramineque Raghoidis præsens est (si modo diligentius consideretur) quod sui impuritate prohibet, ne rerum simulacra in chrystallinum humorem vsque liberè deducantur.

Impu-

E Impuritatem modo spirituum efficiunt (vt vnicuique horum symptomatum propriæ adscribantur causæ) vapores crassi, tum melancholici, tum pituitosi, defectus eorundem, obstructio in neruis opticis ab humoribus eiusdem census ortum ducens est in causa, qua spiritus animalis visiuus illico euasurus non solum in transitu ad oculum remoratur, verum etiam ex toto penè impeditur; Sed & id quod foramen Raghoidis occupat, humoremque albugineum inficit confluxus est, & portio eiusdem humoris malencholici, atq; pituitosi, quorum vterq; propiam habet generationem, ille in hepate calidiori, hic in ventriculo potissimum frigidiori, sicuti ex eiusdem querelis ab illustri patiente relatis tarda inquam coctione, flatuumque copia innotescit, quò etiam capitis intemperies humida præsertim spectat; Quorum omnium viscerum intemperiebus errata omnia externa quemadmodum perbellè nimium præbuerunt occasionem, ita generationi prædictorum succorum errores potissimum in cibo, ac potu, F quantitate, qualitateque excedentibus materiam suppeditarunt.

Ratio autem cur oculi tantum in patienti nostro ita malè se habeant multiplex esse potest, hæc etenim non erit abs re si referatur ad quandam eorundem imbecillitatem, tum naturalem, id quod eorum magnitudo docet, tum aduentitiam, quam vitæ genus continuis lectionibus, studijs, vigilijs, motibus, ac insolationibus (quæ omnia num visum imbecillum reddere valeant, nullus ex medicis ignorat) continuò subiectum suadet, quibus etiam addi posset tamquam horum omnium & viscerum intemperierum; & oculorum hebetudinis occasio, ac forsan prima radix lues illa Venerea, quam sicuti iam multi aguntur anni, quibus illustris patiens passus fuit, ita dum ipsa detinebatur præcipuè circa frontem, atque veluti oculorum radices symptomata patiebatur, vt ipsemet retulit: Id verò, quod prius sinister oculus labem susceperit in partium sinistrarum conditionem referre non dubito, qua contingit vt dextris partibus G imbecilliores, infirmioresque vt plurimum existant.

Quibus ita constitutis, iam luce clarius apparet, quæ nam sint partes Medici curantis, hic namque omni diligentia curare debet, vt spiritus animales illustriores fiant, & liberum à cerebro in oculos iter habeant, vlterius, vt externa lux ad crystallinum vsque humorem deueniat, hæc autem assequetur, vbi humores extraneos dictos tum in vniuerso corporis ambitu existentes, tum in oculis præcipuèque neruis opiticis, humore albigineo, & Raghoides insidentes euacuarit, discusserit, atque ab affectis locis retraxerit, ac tandem oculorum proportione seruata viscerum omnium discrasias emendarit, sic etenim noua excrementorum generatione impedita oculus propria semper luce gaudebit.

Ad quem lucis statum nobilem patientem nostrum peruenire posse quid potius optandum, quàm expectandum arbitror, proptereaque quemadmodum excrementa H in reliquo corpore existentia facilè est euacuare, ita quæ in opticis neruis, & reliquis oculi partibus penitioribus existunt, educere difficillimum, ne dicam impossibile autumo, in ea si quidem parte corporis intimiori nerui illi præsertim siti sunt, vt vix imaginatione adinuenire sit viam, & remedium adeo potens quod eò penetrare queat quò etiam si perueniat, in casu tamen nostro cum humoribus etiam melancholicis, & pituitosis omnium medicationi contumacissimis (quos adhuc altiores ibi radices iecisse suspicor) illi est agendum, præterquam quod his etiam nunc ibidem existentibus ablatis, in corpore excrementorum feracissimo vix est sperandum, vt illa ad semel arreptam sibi viam confluere desistant, & eò maxime quod oculorum duplicem, eamque non leuem obseruaui imbecillitatem, qua ad noxiam succorum receptionem paratissimi redduntur. Sed non idcirco mea sententia ab operationibus Medicis desistendum, nam melius longè est remedium paulo anceps, quàm nullum ægrotantibus præscribere, accidit enim aliquando, vt illud ope medica, sic iubente Deo consequamur,

quamur, cuius haud quaquam compotes fieri expectabamus.

A

Qua de re materias medicas descendo, & primum ad chirurgicas, è quarum serie primum sectio venæ tali, ac hyrudines ano applicitæ mihi non displicent, à quibus in occipitio setaceum de more excitatum & per quinque vel sex menses gestatum opportunum etiam videbitur, à cuius sanatione cauterium in brachio sinistro, ac aliud in femore dextro inustum summoperè placet, deindè & à vesicantibus circa capitis suturas non abhorreo, sicut neque frictiones, lotiones, ventosationesque siccas iuges extremorum improbo.

Et quamquam experientia comprobatum sit, suffusiones nec his, nec alijs præsidiorum materijs esse tractandas, alioquin continuò succis tenuioribus expurgatis contumaciores fiunt, ac nulla postmodum depositionis quæ manum opera ab ocularibus Medicis fit, spes, locusue superest, qua ratione plures adducti in casibus huiuscemodi nullum penitus remedium præscribunt, sentio tamen ego cataractam existentem in principio non pituitosam solum, sed & melancholicam (de cuius coordinatione est hæc nostra) præter depositionem, remedijs & propositis, & proponendis posse arceri atque augmentum illius impediri.

B

Quod itaque ad materias pharmaceuticas attinet præmissa vniuersali medicatione per leniens medicamentum ex syrupo de polypodio solutiuo & hiera simplici, per præparans ex decocto in iure columbino parato betonicæ, cicorij, boraginis, eufragiæ & vrbenæ cum proprijs syrupis per cartarticum ex pilulis aureis, & lucis, vel sine quibus, illico ad guaiaci decoctum, & salsæ cum simplicibus ocularibus, cephalicis, ac hepatis conficiendum, demoreque exhibendum deuenirem, ea tamen ratione, vt ante syrupum matutinum bolus ex trociscis viperinis cum eufragiæ conserua deuoraretur; Atque in vsu illius vsque ad sexaginta dies prosequerer, singulisque hebdomadis aluum syrupo de polypodio dicto cum catapotijs lucis irritarem, alijs verò die bus masticatorijs, & herrinis vsitatis, à Galeno etiam in affectibus oculorum celebratis caput expurgari curarem. Post hæc autem caput erit alterandum primum confectione Mithridatica, & conseruis capitalibus hora somni deuoratis dein de lotionibus pileolis & irrigationibus, lotionibus quidem cum lixiuio dulci decoctionis baccaræ, verbenæ, steccadis Arabici, cariophyllorum, agarici, & rosarum; pileolis factis ex cucufa duplicata, in cuius medio consuti sint pulueres ex Agaloco, floribus capitalibus, nuce myristica, cariophyllis, ac sandalis albis; Irrigationibus demum ex aqua ardenti oculi; tamen & ipsi proprijs tractentur medicamentis necessum est, ideò preter aquam mellis stillatitiam, ius columbinum, & similia instillata balsamum, ius galli antiqui, & collyrium Rhasis de fellibus pariter instillata probo, sicuti ad robur liquorem stillatitium ex viperis, & chelidonia paratum summoperè valere sentio. Quòd si iecoris feruor vrgeat succus cicorij hauctus, & foris etiam adhibitus perutilis erit; quemadmodum pro ventriculo nux myristica condita, radixque Zinziberis pariter saccharo condita opportuna mihi videntur.

C

D

At hæc omnia frustra, nisi cibum boni succi (omni aeris inclementia deuitata) ac facilis coctionis perexcellens patiens assumat, cui puluis coctilis ex pane biscocto, coriandris, eufragia, mace, & saccaro paratus continuo esset inspergendus, vinum subrubrum medicatum herbis ocularibus, & guaiaco bibat, ab omnique cibo cydoniatū, vel saccharum rosatum antiquum comedat; Et si aluus aliquando fuerit irritanda, pilulæ de aloe succotrina cum succo rosato pluries lota omnibus præferendæ; corpusque ambulationibus, ac gestationibus in curru tempestiuè exerceatur, atq; somnus eleuato capite, & retractis cruribus fiat qui nulla ratione sit diurnus, atqui quantum fieri potest animi Patemata sunt nobili viro aufugienda, qui vbi decoctum præsciptū assumet, eo victu vtatur necesse est, qui tenuis, & attenuans existat, locoque vini

E de more secundam decoctionem, quam vocant sibi seligat ebibendam, faxitque Deus Omnipotens, vt hæc omnia ipsi cedant in absolutam oculorum valetudinem.

PRO ILLVSTRI, ET NOBILI MVLIERE DE SCALCIS ARIMINENSI dolore capitis, vertigine tenebricosa, inappetentia, dolore ventriculi profluuio mensium, & vteri, huiusque prolapsu detenta.

F

CONSVLTATIO CXXVII.

VBICVNQVE calor natiuus operationum vitę auctor in corpore deficit, necessario actiones totius facultatis rectricis, animalis inquam, vitalis & naturalis malè procedunt, nec vlla ferè corporis pars pręcipua est labis omnino expers, imo & totum corpus morbidum euadit, quod cum nobili, ac illustri mulieri cõtingerit, propterea tot malis vrgetur, vt nulla ferè sit pars in illius corpore quæ labem non contraxerit, nam si partes animales perpendo, has ipsas ex dolore capitis ferè perenni, necnon tenebricosa vertigine (sub qua non modo tenebræ oculis obuersantur verum etiam motus ita languidus redditur, vt casus immineat) malè G affici colligo. Verum si ad organa vitialia me conuerto, cum audiam pulsum deficere ac corruere, cogor & hæc ipsa male habita constituere, quinimmo ex ventriculi, ac vteri affectib us membra facultati naturali in inseruientia minime sana deprehendo; Ventriculi autem affectus sunt inappetentia ferè continua, summiq; cruciatus à cibo præcipuè percepti; At vteri mala sunt duo, primum indeficiens singulo mense, & hoc ipsum hæmorargia copiosa, quæ ad eam noxam vires aliquando perducit, vt patiens in maximo vitæ periculo constituatur, sanguis autem exiens vt plurimum est melancholicus, qui nonnumquam grumosus, ac concretus exit, à quo postea per aliquot dies purgamenta alba cum dolore dorsi, ac summo virium, præcipuè animalium languore subsequuntur; Alterum malum vteri est eiusdem descensus à duobus annis illam affligens, qui quoniam excrementorum alui, ac vrinæ exitum laboriosum reddit, sensumque insignis ponderis ad fundum abdominis circa pectinem sibi adsciffit, H ideò erit descensus satis insignis; Cœterum non partes tantum corporis, imo ipsummet totum malè se habere tam certum est, quam quod certissimum, quando & gracilitate, & colore citrino insolitis detineatur. Hi igitur sunt affectus præter naturam, hæ sunt partes affectæ; antequam modò de origine illorum agam, primum circa capitis dolorem, ac vertiginem noto, nimirum partim per idiopathiam, & partim per sympathiam fieri, illi continuitas affectuum, huic autem augmentum, & decrementum eorundem, affectibus ventriculi ferocientibus, ac mitescentibus, attestantur.

Origo igitur omnium horum malorum communis fuit hæc, cum enim pluries conceperit, ac pepererit, necessariò factum est, vt pabulum calori natiuo fuerit subtractum nam tametsi in partu quicquid excrementitium est excernatur, semper tamen aliquid boni cum eo absumitur, & quo frequentius, ac sæpius excrementa depelluntur, eò etiam quicquid vtile est magis dissipatur, vt propterea nullam ferè mulierem sæpius fœtam inuenire liceat, quæ in insignem omnium virium cladem non incidat, ac calo-

ac calorem natiuum euidenter languescere sentiat, hinc non est mirum, si liberi secundarum nuptiarum huius nobilis mulieris non sint superstites: His accedit quod cum diu à morbis conflictata sit, necessariò putandum sit calorem debilitari; Caloris autem huius deficientis partus sunt flatus, cruditates, sanguisque ichorroides, verum quoniam, calore proprio, ac naturali deficiente, extraneus viget, ipse & proprios producit effectus, hinc non modò naturalem, pabulum huius absumendo destruit, verum & perbellè generationi prauorum humorum, præcipuè verò succi melancholici in ætate decrescenti (qualis est nostræ patientis ætas, excedentis vno quadragesimum annum) occasionem præbet.

Ex quibus iam facilè est vniuscuiusque affectus propriam, & determinatam causā assignare, nam flatus & spiritus vaporosi cum in capite, tum in visceribus naturalibus geniti à calore debili, per viasque latiores delati quà cerebri membranas distendunt, dolorem capitis, quà verò spiritibus commixti hos ipsos in gyrum rapiunt, & motione quadam circulari afficiunt, vertiginem pariunt, cui vertigini obtenebratio adiungitur quoniam vapores illi sua opacitate, & impuritate lumen internum oculi necessarium, ex Aristotele ad visionem faciendam obscurant, pari quoque ratione crudi succi os supernum ventriculi irrigantes, coagente quoque caloris naturalis languore inappetentiam gignunt, sicuti & ijdem flatus copiosi collecti in ventriculo, præcipuè verò ab absumpto cibo, qua hora calor antea languidus in obiectum improportionatum agens magis defatigatur, distendendo, tunicas lacerant, & proindè cruciatus illos producunt; Atqui non modo ob partuum, frequentatam repetitionem, sed etiam ob cruditatum copiam tum vasa vteri nimis aperta, & relaxata sanguinem hoc tempore plus quàm par sit perfundere, tum purgamenta illa alba prodire arbitror, quò & vteri descensus referatur oportet, nulla enim alia via comodiori mulieres ad hoc mali genus præparantur, quàm per partuum frequentiam, atque copiam succorum ligaminum vteri irrigantium; quid autem causæ sit cur mensibus rubris immoderatè fluentibus, sanguis melancholicus excernatur, vt plurimum, deindè verò concretus, vel purgamentis albis prodeuntibus, dorsum doleat, non est difficilè explicare, nam quoad sanguinem melancholicū, cum iecur propria natura calidum, nunc ex accidenti, & propter obstructiones maximè ferueat, sanguinis melancholici, maximè ferax euadit, qui tametsi ichororsus ex Hippocrate in omnibus corporibus melancholicis gignatur, nihilominus ob peculiarem quandam rationem, nimirum ob crudorum, crassorumq; humorum, qui immixti sunt copiam consistit magis, ac concretionem etiam acquirit; dolet verò dorsum sub purgamentis albis, vel quoniam eo tempore flatus plurimi concitantur distenduntq; partes dorsi, vel etiam quia tunc ligamenta vteri magis relaxata vteri prolapsum fouent, ac augent, & proindè insigni ligaminum facta distractione, circa dorsi partes cruciatus excitantur; De gracillitate nil habeo quod dicam, nisi quod facultas assimilatrix, cum ob caloris natiui inopiam, tum ob sanguinem oeconomiæ nutritionis ineptum propio fine minimè potitur; De colore autem in toto mutato dico, id accidisse ob humorem biliosum copiosum non modo in hepate feruido genitum, verum etiam propter obstructiones eiusdem hepatis collectum, & in corporis vniuersum habitum restagnantem.

Quibus sic positis vniuersa curationis ratio in eo posita esse videtur vt materia flatuosa, ichorosa, pituitosa, & melancholica euacuetur, absumaturque sanguinis motus ab vtero auertatur, caput, & ventriculus calefiant, atque siccentur, iecur refrigeretur, vterus in propriam sedem restituatur, dolores attemperentur, calor naturalis reparetur, ac virtus totius, & partium conseruetur.

Quæ nos obtinere, & assequi posse diffido, quando mala iam dicta altiores iecerunt radices, & tanta dissimilitudo penes temperiem totius, quæ aliàs fuit calida, & humi-

E da, & humida, & habitum corporis qui pariter antea minime gracilis extitit modo ob-
seruatur; vt nulla spes sanationis superesse videatur, & eò magis quod vires ferè om-
nes sæpius deficiunt, atque corrunt, patiensq; vix medicamenta admittit; Nihilominus
decet Medicũ pium nulli medicinã denegare, quo vita diutius, & cum minori molestia
traducatur, imo aliquando in hisce casibus omni spe futuræ salutis deposita, Deo
Optimo Maximo & natura, medijs præsidijs, homines ad meliorem salutis statum
perducere, aliquandoque ab imminenti morte vindicare solent.

Quocirca ad præsidiorum materias descendendum, nec differendum, cum alia mala
præcipuè verò hydropica passio impendeant, & quoad sanguinis missionem in serie
materierum chirurgicarum statuo, quia vires sæpius labuntur, illam minimè probari,
nisi ad corrigendum sanguinis motum ad vterum ea ratione administretur, qua nullo
modo viribus vim inferat, quam puto in hoc casu duplicem esse, nimirum & eam,
F quæ per sectam saluatellam in manu dextra, & eam, quæ hyrudinibus ano applicitis
vsurpari solet, & si aliquis suspectam hanc haberet, cucurbitulæ scarificatæ humeris
appositæ substituantur; Atqui in tanto prauorum succorum exuberantium diluuio,
cauteria in vtroque humero inusta, sicuti & iuges frictiones partium superiorum
omnium mihi probantur.

Verum enimuero quamuis putem, prolapsum vteri incurabilem esse, nihilominus
per manuum operationem eius aliqualis repositio est tentanda, vt saltem molestia
circa excretionem excrementorum naturalium imminuatur, ideo eductis fæcibus
clysteri, eductaque vrina etiam per fistulam æneam si opus erit, mulier locanda est
supina, corpore accliui, coxis nimirum elatioribus, ac diductis, poplitibusque reflexis
post irrigetur vterus prolapsus oleo amygdalino dulci tepido, deindè pessus ex lana
molli linteo inuoluta paretur, qui imbutus vino nigro austero immitatur, sensimque
G vterus sursum pellatur, mox lana in eodem vino imbuta, & ab hac, spongia posca ma-
defacta superdanda, tandemq; coxis, ac cruribus extensis simulq; adstrictis, fascia de-
ligentur, mulierq; diu decumbens sic detineatur, quod si hic modus nimis laboriosus
videbitur, manibus oleo masticino inunctis, sursum vterus compellatur, locata mu-
liere supina, post pessarum ex candela cera oleo myrthino inuncta imponatur, &
diu ibi asseruetur, verum oportet vt dum hæc peraguntur, capite decliui, ac cruribus
eleuatis maneat mulier, cucurbitulæ siccæ vmbilico, ilijs, & sub mammis pluries
adhibeantur.

Medicamenta duorum generum ex vsu erunt nimirum euacuantia, & alterantia
euacuantia tum sensibiliter, tum per vaporosam digestionem, & si per meatus conspi-
cuos, vel ad aluum leniendum, vel ad purgandos humores præparatos diriguntur,
verum quoniam illustrem hanc feminam medicamenta quæcumque euacuantia, præ-
H cipuè in potu aduersari fertur, vt illi morem geramus, pro lenienti pruna dulcia cum
manna liquata in infuso senæ ex succo, vel infusione solutiua rosarum facto, condita,
& parum ante pastum comesta; pro catartico vero confectionem Diacarthami in ta-
bulis gustui minimè ingratam, vel cydoniatũ nostrum ex puluere radicis mechiocani,
pulpa cydoniorum cocta in vino decoctionis epythimi, & polypodij, & addito saccha
ro paratum suo tempore, vel placentulam hoc tempore cum puluere foliorum senæ
præparatorum, & puluere Turbith ex pasta amygdalarum dulcium, & saccharo con
fectam laudo; Cœterum, si nobilis mulier facilè euomeret, nil præstantius vomitorio
vel ad modũ Hippocratis ex melle, & aceto, seu aceto mulso, vel ex cibo dulci, & molli
quo non solum humores noxij expurgarentur, verum etiam vterus sursum alliceretur,
parato; Pro Diuretico secludo quod verè tale est, vt quod ferè semper menses mo-
ueat, quocircatum puluis ossis sepiæ ex lacte seminum melonum, & succo limonum,
tum aqua stillatitia seminum eorundem cum aliquot guttis olei calcantini data,
probantur.

probantur. Cœterum, & pro euacuatione per meatus conspicuos cerebri facta; primum masticatoria ex mastiche sola, vel cum thure, pulpa carthami, ac caricarum, deinde & errhina parata ex decocto maluarum, & altheæ cum succo foliorum hederæ & manna erunt ex vsu. A

Tandem pro insensibili euacuatione ius pulli, vel columbi turriti, in quorum ventre sint incocta rad. chinæ, & pentaphilli, lignum Indicum sassafras, & visci quercini, ac sandali albi valdè probatur, quod eò magis prodcrit, si ante bolus ex sale theriacali, & speciebus confectionis ex tribus sandalis, conserua boraginis, vel buglossi exceptis deuoretur, huc pertinet vtraque antidotus magna mediæ ætatis, Pro flatibus dissipandis oleum anisorum, aquaque stillatitia cinnamomi probantur.

Alterantia varia occurrunt, primoque præparantia humores purganti medicamento deturbandos, sint igitur ex decocto betonicæ, saluiæ, mentæ, sonchi, boraginis, passularum, coriandrorum præpar. & syrupis appropriatis facta, ea tamen ratione, vt in aqua aurata, vel calybeata, aut in iure pulli, vel vituli lactantis in prædicta aqua facto simplicia iam dicta incoquantur. B

Deinde in coordinatione eorundem alterantium sese offerunt quæ sanguinem per icterum nimis fluentem supprimunt, probo igitur theriacam mediæ ætatis cum conserua rosarum antiqua, aut recentiorem cum puluere masticis aliquoties assumptam, imo vrgente necessitate ad Philonium Persicum, aut trociscos de charabe cum opio, adiecto puluere masticis ascendere licebit.

Tertiò alterantia ad vteri prolapsum quoque referuntur, ideò si res eò perueniet, vt de aliqua vteri restitutione subsit spes, tum odorata superius, fœtida verò inferius adhibita, tum suffumigium ex vnge Tauri, vel lana arietis nigri, imo & Cataplasma ex ouo semiputrido lana molli excepto, & vuluæ impositum, veluti medicamenta proprietatis minimè improbo; Ad conseruandum autem vterum repositum ceratum ex Galbano, & Gallia moscata sub vmbilico aplicitum, videtur conueniens. C

Quartò gratia ventriculi iuterius sal absynthij omnibus præferendum, tametsi cydoniatum cum pipere albo ruditer tuso, imo & extractum roris marini cum myua cydoniorum simplici non vituperantur, exterius omnibus alijs antepono stillicidium super regionem ventriculi ex oleo cum squinanto, polio montano, absynthio, menta, ligno sassafras, myrrha, mastiche, nuce myrrhistica medicato, & in duplici vase cum vino Cretico ebullito, & vbi ventriculus, ac partes circumsitæ non essent valdè emaciatæ, loco olei huius, aqua aliqua thermalis sulphurea, salsa, nitrosaque decoctionis simplicium stomaticorum, præcipuè verò masticis substitui posset.

Quintò alterantia gratia capitis proponenda, hora igitur somni aliquando conseruam saluiæ, & betonicæ cum cerebro passerum, Mithridatica confectione, puluere seminum peoniæ, cranij humani, ligniquę visci quercini, & auellanis tostis deuorabit, in quem vsum sæpius nares internas palatumque inungere Mithridatica confectione & in aures oleum cariophylorum instillare, cerebrũ maximè, ex Arabibus, consolari solent, caputque lixiuio ex cinere quercus, cui incocta sint agaricus, stecas, verbena, flores camomeli, betonica baccara, rosæ, folia oliuæ & cariophyli, abluere præstabit, stillicidium ob motum vertiginosum pro capite mihi videtur suspectum, nisi tamen primum corpus, deinde caput diligentissimè fuerint expurgata, quo in casu materia stillicidij erunt thermæ aiiquæ sulphureæ, salsæ nitrosæ, & aluminosæ. D

Postremò si dolor aliquando ad se curam trahet, & primum capitis, fronti, ac temporibus, imo & vertici illius secundum aliquam portiunculam abraso abhibeatur medicamentum factum ex pulpa casiæ, & passularum puluere cranij humani, ac cerebri vituli lactentis assi, vitellis ouorum, oleo rosato completo, & tantillo rutacei, irrigatio etiam assidua temporum ex succo betæ nigræ cum aceto est valdè efficax;

E gratia autem ventriculi anodynum non propono, quando doleat tantum, assumpto cibo, quo in casu dolor tantum sanantibus medicamentis est auferendus. Verumne hæc irrita sint, in victu sic se gerat oportet, nimirum vt ab omnibus aeris iniur.js caueat, & vt spiritus animales recreentur, aer odoratus redatur pila facta ex oleo nucis muscatæ & cariophylorum, puluere sampsuci, florum citri, rosarumque, mosco, & ambra manibus gestata, similiter aer parum obscurus, & facultate siccus maximè conueniet, ac plusculum vigilare, & non multum dormire erit necesse, præterea in maxima quiete animi, ac corporis illustris patiēs est detinenda, aluus iugiter pane ex tota farina cum sale, & passulis, vel prunis, & passulis præperatis, vel conserua rosarum communium cum manna conditarum in prima mensa commansis irritanda est, omnis repletio cibi & vini vitanda, dentur autem carnes optimæ, oua recentia, pisces aquarum dulcium & clarium, concedantur cicoria, borago, saluia, anthos & huiusmodi, fructus F verò omnes, acria, salsa, lacticinia, fercula ex pasta, dulciaq; improbantur, à cibo verò assumatur puluis ex pane biscocto, coriandris, nuce myrrhistica, cariophylis, pipere albo, sandalis rubris, & cerebro vituli siccato cum saccharo factus, vinum insæuientibus capitis affectibus arceatur, & loco illius aqua cocta cum coriandris & saccharo, alias verò vinum rubellum aqua calybeata, vel aurata dilutum assumatur, quod maximè proderit, si saluia, absynthio & sandalis fuerit medicatum. Quæ omnia si Excellentissimorum curantium solita diligentia adhibeantur, spero D.O.M. auxiliante, magnam vtilitatem allatura.

PRO ILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDA NONIALI Gennensi Melancholia hypochendriaca ob Symptomatum adhæsum mirabili laborante.

G

CONSVLTAATO CXXVIII.

ILLVSTRIS, & admodum reuerenda virgo quoniam habitu decoro, & formoso donata est à natura, ea proper non miretur aliquis (qnod timor, & mœstitia demonstrant) si in affectionem melancholicam inciderit, solent enim quæcumq; ex fœminis pulchriores hoc genus mali; atque quodlibet aliud simile ex prauis succis natum incurrere, cuius nulla alia (vt obiter hoc sit dictum) censetur ratio, nisi quod fœminæ quo formosiores, & colore viuidiores, eò etiam temperatiores, & quò corpus earum est temperatius, eò etiam plures illius partes purius, atque temperatius alimentum exoptant, si alimentum, & alitum similia sunt, quare alimenti quod H remanet in corpore sit deterius, & intemperatiuus oportet, quod per vniuersum corpus propagatum, ac distributum affectus præter naturam prætactos producit.

Atqui melancholicam, de qua agitur esse, quam flatulentam, & hypochondriacam dicunt, hæc attestantur, ventriculi languor, inappetentia, dolores, ac flatus per imum ventrem discurrentes, vrinæ copiosæ, crudæ & turbidæ, ac tandem aluus stiptica, verũ hanc eandem affectionem esse consumatã durities in medio ventre cum magno pulsu cordis palpitatio cum tussicula, & pectoris dolore, totiusque macies, ac lassitudo demonstrat, nec capitis dolor, vigiliæ, aurium que tinnitus affectionem à capite, & non ab hypochondrijs oriri suadent, quando hæc cum Symptomatibus ad hypochondria attinentibus iuncta melancholiæ ab hypochondrijs, & non à capite (materia vaporosa in caput idem effumante) sint argumenta.

Quod verò postremo sit melancholia hypochondriaca ob vterum malè affectum indicio sunt menses imminuti, valde decolorati, ac sine ordine prodeuntes,

potissimum

potissimum verò morbus virgineus febris alba à quibusdam vocatus, qui quidem virgineus morbus, sicuti fœminis ob rationem à principio adductam contingere quoq; solet ita & pro sui characterismo, ex Hippocrate in lib. de Morb. Virg. habet venarũ præcordiorum obstructionem cum sanguinis crassi affluxu & permansione, qui cùm transmissus ab hepate ad vterum non potuerit vel ob sui crassitudinẽ, vel quia incidit in venarum oscula propria sorte angusta expurgari, necessariò ad hepar, & præcordiorum venas recurrit, & regurgitat, obstructionem que parit, à qua varia incommoda, in nobili autem vestali quæ proposita sunt suboriri necesse est, & quoniam præter timorem, mestitiã, corporis segnitiem, & quamplura alia mala pulsus celer, ac frequens plus iusto, deficiente debitã ventilatione sub morbo virgineo euadit, hinc hic ipse à quibusdam febris nominatur, cum tamen sua natura sit frigidus, quoniam per ipsum calor ingenitus ex magnis obstructionibus strangulatur, & veluti suffocatur, proindeque corpus vniuersum ad intemperamentum frigidum perducitur, quia humores recrudescunt refrigerantur, crassescunt, & impactiores fiunt, quod in alijs obstructionibus minimè vsu venit, quia humores sub his ex prohibito transpiratu potius incalescunt, febris verò eadem, quæ miserrimas virgines apprehendit ex albo faciei, labiorumque colore alba dicitur, sub qua palpebræ ac crura prope malleolos sæpè etiam intumescunt, vt affectus virgineus icterus quidã albus existere videatur, nam quemadmodũ ex bilis effusione in cutim icterus flauus, ex effusione melancholiæ, icterus niger producitur, ita etiam & ex pituitæ effusione icterum album oriri nemo erit, qui neget.

Sed iam ad melancholiam nostram hypochondriacam redeuntes generationem, & modum generationis illius adducamus, quocirca si ad Galenum 3. loc. aff. 7. respiciamus, proculdubio affirmandum, in venis hypochondriorum ex obstructionibus ibidem factis flogosim quandam generari, merito cuius exhalatione atra, & terrea in cor effumante cor anxium reddi & spiritus animales obscurari, hincque timorem, & mæstitiam deriuari oportet, nec obstat quod Galenus eo loci ventriculum, & lienem, non autem vterum proponat, vt propterea sententia illius non videatur accommodari melancholiæ nostræ quæ ex vtero pendet quoniam responderi potest quod Galenus meminit earum partium tantum exemplificans, non autem ex proposito loquens, proinde Auicennas non tantũ vterum, sed etiam mesereum ac iecur ex proposito loquens proponit; quod si ad morbum virgineum animum conuertamus, qui est affectus frigidus, iam non à flogosi, & hypochondriorum æstu, sed eorum frigiditate hanc melancholiam oriri contra Galenum est statuendum.

Quare vt hæc lis dirimatur, dicendum, generationem, & modum generationis melanchoiliæ huiusce nostræ sic perquiri posse, quod nimirum illius principia generationis in agentis efficacciam, & passi habilitatem referantur, Agens efficax est exhalatio atra, & tetra cordi, & cerebro communicata eleuata à minera simili non legitima sed spuria, cuius mineræ causa generans tum effectrix tum materialis existit, effectrix est frigiditas, seu intemperamentum frigidum non modo vteri, sed etiam præcordiorum.

Verum cum ad præcordia ventriculus, mesereum, iecur, atque lien referatur, meritò dubitari potest an omnia hæc viscera, an verò aliqua malè habeant; De ventriculo igitur (vt res hæc decernatur) nulla est difficultas, quando inappetentia & languor illius apertè demonstrent, ipsum malè affici, sed & duricies in medio ventre mesereum ipsum laborare ostendit, solum igitur de liene, ac iecore est difficultas, quoniam tametsi sub morbo virgineo fœminæ colore albo sint refertæ, nihilominus iecore affecto cum colore illo flauities aliqua, sicuti liene laborante subnigredo coniungitur, quorum in litteris missis nulla pænitus fit mentio, vt propterea aut iecur, & lienem omninò intacta esse, aut saltem à statu naturæ vix recedere sit constituendum; Vtcumque autem sit, intemperamentum frigidum iam propositum ab caloris ingeniti ob magnas

E obstructiones in visceribus illis extinctione ortum ducit, ad has enim obstructiones semper affectum frigidum sequi scribitur ab Hippocrate & Gal 4. acut.

Quod vero minera melancholica spuria ex frigiditate, sicuti legitima ex calore nascatur Aetius & Auicenna, primum tamen Galenus 3. de Sympt. cau. 2. scribit, sanguis enim, dicit Galenus, nigrescit, & ob id melancholicus ex frigiditate euadit, nam ab hac, partibus sanguinis Diaphanis & luminosis expressis sanguis idem nigrescit. Et si quis objiceret quod Galenus 3. loc. aff. cit. de generatione melancholiæ hypochondriacæ loquens flogosim, & non frigiditatem proponat hic ipse sciat, Galenum id, quod vt plurimum accidit respexisse.

Causa verò materialis eiusdem mineræ melancholicæ spuriç est sanguis menstruus copiosus, ac crassus in vasis viscerum prædictorum præter naturam retentus non ob angustiam vasorum naturalem, quoniam molestiæ; quas nunc patitur ante biennium F incæperunt, quo circa menstruum retentum fuisse ob sanguinis crassitudinem ac viscidit atem vasa obstruentem à prauo victu; & alijs similibus occasionibus externis acquisitam putamus. Nec obstat quod menses aquosi prodeant, quia tenuior pars percolatur, & crassis retinetur, quæ in vasis conclusa à frigiditate viscerum nigrescit, & à calore aliquo prçter naturam in vasis prædictis concitato in cor, ac cerebrum effumat nec enim inconuenit in corpore quantumcunque etiam refrigerato calorem aliquem extraneum & vltra leges naturæ excitari qui & putredinem efficere, ac fumos eleuare possit, exemplo sunt corpora hydropicorum alioquin refrigerata, in quibus & putredines fieri, halitusque eleuari quotidiè videmus, & hæc de agentis afficacia.

Subsequitur modo habilitas passi perpendenda, ad quæ duo Hippocrates in libro de Morbis virginum totam earum melancholiæ constitutionem reduxit; retulit verò habilitatem corporis mulieris ad pusillanimitatem, & timiditatem, cum etenim fœ-G minæ frigidiores sint, propterea ex Aristotele, Auicenna, & alijs pigræ, ac segnes sunt proindeq; quauis causa, vel leui concitante, animo deijciuntur, animositas enim, vt in ore omnium positum est, à calore proficiscitur, quapropter si halitus ater spiritibus animalibus permisceatur, virgines, imò verò & omnes aliæ fœminæ ob innatam timiditatem affectui melancholico obnoxiæ fiunt, quod illustri & nobili vestali accidisse liquet.

Verumtamen quoniam affectus melãcholicus ob caloris ingeniti omnium operum vitæ opificis iacturam, quam illi infert, omnium malorum veluti seminarium existit, minimè alicui mirum videri debet, si tot incommoda nobilis hæc virgo sustineat, hæc enim veluti germina ac partus affectus iam propositi existunt, quandoquidem calore natiuo depauperato, ac lacessito succi crudi, & ex succis crudis, ac alimentis flatus quamplurimi gignuntur, qui ad diuersas partes distributi, ac relegati eas malè affi-H ciunt, & incomodant, cunctaq; mala, quæ in historijs describuntur, gigunt.

Quibus vt Medicus præsto sit, in id incumbere debet, vt caloris natiui iacturam submoueat, atque hunc ipsum tum toti; tum singulis eius partibus præcipuis reparet ea tamen ratione vt prius totum à colluuie excrementorum pituitosorum, & melancholicorum expietur, deinde obstructiones ac sanguinis menstrui vitia proprijs præsidijs attenuantibus detergentibus, ac impetum illi ad vterum perhibentibus emendet; tametsi prouincia Medico curanti valde ardua, ac difficilis offeratur, vt vix metam attingere posse putandum sit, affectus enim est vehemens, & vires totius corporis rectrices ferè superat, quod ex his facilè est intelligere, primum enim affectus de quo agitur secundum propriam essentiam est cum insigni lapsu à naturæ statu, Symptomata plura, & hæc ipsa magna adiunguntur, causç vehementer agunt, vt atrophiam ipsam minetur. Secundò viscera omnia naturalia, vitalia, ac animalia, immò verò, & totum ipsum corpus, vt de se liquet, labem ex frigiditate aliquam contraxerunt,

runt, postremò adeò difficulter, (vti pulsus languor, totius marcor & lassitudo ostendunt) vitium hoc à facultate regitiua toleratur, vt hæc ipsa quasi succumbere videatur, nihilominus Deo, Optimo Max. auxiliante spero ob patientis obsequentiam, prudentiam, ac florentem ætatem futurum, vti si affectus propositus, eiusque Symptomata non penitus cedant, saltem imminuantur, quod per materias medicas proponendas obtineri posse existimo. A

Et quantum ad chirurgicas spectat, hoc tempore cauteria femoribus secundum partem domesticam infixa laudamus, mox obstructionibus aliquo modo reseratis, ac sanguine per calefacientia, & concoquentia ad meliorem frugem deducto, scarificationes maleolorum, vel potius cucurbitulas scarificatas suris tibiarum hinc inde applicitas non improbamus, sicuti nec frictiones humidas nunc toti corpori, præhabita totius prouidentia, posthac partibus infernis ex aqua ardenti; vel elixire vitæ adhibitas vituperamus, imò verò & cucurbitulæ siccæ femoribus secundum partem domesticam citra scarificationem applicitæ, vbi vsus postulabit, videntur opportunæ. B

Pharmaca administranda euacuantia, & alterântia erunt, in serie priorum non tantum ea, quæ sensibiliter, sed etiam insensibiliter agunt arrident, quæ sensibiliter euacuant sunt lenientia purgantia & menses euocantia, lenientia quæ hic opportuna videntur, sunt vel syrupus de polypodio magistralis cum mel. ros. sol. vel hiera cum Diacatholicone, purgantia verò, quæ placidiora seligantur, & per interualla, ac vices vsurpentur, nam corpora magnis obstructionibus referta medicamentis vehementibus non sunt irritanda, & humores crassi, ac viscidi vnica vice non possunt concoqui, & euacuari, sed sensim concoquendi, sensimque euacuandi sunt, pilulæ igitur de tribus cum Rhabarbaro de hiera cum agarico, de agarico Mes. de Sagapeno Mes. probantur, quibus portio aliqua vel epithimi, vel hellebori nigri præparati est adijciẽda, huc quoq; referendũ infusum agarici trociscati & hellebori nigri pręparati cũ syrupo de polypodio magistrali, item & cydoniatum ex carne cydoniorum in vino decoctionis polypodij, & epithimi cum saccharo cocta, & puluere radicis mechiocani factum, postremò & vinum ex sena, & carthamo cum radicibus buglossi paratum, item & triphera de epithimo, necnon Diachartamum ex descriptione Nic. Florentini addito puluere senæ præparatæ compositum. C

Menses euocantia hæc placent, primum ex aqua pimpinellæ, & croco paratur, alterum est puluis radicis gentianæ ad drag. j. ex iure cicerum rubeorum quotidie datus. Tertium est sal Sabinæ chimicum ad scrop. j. ex decocto pulegij exhibitum, Quartò Castoreum deuoratum ad idem conducit, sicuti & medicamentum, quod fit ex æquis portionibus boracis mineralis, & cassiæ ligneæ in formam potus cum aqua adanti exceptis. Quintò antidotus hæmagoga. Sextò oleum vitrioli Romani scrop. ß. in vino decoctionis betonicæ & matricariæ exhibitum. Postremò est vinum chalybeatum, quod componitur sic. D

℞. *Vini albi generosi lib. xij.*
Aquæ stillatitiæ matricariæ lib. iij.
Foliorum Diptami Cretici
pulegij
Calamintæ
Origani Orientalis
Sabinę } *an. pug. j.*

radicis

E *radicis eritroidis* / *ciperi* } *an. vnc. j.*

Cinnamomi / *macis* / *sem. dauci* } *an. drag. ij.*

M. & bulliant in duplici vase ad consumptionem quintæ partis, deinde additur lib. j. limaturæ chalybis præpar. & omnia reponantur in vase vitreo bene obturato, vasque in stuffa furnaria per decem dies continuos detineatur, & quotidie vas agitetur. Dosis est ab vnc. iij. ab lib. ſ.

F

Chalybs quoq; fusus Magni Ducis Hetruriæ ad drag. ij. in decocto nepitę ad plures dies bibitus huc est referendus.

Pharmaca insensibiliter euacuantia, quæ post totius prospectum ad pituitæ dissipationem conueniunt, tametsi plura sint, duo potissimum possunt illustri, & Reuerendæ Vestali vsui esse, Primum est antidotus magna mediæ ætatis interuallis quibusdam deuorata; alterum est ius colombi turriti, vel (quod magis probatur) galli antiqui, in quorum ventre lignum Indicum sassafras, radix cinæ, lignum visci quercini, betonica, melissa, capillus ven. Citrac, cuscuta, artemisia, menta, passulæ, & tartar vini albi sint incocta; exterius quoque abdomini spongiæ madefactæ in decocto eorundem simplicium facto in aqua, & vino odorato, ad hiberi poterunt.

G

Occurrunt tandem medicamenta alterantia, quæ vel ad materiam crudam, vel ad obstructiones, vel ad viscerum intemperamenta diriguntur, si ad cruditatem materię primum syrupi de betonica, acetosus de radicibus, & de artemisia diluti cum iure columbino decoctionis betonicæ, pulegij, boraginis, melissæ & artemisiæ, deinde syrupus de calamento, vel oxymel scyllinum cum decocto matricariæ, vel Diaclamentum, vel Diatrium pipereum probantur.

Si ad obstructiones præter alia ius colombi, & galli superius propositum, adiectis radicibus aperientibus maximè laudatur, quod magis proderit, si ante syrupum matutinum bolus ex gummi ammoniaco, & sale absynthij detur, quò pertinet infusum radicis scorchioneræ in vino odorato, adiecto puluere rapicis Bezoar, & vinum quod ex infusione chalybis supra propositum.

H

Postremò si alterantia ad intemperamenta viscerum pertineant, pro ventriculo præter nucem muscatam conditam, ac radicem gingiberis, & puluerem Angelicæ odoratæ, maximè extollitur, stillicidium admotum ex oleo amygdalarum dulcium, & vino Cretico cum polio montano, absynthio, menta, nuce myrrhistica, cinnamomo, ligno sassafras, myrrha, Bezoino, & mastiche in duplici vase ebullitis factum, à quo ceratum ex mastiche, puluere Angelicæ aromatizatum appositum iuuabit, sicuti & lana, illotas infectorio coccio infecta iugiter gestata. Pro mescenterio in medio abdominis indurato stillicidium pariter ex oleis amygdalarum dulcium, & semine lini, in quibus in progressu radix peucedani & cucumeris agrestis sit incocta maximè iuuabit, à quo pariter superdandum ceratum ex oleo seminum lini ad spissitudinem cocto pariter in pregressu addita portione cerati sacri. Ex quibus apparet, nec lac, nec balneum aquæ dulcis hoc tempore ob caloris natiui indigentiam, ac labem ex frigore contractam conuenire.

De

De victus ratione statuendum moderatè attenuantem conuenire, quem nobis A Galenus in proprio tractatu reliquit, solum igitur notamus primum puluerem co-ctilem ex pane biscocto, agalloco cariophylis, croco, & coriandris cum saccaro cibarijs esse inspergendum præterea, vinum fuluum auratum, vel calybeatum in cœna, & prandio continuo potandum esse, immo verò vinum in quo chalybs præparatus cum puluere coriandrotum per sacculum maceratus continuò detineatur maximè probatur, sicuti & quod tempore hoc vindemiarum instante cum rore marino, radice buglossi, china, & ligno sassafras pro tota hyeme conficitur; Postremò pro aluo irritanda præter clysteres emollientes, laudantur hæc: primum sal tartari albi, vel Mercurialis chymicum ex ouo sorbili assumptum. Secundò caricæ pingues in quarum medio granum salis positum sit in prima mensa commansæ. Tertiò pruna dulcia primum in manna dissoluta, ex infuso senæ infusa, deinde manna simplici antequam ex toto siccentur obtecta; Postremò aloes succotrina in succo Sabinæ nutrita. Atque B vt hæc in salutem huius dignissimæ Virginis cedant D.O.M. precamur.

PRO ILLVSTRI D. NICOLAO MASCARDO Sarzanensi difficultate sperandi, & cordis palpitatione correpto.

CONSVLTATIO CXXIX.

INTER alias calamitates, quæ corpori humano contingunt, nulla maior, & C formidabilior existit, quam cum principium vitæ hominis, & quicquid vitæ necessariò coniungitur morbo laboret, & vitietur, vt propitiata Medicus in propulsanda, ac submouenda hac miseria, maxima quoque diligentia, ac dexteritate vti debeat, quod mihi interim ipse proposui, cum de cordis palpitatione, affectu cordis, fontis, atque originis vitæ, & difficili spiratione, sine cuius integritate, aut non viuimus, aut incommodè viuimus, pro salute illustris adolescentuli mihi sit agendum.

Exorsus igitur à palpitatione, statuo eam cognitam esse Excellentissimo Medico, qui curæ illius præest, non tantum ex ægri relatu, qui motum hunc cordis illi proposuit, sed etiam quia manu pectori & carpo admota, motum palpitaneum statim dignouit; Verum ad huius vitij ideam spectat nouisse an motus hic fiat ad modum vtris vel follis, nam cum palpitatio sit motus ex eleuatione, & depressione, vehementi D tamen, violenta & inordinata compositus, & eleuatio fiat, quia cordis cauitates replentur depressio quia eædē cauitates inaniuntur, vtresque, & folles dum implentur dilatentur, & dum inaniuntur, constringantur, iure palpitatio fit ad motum vel vtris vel follis; Cœterum, quoniam in historia descripta refertur, nobilem patientem ex vna parte flatibus scatere & pluries sputo sanguinis tētatum fuisse, merito cuius necessariū fuit medicamenta adstringentia, & ob id refrigerantia administrare, quæ calori natiuo aduersaria eius robur dissoluunt ac ipsum generationi flatuum maximè aptum reddunt, ipsum que non parum vtilitatis ex vsu medicamentorum calefacientium sibi comparasse ex altera parte habere ventriculum à natura frigidum, & exinde flatuū feracem, facilè ad credendum adducor, vt ad modum vtris fiat hæc passio, & sit illa, quæ orta ex flatibus communiter legitima nuncupatur.

Quoad difficilem spirationem attinet, quia est immunis (vt ex litteris mihi datis obser-

E obseruare licet) à sonitu asperse arteriæ, & à respiratione per rectam ceruicem, nec Asthma, nec orthopnea, sed Dispnea, difficilis respiratio leuior omnibus alijs difficultatibus spirandi dici poterit, quando in hoc minus crebra ac densa sit respiratio quàm in alijs.

Cognita idea, superest de principijs generationis agam, palpitatio igitur cum sit motus deprauatus necessario in vitium facultatis motricis cordis, tanquam in suam causam est referenda, ergo facultas pulsifica, seu attractrix & expultrix cordis, frustrata tamen, erit causa huius mali: nam necessariò fit vt cor eleuetur, ac deprimatur præter naturam, si facultas pulsifica frustretur, quod accidit necessariò in casu nostro, cum enim palpitatio hæc fiat ad modum atris, qui repletur sine attractione ergo pulsifica frustratur, quoniam attractrix non operatur, immo & expultrix frustratur, quia tametsi expellat quod nocet (alijs nobilis patiens non viueret) nihilominus F quoniam semper illi noua ad expellendum materia suggeritur, non assequitur finem.

Vtcumque tamen facultates hæc ob errorem externum, minimè autem ob morbum frustrantur, error autem exter nus est flatus frigidus, crassus, & copiosus, qui non tantum in ventriculo à natura frigidum in illustri adolenscentulo, sed etiam in corde, quoniam affectus hic est veluti illi connaturalis à debili calore agente in materiam crudam, & flatulentam generatur.

Nec inconuenit quod cor ob intemperiem aliquam frigidam sibi calorem natiuũ languidum nanciscatur, & flatus gignat, quando ego in cadaueribus eorum, qui hoc morbo diu vexati perierunt dissectis obseruauerim cauitates cordis totas succo pituitoso, crasso, ac lento refertas, quem a multis annis ibi collectum esse par fuit, quoniam etiam longo tempore vitio hoc fuerunt conflictati, vt propterea necessarium etiam fuerit, succum illum in corde intemperiem cognatam peperisse, quare cum in G nostro nobili patiente cor à primo semine imbecille, & calore insito satis imminuto ob longam patiendi consuetudinem nouerim, & succum pituitosum continuò à capite destillationum maximo genitori, & ventriculo frigidiori suppeditari animaduerterim, flatum illum non tantum in ventriculo, sed etiam in corde generari arbitratus fui, & ad hanc palpitationem respiciens Gal. eam affectum, & sobolem frigiditatis vocauit, quibus omnibus tamquam coadiuuantem causam addo curationem emptoricę passionis sæpius per refrigerantia adhibitam.

Tandem difficilis spiratio & ipsa sua habet principia, quæ tamen nec in auctum vsum, vt in currentib. nec in facultatis imbecillitatem, vt in proximè morituris, sed in viarum spiritus angustiam referre oportet, eam tamen ratione, qua luctam quandam inter spiritum egredientem, & aerem ingredientem repræsentat, & efficit, nam vbi egressus ille, & ingressus non liberè, & expeditè fiunt, calor insignis in corde excitatur H vsusq; augetur, vt thorax cogatur pulmones crebrius quam decet mouere exindeq; & respiratio crebrior solito euadat oportet verum tametsi angustiam bronchiorum pulmonum multis modis fiat, hic alteram harum nempe obstructionem, vel coalescentiam, aut vtranq; habere locum existimo, obstructionem quidem ex materia crassa, & lenta quam à capite defluere refertur. ab hinc enim tres annos audio destillationem ad pectus nobilem hunc adolescentulum immaniter tractasse, quamquam à primo semine illi obnoxium factum fuisse putem; Cęterum cum catarrhus sit excrementum crassum in coctione cerebri genitum limites naturæ secundum substantiam quantitatem, & qualitatem egressum ob intemperiem, ac errorem aliquem externum, hic iuxta quam causam excesserit videre oportet, ex vna parte si salsedinem, ac dulcedinem, quam in sputis degustat patiens obseruo, certè destillationem hanc partum intemperiei cerebri calidę, ac erroris externi, nimirum vaporis feruidioris ab hepate ęstuante transmissi esse cogor affirmare; ex altera autem parte si crassitiem; ac lentitiem

sputo-

sputorum, soboles, ac germina causæ frigidæ, velim nolim à causa refrigerante prodire destillationem ad affirmandum impellor; quocirca in hac contrarietate ita sentio, vt catarrhus sit affectus causæ calidioris, nempè & capitis super æstuantis, & iecoris iugiter feruescentis, ab hocque duplici feruore, tanquam à causa insignis actiuitatis materiam destillationis per partium tenuiorum dessipationem incrassari, sed & coalescentiam ea ratione concurrere suspicor; In copiosis & diuturnis destillationibus ad pectus vix fieri potest quin pulmones nimis madidi, & humecti ex destillatione, laxi, & rari ex natura pleuræ, ac costis hæreant, vt sæpius in cadaueribus dissectis obseruatum fuit, in quibus expiratio molestior, & difficilior est inspiratione, etsi non referretur sanguinem per sputum excretum à capite prodijsse, quod ex Syptomatibus ad caput attinentibus, ex spuma in sanguine ob descensum excitata est ei immixta, & alijs similibus colligitur, audacter asseuerarem, hanc coalescentiam subesse quando sputum sanguinis ex vitio thoracis ad vlcus perducat, sub quo eadem coalescentia facilè excitari potest.

Iam nil remanet nunc, nisi vt de præsidijs cogitemus, necessarium igitur est Medico curationem vitiorum propositorum aggressuro, vt intemperies viscerum per sua contraria amoueantur, & proinde caput ac iecur refrigerentur, caput verò seorsim siccetur, cor, & ventriculus calefiant roburque hisce addatur, prius tamen, quicquid præter naturam in hisce visceribus, ac toto continetur est detrahendum; Continentur autem pituita, ac flatus, ideo ad hæc duo opus medicum est conuertendum.

Quæ an possint ad fœlicem exitum perduci antequam materias præsidiorum adducamus considerare oportet, decet enim Medicum instrumenta propria minimè despectui habere, quoad palpitationem, ab ea maximum impendet periculum, vt non semper Medicus assequatur finem, quod potissimum ob loci affecti dignitatem accidit & periculum augetur vbi à causa insigni, ac vehementi fit, vt est quæ hic proponitur, nempe flatus frigidus, crassus, & copiosus, qui etiamsi aliquando materijs præsidiorũ cedat, ex toto non amouetur. Amplius cor afficitur secundum cauitates, & aliquando citra tolerantiam, cum animi deliquium aliquando adiunctum fuerit, vnde de his affirmat Galenus quod perdantur, antequam senescant, & quod maiorem incutit metum, est, quod vitium veluti connaturale existit, & iunctum est difficili spirationi, quæ cum immediatè vitam respiciat, periculum auget, & eo magis quoniam fit à causa pariter veluti connaturali, & confirmata, nempe à destillatione ingi, à capite, præterea si subsit coalescentia, est vitium inemendabile, verum D. O. M. auxilio primum de inde prudentia, obsequentia, ætateq; florenti patientis fretus futurum spero fore vt præsentia mala saltem imminuantur, ac imminentia præcaueantur.

Huic igitur spei inhærens, de materijs præsidiorum sic decerno, vt curatio à sectione basilicæ sinistræ exordium sumat, deinde verò in progressu hyrudines venis ani ea diligentia adhibeantur, vt crassior sanguis exeat, post quæ setaceum in ceruice de more excitetur, quod per annum circiter gestatum claudi poterit, prius tamen fonticulum in brachium dextrum infigerem, & cum qui in sinistro existit, sanarem, moxque alium in femore sinistro secundum partem domesticam pararem, memini etiam me aliquando cum fructu in palpitante vehementer corde fyciam magnam cum multa flamma è regione ipsimet cordi ante, ac retro vsurpasse, quæ tamen requirit, vt quæ necessaria sint peracta. Laudo etiam vt caput fricetur in partem posticam pectine ex ligno sandalorum alborum parato, sicuti & frictiones, deligationes, lotiones, ventosationesque extremorum non improbo.

Pharmaca vniuarsalia præmittantur, ideo aluus leniatur melle rosato aut violato soluente, vel casia, & electuario de sebesten lenitiuo, præparentur humores iure pulli medicato cum betonica, farfara, pulmonaria, scabiosa, melissa, seminibus citri, &

cicorea-

E cicoreaceis, adiectisq; syrupis proprijs, mox purgentur infuso agarici trociscati, & modici Rhabarbari, ac senæ, adiectis melle ros. sol. & manna, dilutisque omnibus cum decoctione cordiali, à Rhabarbaro autẽ & myrobolanis in substãtia (vt dicunt) datis, à medicamentisqu e illis refertis ob anhelitum difficilem abstinerem, & vt aliquod purgatorum quo sæpius vteretur, sibi familiare haberet summoperè operarem, in cuius delectu à Catapotijs vulgaribus ob aloem quæ ora venarum aperit abstinerem & idcirco infusum agarici prædicti cum tautillo Epythimi ex aqua betonicæ, farfaræ, & melissæ, vel puluerem radicis mechiocani optimi ex aqua florum citri, & scabiosæ, vel tandem extractum chymicum ipsius agarici ex vino subdulci potum, aut cum saccharo ex aquis prædictis decoctionis cartami, & epythimi liquato in tabulas efformatum, ac deuoratum substituerem, ea tamen ratione, vt ante nonnihil oxymellis per tres dies ante prandium assumeret.

F Peracta autem superius dicta totius medicatione ad insensibiliter euacuantia totũ pariter est deueniendum, ideo ius pulli iunioris, vel columbi turriti, in cuius ventre radix pentaphili, & chinæ electæ, lignum Indicum sassafras, sandali albi, semina coriandrorum pręparata, tartar album, passulæ, scabiosa, pulmonaria, hysopus, betonica, & melissa coquantur, mihi summoperè probatur, in cuius vsu vt per quadraginta & plures etiam dies progrederetur optarem.

Demum ad priuata medicamenta descendendum, pro capite igitur ad euacuationem errhina, & masticatoria probarem, nisi vsu illorum ora venarum capitis facilè reserari & vsu horum calorem capitis adaugeri posse suspicarer, quæ tamen mitiora, mihi non improbantur, pro errhino igitur sufficiat decoctum hordei, maluarum, & corticum arantiorum cum melle ros. simplici, pro masticatorio, vel papyrum, vel mastiche simplex vel radix maluæ in vmbra siccata; Ad sistendam verò destillationem G tum theriaca recens hora somni deuorata, tum puluis ex cocleis cum testa siccatis, tusisque, thure, & sandaraca Arabum syncipiti prius syrupo de rosis siccis illito inspersus mihi arrident; sed ad tollendam generationi destillationis occasionem omnem, nil præstantius embroca in actiuis temperata, naturali tamen, vt quæ Corsenæ apud Lucam habetur suo tempore ad Suturam coronalem vsurpata.

Ad materiam in bronchijs pulmonum tum bolus ex ammoniaco, ac floribus sulphuris cum lachryma therebinti exceptis ante ius superius propositum deuoratus, tum diacreos mihi placent, immo ad lambendum oleum pinearum recens dilutum cum decocto agarici trociscati & liquiritiæ in aqua farfaræ atq; hysopi parato, item & crocus ex melle Hispano, coagulumque hoedi cum oxymelle simp. & aqua limaciarum, in qua botris fuit macerata, sunt miri vsus; pectori quoque superponantur petiæ lineæ, primum oleo amyg. dulci & amar. imbutę deinde puluere radicis ireos H aspersæ.

Pro corde confectionem alchermes, vel de hyacinto, vel antidotum magnam cum conserua boraginis aliquoties deuoratam omnibus præfero, nec extractum ex croco in aqua florum arantiorum datum, vel aquam stillatitiam ex croco macerato in succo melissæ, vel citri damno; Cœterum, & aqua, quæ paratur hunc in modum mihi maximè placet, Accipiuntur poma citria & in vno loco perforantur, excauanturq; deinde cauitas speciebus electuarij de gemmis, & puluere cordis lupi siccati cum succo melissæ exceptis repletur post foramen suo operculo occluditur, deinde poma pasta obducuntur, in clybanoq; tamdiu detinentur, vt pasta sit cocta, tandem in loco humido per diem naturalem prius asseruata & à pasta illa expurgata in balneo mariæ destillantur, & huius aquæ vnc. s. singula vice datur; exterius cordi theriaca cum puluere crocci in succo limonis liquata, oleum croci; & florum citri adhibeatur.

Ad ventriculum præter ea quæ pro corde sunt dicta, ceraum ex mastiche, & gummi

mi Tacamacha cum speciebus Diambræ efformatum, ac super corium ventriculo appositum, immo verò & stillicidium ex oleis stommaticis adhibitum mihi videntur ex vsu, si prius tamen ventriculus fuerit diligenter expurgatus: flatus verò, si aliquando occurrerint oleo ex seminibus odoratis chymico, vel aqna stillatitia Angelicę odoratæ, vel cinnamomi datis dissipentur. A

Iecur autem suo tempore succo cicoreaceorum tum ex sero caprino depurato exhibito, tum cum aceto, ac puluere sandalorum hypochondriaco dextro perfuso attemperetur, sed vt serum per aluum, vel vrinas reddatur curare oportet, alias flatulentis, ex Gal. non est concedendum.

Verum, vt hæc omnia efficacius agant, victus ratio opportuna est instituenda, ideo aer temperatus in actiuis, siccus verò vehementer, ac minimè subtilis eligatur, vt propterea nauigationes, ad loca mari circumsita, vel habitatio in eisdem locis maximè conuenire videatur, cibus sit euchimus, mediocris secundum quantitatem, aliquantisper extenuans, moderatus inter humidum ac siccum, fugiatur verò crassus, viscidus, salsus, & acris, olera cardiaca, fructus subdulces, hordeum, & huiusmodi concedantur & post omnem cibum semina cohriandrorum cum modico sacchari condita deuorentur, potus verò sit vini albi tenuis, subdulcis, oligophori, medicati cum radicibus pentaphilli, buglossi, & Chinæ, ligno sassafras, & melissa, sed vinum præ cæteris hænulatum, & ex Croco alteratum mihi probatur, dormiat capite eleuato, ac cruribus retractis primum in dextrum, deinde in sinistrum latus, corpus ieiuno ventriculo per ambulationes & gestationes exerceat, Aluum sibi fluuidam seruet cum pane ex tota farina, sale, anisis, & passulis medicato in prima mensa commanso; omnia animi accidentia molesta aufugiat. Atque diuinum auxilium omnia proposita secundet, ac fœlicitet. B

C

PRO NOBILI QVODAM ADOLESCNETE Lucensi Epyleptico.

CONSVLTATIO CXXX.

NVLLVS alius profectò est morbus, à quo illustris, & nobilis adolescens vexatur, nisi qui eò quod animam aliquo modo & illius domicilium res penè diuinitatem referentes contaminat, sacer dicitur, propterea inter alios maximum Medici studium, ac prudentiam exigit, quorum vtrumque, quãtum fieri potest ipse quoque polliceor, dum naturam, constitutionem, ac rationem illum curandi proponam; Cæterum igitur est, quia patiens motum voluntarium, sensum, ac actiones principes aliquoties perdit, etiamsi non spumet ad os, non conuellatur secundum totum, sed secundum dextras, præcipuè verò secundum brachium, non cadat in terram, quod aut morbo sacro, aut affectu illi valdè finitimo corripitur, cum morbus ille nil aliud sit quam resolutio totius facultatis animalis cum totius corporis conuulsione, arbitrorque affectum hunc per Sympathiam affligere, quando nulla de capite sit quærela, & quotquot Symptomata vltra iam proposita in eo obseruantur, sint noxe tum ventris inferioris, vti fames insolita ante morbi aduentum, vomitus, ac Dysenteria, tum crurum, sicuti vlcera ibi spontè nata, immo verò suppresso vomitu illo, sanatisque eisdem vlceribus malum ferocius inualuit, ac remedia capiti adhibita vti Ducia, nil contulerunt, est igitur per Sympathiam, ac non merito tantum D

totius

E totius morbi, sed etiam gratia accessionum quæ breues sunt, nec valde intensæ, à serie morborum acutorum abest, & eius constitutio vapore continetur, nam hic citò fit, citò etiam dissipatur, proinde est causa generans morbum sacrum, qui pariter subito nascitur, subito delitescit, qui quidem vapor, vt molestus cerebro, præcipuè secundum dexteras conuulsionem brachij dextri efficit, nam cerebrum, vt molestum quod nocet expellat contrahitur, contractum verò neruosa ad se, & proinde musculos trahit, hinc motus conuulsoriuus qui non à morbo, vti vera conuulsio, sed à natura expellente pendet, At idem vapor qua angustiam quandam in ventribus, & poris cerebri parit, virtutis animalis influxum à cerebro cohibet, & proinde motum voluntarium, sensum, atque actionem principem aufert, molestius autem redditur per adhęsum parietibus ventrium cerebri, & quia impactus est, hinc vapore à parietibus ad cauitatem ventrium transposito, illico motus ille conuulsorius cessat, & æger veluti F immotus iacet; facit & angustiam vapor in subiecto patiente, non quidem per obstructionem, quoniam hæc insignem vaporis copiam supponit, quæ tamen hic abest, sicuti accessionum breuitas, casus in terram absentia, ac aliqua Syptomatum comitantium remissio docent, non enim in epilepsijs per consensum semper est necessaria obstructio, ac vaporis copia, sed sufficit vt vapor adhæsu, ac qualitate lędat, erit igitur angustiæ illius causa vapor qua ob huius læsionem cerebrum contrahitur, & eo contracto, ventriculi eiusdem conniuent, ac subsident porique coarctantur.

Cœterum remanet, vt species vaporis, ac illius generatio perpendatur, quoad primum arbitror vaporem partim calidum, partim frigidum esse, calidum quidem quoniam nobilis adolescens succis calidis scatet, vt Dysenteria, ac vlcera in cruribus spōte orta prægressa succorum calidorum, acriumque soboles demonstrant, accedit & in huius confirmationem temperies totius calida ex viscerum principalium calore per G proprias notas vnicuique manifesto acquisita, tandemque ortus ex parentibus præcipuè verò matre febribus ardentibus alias obnoxia, esse verò frigidum eundem vaporem puto, quoniam ventriculus plus iusto frigidus magis, quam deceat appetit aliquoties, hinc innumeras coaceruat cruditates, quę in vaporem frigidum facilè abeunt; Quantum verò ad eiusdem vaporis generationem sine dubio in visceribus hypochōdrium generatur vapor hic, calidus quidem in iecore à calore intenso agitante fundente humores & ex humoribus calidis vaporem eleuante, frigidus verò in ventriculo à calore debili in materiam crudam agente, ac eam in flatulentum vaporem transmutante; hic igitur vapor duplex sic genitus, simulque mixtus caput conscendit, ac idoneum, efficaxque epilepsiæ nostræ agens ob rationes adductas euadit, caputq; potius, adit, ac ferit, quia imbecillitatem quandam natiuam nactum est, quæ potius ad constitutionem, quam ad proportionem cerebri est referenda quoniam parentes mi- H nimè huic mali obnoxij proponuntur, igitur imbecillitas hæc est ex parte constitutionis, nam caput paruum plus quam deceat in hoc adolescentulo obseruatur, quod semper vitiosum esse à Galeno scribitur.

Ratio verò curandi ac sanatio in eo posita est quod dum patiens ab accessione permititur facultas veluti obdormiens euigiletur, membra deorsum trahantur, & quod sursum effertur, aliò retrahatur, cum verò ab accessione fuerit leuatus; mineræ vaporis per euacuantia agenti verò per ventriculum calefacientia, & iecur refrigerantia, tandemq; proportioni, atq; calido insito per conseruantia similia erit incumbendum.

Verum Medico curanti an liceat optatum finem obtinere valdè hæreo ob multas rationes, potissimum verò ob eam quod morbus sit veluti connaturalis, à primisq; annis eum inuaserit, & quod maiorem timorem incutit est, quod etiam si natura sæpius à colluuie malorum humorum, & per variolas copiosas, & per vomitum, alui fluxum,

fluxum, vlceraque in cruribus suborta expiauerit, nihilominus morbus cum maiori seuitie redijt, & pro sui curatione indicationes contrarias, habet, vt propterea si exitium non immineat; saltem spes subsit dubia, vtinam autem mutatio ætatis aliquid proficiat vt pollicetur Hippoc. nam illustris patiens ætatis suæ annuum decimum octauum nactus est, cuius mutatio vsque ad vigesimum quintũ multum opitulari solet quod spero euenturum, si victus, ac loci mutatio quoque adiungatur.

Quocirca huic spei inhærens curationem propono, quæ si chirurgia, atque in accessione sit perficienda, oportet membra ex Paulo dirigere, ac vehementer pannis asperis, vel manibus oleo camomelino, vel anethino, vel liliacio inunctis fricare, imò verò ante deligare, atque pedis magni digitum, ex Aetio pungere scarificareque, & quod plurimum conducit est scroti arcta deligatio quod si accessio produceretur, ac malum ratione accessionis in acutum morbum degeneraret, tum primum vesicantia cruribus, & femoribus affixa, deinde syncipitis vstio maximè laudantur, & eo magis, si ante accessionem corpus erit euacuatum, aut saltem (si licebit) in ipsamet accessione prius clysmis, vel glandibus acribus euacuabitur.

Finita accessione studendum ne redeat eisdem materijs chirurgicis, probo igitur, vt singulo Verno tempore à basilica dextra ex Celso, ea die, qua accessio imminet, si fieri poterit, Autumnali verò tempore ex podice per hyrudines sanguis mittatur, mox verò in vtroque femore, vel crure cauterium aptè excitetur, & diu conseruetur.

Quod si curationem pharmacis in accessione moliri studeat Medicus, primum, (si liceat) aluus irritanda glandibus, & clysteribus acribus, immo verò vrgente necessitate pilulis cochijs & aureis modico aquæ peoniæ dilutis, ac vi ore aperto exhibitis, quo tempore illitius palati ac narium internarum ex Mithridatica confectione vel Diasynapi Mesues, vel Castoreo cum oxymell. scyllino excepto maximè conuenit, sicuti & odoramentum cum spongiā in aceto acerrimo decoctionis thimi, origani, pulegij, sem. rutæ syluestris & Castorij madefacta, sed quod mirificè conducit est in os vel aquam cerasorum dulcium stillatitiam, vel oleum cranei humani chymicum cum aqua pœoniç, vel coagulum leporinum ex aqua rutæ caprariæ dilutum instillare, quò pertinet & medicamentum quod

℞. Vnguis Alcis drag. j ſ.
seminum peoniæ, lingni visci quercin. } *an. drag. ij.*
betonicæ drag. iij.
cranei humani, Castorei } *an. drag. j. ſ.*

Cum oxymell. scyllino f. pasta, & huius drag. j. ex aqua hisopi in os infundatur, vel palato affricetur.

Atqui accessione abscedente, pharmaca primum vniuersalia, deinde particularia vsurpanda, ideo vniuersalium habita ratione, primum aluus melle, ac syrupo rosato solutiuis, vel hiera simplici & Diapruno lenitiuo est leniẽda, deinde humores decocto cicoraceorum betonicæ, saluiæ, & boraginis cum oxymelle simplici sunt concoquendi, tandem verò humores cocti infuso agarici trocischati, & Rhab. cum manna vel pilulis de tribus cum Rhabarbaro deturbandi, quam medicationem singulis annis non semel tantum sed bis etiam instituere magnoperè expediet.

E Deinde vt ad euacuans aliquod insensibiliter medicamentum deueniret etiam atque etiam optarem, ideo ius pulli iunioris, vel columbi turriti, in cuius ventre china lignum visci quercini, tantillũ sassafras, ac santali sint incocta summoperè laudo ac eo magis si ante syrupum matutinum trocisci viperini vel sal theriacale cum sacharo rosato dentur, in quorum medicamentorum insensibiliter euacuantium vsu diu est immorandum, ac per interualla quædam, illis neglectis, corpus syrupo de polypodio est purgandum.

Ad euacuationem quoque insensibilem tum decoctum hysopi, cui guttæ aliquot aceti scyllini cum syrupo de pomis destillati sint mixtæ ad plures dies assumptum, tum oxyrhodinum secundum Rhasem, vertici capitis de tonso dum accessio instat applicitum refertur, sit autem oxyrhodinum vulgare, cui puluis cranij humani, vel asinini cremati sit immixtus.

F Deinde ad particularia, & alterantia est deueniendum, quæ si manifestè agant, diriguntur ad iecur, & ventriculum, gratia igitur iecoris succum cicoraceorum per se, vel cum sero caprino, & thermas Lucenses suo tempore haustas probo, nec ab vsu thermarum me abducit Galeni sententia, qui existimauit thermas capiti esse infensas quoniam Galenus de thermis calidis, vti maximè euaporabilibus, non autem frigidis est loquutus, probo etiam vt hypochondrium dextrum confectione ex tribus sandalis in aceto liquata illiniatur, præmissa tamen perfusione ex succo, & thermis prædictis cum aceto, & speciebus prædictæ etiam confectionis.

Meritò verò ventriculi laudo cydoniatum cum pipere albo ruditer contuso paratum, item & aquam stillatitiam ex cinnamomo ac pane biscoto pulueratis, pomo citri integro contrito ac in magdaleonem cum myua cydoniorum simplici exceptis, tandem in clybano semicoctis, laudo & postremò tum extractum roris marini tum sal

G absynthij ex dicta myua cydoniorum data; Exterius verò præter illitus ex oleis odoratis, ceratum ex gummi Tachamaca, puluere Angelicæ, & mastiche, nedum stillicidia ex oleo amygdalino dulci cum simplicibus stomaticis medicato mihi placent.

Quòd si alteranita occultè agant, capitis proportionem conseruant, ac malum hoc à proprietate insita profligãt, quæ meo iudicio ferè omnibus alijs medicamentis sunt immmiscenda, aut saltem tempore vsus illorum sunt quoque danda, præter igitur ea, quæ presente accessione danda esse superius dixi, hæc mihi, (si ad plures dies dentur) placent, nimirum antidoti magnæ cum conserua rosarum, vel confectione ex tribus sandalis castigatæ, secundo conseruæ florum rutæ caprariæ, betonicæ, stechadis, & rosarum cum oleo ex stercore canis destillato, tertio puluis ex cranio humano, & asinino cremato, radice peoniæ maris, seminibus nigræ peoniæ, seminibus rutæ siluestris, polio montano, stercore canino, & cornu ceruino vsto ex aqua peoniæ datus, quarto

H capitis lotio cum lixiuio ex cinere ligni visci quercini decoctionis stechadis, polij montani, rosarum, ac foliorum oliuæ, neglecto sapone, ac substituto vitello oui assi, ac tandem smaragdus, corallusque collo gestatus.

A quibus remedijs adhibitis, si sit absoluta curatio, quod cognoscitur, si patiens bitumine suffitus epylepsia non corripiatur, nil aliud Medico est agendum, sin minus in remedijs pergendum quia per plures annos subest spes aliqua vt dictum fuit, idcirco aliquot interuallis per duos, vel tres dies assumet onc. j. ß. oxymel litis simplicis facti cum aqua peoniæ & cicorij, deinde vel cidoniatum cum puluere turbith optimi, & diagridij, vel pilulas de tribus cum ℞ gabarbaro, vel puluerem radicis mechiocani ex infuso myrobolanorum citrinorum & chebulorum, vel tandem confectionem diacarthamum tabulatum vocatam assumet, mox ad vnum, vel alterum mensem dandum aliquod ex medicamentis ad capitis proportionem seruandam propositis, & vsu postulante suis temporibus repetenda quæ viscera in contrariam qualitatem mutant.

[illegible]ctus ratio prædictis consentiat, & quantum ad aerem spectat, quia diuinus Hippocrates loci mutationem magni faciat, atque patiens hanc cum multo fructu est expertus, & ipse hortor eum vt loca aliqua in actiuis temperata, ad siccum verò in passiuis inclinantia adeat, dummodo tamen ventis non sint obnoxia sed tamen perflata, caueat autem à radijs solaribus, & omni subita aeris alteratione. Quoad alimenta sint aliqua ex parte extenuantia, ac cibus sit facilis coctionis, boni succi, & nullius ferè excrementi, ergo carnes animalium exercitatorum, pisciumque saxatilium assæ potissimum (seclusis carnibus perdicum, ac coturnicum, quæ hoc malo corripiuntur) huc referendæ, sed & oua non sunt deneganda aspersa puluere seminum peoniæ, coriandrorum & sacchari, imo verò carnes saluia & rore marino alterari poterunt, ptysana quoque non est spernenda, precipuè si syrupus acetosus, vel oxymel simplex illi immisceatur. Mihi quoque non displicet vt non expectetur hora prandij ac cœnæ, sed citius ob famem illam cibus porrigatur, qui in cœna sit parcior, potus erit vini (nam malum est per consensum) vini verò albi, vel subrubri, & subadstringentis, ne caput petat. Quod magis proderit si guaiaco, ligno visci quercini, sandalis albis, radice cicorij, & buglossi alteretur, de inanitione statuo vt quotidie excrementa alui deponantur, vel pane ex tota farina cum anisis, & sale parato, in primaque mensa commanso, vel aloe succotrina in succo rosarum lota & ante cœnam deuorata, laudo vt excrementa tertiæ concoctionis per balneum aquæ dulcis excernantur, sed ex Auicenna non diu in balneo morari, totumque prius euacuare, ac cibum assumptum coquere oportet, aliàs multa mala, potissimum verò capitis repletio imminerent; Somnus consuetudini respondeat, & sicuti a meridie & statim à cibo factus non conuenit, ita qui capite eleuato, ac primum in latus dextrum, deindè in sinistrum, cruribusque retractis fit, maximè probatur, corpus modeste exerceatur ambulationibus, gestationibus leuibus, imò verò & frictionibus, vbi ventriculus inanitus fuerit, tandem animi pathemata omnia arceantur, sic ipse Deum Optimum Maximum vt nobilem hunc adolescentulũ ab hac calamitate, quam primum vendicet oro, atque obsecro.

PRO PERILLVSTRI MATRONA CREMONENSI LABORANTE *macie totius insolita, anxietate, & dolore ventriculi, alui stipticitate, & vrinæ excretione, per hyemem valde imminuta.*

Itemque pro filio eiusdem Nobilissimæ Matronæ affectu hypochondriaco detento.

CONSVLTATIO CXXXI.

QVONIAM per litteras ad me missas simul de aduersa valetudine perillustris, & nobilissimæ Matronæ, itemque egregij eius filij agitur, propterea & ipse hic de malis vtriusque vna agam, Vitia igitur, quæ Perillustrem Matronam solicitant sunt Macies quædam totius insolita cum colore subliuido, anxietas, & ventriculi dolor si semel parum in cibariorum quantitate assueta erret, Alui stipticitas cum excretione excrementorum siccatorum muco lento obductorũ, postremò verò imminuta actio mingendi tempore hyemis cum excretione vrinę

E crassæ, & subrubræ sine tamen acrimonia, ac caloris sensu, vt de vrinæ veluti suppressione conqueratur, cum tamen alijs temporibus liberè copiosè reddat vrinam subcrudam.

Quorum malorum generationem in causam communem refero, nempè in vnicam à capite destillationem, quæ modò ad hanc, modo ad illam partem decumbens varios etiam affectus prædictos parit, quod vt manifestum fiat prius cuius naturæ sit destillatio hæc explicare oportet, cum igitur sit insipida, ac tenuis, necessariò est frigida, & propterea opus præter naturam genitum à concoctrice cerebri ob primariam affectionem, (vel tinnitus auris sinistræ suadet,) peruerse agente, quæ quidem primaria affectio certe nulla alia est, nisi intemperies frigida, magis tamen humida, nec obstat materiam descendentem aliquando subdulcem obseruari, imò verò crassescere, quoniam id totum vaporibus feruidis à iecore in caput eleuatis acceptum refero, iecur F enim æstuare non est dubitandum, quando & à natura tale esse amplitudo venarum demonstret, & feruor in volis manuum & pedum perceptus caliditatem excedentem acquisiuisse suadeat.

Destillatio igitur, vt ad ipsam redeam qua secundum aliquam sui portionem in venas delabitur, sanguinem alimentum totius iquinat, & proindè totum probo, & accommodato alimento destitutum contabescit, liuescitque, cum tamen aliàs habitum carnosum & rubicundum à primo semine sibi nacta sit, & nunc tabem, liuoremque succus melancholicus ob iecoris incendium auctus plurimum fouet & auget.

Rursus eadem materia à capite fluens in ventriculū ibidem coctionem perturbans intemperiem cognatam producit, qui quidem ventriculus in cibum paulo pleniorem solito in gestum agens, non modo ob grauantem copiam fit anxius, verum etiam ob flatus in ventriculo debili ortos distendentes dolens euadit, sicque malè affectus à G capite huic vicissim suam per vapores crudos affectionem communicat.

Ad hæc prædicta destillatio, vnaque materia pituitosa in ventriculo genita per intestina distributa fæces veluti inuiscando retinet, easque retentas iecur vrit, ac siccat, exindèque ad expulsionem eas reddit ineptas.

Tandem destillatio eadem cum succis crudis ventriculi à iecore calidiori attracta, partibusque vrinarijs, præcipuè verò vesicæ hyeme, (quo tempore copiosus pituitæ prouentus habetur,) communicata, expulsionem vrinæ, tum musculum colli vesicæ refrigerando, coagente etiam ambientis frigiditate, tum vrinæ commixta semiobstruendo, (vt crassities eiusdem vrinæ tunc demonstrat,) valde imminuit; quid autem sit causæ quod vrina subrubra eodem tempore redatur, non est difficilè intelligere ei, qui nouerit, iecoris calidioris renes feruidos esse perennes comites, hosque ipsos suo calore vrinam ad rubrum colorare non solum quia exustionem quandam efficiunt, sed H etiam vasa vrinam excolantia nimis rarefaciunt, & laxant, vt cum vrina aliqua sanguinis serosioris portio necessario transcoletur, & proinde vrina subrubra euadat, quod eò magis hyeme illi accidit quoniam à frigore tempestatis huius calor cogitur, inclususq; pellitur; accedit & id, quod vrina ob moram, quam in vesica trahit maximè alteratur, ac veluti feruescit, hinc etiam rubescit, nec mirum si vrina hæc nullum calorem, nullā acrimoniam ad ferat, quoniam id totum a muco, & pituita commixta acrimoniam propriam obtundente recipit, præterquam quod cum rubra fiat ob mixtionem serosioris sanguinis, non est necesse eam mordere, aut calefacere, sic igitur generatio & generationis modus horum omnium vitiorum in nobilissima hac fœmina innotescit.

Verùm si præterita obseruo, atque hunc in modum discurrendo colligo inde occasionis initium fuisse malorum prædictorum quod per illustris hæc mulier superioribus annis pertinaci, & diuturno morbo laborauit ergo necessario insignem caloris natiui opificis omnium actionum, quæ fiunt in corpore labem sibi comparauit, quando

calor

calor noster nulla alia de causa magis à legibus naturæ, quàm morbo, & hoc ipso rebelli, ac longo deficiat, propterea non est mirum, si & ratione capitis, ac ventriculi ad frigidum, & gratia iecoris ad calidum substantia caloris innati excesserit, à quo postmodum excessu vitia omnia iam dicta ortum habuere. A

Quarè si sanitas sit restituenda, in id incumbendum, vt substantia caloris natiui ad suam temperationem redigatur, quod nequaquam Medicus assequetur, nisi caput, ventriculumque calefaciat, ac siccet, iecur, & renes refrigeret, sed hæc obtinebit si quicquid præter naturam in visceribus, imo verò in toto corpore continetur, auferat.

Quæ opera perfici posse non despero; nam ætas consistens, naturalis emanatio mensalis purgationis, prudentia, & obsequentia perillustris patientis, & diligentia, ac peritia excellentissimi curantis, qui adhuc manum illi non admouit, multa pollicentur non inficias tamen illo, difficultatem non paruam oblatum iri Medico, non solum quia plura, ac penè contraria mala, contraria etiam remedia exigentia simul vnita sunt, & in his ipsis insignis lapsus à statu naturæ obseruatur, ferèque omnia viscera præcipua afficiuntur, verum etiam quoniam facultatis tolerantia non vndequaque viget, vt macies & color totius valdè insolita suadent; accedit, quod grauiora etiam mala, nimirũ lithiasis, ac vrinæ suppressio imminent, quæ vt non eueniant, & quæ præsentia sunt amoueantur, quamprimum ad curationem erit deueniendum. B

Quocirca à materijs chirurgicis exorsus, primum tempore debito venam iecorariã dextram secari maximè opto, deinde vt quamprimum setaceum in ceruice de more excitetur, ac per totam hanc hyemem gestetur, demumque ante quam sanetur, fonticulus vnus, vel etiam duplex in in brachijs, vel vnus in brachio, alter in femore dextro inuratur laudo.

Post hæc ad materias pharmaceuticas descendens ita de his decerno, vt lenita aluo melle rosato solutiuo, & syrupo de polypodio, vel cassia, & speciebus hyeræ, præparatisque humoribus decocto ex iure pullis, saluiæ, betonicæ, boraginis, melissæ, cicorij, sonchi, liquiritiæ cum oximell. simplici, deturbatisque humoribus præparatis cum infuso agarici trociscati & senæ, adiecto melle rosato solutiuo, vel cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro; vel de hiera cum agarico, vel de agarico mes semper addito puluere epythimi, statim ad decoctum chinæ, & ligni Indici, aut saxafras, aut guaiaci, castigatum tamen cicoraceis, vel sandalis albis deueniatur, ea tamen ratione, vt plantæ aliquot cephalicæ, radixque liquiritiæ vna incoquantur, in vsuque huius decocti vt per plures dies perseueraret summoperè optarem, quod magis mihi arrideret, si in iure, vel saltem cum carne columbi turrialis, vel pulli iunioris pararetur, ac secundum aliquod decoctum pro mensa conficeretur. C

Sic toti prospecto, ad dissipandam, & euacnandam materiam, quæ in partibus continetur deueniendum, quocirca, pro capite pilulas iam dictas, ac eas, quæ assaiaret dicuntur aliquot internallis deuoratas probo sicuti & errhina, quæ ex aqua, vel decocto sampsuci, & betæ fiunt vna cum manna, ac melle rosato solutiuo vel ex succo hederæ terrestris, betæ, & sampsuci cum decocto hordei ac radicis maluarum, vel tandem ex elaterio in lacte muliebri dissuluto fiunt, maximè extollo. D

Pro ventriculo autem tum pilulæ de hiera cum agarico, tum aqua Tettucciana aliquoties assumpta mihi arrident, sicuti & pro vesica lacrymam therebinticum speciebus electuarij Iustini, & puluere liquiritiæ temporibus frigidioribus deuoratum omuibus præfero, & eò magis, si tantilliũ benedictæ laxatiuæ aliquoties admisceatur.

Tandem ad alterantia accedendum, quocirca per caloris natiui reparatione theriacam mediæ ętatis serenam vocatam aliquando deuoratam. Pro capite capitales conseruas, & Mithridaticam confectionem hora somni assumpta, itemque embrocam suo tempore ex aqua naturali sulphurea, & aluminosa paratam, vel lotionem cum

E lixiuio ex cinere ficus, & radicũ oliuæ medicato cum verbena, agarico, rosis, & myrto factam, tandemque pro hepate tum succum cicoraceorum cum sero capite capræ, vel thermas Lucenses, aut Calderianas, vel confectionem ex tribus sandalis, tum balneũ aquæ dulcis suis temporibus & locis adhibita, & vsurpata, etiam, atque etiam laudo, sicuti & hoc tempore assiduam hypochondrij dextri cum succo cicoraceorum, & aceto, adiectis speciebus cerati sandalini irrigationem, itemque & eiusdem ex vnguento sandalino, & rosaceo inunctionem non damno.

Victus ratio hisce omnibus respondeat, quare ab omnibus aeris frigidioris, humidiorisque iniurijs caueat, vescatur bonis cibis, & facilis coctionis, ideo oua, carnes optimæ, pisces qui in aquis claris viuunt mihi probantur, & eò magis, si saluia, rore marino, foeniculo, petroselino, asparagis non satiuis, serpillo, menta, & cicorio medicata, & puluere coctili ex ligno aloe, modico croci, pane biscocto, coriandris, & saccharo parato aspera fuerint, hùc gustus gratia capares, alices, & oliuę salitæ, ac alia salsamenta modice degustata, vua pensilis, fructus non acerbi cocti, pineæ, amygdalæ, fistici, vuæ passæ &. cidoniatum, vel saccharum rosaceum cum coriandris saccharo conditis in fine mensę commansa referantur, vitet autem agrumina acria, lacticinia, quæcumque farina subiguntur, pisces paludarum & lacunarum, carnes bouinas, atque porcinas, dormiat nocte tantum, aliquando capite humili, aliquando eleuato, cruribusque retractis super latus dextrum, vt ventriculi coctio comodius procedat; Aluus mollis ei sit per panem ex tota farina cum sale, anisis, & passulis confectum, per pilulas de aloe succotrina in succo rosarum lota in principio mensæ aliquot interuallis deuoratas, per sal chymicũ herbæ mercurialis, & tartari albi ex ouo sorbili assumptum, corpus exerceat ambulationibus præcipuè, imo verò & frictionibus ieiuno ventriculo factis, tandeque omnes animi passiones molestas deuitet. Atque his, quæ acerrimo iudicio excellentissimi curantis subijciuntur, spero matronam hanc sanitati restitutam iri, quod ei à D. O. M. enixè precor.

Et quoniam certò scio medicamenta proposita eò magis illi conductura, si propriũ filium dilectum sanum viderit, propterea hic etiam accuratiuus, & diligentius quàm fieri poterit ea in medium proponam, quæ pro eius sanitate mihi videntur opportuna. Certum igitur, perillustrem & nobilissimum hunc puerum ætatis suæ annorum decẽ temperamenti calidi, & sicci, habitu gracili, & non admodum colore florido ob symptomata, quæ patitur, affici, non dicam melancholia, quoniam timoris, ac mæstitiæ nulla fit mentio, sed affectu hypochondriaco aliquo modo ad melancholiam reducibili, quando primo assiduum ptyelismum, & expuitionem copiosã materiæ tenuis, & aqueę secundo acidam eructationem, tertio rugitum imi ventris, quarto cupiditatem inanem deijciendi cum dolore, qui ob pressionem ad anum factam aliquantisper delitescit, tandemque fæcum alui induratarum & pituita viscida obductarum excretionem compatiatur, quæ omnia hypochondriaci affectus sunt soboles, sicuti vnicuique considerãti constitutionem eiusdem innotescet, fit enim hoc vitium in naturis calidioribus, præcipuè secundum hepar, & in his, qui in rebus externis, præcipuè verò in studijs assiduis & accuratis plurimum delinquunt, quæ hic habuisse locum in historia scribitur.

Ad hæc fit idem vitium vbi in præcordijs ad fundum ventriculi flogosis excitatur, quæ & ventriculum, humido proprio, & naturali depauperato, & iecur, feruore addito labefactat, hinc meritò illius succos crudos, & ex his flatus gigni est necesse, qui succi & ad os propulsi ptyelismum pariunt, & foeces alui inuiscando, harum excretionem cohibent; Flatus verò & ad os transmissi ructum acidum, & per intestinorum cauernas vna cum succis illis aqueis, atque tenuioribus discurrentes sonitum quendam aquę currentis fragorem æmulantem eaciunt, tandem ad intestini recti finẽ propulsi

propulsi ob crassitiem hærent,atq; inanem deijciendi cupiditatem inferunt, imò verò A
& distendendo dolorē pariunt, qui expressione ad anum facta parum delitescit, quoniam flatus à sede illa per compressionem pro maiori parte exprimuntur, quæ symptomata cum in casu proponantur, non solum nobis de aliqua flogosi in præcordijs perillustris pueri concitata, & ob id de affectu hypochondriaco, verum etiam & de generatione eiusdem fidem faciunt, solet vero flogosis excitari ibidem, ex Galeno, ob contumaces obstructiones venarum hypochondriorum, quibus hic certè & ventriculus succos crudos non modo tenues, sed crassos coacervans, & iecur sanguinem suo calore crassefaciens occasionem dare poterunt.

Verùm ex Hippocrate in morbis non tantum occasionem, sed occasionis initium spectare, & considerare oportet, quocirca cum audiam, puerum nobilissimum cum adhuc infans esset, setaceum in ceruice occasione destillationis à capite per plures menses gestasse, & natus sit ex matre destillationibus obnoxia, arbitror destillationem B
initia hisce malis in ventriculum decumbentem huncque in proprio temperamento peruertentem dedidisse, imo nunc etiam suppetias illi præbere, quando etiam insigniter vigeat, & descendat, cum noctu, dum dormit, à domesticis sonus quidam, ac si potum ingurgitaret, persentiatur, nilque nunc, vt antea à naribus emungatur, quæ omnia destillationem persistere, ad ventriculumque delabi demonstrant; tametsi non negandum aliquam eius portionē per sputum excerni, quando Galenus secundo Prorrheticorum duodecimo scribat, ptyelismum vitio ventriculi & cerebri fieri; Quam destillationem à moderato calore, & excedenti humiditate capitis oriri ob saporem subdulcem, & copiam pro certo habeo.

Vt propterea, si curationi sit opera danda, prius oporteat, tanquam causam sine qua non, destillationem hanc, absumpta materia illius, & exiccato cerebro, remouere; deindè obstructiones reserare ac tandem ventriculum moderatè calefacere ac siccare C
iecurq; refrigerare; quæ omnia totum à colluuie excrementorū expiatum supponunt.

Ad quos scopos peruenire licebit, dummodo destillatio confirmata, ac aliarum causarum efficacia, intemperierum insignis progressus, ac tandem indicationum contrarietas nobis minimè impedimento sint, fretus tamen Dei auxilio, ac dexteritate excellentissimi curantis, & patientis obsequentia & etatę, quæ etiam morbos contumaces sanari permittit, eosque veluti fugat, ad materias præsidiorum deuenio.

Et primum quod spectat ad chirurgiam, statuo vt cauterium in brachio sinistro infigatur, deinde etiam atque etiam opto, vt in materierum pharmaceuticarum vsu ita incedat, nempe vt lenita aluo cum melle rosato solutiuo & infuso senæ, præparatisq; humoribus decocto in iure pulli betonicæ, boraginis, fumariæ, cicorij, graminis, coriandrorum præparatorum cum syrupo acetoso simplici, tandem purgatis eisdem humoribus infuso agarici, & senæ cum melle rosato solutiuo, vel cydoniato (quo D
etiam vt interuallis quibusdam vtatur probo) facto cum carne cydoniorum prius cocta in vino decoctionis epythimi, & polypodij, cum anisis, deinde addito puluere radicis mechiocani cū paululo cinamomi, laudo vt per plures dies offeratur ad totius euacuationem insensibilem ius columbi turrialis, in cuius ventre sint consuta china electa, saxafras, radix pentaphilli, sandali albi, simplicia præparantia iam proposita, capillus veneris, citrach, & modicum tartari albi; optaremque vt ante syrupum tum ad vigorandum medicamentum, tum ad obstructiones aperiendas daretur pilula ex chalybe limato præparato, conserua boraginis excepto, ac tantillo pulueris cariophyllorum adiecto, quæ magis proderunt, si paulo post ipsa assumpta corpus modestè exerceatur.

Cœterum aduentante vere, de alijs medicamentis cogitandum, hinc denuo toto expurgato, mihi arrideret vt partibus laborantibus prouideretur, tuncque exordio à

E capite sumpto laudarem vt primum ipsum diligenter expurgaretur tum pilulis de hyera cum agarico deuoratis, tum errhinis solidioribus, tentis inquam ex cortice pomi arantij butyro inunctis, vel elichinijs ex linteamine madefactis in succo maluarum betæ, vel sampsucci immissis.

Mox pro capitis alteratione conueniunt hora somni sal saluiæ chymicum cum conserua rosarum exhibitum, lotio humida facta cum lixiuio cineris radicis quercus, & oliuæ, substituto vitello oui loco saponis, lotio sicca cum furfuribus, & floribus camomeli calefactis facta, item & embroca ex decocto betonicæ, camomeli, anethi, rosarum myrtillorum, nucum cupressi, aluminis, salisque communis, à qua ceratum capitale ex betonica, vel emplastrum ex cochleis cum testa tusis thure, & aceto exceptis superdandum erit, imo & nares internæ Mithridato vtiliter inungi poterunt.

Ad ventriculum probo sal absynthij in conserua boraginis & florum anthos datū, F exterius verò conuenit embroca facta cum oleo amygdalino dulci in duplici vase cum modico vini Cretici, mastichę, gummi tragacanta nuce muscata, myrrha, laudano styrace, absynthio, & polio montano ebullito, à qua embroca ceratum ex mastiche cum speciebus aromotici rosati, & gummi tachamacha est affigendum; Verum antequam hæc ventriculo adhibeantur præstabit aquam Tettuccianam per vnum, vel alterum diem bibere.

Tandem iecur & ipsum sua habet medicamenta, quarè serum caprile cum succo cicorij aliquot diebus bibitum, sicuti & balneum aquæ dulcis mihi probatur, à quo iecoris regio illinienda vnguento facto ex succo cicorij, hepaticæ, oleo rosato completo, puluere sandalorum, & tantillo spicę nardi cum cera.

Tandem ne alia remedia sint vana, danda est opera vt proba viuendi ratio seruetur, ideo patiens degat in aere sicco, vel saltem temperato, vtatur bonis cibis, & omnem G aufugiat cruditatem, ac repletionem; bibat vinum pauciferum china, ligno saxafras, floribus, & folijs anthos medicatum, dormiat capite humili, corpus ambulationibus, & gestationibus exerceat, aluum irritet prunis dulcibus, & passulis præparatis commansis, vel vino cum sena medicato in prima mensa bibito, tandemque ab assiduis grammaticæ studijs arceatur. Diuinum autem auxilium à me imploratum ambobus præsto esse vehementer exopto.

PRO ILLVSTRISSIMO COMITE THOMA CARPINEO destillationem à capite imminuta ventriculi coctione, lapillorum & arenularum prouentu, ac alui stipticitate laborante.

H

CONSVLTATIO CXXXII.

QVICVMQVE destillationi à capite sunt obnoxij, ij facilè in omne genus mali incidunt, quando illa (& præcipuè si fuerit confirmata & veluti hectica) sit omnium morborum corpus humanum infestantium vberrima mater, idcircò mirum minimè alicui videri debet si Illustrissimus Comes ferè toto tempore suæ vitæ destillatione tentatus varias passus sit ærumnas, & calamitates, & nunc etiam patiatur, nimirum tardam, & imminutam ventriculi coctionem, necnon arenularum, & lapillorum renalium prouentum, tandemq; alui adstrictionem.

Quorum omnium principia generationis mihi exordienti à destillatione, tamquam

quam à radice, & fonte omnium aliorum sunt inuestiganda; Destillationis igitur causas in efficaciam agentis & habilitatem passi refero, habilitatem quidem passi, quoniã quicumque (vt nullus vnquam ex schola medica negauit) capite calidiori à primordio ortus, sunt referti, quale caput viri illustrissimi obseruatur, hi facillimè fluxiones incurrunt, solet enim caput hoc sæpissimè plus attrahere, quàm concoquere, & absumere, præcipuè si imbecillitas caloris natiui ob errata externa accesserit & humiditatis excrementitiæ copia adiuncta fuit, in efficaciam verò agentis non solum ex parte facultatis concoctricis cerebri vitiosè agentis, sed etiam ex parte obiecti morbosi illi oblati, peruerse verò in casu proposito operatur facultas ob intemperamentum cerebri certò humidum, an verò calidum, vel frigidum sit, meritò dubitari posset nihilominus vt liberè loquar multæ sunt rationes, quæ mihi suadent, ad frigidum intemperamentum illud inclinare, nam refertur, alias destillationem insipidam fuisse, nunc nullus etiam proponitur sapor, crassities, ac lentities obseruatur, calor naturalis ob ætatem inclinantem languet, inueteratus est affectus, tandemque malũ ab aeris frigiditate fuit irritatum, & adauctum, ergo ob has omnes rationes fateri est necessarium, cerebrum intemperatum potius ad frigidum vergere nec ab hac sententia caluitium me abducit, quoniam idipsum temperamenti naturalis calidi, & sicci soboles esse solet, non repugnat autem, caput sic affectum ob iniurias externas frigidũ, ac humidum euadere; Obiectum autem vitiosum, quod facultati alteratrici cerebri offertur, sunt vapores, qui continuò à ventriculo languido, & iecore feruidiori suppeditantur, hi enim à frigiditate cerebri concreti destillationem fouent, & augent, & hæc de destillationis natura & constitutione.

A qua quidem destillatione & cœtera mala oriri ipse puto; & primum quidem nephriticam passionem ea ratione, quà ab illa huic materia mediatè, & immediatè suggeritur, immediatè quidem, quia per venas in renes decumbit, mediatè verò, quatenus in ventriculum delapsa coctionem perturbat, & generationi humorum crudorũ occasionem præbet, qui attracti à calore iecoris, & renũm, euadunt arenularum, & lapillorum materia.

Verum tamen præter hanc destillationem & succos crudos in ventriculo genitos vices materiæ gerentes, necessario & causa agens pro generandis eisdem arenulis, & lapillis requiritur, quæ est calor primo renum, deinde iecoris, qui calor, prout ad renes attinet, cum ex Galeno possit esse intensus, ac remissus, hic puto potius intensum, quam remissum esse non solum quia calor, qui ad iecur attinet & renibus facilè communicatur est valdè feruidus, sicuti feruor ad manus, & pedes ab Illustrissimo patiente perceptus docet, verum etiam quia refrigerantia renibus admota summoperè iuuant.

Et si aliquis objiceret, vndè nam sit quod tempore anteacto affectus hic nephriticus non accesserit, cum tamen causæ eædem tunc viguerint, dicendum est, nephritidem ex Galeno esse propriam eorum, qui sunt in ætate inclinanti, non solum quia viæ in hac ætate non sunt laxæ & apertæ, vt in ætate puerili, sed etiam quia calore languente, facultas expultrix propria orbatur munere, proindèque excrementa retinentur, hinc omnis occasio materiam lapidum in renibus gignendi.

Quibus in hunc modum sese habentibus, non est difficile ex dictis intelligere quomodo imminuta ventriculi coctio à destillatione illa foueatur, cum etenim iecur plus iusto feruidius humidum substantificum ventriculi depopuletur, necessarium est ventriculum calore proprio natiuo orbari, & excrementa cruda frigidaque gigni, quæ in ventriculo retenta intemperiem cognatam gignunt, quam accedente destillatione coctionem perturbante insigne fomentum, & augmentum suscipere haud dubitandum.

E Quod verò postremo loco ad alui stipticitatem attinet præter calorem fœces exiccantem, necnon materiam intrifcantem à ventriculo non solum propria ratione, sed etiam ob destillationem lacessito transmissam, arbitror id potissimum accidere, quia ab eadem materia viscida acrimonia bilis expultrici intestinorum inseruientis retunditur coagentibus etiam copiosis flatibus fœces suspendentibus,

Quocirca vt ab hisce malis illustrissimus Comes liber fiat, danda est opera vt caput exiccetur, ventriculus calefiat, & iecur, ac renes refrigerentur, ante tamen impedimenta primum totius, deinde partium sunt remouenda, nam quantum ad caput attinet numquam huic succurrere poterit Medicus, nisi prius ex Platone, & Galeno toti prospiciat; quocirca habita de toto prouidentia, meritò cacochimiæ pituitosæ melancholicæ, & biliosæ in literis ad me scriptis propositæ oportebit caput, ventriculum, intestina & renes ab omni excremento præter natu-
F ram expiare.

Quæ opera assequi vix possibile erit, quando affectus sint ferè confirmati, & cum maximo lapsu à statu naturæ, atque ferè omnia viscera principalia apprehendant, accedit quod Medico curanti opera contraria, vt ex dictis liquet, occurrunt, quæ omnia vt de se constat difficillimam, & penè impossibilem prouinciam præseferunt, nihilominus quia vir Illustrissimus ab Excellentissimo & diligentissimo Medico tractatur, estq; prudens, & Medico obsequens, spero futurum, vt mala iam dicta imminui, & maiora præcaueri possint.

Hac igitur spe concepta ad præsidiorum materias descendo, & quantum ad chirurgicas attinet, non est vt aliquid de sanguine mittendo decernam, quando ipse, vt audio, sæpe missus fuerit. De cauterijs ita sentio, vt quæ iam habet seruentur & in occipitio, destillatione inseuiente, alterum excitetur ad tres, vel quattuor menses
G gestandum, quod mihi magis placebit, si cum duplici foramine, quod communiter dicitur setaceum paretur, frictiones tandem, deligationes lauationes cum calida, ac ventosationes siccas extremorum haud damno.

Pharmaca verò ad communia & priuata redigo, in illorum serie lenientia primum ex melle rof. sol. & syrupo de polypodio; præparantia secundo, ex iusculo pulli decoctionis betonicæ, cicoraceorum, mentæ, boraginis, graminis, & sem. melonum cum oxymellite simplici; purgantia postremò, ex infuso agarici præparati, Rhabarbari, & senæ cum melle rof. sol. mihi magnoperè arrident.

Et quoniam certo scio illustrissimum virum medicamento aliquo expurganti placido, & familiari secundum quædam interualla opus habere, idcircò præter m el rof. sol. cum syrupo de polypod. magistrali, cydoniatum factum ex carne cydoniorum in decocto epithimi & polypodij cum suis corrigentibus cocta, & adiecto puluere ra-
H dicis mechiocani cum modico cinamomi omnibus præfero.

Rursus quoniam totum non solum medicamentis subductorijs, verum etiam & insensibiliter euacuantibus ab excrementorum colluuie expurgatur, idcircò decoctum propositum ex china ligno Indico sassafras, & sandalis paratum in autumno proximo assumendum, etiam, atque etiam laudo, & eò magis, si prædicta in ventre columbi turrialis coquantur, imò verò & eodem tempore, vel sal theriacale, vel trocisci viperini ex conserua boraginis data mihi summopere placent.

In coordinatione medicamentorum priuatorum primum ad vsum producenda quæ caput respiciunt, sunt autem euacuantia, & alterantia, illa verò per aluum, & per nares euacuant, per aluum quidem, vti catapotia de agarico Mesues, vel assaiaret Auicennæ, cum portiuncula masticinorum; per nares sunt errhina tum liquida, tum solida, liquida sint parata ex manna in decocto seminum cartami dissoluta, vel ex succo hederæ terrestris cum mulsa, vel tandem ex elaterio in lacte muliebri liquato, so-

lida

lida verò ex agarico præparato cum cera, & therebintina in formam tentæ excepto conficiantur. A

Masticatoria tamquam suspecta reijcio non solum quà ad palatum, ad quod materia spontè decumbit vsu illorum traheretur, sed etiam qua ad partes spirituales perduceretur, ac maius impenderet malum.

Alterantia caput intus, & extra vsurpari possunt, intus quidem conseruæ capitales cum bolo Armena Orientali, aut Mithridatica confectio illi consueta sacchаro rosaceo admixta, aut theriaca puluere sandalorum inuoluta, extra verò lotiones, cataplasmata, cerata & stillicidia non improbantur, lotiones autem & siccæ & humidæ, siccæ ex furfuribus crassis, floribus saluiæ calefactis, humidæ ex lixiuio communi primum simplici, deindè decoctionis betonicæ, vrbenæ, sampsuci, baccaræ, rosarum rubearum oliuæ atque agarici ea ratione vt loco saponis vel agaricus, vel vitellus oui assi substituatur; cataplasma verò huc referendum erit, quod ex cochleis cum testa tusis, thure ac aceto paratur, ceratum Montagnanæ seligatur, embroca ex aquis naturalibus adhibeatur, solent enim remedia naturalia ex Hippocrate plus quàm artificialia prodesse, laudo igitur illam tum Sancti Philippi tum quæ Corsenæ, temperata tamen habetur. B

Nec ab vsu lotionum inassuetudo ab embroca humorum liquatio ac eorundem ad pectus præcipitatio me abducit, quoniam si lotiones sunt detestandæ, quoniam illis non est assuetus, eadem penè ratione omnia alia medicamenta in non assuetis essent detestanda. Præterea consuetudo aliquando sensim, & primum mitioribus ad melius permutari potest; De embroca autem dico, quod si caput prius diligenter expurgabitur, nulla humorum liquatio imminebit, & ego experientia ductus soleo aliquando mirari vbi malos duciæ euentus proponere audio, scio enim, si præmittantur præmittenda quod nullum subsequitur damnum. C

Pro iecore, & renibus thermæ frigidæ bibitæ mihi probantur, & inter alias, Porrectanas veteres nostras Bononienses, tamquam ventriculo minus infensas omnibus præfero, serum quoque lactis destillatum in quo prius accidum limonis, & semina coriandrorum præparatarum sint immacerata non displicet.

Verum expediet aliquando renes & vias vrinæ ab arenulis, & lapillis expiare, ideò præter therebintum illi vsitatum laudo vt prius lenita aluo, ipse per aliquot interualla constituta hoc liquore stillatitio vtatur.

℞. *Radicis ononicis vnc. j.*
liquiritiæ
Raphani domestici } *an. vnc. ß.*
Althea
betonicæ D
saxifragæ }
capil vec. rec. } *an. m. j.*
parietariæ }
myrtillorum
Milij solis *drag. vj.*
Quattuor sem. frigid. maiorum an. drag. ij.
amygdalarum amararum } *an. vnc. j. ß.*
nucleorum persicorum

acida

E *acid: limonum num. vj*
anisorum
coriandrorum præparat. } *an. vnc. ſ.*
gummi cerasiorum vnc. j

Infundantur in sufficienti quantitate aquæ Porrectanæ veteris, deinde in balneo Mariæ distillentur.

Huc pertinet tum puluis, tum liquor stillatitius virgæ aureæ.

Exterius regioni iecoris adhibenda sunt medicamenta ex sandalis, & cicoraceis F cum aceto parata, regioni verò renum inter cætera embrocam factam cum aliqua aqua thermali frigida miris laudibus extollo. De balneo aquæ dulcis ita sentio vt pro temperandis iecore, & renibus maximè conueniat, nec timerem quod ipsum fundendo & liquando humores caput replere posset, quando toto diligenter expurgato, id mali minimè subsequi possit, quamquam etiam sciam, balneum à diuino Hippocrate in doloribus oculorum, tamquam remedium à capite retrahens probari.

Ventriculus postremo loco & ipse suis indiget medicamentis, quocirca præter aquam Tettuccianam tribus diebus epotam, conseruam cydoniorum cum pipere albo ruditer contuso sæpius deuoratam, & stillicidium ex rebus stomaticis in oleo amygdalino dulci cum vino Maluatico in duplici vase ebullitis factum, in litteris mihi datis propositum etiam atque etiam laudo, nec caput malè affectum me ab vsu thermarum amouet, si ab illis bibitis statim cydoniatum, vel saccharum rosatum antiquum G assumeret, & omnis opera deretur, vt à corpore quamprimum excernerentur, quamquam sciam nullum pharmacum citra noxam prodesse, atque thermas præcipuè capititi nimis excalfacto obesse.

Cœterum, nisi congruens victus ratio addatur, omnia iam proposita irrita erunt, caueat igitur Illustrissimus Comes præcipuè ab iniurijs aeris frigidioris humidioris, ac subtilioris, quocirca ego in ea sum sententia, vt tempore hyemali aerem siccum in actiuis temperatum sibi seligat, iuxta quod antiqui in similibus casibus nauigationes laudare solebant, vtatur cibis facilis coctionis, boni succi & nullius excrementi, illisque immisceat puluerem aliquem coctilem ex pane biscocto, coriandris cariophyllis, tantillo croci & saccharo confectum, ac in vltima mensa cydoniatum, vel saccharum rosaceum, vel poma, & pyra sub austera saccharo condita assumat; cœna sit parcior & omnis repletio vitetur. De vino ita statuo, vt ferè toto anno vinum subrubrum H bibat, præterquam & tempore, quo renes extersione opus habent, nam hoc tempore vinum fuluum non austerum, nec dulce conuenit, nec damno quod tempore vindemiarum vina hæc cum floribus anthos absynthio, imo verò & cum guaiaco, ac sandalis, china alterentur; Quibus autem remedijs aluus mollis reddi, & seruari possit, aliàs ad illustrissimum virum scripsi; illud solum monebo, clysteres ex oleo communi, & iure pingui intestinorum bouis vel vituli decoctionis carthami esse valdè accommodatos, & quantum ad aloem attinet, eam nõ improbo, dummodo succo rosarum sit nutrita. Deus trinus atque vnus, & Virgo Deipara omnia, quæ proposui secundent, & ad optatum finem perducant.

A

PRO NOBILI SAXOLENSI ASTHMATE QVOD SAPIT quoque orthopneam laborante.

CONSVLTATIO CXXXIII.

VITIA respirationis, vt quæ vitæ nostræ in illa repositæ aduersaria maximè omnium aliorum in ætate, & temperie improportionatis timorem incutere, & non nisi magna cum difficultate, præcipuè vbi cum insigni à statu naturali recessu iuncta sunt, præcaueri apud omnes constat, vt propterea deprauata respiratio, de qua agendum mihi est, cum sit vehemens, acciderìtque ab hinc per plures menses, viro trigintasex annos nato, temperamenti calidi, & humidi, non sit à periculo immunis, summaque cum difficultate corrigi, ac imminui possit, dāda tamen est opera, vt quam maximè fieri potest diutius, ac sine insigni molestia patiens nobilis vsu præsidiorum medicorum viuat, quod à Deo Optimo Maximo illi enixè precor.

B

Quòd igitur ea deprauata respiratione, quæ asthma dicitur, afficiatur, ex sonitu ad asperæ arteriæ initium percepto colligitur ꝙ verò asthma hoc in orthopneam, difficilem spirationem ac grauiorem affectum inciderit, anhelitus demonstrat, qui non nisi recta ceruice potest fieri.

Generatio autem huius, atque generationis modus indè nota reddentur, cum etenim instrumentis respirationis causa aliqua morbifica meritò cuius respiratio plus iusto crebrior euadat occurrerit, necessariò eadem respiratio deprauatur, nam cum hæc secundum naturam fiat, vt cordis calor ventiletur, refrigeretúrque, & ad illam peragendam musculi thoracis, præcipuè verò septum transuersum agant, proindeque pulmones dilatentur, ac comprimantur, vt in dilatatione frigidum attrahatur, in compressione fuligines expellantur, sicque calor in corde attemperetur, necessario fit, si aliqua causa morbifica accedat, meritò cuius ingressus frigidi, & egressus calidi impediatur, atque inter hæc duo veluti lucta quædam oriatur, vt respiratio crebritate aliquo modo suppleat, & exindè mediante eadem crebritate, à statu naturali cadat. solent autem ingressus, & egressus ille ab angustia bronchiorum pulmonum impediri, quam quidem angustiam esse obstructionem ab humore frigido, crasso, & lento ortam, materia per sputum, ac tussim eiecta docet, est enim insipida, ac ad iis qualitatibus referta, præterea calida medicamenta iuuant; Atqui eandem materiam minimè in pulmonibus congestam ex ætate patientis iuuentutis facilè conijcio, solum enim in senibus similis materia in pulmonibus generari solet, ergó necessariò aliundè fluit, vel attracta vel transmissa, non attracta; quia in pulmonibus antea nulla causa attrahens fuit adnotata, igitur est transmissa à capite, nam materia quæ bronchia in pulmonibus obsidet ferè semper à capite emanat, in illoq; vel læsa facultate alteratrice, vel ob errorem externum quamquam hic ob errorem externum generari, ea ductus rationem aliquis existimare posset, quod nimirum caput nobilis, & egregij viri naturaliter calidum & humidum non possit, labefactata facultate ob intemperiem frigida excrementum vsque adeò frigidum, crassum, & lentum producere, nihilominus existimem ipse caput à natura calidum per accidens, ac ratione erratorum in rebus externis perpetratorum refrigeratum aliquo modo generationi excrementi nam dicti occasionem dedisse, vel ob eadem errata calore natiuo organo facultatis alteratricis imminuto,

C

D

E minuto, eiusdem excrementi maximum prouentum attulisse; Verum etsi hac ratione excrementum illud in cerebro genitum fuisse putem, nihilominus in hac generatione errorem externum nimirum vapores à partibus infernis in caput tum ob imbecillitatem transmissos, tum ob calorem attractos magis potuisse pro certo habeo, hac enim præter alias vna potissimum ratione caput calidum, & humidum destillationum maximè ferax ab omnibus creditur.

Hisce igitur de causis materia morbifica copiosè genita, & in pulmones delapsa, non modo dispneam, sed asthma ipsum produxit; imo hoc idem ad ortopneam perduxit; Nec mirum quod sub illo sonitus percipiatur, quoniam aer, ac spiritus interceptus exituque ob copiosam materiam obstruentem quasi destitutus ac agitatus, percutiensque parietes asperæ arteriæ, sonat; Sub hac verò inter respirandum ceruicem erigere quęrat patiens, quoniam ceruice erecta thorax, proindeque aspera arteria F magis dilatatur, sicque minor molestia persentitur.

Quare ex dictis vnicuique satis liquet, studium curandi ad id dirigendum vt materia impacta, ac fluxa siccetur, euacueturque, thorax magis ac magis dilatetur, pulmonesque roborentur, verum quicquid fluit etiam retrahendum, ac post conandum vt per sublationem causarum generantium illius generatio impediatur, quę omnia opera totius prouidentiam subsequi debent.

Quarè curatio à venæ sectione in cubito dextro auspicanda quæ in accessione ad coercẽdum (ex aliquorum sententia) materiæ motum ad thoracem improbatur mox cauterium actuale in vertice statim inurendum esset, vt impetus materiæ illicò sistatur, verum quoniam vix hoc apertum seruari potest, & multis alijs est impedimento, ideo setaceum de more in ceruice parandum, à quo per tres, vel quattuor menses gestato, cauterium in brachio sinistro, ac crure dextro inurerem; Interim tamen vrgente G accessione, sicuti in hisce malis accidere solet à vesicantibus ex cantaridibus & alijs, seminibusq; ameos (vt stranguria molestissima, quæ vsum horum subsequi solet, deuitetur) correctis & castigatis, vertici capitis, ac circa suturam lambdoidem adhibitis nullo modo abhorrerem, sicuti nec frictiones, deligationes, ventosationesque, & lauationes extremorum dimitterem, imo verò sæpius scapulis concurbitulas siccas affigi curarem.

Pharmaca totius sint hæc, leniatur aluus melle rosato solutiuo, & manna dilutis decocto carthami, Humores coquantur decocto hysopi, scabiosæ, farfaræ, betonicæ, cicorij, & boraginis adiectis syrupis accommodatis, tandem purgatio per infusum agarici cum melle ros. sol. vel per catapocia de agarico Mes. instituatur, à vehementioribus enim abstinerem, ne agitata materia suffocatio accelераretur, hinc solo agarico præparato cum ammoniaco vti soleo; quòd si malum his non cedat, aut prædictis H trociscos de violis cum scammonio adderem, aut vna cum Galeno Septimo localium vltimo ad pastillos ex elaterio, synapi, & sale deuenirem à quibus per modum apozematis exhibenda est mulsa, atque his sæpius vti, nimirum singulis sex diebus summoperè expediet.

Toti prospecto, deindè capiti quoque, iecori, ac thoraci est consulendum, ad capitis igitur euacuationem præter catapocia iam proposita, laudo errhina, & inter hæc quæ ex succo styllæ coctæ, vel radicis cyclaminis, & manna cum aqua maluarum parantur, laudo & tentas ex vtroque helleboro atque pulpa collocyntidis cum therebintina exceptis, interimque statutis quibusdam interuallis hora somni pro destillationis interceptione, ac thoracis dilatatione vsum theriacæ mediæ ætatis nullo modo dimitterem, nam anhelanti pectori tollit onus. Verum capite euacuato, illius alterationi est incumbendum per pulueres ex cariophyllis, stecade, sandaraca Arabum, rosis, & baccis myrti syncipiti inspersos, superdato ex betonica cerato; per lotiones, quoque

cum

cum lixiuio cineris quercus decoctionis ablynthij, camomeli, betonicæ, verbenæ, rosarum baccarum myrti, & foliorum oliuæ factas; Tandem per stillicidia ex aqua Brandulensi, vel Aquariam syncipiti adhibita. A

Pro hepate aliud non proponam, nisi succum cicoraceorum non modo per se, aut cum sero caprino depurato assumptum, sed etiam exterius, adiecto modico aceti pro irrigatione hypochondrij dextri adhibitum embrocamque ex aqua Lucensi vel Ficumcellensi eidem hypochondrio admotam non subticebo.

Thoraci quoque per attenuantia, detergentia, ac moderatè siccantia est prospiciendum, in quorum serie hæc mihi arrident, nimirum oxymel scyllinum cum syrupo de farfara, & ammoniaco, dummodo tamen sylla sit cocta vel assa, aliàs nimis calefaceret; Coagulum leporis in syrupo de hysopo dissolutum, loch de caulibus cum puluere radicis ari, loch ex succo enulæ, syrupis ex tabachi foliorum atque hordei decoctione; a diectis pulmone vulpis, ac speciebus diairis calidi Nicolai ac tandem medicamenta omnia sulphure referta, præcipuè verò quod diasulphur dicitur, & quod ex floribus sulphuris cum ammoniaco, & therebintina paratur, à quibus postremis vt ius galli antiqui ad modum Mesue præparati per modum apozematis manè detur etiam atque etiam probo, Aquæ nostræ Porrectanæ nouæ, vt quæ naturam sulphuris sapiunt non improbantur, & eò magis quia sæpius ab asthmaticis cum fœlici successu bibitæ sunt; Atqui nec ab vsu olei ex sulphure cum syrupo de hibisco sæpius propinato abhorreo. Suffumigium ex folijs tabachi siccatis, & cataplasma pro thorace ex farina lolij, caricis, & melle omnibus alijs adhibendis præfero; Atque ad euacuationem eiusdem materiæ diuretica, & cathartica non videntur importuna, sed de diureticis illud statuo, verè talia, quæ partes tenuiores euacuando materiam magis incrassant esse suspecta, humida igitur substituantur; vti decoctum liquiritiæ fœnugręci, capill. veneris rec. caricarum, passularum, & dactilorum cum syrupo de cap. veneris; De catharticis non est dubium quòd cum trahant à toto, thoracem etiam (vt indicauit Galenus) euacuant, ideò sunt vsurpanda; At vrgente accessione, aluus si possibile erit glandibus acribus irritanda, oleum amygdalinum dulce aquę tussilaginis cum penidijs immixtū sæpissimè ad lambendum, propinandum, atque pectori omentum veruecinum decocto maluarum, & oleo amygdalarum dulcium imbutum est adhibendum, vel loco illius laminæ axungiæ porcinæ minutim incisæ & tenues sunt substituendæ. His non conferentibus, medicamentum Auicennæ ex sale, nasturtio & mulsa factum exhibeatur. B C

Et dum hæc peraguntur, patiens in aere temperato locandus, & vrgente necessitate aer frigidus per se, vel ventilatus est seligendus, nam copiæ aeris necessariæ frigiditas supplet aliàs statim ægri suffocantur. Cibus sit attenuans, quemadmodum & potus notus viro excellentissimo. De potu solum id noto, vt vinum subdulce seligatur, quod maximè proderit, si tempore vindemiarum cum botride, pulmonaria, scabiosaque, vel cum enula, vel guaiaco paretur & tempore accessionis tenuissimus cibus, nimirum ptysana colata, vel pineatum, vel amygdalatum detur absque aliquo vini potu; Atque hæc in casu mihi oblato proponere volui in gratiam Excellentissimi curantis, cuius indicio illa omnia examinanda libenter subijcio. D

E

PRO REVERENDA MONIALI FERARIENSI SCYRRO Meserei correpta.

CONSVTATIO. CXXXIIII.

CORPORA quæ secundum propriam, & naturalem temperiem ad frigidum ac humidum inclinant, & quæ diu à morbis, & his ipsis grauissimis conflictata fuere, tandem, natura à vi morborum illorum veluti victa, ac superata, magis, ac magis morbida fiunt, morbosque frigidos incurrunt; Quod Reuerendæ Vestali, de cuius aduersa valteudine litteræ mihi datæ sunt, contigisse obseruo, cum enim in litteris illis exactè demonstratum sit, temperamentum illud cum habitu mediocri, & calore albido eam nactam, atque post a diuersis malis immaniter vexatam fuisse, non est mirum si hoc tempore in tumorem frigidum scyrrhosum secundum partem abdominis inferiorem inciderit; cuius vt exactè instituatur curatio, vel Saltem præseruatio, videndum quænam sedes affectu cuius census scyrrhus, & quænam generatio, ac modus generationis illius sit.

F

Quod ad sedem affectam attinet, certè apud me insignis difficultas ob varietatem partium, quæ in inferiori abdomine existunt, primum enim cutis, membrana carnosa, ac musculi. Secundo pars inferior omenti, intestina & mesereum. Tertiò vesica, vterus vasa horum deferentia in illo adsunt, quænam harum, & an plures afficiantur decernere veluti (ob ægræ absentiam) diuinando oportet, quia igitur non audio, tumorem in superficie obseruari, facilè adducor vt credam in partibus illis extimis, primo loco enarratis neque tumorem existere, quod etiam & tumoris mobilitas cõfirmat; præterea, quoniam tumor, de quo tractatur, insignis admodum, & durus vehementer proponitur, cuius naturæ tumor in corpore rariori & tenuiori, vt est omentum nullo modo excitari potest, ideo omentum ipsum secludo, & eo magis quoniam si in parte hac esset tumor, præter id quod egregia Monialis detractione viscerum ad inferiora conquereretur, iugiter sensum insignis ponderis ad pubis regionem haberet, intestinisque primum, deinde vesica compressis, actio mingendi aliquo modo vitiaretur, Verum nec in intestinis esse malum hoc ex eo conuincitur quod actio intestinorum naturalis minimè læsa deprænditur, ob quod argumentum nec vesicam læsam esse satis perspectum esse confido, ergo aut vterus, aut mesereum afficitur, atqui vterum non esse sedem mali prædicti non tantum eo confirmatur quod mensales purgationes de more, & secundum naturam procedant, verum etiam per id, quod vterus inter intestinum rectum, & vesicam sub osse pubis repositus, vbi tumet, tactui tumorem suum, nisi magnitudine excedat, minimè patefacit, & sua mole tametsi grandis non sit perenne desiderium modo mingendi prout in collum vesicæ incumbit, modo egerendi, qua intestinum rectum comprimit, immo sensum insignis ponderis in fundo abdominis parit, quæ cum non proponantur, idcircò vterus videtur secludendus; Nec facit illud negocium quod nobilis vestalis singulo mense menstruetur, quoniam sit in extima vteri tunica, non autem interna quoniam si vasa sanguinem superfluum ad vterum deferentia æquè tunicam externam & internam atingunt, peruaduntque, ergo æquè benè angustia vasorum à tumore inducta cum in hac, tum in illa tunica sanguinis illius fluorem supprimere potest, propterea puto ego, tumorem prædictum attinere ad mesereum, nec enumeratio partium sufficiens sola me in hanc sententiam trahit,

G

H

trahit, sed etiam quia tumor in profundo existens exterius valdè prominet, vt quasi ab osse pubis, cui hæret sustentetur, & ob id sensum grauitatis non inferat, accedit quod vestales, vt quæ magis quàm aliæ mulieres in otio degentes, hoc genus mali frequentissimè incurrere solent, tumoresque mobiles absque fœcum excretione vitiata (sicuti hic non vitiatur) in nulla alia parte, quam in mesereo sua natura cum ob propriam substantiam, tum ob glandulas quibus est refertum ad suscipiendum maximè prono fieri solent. Tandem refertur quod tumor hic modò augetur, modo imminuitur quod cum accidat ob flatuum, qui eleuantur dissipationem hæcque commodius in mesereo, veluti rariori, & laxiori, quam in vteri tunicis densioribus, & compatioribus fieri possit, ob hanc aliam rationem mesereum, & non vterum affici arbitror.

Scyrruhus autem est de genere illegitimorũ, quando sensus omninò non sit expers, suam verò habuit generationem ex materia crassa à prædominio viscida, ac pituitosa, deinde etiam melancholica, quod non solum ex colore subalbido totius, qui sepè humori tantum sub cuti existenti attestatur, sed etiam ex habitu & temperie totius ad frigidum inclinante venarumque amplitudine, & nigrore conijcio, pituitamque in ventriculo frigidiore valdè, vt audio appetente melancholiam in hepate calidiori, vt status ille venarum, ac ætas ferè quadragenaria (nam octauum supra trigesimum annuum suæ ætatis agit) humoris melancholici valde ferax apertè demonstrat, generari pro certo habeo.

Modus verò generationis fuit, quod humores illi duo transmissi à proprijs suæ generationis locis ad mesereum maximè ad suscipiendũ paratum, in illoque commixti, ac in eius propria substantia, ac glãdulis recepti, tumoré, & hunc ipsnm durũ excitarunt, durum quidem non per siccationem, nulla enim causa tale quid agens præcessit, ergo & per repletionem à copia humorum factam, & per concretionem à frigiditate non tantum recipientis, sed etiam recepti inductam, & hæc de tumore sint satis dicta.

Proponitur & alter affectus illi annexus nimirum febricula quædam, quam & ipse putridam esse, & ex loco tumoris vaporem exustum veluti fumum in cor à materia ibidem putredinem aliquam ob obstructionem nata eleuatum, illam aliquotioes excitare ad modum Symptomatis opinor quando nec ob ipsam semper decumbere cogatur, ac circuitibus quibusdam egregiam patientem affligere obseruetur.

Vtcumque autem id certissimum est totum Medici studium eo dirigi oportere vt ventriculus calefiat, iecur refrigeretur, prius obstructionibus per attenuantia, detergentiaque reseratis, ac materia impacta per emollientia, discutientiaque euacuata, ita tamen vt toti ante hæc omnia prouideatur.

Ad quos scopos an peruenire liceat necne, difficile cognitu non erit ei, qui naturam & constitutionem scyrrhorũ nouerit, primũ enim scyrrhi, qui partes extimas obsident vix aliquando curantur, ergo tanto minus, qui in visceribus nascuntur, nam cum vitia hæc partem veluti emortuam reddant, quia nimirũ calor, ac spiritus vitalis ob densationem partis, ac valorũ angustiã non suscipiuntur, quis non videt medicamenta parti illi applicita nil posse agere vt eam viuificent? quod cum maximè scyrrhis exquisitis, minus illegitimis accidat, propterea illi omninò incurabiles à Galeno constituuntur, hi verò aliquando vix curantur, vel potius imminuuntur, vt homo diu viuere possit, & eò magis, si sint instabiles, & aliquando augeantur, aliquando decrescant qualis est scyrrhus, qui tractatur, tantoq; magis spes præseruationis subest, quod in eius constitutione pituita perdominatur, nec valdè dissimilis est parti laboranti, qua ratione homines minus sub morbis periclitari scripsit Hippoc. illud tamen non est negandum, ab hisce malis & hydropem, ac cancerosum vlcus suborta putredine imminere, vt propterea maxima diligentia in contrectando scyrrho hoc sit adhibenda.

Quare de materij chirurgicis ita censeo, vt sicuti ab omni sanguinis missione

E abstinendum, ita ad fonticulos femoribus secundum partem domesticam infixos deueniendum, nam quantum ad sanguinis missionem attinet, quoniam scopi mittendi sanguinem ferè nulli occurrunt, ideo illa non videtur opportuna, nec etiam à venis ani, quoniam hæc menses ab vtero deriuare, atque ipsos quoquo pacto impedire solet, quare si aliquid est quod posset Medico aliquam sanguinis missionem vel ex brachio longè à tempore mensium, vel ex talo suadere, hoc maximè esset iecoris aliquis feruor merito cuius euentatiuam aliquam sanguinis euacuationem fieri posse nemo negabit; quoad fonticulos certo scio continuò illos à parte laborante materiam noxiam deriuare, ac totum ferè ab omni cacochimia expiare; frictiones quoque cum siccas, tum humidas cum oleo decoctionis radicum cucumeris agrestis longo tempore scyrrhosæ parti adhibitas approbo.

Medicamenta primum totius occurrunt, quocirca pro aluo lenienda mel rosatum F solutiuum cum syrupo de polypodio magistrali, pro humoribus præparandis decoctũ betonicæ, fœniculi, lupulorum, buglossi, melissæ, & cicoraceorum cum oxymell. simplici, pro eisdem humoribus deturbandis infusum agarici, & senæ cum melle rosato solutiuo, vel Catapotia de tribus cum Rhabarbaro, adiecto puluere epythimi seligantur; Atque pro euacuatione insensibili præter antidotũ vtramq; magnã aliquoties deuoratam, decocta guaiaci, salsæ & Chinæ cum aliquot emollientibus, vti Althea & liquiritia huc referãtur, quę decocta eò magis proderũt, si ante syrupũ matutinũ bolus ex ammoniaco ac sale theriacali cum lacryma therebinti Cyprij exceptis deuoretur.

Post hæc de medicamentis priuatis agendum, ego pro obstructionibus auferendis laudo vel oxymel ex decocto radicum aperientium, liquiritiæ Altheæ, ligni sassafras, Chinæ, cuscutæ, agrimonij, capil. ven. rec. betonicæ, cicorij, sonchi, boraginis, lupulorum, assari, artemisiæ, passularum, & coriandrorum preparatorum in aqua pluries G chalybeata parato, vel ius galli duorum annorum circiter, aut columbi turriti, in quorũ ventre simplicia nunc commemorata sint incocta, immo verò iura hæc vices quoq; decoctorum paulo supra propositorum, si illis eadem medicamenta nunc dicta immisceantur supplere poterunt, atque illi bolo ex ammoniaco, & sale theriacali chalybem præparatum addere licebit.

Pro euacuatione materiæ tumoris impactæ topica vsurpanda, ideo præter ceratum Diachilon gummatũ cum portione cerati sacri, tria potissimum medicamenta probo. Primum est ceratum factum ex cremore radicum cucumeris agrestis, ammoniaco, puluere Sabinæ, ac vtriusque hellebori, & succo, puluereque Tabacci; Alterum est, stillicidium factum cum oleo decoctionis tum radicum Altheæ, maluarum, peucedani, & cucumeris agrestis, tum foliorum Diptami Cretici, thymi, & calaminthę tandemq; ligni guaiaci, facta ebullitione in duplici vase cum modico vini odorati ad consumptionem H eiusdem vini, à quo stillicidio statim admouendum Cataplasma factum ex duabus partibus emplastri de baccis lauri, vna emplastri de meliloto, & media fermenti acerrrimi cum caricis aliquot, exceptis omnibus aceto scyllino; Postremum est suffumigium factum ex decocto in aceto & vino anethi, camomeli, fœnu græci, seminum lini, meliloti, abrotani, maluarum, Altheæ, origani, calamintæ, Diptami Cretici, asari, Sabinæ, artemisiæ, hysopi, Tabacci, betonicæ, radicum filicis, vtriusq; hellebori, & collocyntidis, ea tamen ratione, vt dum adhibetur suffumigium, lapis pyrites, vel molaris ignitus pluries in decocto prædicto extinguatur, quod medicamentum adhibeatur autem, si vestalis nobilis prona super tabulam ita perforatam vt scyrrhus extra foramen extuberet situetur, ac tabulæ circumponantur panni, vt totus fumus scyrrhum petat.

Tandem pro tollendis intemperantijs viscerum, atq; primum ventriculi, nil habeo quod proponam, quando sciam, pharmaca interna iam proposita ad id conducere, solum

solum id dicam, quod postulante vsu non erit inutile exter ius medicamentum aliquod stomaticum calfaciens sub forma vel stillicidij, vel cerati adhibere, pro stillicidio autẽ Tettuccianam aquam infusionis soliu s mentæ, & pro cerato quod ex gummi tachamacha cum succo absynthij concreto, & extracto ipsius mastiche inter alia seligo & probo. Pro iecoris intemperie succu s cicoraceorum, & hepaticæ assumptus, atque hypochondrio dextro admotus maximè arridet.

De victu nil ferè dico, quoniam abundè, & exactè litteræ mihi datæ melius quam à me nunc proponi possit, ipsum continent, id tamen non subticebo, & puluerem coctilem ex agallocho, croco modico, pane biscocto, & saccharo paratum, cibarisque inspersum, & vinum tenue, album, cum auratum, vel chalybeatum, tum cum China, radicibusque buglossi medicatum magnopere probari. Deus Optimus Maximus hæc omnia salutaria nobili vestali reddat.

PRO PERILLVSTRI, ET EXCELLENTISSIMO VIRO D. Sebastiano Rottinger, Germano, Doctore Iurista, & Cæsareæ Maiestatis Consiliario, leni quadam paralysi partis sinistræ totius corporis detento.

CONSVLTATIO CXXXV.

CORPORA, quæ varijs tum curis, & negotijs grauibus, tum erroribus in victu, præcipuè verò ob loci consuetudinem in potu commissis, sunt implicita, solent affectus capitis, ac neruorum facilè incurrere, quorum veluti in catena quadam vnus ab alio dependet, vt propterea non sit mirum si perillustris & Excellentissimus Consiliarius, à causis externis propositis, ante triennium capitis insignem labem non tantum in propria constitutione ob crasis permutationem verum etiam extra constitutionem illam ob errores externos nactus colluiem excrementorum ibidem crudorum & crassorum coagente etiam ætate inclinante coaceruauerit, qui & resoluti à debili calore, in flatus & humoribus acribus permixti, grauissimum capitis dolorem peperere, qui cum in dies magis statum capitis peruerterit, tandem res eo deducta est, vt mense Februario præterito materia excrementitia per substantium cerebri sparsa à frigiditate ambientis in ventres cerebri fuerit expressa, subindeque apoplexiam excitauerit, deinde per transmissionem eiusdem materiæ ad originem neruorum ac neruos ipsos secũdum partem sinistram totius corporis, veluti constipationem ibidem inducentis suborta est paralysis illius partis, cum & sensu ac motu orbata remanserit, vi animali a capite non influẽte ab angustia impedita; Nunc verò Dei auxilio & vsu aliquorum remediorum paralysis perfecta in imperfectam permutata est, nam mouet brachium & crus, sentit etiam, sed diminutè, vt propterea torpore quodam nunc ob reliquas angustiæ spinalis medullæ & neruorum detineatur, quæ res tamen maiori opus haberet contemplatione, si modo ex litteris mihi datis id assequi liceret, propterea aliò me conuertam.

Quare si vir nobilissimus sit pristinæ sanitati restituendus, necessarium erit materiã impactam dissoluere, prius toto corpore, deinde capite euacuatis, post quæ ne mor bus reuiuiscat, & caput, ac substantiam neruosam calefacere, atque exicare & proprietatem illorum seruare expediet.

E Ad quos scopos peruenire licebit quidem sicuti curatio cum insigni fructu adhibita pollicetur, nam valdè est imminutus affectus, accedit quod non, membra affecta esse emaciata, nec proprium calorem amisisse, item, nec oculum partis affectæ imminutum obseruari, quę omnia facilem facultatis regitiuæ tolerantiam sigillum ferè omniũ signorum salubrium arguunt, nam duo priora illorum membra nutriri indicant, postremum verò, quod ab Auicenna proponitur, spiritus animales minimè deficere, sed quod aliquam difficultatem mihi præmonstrat, est ætas quinquagenaria, maximè verò errata in rebus externis imminentia, & à quibus ipsum minimè abstineri posse ferè certò scio. Accedit quod materia excrementitia in paralysi secundum Auicennam, occupat partes internas & medullares corporis neruosi à substantia cerebri prodeuntes, ad differentiam spasmi, sub quo materia partes externas, ac membranosas à meningibus prodeuntes detinet; modo difficilius est materiam in intimis partibus, quam F in extimis dissipare, adhibenda tamen est omnis diligentia vt Excellentissimus Doctor voti compos fiat.

Quare ad materias remediorum descendens, & primum ad chirurgiam, dico, nullã occurrere sanguinis mittendi necessitatem, quocirca ad cauteria totum me conuerto, & statuo non vnum, sed bina cauteria (dummodo non fuerint adhuc inusta) inuri debere, vnum in ceruice, alterum verò in pate inferiori spinæ ad os sacrum, à quibus gestatis per aliquot menses, & sanatis, alia in brachio, & crure sano toto tempore suæ vitæ gestanda aperiri poterunt, interim verò & cucurbitulæ siccæ capitibus musculorum lateris affecti applicitæ & frictiones humidæ per manus oleo de nuce muscata vel de piperibus, vel oliuarum vetustissimo, in duplici vase cum euphorbio & Castoreo ebullito, partibus affectis adhibitæ mihi magnoperè probantur.

De pharmacis ita decerno, vt habita totius prouidentia per lenientia ex melle ros. G solu. vel hiera & electuario lenitiuo parata per præparantia ex decocto betonicæ, saluiæ, chamępytis, cicorij, boraginis, sem. citri & syrupis de betonica, de Iua Nicolai & de cicorea, tandemque per purgantia ex pilulis de agarico Mesue, cochijs & fœtidis, cum modico Castorei composita, statim ad medicamentum insensibiter euacuans ad plures dies assumendum deueniat, quocirca omnibus mihi præfertur decoctum guaiaci, ac salsæ cum simplicibus iam nominatis paratum, ea tamen ratione, vt ante syrupum matutinum bolus factus ex sale theriacali, & extracto guaiaci cum syrupo de betonica exceptis, detur, & omni diligentia, ac studio adhibitis, sudor prouocetur. In eundem vsum facit medicamentum ex puluere, vel sale chymico, chamæpytis & lachryma therebinti Cyprij compositum, item & vtraque antidotus magna antiqua.

Mox Topicis est incumbendum, idcirco vnguentum ex Bdellio, & medicamentum filij Zacharię tantoperè à Mesue celebratum partibus laborantibus applicitum laudo, H ita valet & balneum olei communis decoctionis vulpis, carnis rubei, betonicæ, saluiæ, stechadis, sampsuci, & iuæ, à quo præstabit inungere easdem partes pinguedine quæ decidit ab ansere antiquo pingui in veru cocto, & in cuius ventre prius Bdellium, Sagapenum, opoponax, & frustum carnis vulpis pinguis sint consuta, luta quoque emollientia, & resoluentia, olea chymica ex his parata, item & stuffæ, sicuti & suffitus cum lapide molari ignito, & asperso aceto decoctionis iam dictorum simplicium mirum in modum probantur, à quibus omnibus Topicis pelles vlpinæ calcem non expertæ & puluere nucis muscatæ, cardamoni & iuæ in aqua ardenti prius maceratorum, deinde in vmbra exiccatorum suffumigatæ, ac applicitæ sunt maximi vsus.

Tandem & ad capitis alterationem præter plura ex dictis per os assumenda hæc extrinsecus adhibita mihi probantur. Primum est cucufa duplicata floribus capitalibus ligno aloe, nuce muscata, & similibus referta. Alterum est lotio facta cum lixiuio ex cinere ficus vel iuniperi parato, in quo herbæ capitales, sampsucus, & cariophylli

sint

sunt incocta, & pro hac lotione adhibenda, paretur sapo in pilas efformato cum puluere cariophyllorum & agarici medicato, embroca quoque vel naturalis, vel arte parara cum decocto sulphuris salis, nitri, aluminis, & simplicium capitalium iam dictorum mihi summoperè placeret. Quæ verò pro alterandis partibus neruosis conueniunt, superius sunt commemorata, inter cætera tamen sal illud ex chamepyte chymicè paratum tanquam remedium etiam paralyticum laudatur.

De victus autem ratione statuo, vt omnes aeris frigidioris, humidioris & turbulentioris inclementiæ eufugiantur, vt vescatur bonis cibis omnem repletionem & cruditatem deuitet vinum pauciferum & modestè admodum bibat, quod magis proderit, si guaiaco, floribus anthos & saluiæ alteretur, immo verò, si à vino per plures dies abstineret, ac decoctum chinæ cum modico sacchari medicatum biberet, maximum procul dubio sibi iuuamentum compararet. Aluus in proprio seruetur munere cum pilulis de aloe succotrina, cum prunis dulcibus manna conditis, ac tandem capparibus in aceto infusionis foliorum senæ maceratis, & enutritis, initio cœnæ commansis. Somnus numquam interdiu capiatur, & fiat capite eleuato, corpus leuibus ambulationibus & gestationibus exerceatur; Postremo curæ, & negocia, quantum fieri potest dimittantur. Atque hæc habui quæ pro salute viri clarissimi proponerem, quam D. O. M. illi benignissimè concedat.

PRO REVERENDO CANONICO REGVLARI Lateranensi Placentino abdominis dolore, tarda ventriculi coctione, ictero nigro, & melancholia hypochondriaca detento.

CONSVLTATIO CXXXVI.

Ex litteris mihi datis, in quibus ipsemet Reuerendus Pater de propria valetudine aduersa loquitur, aliqua certa, ac manifesta, aliqua verò dubia, & quę non nisi coniectura assequi licet accipiuntur. Priora sunt vitia, à quibus nunc solicitatur, narrat enim ipse se insignem in abdomine dolorem percipere, qui & ad ventriculum ascendit, eumque infestat, & in aurora potissimum inuadens, duas horas durat. Præterea scribit & imminutam, ac tardam coctionem pati, quando manifestè post multas horas ab assumpto cibo saporem, & odorem cibi percipiat; Præterea, de sputo fluuido & aquoso amaroque conqueritur. Postremò, & aluum vltra consuetudinem adstrictam habet. Quæ verò dubia, & incerta, partim ad loca affecta, partim ad affectus ipsos attinent; de locis quidem id est controuersum & incertum, an dolor abdominis sit vel in liene, vel in intestinis, vel vtrobique: nam patiens vtrumq; viscus proponit. De affectibus id quoque est incertum, an subsint alij morbi præter enarratos, suspicio enim esse potest icteri, tumoris lienis, & affectus hypochondriaci. Cum igitur ferè nil certi ex litteris acceptis de his statui possit, liceat mihi interim circa præterita, ac præsentia discurrenti, veluti diuinando sententiam meam in medium proponere.

De locis igitur affectis statuo, non tantum ventriculum, sed & lienem, ac intestina affici, nam cum R. patiens antea febres quartanas sit passus, quæ inter cætera mala

E id potissimum faciunt vt ventriculum labefactent, & in ipsis lien ex Galeno experientia ac ratione afficiatur, & affectus his duobus visceribus facillimum sit, labem intestinis communicari, puto omnia hæc viscera laborare intemperie, ac obstructione, & inter intestina crassa non autem tenuia, quando nullius vomitus mentio fiat.

De affectibus verò sic sentio, quod quia lien est affectus subsit icterus præcipuè niger, immo verò & in liene subesse tumorem scyrrhosum ex longa patiendi consuetudine assererem; tandem si mores patientis animaduerto, cum videam litteras ab ipso conscriptas esse querimonijs plenas, hasque in illis sæpius repeti, & longa oratione, ac serie explicari, præterea & noua remedia eum semper quærere, obseruemque sputũ humidũ, aluum adstrictã, ventriculi dolorem, lienem malè affectum, quæ omnia melancholiæ myrachialis sunt soboles; ideo hac ipsa eum laborare quasi pro certo habeo, in cuius confirmationem adduco & quartanas prægressas, obstructionesque F iuges hypochondriorum.

Cum igitur res ita sese habeat, omnium horum malorum, immo etiam præteritorũ occasionis initium refero in vnum lienẽ malè affectuum ac obstructionibus refertum hunc enim quartanas initiare posse nemo est qui neget, hinc non est mirum, si à quartanis dius fuerit vexatus, deinde cum in dies magis, ac magis idem lien à naturæ statu ad frigidum lapsus sit ventriculi crasim ad frigidum permutauit, ad quod peragendũ, vt dictum est, quartanæ maximum habuere momentum, proinde ventriculus refrigeratus in dies diminutè concoquit, & pituitam, ex pituita verò flatus gignit, quæ retenta in illo, & ad intestinorum spatia demissa, vtrobique dolorem soluta continuitate per distrationem pariunt, quid verò causæ sit quod in aurora eum inuadat sic decerno. Noctu retrahitur calor naturalis, (nam hora somni partes internæ semper fiunt calidiores,) cum igitur ea hora calor sit validior, magis etiam agitat, ac mouet, & pro-G inde flatus ex humoribus crudis gignit, qui non dissipati, sed collecti in ea copia, vt insigniter lædant, quod accidit in fine noctis, dolorem excitant. Immo verò ijdem humores crudi per venas meserei, & iecoris propagati fouent, atque augent obstructiones, quæ alioqui à liene non bene defœcante sanguinem, habuere inchoationem, merito quarum obstructionem venæ meseraicę, & iecur æstuantia, illę quidem affectui myrachiali, hoc verò sputi amarori occasionem præbent, vtraque verò simul, medio eodem feruore fœces siccando aluum stipticant, ad quod conducit & aliqua intestinorum crassorum ob materiam crassam obstruentem angustia & flatus suspendentes, tandemque forsan & defectus bilis, quæ ad duodenum intestinum pro irritanda expultrice intestinorum demandari solet, deficit verò eadem bilis ob vasorum angustiam, quoniã sine dubio in nostro patiente sunt obstructiones insignes in naturalibus visceribus, vt ex ictero facilè est intelligere, nec obstat, quod sputum sit amarum, & propte-H rea bilis ad ventriculum transmittatur, quare & ad intestina. Primo quoniam pauca admodum bilis ad sputi amarorem sufficit, quæ ad irritandam aluum minimè sufficere potest. Secundo esto quod bilis transmitteretur sufficiens, posset tamen à pituitæ præsentia retundi; Ex his igitur patet occasionis initium, patent etiam & occasiones seu causæ proximiores.

Remanet igitur pro salute huius Reuerendi viri vt lien ab obstructionibus per attenuantia, ac detergentia, ab intẽperie per calefacientia liberetur, quibus de obstruentibus præsidijs iecur, & vasa meseraica, calefacientibus verò ventriculus & intestina indigent, sed & flatus dissipandi humor impactus, & non impactus per totum propagatus prius est euacuandus, dolorque mitigantibus demulciendus.

Quæ præsidia, an ad vsum perduci possint, etsi possint cum ægri iuuamine, videre oportet quocirca cum nobis sit agendum contra mala ferè habituata, quæ in dies ingrauescũt, sunt que contraria, & aliqua ex his, vt audio hæreditaria ex materia viscida,

& crassa

& crassa orta, & non tantum viscera præcipua malè habent sed etiam totum afficitur, A atque cum difficili tolerantia, cum patiens referat, agilitate, ac facilitate solita (vt verbis illius vtar) corpus non moueri, puto auxilia proposita ad vsum perducta minimè posse hæc mala finire, spero tamen futurum ob prudentiam, & ætatis florem (agit enim vigesimum nonum annū) ipsius patientis, vt remittantur, ac maiora præcaueantur.

Quæ spe hac fretus ad materias præsidiorum à chirurgicis exorsus descendo, sanguinisque missionem tum ex saluatella sinistra, tum ex venis ani per hyrudines applicitas, itemque cauteria non tantum in femoribus, sed etiam in abdomine ad hypochondria inusta, & immo & syciam magnam cum multa flamma regioni vmbilici adhibitā, frictionesque & deligationes perennes extremorum suo tempore quæcumque vsurpata laudo.

Medicamenta præmittantur communia, quare aluus syrupo de polypodio magistrali, & mell. ros. sol. vel hyera, & electuario lenitiuo leniatur, humores decocto betonicę, boraginis, cicorij, agrimonij, Citrach, & Cuscutæ adiectis proprijs syrupis pręparentur, præparati verò infuso Agarici trociscati, Rhabarbari, & Senæ cum syrupo de polypodio dicto educantur. Huc referantur pro secunda præparatione oxymel compositum cum syrupo de cicorea cum Rhabar. & de fumaria simplici, pro secunda expurgatione Catapotia aggregatiua, vel de helleboroto cum masticinis, aut medicamentum ex Diaphinicone, confectione hamech, & electuario lenitiuo paratum, immo verò & hyeræ magnæ mihi probantur. Verum quia scio repetitam aliquam adhuc purgationem fore necessariam, ideo aliqua etiam, modesta tamen & placida medicamenta purgatio mihi probantur, ergo syrupus de polypodio magistralis, pilulæ de tribus cum Rhab. ac puluere epitimi mihi arrident, Sed Autumno sequenti pro euacuatione insensibili totius ius columbi turrialis, vel galli vnius ani, cum sassafras, china & sandalis medicatum, præassumpta pillula ex sale theriacali, ac lacryma therebinti, vel ex trociscis viperinis ad plures dies vsurpatum erit conueniens sicuti & theriaca mediæ ætatis Serena ab antiquis vocata aliquoties deuorata.

Habita totius prouidentia, ad medicamenta particularia deueniendum quæ si respiciant materiam obstruentem, sunt interna, & externa in serie priorum præter iura proposita quibus simplicia idonea sint adiecta, quæ ex chalybe præparato cum hepaticis, ac spleneticis parantur, item & succum absynthij concretum cum gummi ammoniaco cui statim oxymel factum ex decocto radicum asari, ac liquiritiæ insuperbibatur omnibus antepono, exterius verò fotus vel embroca ex decoctione absynthij, rutæ, calamintæ pulegij, diptami Cretici, radicum filicis maris, & Altheæ in vino odorato parata, præterea & ceratum sacrum cum portione Diachilonis gummati, tandemque & sacchulus ex eisdem simplicibus paratus pro ab domine, & eius partibus mihi arrident.

At si medicamenta priuata dirigantur ad flatus, interius oleum chymicum ex seminibus odoratis factum, aqua stillatitia cinnamomi, Diacyminum, vinum Hypocras, exterius verò fotus propositus, cui semina odorata sint adiecta conueniunt.

Postremo si medicamenta ad viscera referantur, nisi macies abdominis obstet pro curando ventriculo thermæ calidæ essent miri vsus, aliàs stillicidium ex oleis stomaticis ebullitis in duplici vase cum vino Cretico, myrrha, Bezoiono, mastiche, & laudano item & ius columbi cum nuce muscata, ligno sassafras, polio montano & similibus ad plures dies sumptum valent, etsi feruor aliquis in hepate obseruetur, succus cicoraceorum intus, & extra vsurpatus est accommodatus.

De victus ratione nil ferè habeo quod dicam, quando ab Excellente viro, qui illius curam habet eam exactè institutam esse sciam, illud tamen in memoriam reuocabo, vt

E omnem repletionem, ac cruditatē euitet, puluereque coctili ex agalloco, croco, coriandris, & pane biscocto cum saccaro parato in suis cibarijs vtatur, & vinum tenue, ac fuluum medicatum cum floribus anthos, vel cum absynthio bibat, quod etiam magis, ac magis probo, si cum carduo benedicto, vel chalybe præparato & per sacculum cum puluere coriandrorum immacerato alteretur, dicam etiā illud, quod aluus mollis seruetur, vel clysteribus ex iuribus pinguibus, & oleo amygdalino dulci paratis, vel pilulis de aloe succotrina cum succo rosarum lota deuoratis, vel tandem pane ex tota farina cum sale, anisis, & passulis in prima mensa iugiter commanso. Hæc habui quæ proponerem pro salute admodum Reuerendi Canonici, quam illi à D. O. M. non possum non summis præcibus contendere.

F

PRO ILLVSTRISSIMO BARONE
Germano imaginibus oculorum detento.

CONSVLTATIO CXXXVII.

DVAE sunt rationes, quæ vt in tractando casu Illustrissimi Baronis maxima diligentia vtar suadent. Vna est, quod oculi, de quorum aduersa valetud ne mihi interim est agendum, nacti sunt prærogatiuam ex Galeno, vt ausus fuerit affirmare, caput, & proinde cerebrum, membrum præcipuum, factum G fuisse ob oculos; Altera est, quod oculus tam variam, atque multiplicem habet compagnem, & constructionem, vt etiam varios, & hos ipsos cognitu difficiles morbos sustineat. Verum tametsi maxima diligentia mihi adhibenda sit, nihilominus insigni vtar breuitate, atque tria tantum enodabo. Primum erit, quis nam verè sit affectus præter naturam, qui in viro nobilissimo operam Medici exigit; Alterum, an affectus ille sit sanabilis. Tertium & postremum, si sanabilis vel saltem præseruabilis, quibus remediorum materijs.

A primo itaque exorsus, dico, quod affectus de quo conqueritur duplex est, alter quidem naturalis & à primo semine contractus: alter verò ab hinc septem menses acquisitus, ille quidem est diminuta actio videndi, qua exactissimè vicina videt, idque magis secundum oculum dextrum quàm sinistrum, medijs tamen ocularibus, remota verò non æque bene, qui affectus interim tanquam natiuus & minimè curabilis est H relinquendus. Illud autem certissimum est, quod quia exactè videt, spiritus sunt clari qua verò à longe probè non videt, ijdem spiritus pauci, ac nimis tenues sint oportet. Affectus autem alter, qui ascititius est, & operam medicam exigit, refertur ad imagines quasdam, & simulachra, seu Idola, quæ à tēpore superius statuto, narrat, se videre & magis secundum oculum dextrum, quam sinistrum, magisque in claro, quam in obscuro. Imagines autem hæ referuntur ad lineam nigricantem, cui globusculi quidam videntur appensi, minoresque quidem in extremitatibus lineæ grandiores in medio, & hi grandiores in medio sunt Diaphani, sic etenim in scheda data refertur, & querelæ in ipsa ab illustrissimo patiente propositæ, omnes in lineam prædictam cum globusculis propositis referuntur.

Sed iam sedes affecta atque constitutio huius mali sunt expendenda. Quantum attinet ad sedem affectam, illud certissimum est; Idola illa esse inter chrystallinum humorem, & corneam, atque aut inter albugineum humorem, & Rhagoidem, vel inter

vel inter Rhagoidem, & corneam. Hic sine dubio vitium est, inter albugineum & A Rhagoidem, alias si inter corneam, & Rhagoidem, pupilla euidentius obtenebrata obseruaretur, oculisque non obuersarentur spectra aliqua, refertur tamen in chyrographo, oculum optimè constitutum apparere & pupillam secundum naturam esse affectam; Item & oculis obseruari phantasmata iam dicta. Quantum verò attinet ad constitutionem huius vitij, dico, quod necessarium est illud pendere à vapore, vel ab humore, seu minera. Non quidem à minera; quoniam malum grauius esset, ergo à vapore, qui cum possit esse vel crassissimus, tenuissimus, & mediæ naturæ, vel melancholicus, pituitosus, biliosus, & sanguineus primum dico esse vaporem mediæ naturæ quoniam vbi est crassissimus spectra sunt animalia, nimirum culices, muscæ, vbi est tenuissimus, idola illa pilos, & filamenta tenuia redolent, quæ cum absint in nostro casu nam phantasmata sunt linea, capillum quidem referens, necnon globusculi lineæ appensi, ideo imagines illæ mediæ sunt naturæ. Præterea, idem vapor est à prædominio melancholicus, deinde pituitosus, nam pro maiori parte est niger & prout Diaphnitatem aliquam globusculi illi redolent, significatur, vaporem redolere etiam naturam pituitosam. Cœterum, cum vapor hic referat imaginem iam propositam, & in oculo nullum manifestum malum cernatur, necessarium est fateri mineram huius vaporis extra oculum esse, ergo aut in capite, aut in partibus subiectis, aut in toto. Non in toto, quia corpus satis bene constitutum proponitur, puto igitur à capite prodire vaporē pituitosum, quia sicuti ob calorem natiuum imbecillum, destillationem, quæ ad gingiuas molesta deponitur parit, ita ex eadem materia destillationis ob eundem calorem vaporem producit ad oculos à primo semine imbecillos, & ob id ad suscipiendum aptos transmissus, apparentias illas efficit. Cęterum, quoniam ex masticatorijs adhibitis, ex cauterijs tum in Nuca, tum in vtroque brachio inustis nullum iuuamen persentit, necessarium est, malum hoc aliunde fomentum habere, in cuius confirmationem, & id facit, quod cum apparentiæ illæ pro maiori parte sint nigricātes necessarium est, vt si soboles humoris melancholici, qui cum non generetur in capite, nisi ob feruorem derelictum ab aliqua dispositione ignea, vti à phrenitide, vel à timore & mœstitia immoderatis, quæ absunt in nostro casu, ergo oportet, vt humor hic melancholicus generetur vel in hepate feruido, vel in meseraicis obstructis ac calore æstuantibus, à quo fumi in caput & proinde in oculos delati. Idola illa nigricantia efforment. In cuius rei confirmationem faciunt mores illius Illustrissimi Baronis, qui melancholiam redolent, quicumq; enim in constituendis machinis torno, & in inspiciendis volatilibus occasione venationis occupantur, proculdubio mores melancholicos sapiunt, etsi aliquis contra hoc obstaret, quod magis afficitur oculus dexter, quàm sinister, & quod idola sunt permanentia; vt propter hoc non sit necessarium à partibus subiectis oculis labem communicari, hic ipse sciat, hæc accidere, quia oculus dexter forsan est imbecillior sinistro, Præterea propter rectitudinem magis ab hepate recipit. Quantum verò ad continuationem affectus, dico quod præter id quod iugiter à capite suppeditatur materia, non est inconueniens, quod etiam à partibus infernis communicetur materia, vt aliquando etiam fiat, morbum aliquem per consensum esse continuum, quia causa morbifica continuè agit. Quibus in hunc modum sese habentibus, apparet imagines propositas non vitio imaginationis, vti in delirijs, sed vitio occulorum suam habere generationem, & hæc de primo capite dicta sufficiant.

Erat aliud, quod ad partem prognosticatricem attinet nimirum an malum prædictum sit remediabile, de qua ita statuo, nimirum vix malum hoc curari posse, nam prçter id quod incidit in oculos à natura imbecillos fabrefactos, tāquam forsitan valde progressum, materijs Medicis valde reluctatur, video enim cauteria in brachijs, & in

E in Nuca citra aliquod iuuamentum vsurpata fuisse. An verò immineat suffusio necne dico, quod tametsi Auicennas affirmauerit, post sextum mensem ab istis apparentijs non imminere suffusionem; nihilominus ego experientia edoctus affirmare possum, & ante, & post illud tempus ab imaginibus illis subsecutam fuisse suffusionem, & quod post illud tempus id fiat, clarissimè habetis à Galeno quarto de locis Affect. capite secundo, vt propterea valde suspicer, ne malum hoc in catarractam degeneret, & eò magis, quia Idola hæc non pendent à materia tenuissima, quæ in oculis minimè concrescat, sed vt dicebam à materia partim crassa, & partim tenui, & nisi oculi nobilissimi patientis, vt qui in scheda Leonini, & fului proponuntur, essent ita calidi; & æstuantes, fuluus enim color, est ipsius ignis color, & Leoninus oculus valde calidus esse solet, ego puto, quod iam suffusio apparuisset, vt hisce nominibus ego arbitrer, cataractam imminere.

F Erat tertium, quod proposueram de materijs Medicis, quæ indicationum inuentionem supponunt primum igitur totum, deinde caput ab excrementis iam dictis etiam expiandum; post hæc capitis, iecoris & hypochondriorum alterationi incumbendum, à quibus omnibus, quicquid in oculis præter naturam continetur, est discutiendum & euacuandum. Sed iam ad materias medicas deueniendum, in serie quorum auspicatus à chirurgia, sectionem venæ negligo, tanquam eam, quæ in imminuta visione ab omnibus potissimum verò à Principe Auicenna suspecta habetur. Accedit, quod in præsenti non adsint scopi illam indicantes, non negarem tamen cum fructu sanguinem ex venis podicis; per hyrudines extrahi posse, ea tamen ratione, vt sanguis crassus & fęculentus exeat, hac enim ratione venis hypochondriorum expiatis à sanguine fęculento, occasio effumationis in oculos subtrahetur. De cauterijs verò in ita statuendum mihi videtur, vt quod in Nuca est, ac brachio sinistro conseruetur, quod in bra-

G chio dextro claudatur, & nouum in femore dextro secundum partem domesticam excitetur; Immò verò quod in nuca ipsa gestatur, non excrementa euacuet, prout optaretur, probarem vt eo clauso in syncipite aliud indureretur, & per aliquot dies apertum seruaretur, nam præter alia comoda illud vnum præstare posset, vt vapores ascendentes per ipsum euacuerentur, immò verò Medici antiqui in similibus casibus à cauterijs ad vtramque eminentiam capitis inustis non abhorrebant, quemadmodũ nec ipse abhorreo ab aurium perforatione, & assiduis frictionibus, deligationibus, lauationibus, ventosationibusque partium extremarum, ac pectinationibus mane in posticam capitis partem factis.

Pharmaca, gratia primum totius, deinde hypochondriorum, tertio capitis, postremo oculorum sunt vsurpanda, gratia totius, lenientia primo loco ex hiera picra Galeni, superbibito per modum apozematis syrupo de polypodio magistr. vel ex casia &

H speciebus eiusdem hieræ parata. Secundò præparantia ex decocto cicoraceorum, boragine, melissæ, betonicæ, eufragiæ, & fœniculorum cum suis syrupis confecta. Postremò verò purgantia ex pilulis cochijs helleboratis, vel cum aureis, & sine quibus, vel ex hieris magnis helleboro refertis efformata probantur. Huc quoque referenda sunt quę & insensibiliter euacuant, ergo chinę decoctum, immò verò & ipsius salsæ, modicique guaiaci in iure viperino paratum, sandalis, vel cicoraceis castigatũ, plantisque præcipuè ocularijs medicatum, ad plures dies bibitum erit maximi vsus, & si viperæ non poterunt haberi, quemadmodum in Germania non ita facilè habentur, paretur decoctum in aqua communi, deinde ante syrupum matutinum bolus ex trochiscis viperinis vel sale theriacali, cum conserua boraginis, & betonicæ efformatus deuoretur. Mox studendum est obstructionum reserationi per medicamẽta aliqua chalibeata, post quæ danda est opera, vt caput euacuetur Catapotijs iam propositis, potissimum verò pilulis lucis, & assaiaret Auicennæ aliquoties deuoratis. Item & masti-

masticatorijs iam etiam adhibitis ex pulpa carthami, puluere euphragiæ, masstiche, & A caricis, ac cera paratis, nisi tamen destillatio ad gingiuas hæc prohibuerit, quibus non vererer puluerem Maioranæ, quæ ex Rhase solum odorata, imagines depellere solet admiscere. De sternutatorijs, etsi sciam ex Hippocr. in libell. de locis in homine probari, in imaginibus oculorum nihilominus cauendum est à fortioribus, quare penna gallinacea imbuta succo maioranæ, in quo manna sit liquata in nares immissa conducet, quæ narium medicamenta, etsi aliquibus in affectibus oculorum videantur suspecta, nihilominus quia humorem quem attrahunt, etiam foris educunt, possunt tutò vsurpari, quod video, etiam factum fuisse à Gal. 3. loc. A quibus omnibus pro iecoris, ac hypochondriorum alteratione, non modò serum caprinum depuratum, cum succo cicoraceorum, & thermæ frigidæ mineræ, bibita, vt decet, sed etiam balneum aquæ dulcis tepidæ toti corpori adhibitum, sunt maximi vsus. Sicuti & ad capitis alterationem, conseruæ capitales, & euphragiæ, immò verò & theriaca serena mediæ ætatis cum saccharo rosaceo castigata lotioque capitis ex lixiuio cum bacchara, verbena, myrto, & rosis medicato, necnon embroca quæ siccet, & in actiuis sit temperata, tum artificialis, tum naturalis, quã magis ꝓbo opportuna vidẽtur, & eò magis, si vna cum lotione adhibeatur vsus Saponis Damasceni cum cariophyl. santal. ligno aloes medicati, in pilas redacti, & exiccati. Tandem insistendum medicamentis ocularibus, tũ internis, tum externis, in serie priorum, tum confectionem humani vocatam, tum vinum euphragia vel verbena medicatum, immò verò sal chymicum ex eufragia, & verbena, ac maiorana paratum etiam, atq; etiam probo, quò refero puluerem cibis inspergendum ex flore nucis muscatæ, euphragia, & saccharo fino paratum, morselli quoque ex carne viperina, puluere euphrag. & fœnic. cum saccharo dissoluto in aquis ocularibus facti mihi valdè arrident. In coordinatione autem externorum ego ab acribus omnino abstinerem, quo circa liquorem stillatitium ex vermibus in carne viperina natis; & Chelidonia recenti, vel aqua maioranæ, in qua aloes, & tutia ignita sint extincta, vel destillatum ex conserua euphragiæ; vel vinum medicatum cum seminibus rutæ, & maioranæ instillarem in oculos, atque his admouerem, sicuti & insufflationem in oculos Illustrissimi patientis fieri ab homine sano ieiuno, qui fœniculorum semina masticauerit, curarem.

Quæ omnia vt prodesse possint, patiens nobilissimus omnem aeris inclementiam, quantum fieri potest, aufugere debet; amplius bonis cibis vescatur, & in fine mensæ comedat cydoniatum, coriandros saccharo semitectos, saccharum rosaceum antiquũ, poma, & pyra austera, sub cineribus cocta, & vapores à capite arceantur, quo nomine edulia omnia, quæ in caput vaporibus facilè feruntur, sunt detestanda. Bibat vinum album, tenue, pauciferum, quod magis proderit, si tempore vindemiarum, cũ china, santalis, radicibus buglossi, & euphragia alteretur. Aluum sibi lubricam vsu panis ex D tota farina, cum sale, fœniculis, & passulis parati, & in prima mensa comesti, vel aloe succotrina, succo rosarum nutrita, aliquoties ante cœnam deuorata, seruet. Dormiat capite humili, & cruribus retractis, ne ità facilè in caput ferantur vapores, & vt coctio melius procedat, fugiet somnum meridianum, & statim à cibo factum, corpus exerceat ambulationibus, equitationibus, gestationibus in curru, & venationibus, sed modestè, & tẽpestiuè, & omnem visus defatigationem in aspiciendis ipsis auibus uolantibus omninò deuitet, & ab operibus per tornum factis ad longum tempus protractis, & statim à cibo factis, caueat. Postremoque mærores, tristitias, curas, solitudines aufugiat. Deus autem optimus maximus, qui uerè omnes nostros languores sanat, hæc omnia fœlicitet, & secundet.

E

PRO ILLVSTRISSIMA MATRONA BONONIENSI audiendi actione tum diminuta, tum deprauata laborante.

CONSVLTATIO. CXXXVIII.

ADEO varia, ac multiplex est structura, & compositio organi visus, & auditus, vt arduum, ac difficile sit ipsi Medico aliquid certi de vtriusque dispositione tum naturali, tum præter naturam constituere, vt propterea res hæc non vulgari, sed erudito, & admodum diligenti Medico indigeat, quocirca F & ipse de læso auditu in illustrissima hac Matrona tractaturus, maximam diligentiam adhibebo. Laborat igitur actione audiendi deprauata & valde imminuta ab hinc ferè quatuor annos, deprauata quidem, quoniam iugiter sibilium, tinnitumque in vtraque aure persentit; imminuta verò, quoniam prope, & non longe, etiam si occurrat sonus magnus audit; Ille affectus ab Alzarauio aurium tonitrus, ab Auer. 4. Colliget, auditus phantasticus, hic verò subsurdities vocatur, hinc surdastri.

Quorum vitiorum generationem refero ego in frustrationem facultatis auditricis, quæ frustrari potest vel ob morbos organi vel ob causam morbificam, sicuti Gal. 4. de Sympt. caus. cap. 1. de qualibet facultate docebat si morbos organi respicio, hi considerari possunt ratione facultatis animalis communis, vel determinatæ, prout scilicet ad auditum contrahitur, ratione quidem facultatis communis occurrunt morbi cerebri, & nerui quinti paris, qui à cerebro ad partem, cui primo debetur actio audiendi G in organo auditus progreditur, & per ipsum facultas animalis auditui communicatur. Morbi verò ratione facultatis determinatæ auditricis pertinent vel ad neruum illum quinti paris circa principium labrynthi expansum, & est pars principalis, cui actio audiendi primum debetur, vel pertinet ad alias partes non principales ipsius auditus, quæ ad meliorem actionem faciunt, suntque internæ, & externæ, internæ sunt aer innatus, meninga, seu miringa, & membrana secundum Arabes, itemque & ossa, quæ meatum auditorium osseum constituunt, partes verò externæ sunt Cartilagines, ex quibus meatus auditorius externus Cartilagineus dictus conficitur, tria autem illa ossicula omittuntur, quoniam nil ad actionem faciunt, sed potius ad tutelam partium dictarum. Hic autem sine dubio non frustratur facultas auditrix ob morbum cerebri, & nerui quinti paris deferentis facultatem animalem communem, quoniam si ad cerebrum respicio, nec apoplexiam, nec epylepsiam, nec alium similem affectum obser- H uo, immo verò nec intemperiem admodum frigidam, merito quorum non fit auditus, aut valde imminuitur, quia facultas communis impeditur, & non influit, atque etiam labefactatur, sed nec neruum deferentem facultatem animalem affici existimo, quia neruus hic non afficitur, nisi affecto cerebro, quocirca cum cerebrum sit immune à morbis iam dictis, ergo & neruus à morbo liber erit.

Videndum igitur an aliqua pars organi auditorij laboret, vtrum igitur afficiatur primum neruus expansus, qui est portio nerui quinti paris, merito dubitari potest: quoniam cum nulla læsio cerebri obseruetur, & in parte extima nulla appareat noxa visus, Olfactusque vigeat, & solus auditus sit læsus, rationi consentaneum videtur, neruum expansum affici, nihilominus vt verum fatear, puto ego, in neruo expanso, aut nullam, aut exiguam noxam reperiri; aliàs necesse esset nec prope sonos audiri nec consuetam per nares euacuationem copiosam prodire, sicuti nunc prodit, sed nec meatum osseum laborare existimo, quoniam non fieret percussio aeris

in aure, & proinde nec tinnitus, nec sibilus, immo nec meatus Cartilagineus, quia nil ad sensum apparet, relinquitur igitur, affici aerem internum, & miringam Tympani principium, quod afficiatur aer internus quatenus impurus redditur, facilè persuaderi potest, quoniam ei immiscentur vapores, & humores à capite trasmissi, & proinde necessarium est aerem illum internum affici, à vaporibusque, & humoribus inspurcari, vti ex tinitu, & sibilo in vtraque aure percepto colligitur; Miringa quoque laborat, quia Illustrissima mulier cum occasione expurgationis puerperij à partu coacta fuerit per mensem in cubili clauso morari, deinde subito aeri frigido sese exposuerit, credendum est miringam ipsam affectam fuisse, & nunc etiam affici, quo autem morbo, ex præteritis non est difficile intelligere, nam subito hic affectus inuasit, idcirco pro certo habendum densitate affectam fuisse ipsam miringam, illa enim subito fit.

Quibus sic declaratis, non est difficile captu tinnitum illum à vaporibus iam dictis in aere interno conclusis, & exitum quærentibus prodire, nam vbi exitum quærunt mouentur cum impetu à neruo expanso ad finem meatus auditorij, hinc ab osse percutiuntur, & proinde fit sonus ille, ac tinnitus, liquet etiam ex dictis ob densitatem, miringæ auditum valde imminui, nam sonis, & eorum speciebus ingressus perfectè non admittitur; Cuius autem census, & naturæ sint humores, ac vapores illi, qui à cerebro transmittuntur sic explicare licet. Nobilissima hæc mulier est temperamenti calidi secundum totum, & præcipuè secundum iecur, ac caput, ergo necessarium est caput ipsum attrahere à toto, potissimum verò à iecore succos, & vapores calidiores, Amplius quoniam cerebrum plus iusto debile insignem copiam excrementi crassi, & frigidi, adiuuante aere externo frigido coaceruat, puto materiam morbificam mixtam esse, partimque calidam, partimque frigidam esse, hinc non est mirum si in auribus calorem persentiat, & tempore hyemis peius habeat, quod autem aer frigidior generationem excrementi frigidi iam dicti atque miringæ morbum foueat, & augeat non est difficile suadere ex eo, quod nobilissima hæc matrona continuo habitat ædes frigidissimas.

Quæ igitur partes Medici sint curantis patet, nam necessarium est humores, & vapores in auribus contentos absumere, prius tamen impedimenta sunt remouenda, in quo munere obeundo eadem penitus ratione incedendum, qua Diuinus Plato, & Galenus in oculis curandis progredi oportere affirmabant, prius enim ante aurium curationem iecori, ac capiti prospiciendum, & ante horum curationem toti est prospiciendum.

Verumtamen quoniam mala hæc sunt confirmata, & nobilissima matrona loca frigidissima inhabitat, Medicus scopos propositos vix attingere poterit, idcirco præseruationi vacandum, atque in id incumbendum vt ne aliquid grauius huic Illustrissimæ fœminæ contingat. Propterea si id materijs Medicis Chirurgicis Medicus perficere studeat, & venæ basilicæ dextræ sectionem ad iecur euentandum, & cauterium, si non in occipite, saltem in brachio dextro adhibere debet, nec a frictionibus, deligationibus, ventosationibusque extremorum siccis est desistendum.

Medicamenta verò sint placida tum vniuersalia, tum particularia, nã nobis agendũ est cum patiente delicata, ideò pro lenienda aluo mel rosatum, & mannam, pro præparandis humoribus iusculum cũ betonica, & cicoraceis medicatũ, pro deturbandis eisdem humoribus præparatis infusum agarici, rhabarbari, cum manna, vel diacarthamum solidum, tamquam magis gustui gratum probo. Veruntamen, quoniã totum medicamentis etiam insensibiliter agentibus euacuatur, decoctũ chinæ, sandalorum, & radicis pentaphilli, cum cicoraceis medicatum laudo, ea tamen ratione, vt scrupulus vnus trociscorum de viperis ex conserua cicoracea ante syrupum matutinũ detur, in cuius

E cuius medimamenti vsu plures dies est prosequendum.

Post hæc ad vsum perducenda sunt medicamenta particularia, & pro capitis exiccatione lotiones factæ cum lixiuio ex cinere radicum oliuæ, adhibito vitello oui assi loco saponis, item & Mithridatica confectio cum conserua rosarum antiqua hora somni deuorata mihi probantur, ea tamen ratione vt caput prius tum errhinis, tum masticatorijs euacuetur, errhinis quidem ex aqua hordei, & manna, vel ex mulsa cum succo betæ, vel sampsuci, vel tandem ex simplici anagallidis succo cum portiuncula mellis ros. sol. Masticatorijs verò ex radicibus Altheæ & maluæ siccatis, vel sola mastiche factis, lotioneque non sufficiente, non verebor vsum emborcæ alicuius naturalis in actiuis temperatæ.

Pro iecore, quod in generatione huius vitij maximam habet partem, thermæ Lucenses, vel potius Porrectanæ veteres; tamquam minus ventriculo infensæ, probantur, F imo verò & irrigationes hypochondrij dextri factæ cum succo cicoraceorum, adiectis aceto, & speciebus confectionis ex tribus sandalis & ab irrigationibus inunctiones factæ ex Galeni vnguento refrigerante, & sandalino conueniunt.

Tandem pro auribus suffumigia, instillationes, & tentæ probantur, & quamuis suffumigia plura esse possint, ego seligo illud quod fit ex absynthio in aceto, & aqua salita decocto, ea tamen ratione, vt fumus per cannulam in aures excipiatur. Instillationes variæ occurrunt, mihi præter aquam theriacalem, & oleum ex nucleis persicorum tria vel quattuor medicaméta sunt in vsu, primum fit ex amygdalis amaris, & nucleis persicorum tusis cum succo radicis cyclaminis, & aqua ardenti ferue factis parum, & expressis alterum fit ex succo hædere cum vino, vel aqua ardenti, tertium ex ouis formicarum cum succo cepæ contusis, postremum ex oleo synapis, tenta etiam, vel ex sola radice cyclaminis vel ex pulpa collocyntidis, & carthami cum oximellite excepta nō G improbatur. Victus talis adhibeatur, vt quantum fieri potest aerem frigidum aufugiat potissimum tempore hyemis, ideo panni aliqui in cubiculis illis magnis superponantur ad medium cubiculorum, vt minus aer officiat, abstineat à cibis vaporosis, & calidis, crassis, & viscidis, & vescatur bonis carnibus, ouis, piscibus aquarnm quæ claræ sunt olera parcè comedat, quod & de fructibus intelligere oportet, bibat vinum subrubrum tamquam minus caput feriens cum china, sandalis, radice pentaphili, & floribus anthos medicatum, & à cibo vtatur coriandris præparatis, & cydoniato. Reliqua verò prout expedit respondeant. Quæ omnia D.O.M. secundet.

PRO ADMODVM REVERENDO PRIORE SANCTI VENANTII H Fabrianensi visione diminuta secundum oculum sinistrum laborante.

CONSVTATIO. CXXXIX.

DIMINVTA actio videndi secundum oculum sinistrum in admodum Reuerendo Viro, quia affatim ingruit, procul dubio ab angustia per obstructionē nerui visorij, quæ subito fit suam habuit generationem: cum autem visio ex toto non fuerit ablata, eandem angustiam non extitisse integram pro certo habendum, atqui quoniam affectus in dies magis, ac magis inualuit, necessario aut angustia adaucta, aut alia causa morbifica adiuncta est, quod postremum ex insigni, & manifesto suffusionis rudimento ab excellenti curante in oculo obseruatum fuit,

fuit quæ suffusio cum nil laliud sit, quàm humor excrementitius vt plurimum crassus A inter humorem crystallinum, & corneam, si Galeno credimus, modò inter Ragoidem, & corneum, modò inter ragoidem, & albugineum concretus, difficile admodum iudicare, an hic, an ibi resideat non solum quia in litteris ad me missis ferè nil de hac re certi habetur, verùm etiam quia hoc ex propria natura ferè imperscrutabile existit, tametsi coniecturis quibusdam posse distingui ea ratione putem, quod si pupilla obtenebrata clarius à Medico cernatur, & culices à principio volitantes non apparuerint, humor inter corneam, & ragoidem constituatur oportet, si contra, intra albugineum & ragoidem; Cœterum ex litteris mihi scriptis tacitè etiam id haberi posse haud dubito dum enim proponitur manifestæ catarractæ initium, nil aliud est dicere, quam humorem esse inter corneam, & ragoidem, quoniam dum manifestè catarracta apparet necessarium est pupillam obtenebratam manifestè apparere.

Verùm omnium horum malorum & occasionem, & occasionis initium, quę in mor- B bis Hippocrates secundo epyd. Medico indagari oportere scribebat perquirere oportet initium occasionis sine dubio fuit vulnus à globulo sclopetario inflictum humero sinistro cum insigni sanguinis effusione, quoniam antea uullam de visione quærelam admodum Reuerendus vir habuit, sed qua ratione mala præsentia susceperint originem ab hoc vulnere, non ita meo iudicio apud omnes constat, ideo id perscrutari oportet, & hoc cognito, veram etiam occasionem morborum dictorum, meritò quorum visio vitiatur, habebimus; puto igitur ob vulnus illud cerebrum præcipuè secundum partem sinistram, necnon oculum partis eiusdem insigniter passa fuisse ob rectitudinem, & consensum vasorum, ac neruorum, nam vasa sanguinem cuntinentia fuisse læsa hemorargia indicio esse potest, neruos pariter fuisse dilaceratos ex eo conuincitur, quia fractis, disruptisque vasis nemo vnquam negabit, & neruos vicinos rumpi, quod autem affectis vasis præcipuè autem neruis, cerebrum, ac partes immediatè illi C hærentes patiantur, quilibet etiam vulgaris Medicus concederet, vt propterea non sit mirum, si cerebro consentiente parti vulneratæ excrementum crassum coctionis in illo celebratæ & agitatum fuerit, & in neruum opticum per foramen, quo peculiariter inter alios neruos insignitur ad suscipiendum aptum decubuerit, sicque primum angustiæ nerui dederit occasionem, deinde peruerso eodem cerebro secundum proprium temperamentum idem excrementum adauctum & ad oculum perductum suffusionem etiam inchoauerit.

Quibus nisi citò succuratur non modò oculus laborans ex toto visionem amittet, sed etiam sanus tum ob cerebri imbecillitatem acquisitam, tum quoniam ob neruorum visoriorum vnionem ac incruciationem facilè fit vt vno oculorum affecto, alter etiam afficiatur, quòd verò ad præsentes attinet affectus si ad angustiam respicio, hæc quoniam non est integra potest amoueri, cum insigni tamen difficultate non solum ob D ætatem inclinantem, in qua deficit calor naturalis, agit enim annum quinquagesimum quartum, verum etiam quoniam vis medicamentorum maxima cum difficultate ad loca illa peruenit; at si ad suffusionem animum conuerto, tametsi sit in principio, nihilominus si de eius resolutione sit sermo, prouincia ardua pariter, ac difficilis occurrit, hæc enim suffusio incipiens curari potest, ex Galeno quarto Methodi vltimo, causam autem difficultatis refero ego in materiæ crassitiem cum Galeno, si igitur non resoluatur materia iam de transpositione esset cogitandum vbi materia erit præparata, quam tamen in nostro casu impossibilem futuram puto, quoniam materia est inter ragoidem, & corneam, vbi numquam traspodi potest.

Verùm vt alia mala præcaueantur, præsentiaque imminuantur instituenda est medicatio per hæc præsidia, nempe vt humor obstruens attenuetur, detergaturque, concretus resoluatur quantum fieri potest, prius tamen caput, & ante caput totum euacuandum,

E cuandum, deinde cerebrum ad siccum potissimum alterandum.

De materijs autem præsidiorum iam dictorum ita decernendum vt si ad chirurgicas respiciatur, sectio venæ in cubito adhibeatur, non solum quia patiens est temperamenti sanguinei, sed etiam quia tutius resoluentibus vti licebit, præterea quoniã suffusio est in principio, setaceum in ceruice maximè probo, quod etiam ad præcauendum alterum oculum maximè valebit, hoc igitur ad aliquot menses gestato, in brachijs cauteria inuri poterunt de alijs vero vti aurium perforatione, frictionibus, ligaturis, lauationibus, ac ventosationibus siccis statuo conuenire. Sed an aliquando punctio grat.a depositionis materiæ concretæ vsui esse possit dubitatur, ego autem sum in ea sententia non conuenire (vt supra tetigi) quia humor inter corneam, & ragoidem continetur, vt propterea interim potius resoluentibus, quàm præparantibus materiam ad depositionem vti incrassantibus sit insistendum.

F Si ad pharmaca animum conuerto, prius quæ totum euacuant vsurpanda, idcirco lenita aluo cum melle rosato solutiuo vel cum hiera, & casia, præparatisque humoribus cum decocto betonicæ, fœniculi, eufragiæ, cicorij, boraginis adiectis syrupis de betonica, cicorea, ac boragine, humores tandem infuso agarici trociscati cum mel.ros. sol. vel pillulis, sine quibus, vel tandem hyeris magnis sunt deturbandi, immò si aliquoties vteretur pilulis sine quibus, vel lucis, vel ijs, quæ ex agarico trociscato, Rhab. aloe succotrina, & myrobalanis chebulis, embilicis, & citrinis prius in succo fœniculi ter nutritis, ac in vmbra exiccatis posset maximum iuuamentum sibi comparare. Pro euacuando etiam toto decoctum guaiaci, ac salsæ, & chinæ maximè valet.

Verum ad euacuationem capitis etiam est deueniendum, in hunc igitur vsum pilulæ iam dictæ probantur, item & masticatoria, primum ex simplici mastiche, deinde adiectis pulpa carthami, puluere pyretri, origani, & eufragiæ, item & cera, quinimo G decocta iam dicta adiectis simplicibus capitalibus, & ocularibus ad discutiendam materiam non tantum in capite, sed in oculis ipsis maximè laudo, quæ magis proderunt, si ante syrupum matutinum detur bolus ex trociscis viperinis, vel sale theriacali, vel pariter sale saluiæ & eufragiæ chimicè parato in eundem finem, tum theriaca antiqua, tum Mithridatica confectio cum puluere, aut extracto eufragiæ adiecto sacharo rosato, (si calor illorum timeatur) hora somni dari possunt.

Ad oculos hæc probo, primum est aqua panis, quæ paretur sic, panis conficiatur ex farina furmentacea cum puluere simplicium ocularium, & tantillo calcanti mulsa exceptis, deinde panis hic statim ex clybano extractus reponatur intra duo vasa stannea bene occlusa, ibique detineatur quousque frigescat, post colligatur aqua ex vaporibus ab eodem pane emissis, ac intra vasa illa concretis exorta. Alterum est aqua salis ammoniaci; tertium pariter est aqua, quæ ab ouis induratis, ac secundum cauitatem H vitelli pul. sacchari ac viridis æris repletis, ac in loco humido appensis stillat, Quartò, medicamentum ex fellibus confectum laudo, quocirca & quæ à Galeno in fine quarto local. & quæ à Rase proponuntur, mihi probantur, nec difficultatem facit quod varia genera fellium ab authoribus hisce & alijs vsurpentur, quoniam differentia est inter illa, prout quædam magis, quædam minus acria sunt, nam fella piscium sunt acria quidem, sed vituli, bouis, ac tauri, magis, acrissima verò sunt animalium rapina viuentium; Postremum medicamentam pariter est Rasis, paraturque ex euphorbio, colloeyntide, & sagapeno cum succo fœniculi, verum ante horum vsum quæ mitiora laudo, vti quæ ex croco, & pipere, vel myrrha, & pipere pariter in aquali portione ex aqua mellis stillatitia adhibentur: Sed inter cætera probo vt canna fœniculi in horto de nodo ad nodum perforetur, & foramen puluere facchari, & croci repleatur, deinde cera occludatur, per noctem detineatur, ac mane liquor extrahatur.

Verum dum hæc peraguntur admodum Reuerendus Vir probo victui studere debet,

debet, cauet igitur ab iniurijs aeris frigidioris, potissimum verò humidioris; & vtatur cibis attenuantibus, qui propterea aromatibus condiri poterunt, præcipue vero ma ce eufragia, & saccharo; bibat etiam vinum cum guaiaco, salsa, & simplicibus occularibus; potissimum verò verbena erecta medicatum, & in reliquis ad victum spectantibus seruet mediocritatem, quæ omnia sicuti libentissimè, ut morem gererem cui plurimum debeo in medium proposui, ita altissimum Deum etiam atque etiam oro, ut admodum Reuerendum Patientem hisce auxilijs ad pristinam perducat sanitatem.

PRO REVERENDA VESTALI IMOLENSI DOLORE colico detenta.

CONSVLTATIO CXL.

TAMETSI dolores, qui fiunt in abdomine varij sint, nihilominus præ cipui, ac frequentes sunt stomaticus, intestinalis, nephriticus, & vterinus in mulieribus, quorum aliqui vsque adeò difficulter distinguuntur, vt grauissi mi viri immò ipsemet Galenus decepti fuerint, nihilominus ego diligēter animaduertens quæ de dolore Reuerendæ vestalis scribuntur coactus sum affirmare, ipsum ad intestina tantum, & inter ipsa solum ad, colum attinere, & hoc mihi ipsi ex doloris positu suadeo, nam præcipuè regionem intestini huius occupat, quia cum intestinum colum à dextris ad fundum ventriculi ascendat & à fundo ventriculi per sinistram abdominis partem vsque ad inguen descendat, dolorque præcipuè hanc partem affligat, procul dubio intestini coli est dolor, accedit & in huius confirmationem alui adstrictio. Verum dolorem non esse totius intestini, sed partis superiores ventriculo hærentis, necnon proximæ infra costas nothas & circa lumbos satis per se constat; quod verò ventriculus non doleat absentia nauseæ, ac vomitus, & vtilitas, quam ex clysteriorum vsu percipit suadent, quod pariter vrinæ instrumenta non doleant absentia symptomatum in exitu vrinæ, & vrinæ omnino à quocumque præter naturam contento immunes demonstrant, tandem vterum intactum esse illud sufficiat argumentum, quod dolor ne minimam quidem particulam regionis illius attingat; dolor autem hic secundum speciem est grauatiuus, cum tensione perenni saltem secundum fundum ventriculi aliquando remissus, & mitis, aliquando intensus, & acerbus, semper locum determinatum occupans, & velut, fixus, tametsi etiam vagus fiat quà per varias loci illius partes discurrit, & modò vnam magis, modo alteram affligat.

Cuius doloris generatio est ex obiecto improportionato organo tactus, quod illius symmetriam corrumpens sensum prҿter naturam, atque dolorem infert, & hoc obiectum est tum commune, tum proprium, commune est solutio vnitatis facta à materia pituitosa, quia dolor est grauans, excreta per aluum sunt succo hoc referta, vrinæ crudę excernuntur, dolor prҿcipuè ab vsu alimentorum pituitosorum intenditur, à calidis iuuatur, ac cerebrum, & ventriculus, quæ sunt pituitę officinę frigidiora existunt, verũ vnitatis solutio nõ fit ab hac materia immediatè, sed vbi in halitus fuerit resoluta tunc enim partium fit distensio, & aucto halitu, illa quoque augetur, hinc dolor aliquãdo mitis, aliquando acerbus, immò verò & discurrens per locum laborante affligit, vt non sit mirum etiam, si dolor sit tensiuus, ac à flatuum excretione vsu carminantiũ & calorificorũ imminuatur. Cœterum cum materia hæc modo in cauitate intestini, modo impacta, modo inter tunicam, & tunicam sit contumacia doloris, eiusq; perseuerantia.

E (nam à tribus annis vexat Reuerendam hanc uirginem) materiam morbificam esse & impactam, & forsan etiam inter tunicam, ac tunicam, docet, Huius autem materiæ principia generantia sunt intemperies cerebri, & uentriculi frigida, ac alimenta pituitosa, ut ex dictis liquet, ab illius uerò uisceribus materia pituitosa genita protruditur ad intestina sua natura excrementa quæcumque recipientia, præcipuè uerò ad colum, uti magis capax, ibique à calore alioqui imbecillo in flatum resoluitur, & meritò huius facta ueluti suspensione fœcum, meritò uerò pituitę quadam inuiscatione inducta, ac acrimonia bilis expulsioni inseruientis remissa aluus astringitur, & hæc de obiecto improportionato communi, est & proprium, nempè intemperies frigida intestini colli cum præsentia materiæ pituitosæ, tum aliũdè transmissæ, tum ibidem ob errorem facultatis alteratricis collectæ, meritò cuius intemperiei facultate expultrice labefactata facilè etiam alluus supprimi potest.

F Vt autem dolor, ac cetera mala tollantur, Medicus in id incumbat oportet, vt halitus dissipet, quicquid impactum discutiat, quod fluit retrahat, quod fluxurum inhibeat per calorifica generationem pituitæ submonentia, tandemque intestini calorem viuificet, roboretque, ac intemperiem eiusdem calorificis deleat, prius tamen toti consulat, vt autem dolor quando induit rationem causæ ac vrgentis demulciatur, mitigeturque Medicus totum animum anodynis, immò & amuletis adijcere debet.

Verum tamen vbique difficultatem inueniet, quoniam ei agendum contra morbum in habitu, & causas valde reluctantes, & rebelles, & materia pituitosa extra locum affectũ per aluum esset educenda, cum tamen locus affectus purgationem prohibeat, accedit quod causæ prædictæ habent localem generationem in visceribus præcipuis, icore inquam, ac ventriculo, lædũtque partes, quæ viscera illa per modum circuli afficiunt, nam intestina ventriculo facilè suas affectiones communicant, vt sæpe non G difficultas, sed periculum etiam suboriatur, & mala tolerantia accedat.

Quæ ne eueniant Medicus curans cito præstò esse debet materijs Medicis, inter chirurgicas ergo quæ sanguinis euacuationi destinata est, non videtur ex vsu, nisi in maxima doloris sæuitie, nam quia tunc imminet sanguinis attractus, ideò ad hoc periculum auertendum sectio venæ, vel saltem eius vicariæ cucurbitulæ scarificatæ conueniunt, sectio quidem venæ tali sinistri, & cucurbitulæ partibus infernis adhibitæ, pro flatuum discussione magna cucurbitula cum multa flamma applicita loco dolenti est opportuna, sicuti & cauterium in vtroque femore, præcipuè verò sinistro, secundum partem domesticam, imo in abdominis mollitudine supra partem dolentẽ inustum, maximè est consentaneum, nec desunt qui in parte dolenti non cauterium tantum simplex, sed duplicatum, setaceum dictum excitant.

Medicamenta ad materiam, ad dolorem, & ad viscera refero, quæ ad materiam, H duplicem habent coordinationem, nam vel flatus, vel mineram respiciunt, si flatus, per os præter aquam stillatitiam cinamomi, ac Angelicæ odoratæ, præter oleum distillatum ex feminibus odoratis, atque aromatibus, & electuarium Rasis ex baccis lauri, laudo ius galli antiqui, vel columbi syluestris cum flatus discutientibus paratũ, per iniecta in anum vltra clysteres carminantes vsitatos, probo, qui cum oleo de cherua tantopere à Mesue commendato, & succo, vel decocto rutæ ab Auicenna celebrato, conficiuntur, qui magis proderunt si electuarium vel de baccis lauri, vel Iustinum immisceatur. Tandem per ea, quæ exterius, inter quæ assiduam loci dolentis irrigationem cum aqua ardenti, & succo rutæ, vel elixire vitæ, & fotum per vesicam bubulam oleo de cherua, vel rutaceo completo refertam, vel cum patera cineribus calidis repleta, prius iniectis feminibus odoratis, deindè vino Cretico superaspero, ac tandem panno lineo superdato & illinitionem cum oleis ex feminibus odoratis, & rutæ ebullito, vel ex quinque partibus olei anethini, vna castorei, omnibus præfero.

Quod

Quòd si medicamentum miseram respiciant, sunt concoquentia, & euacuantia, in A genere concoquentium ius columbi medicatum cum origano orientali betonica, capillo veneris, cicorio, boragine & melissa, adiecto oxymellite composito, imò verò & hyera simplex cum minori dosi aloës, & diacalaminta mirè conueniunt. Euacuantia si sensibiliter agant, & sint lenientia non recedendum ab vsu hyeræ cum majori dosi aloes, & aquæ Tettuccianæ cum melle rosato solutiuo datæ, ac interuallis quibusdam repetitæ; si vero purgantia sint, abstinendum ab ijs quæ vomitum cient, nam vomitus in colica cum alui suppressione non est tutus, quia aliquando ad fœcum vomitum perducit, præterea si cacochimia in toto subsit, ab omnibus purgantibus abstinendum, priusquàm materia concoquatur: quocirca vbi purgantia erunt vsurpanda, mihi probantur quæ valenter purgant, & bilem ad intestina perducunt, vt magis expultrix excitetur, ac tandem, vt materia non ascendat sed descendat referta sint adstringentibus, ideò præter diaturbit Montagnanæ, diacarthamum Nic. Florentini, B diacydonium factum ex dimidia libra conseruæ cydoniorum drag. ij. turbit electi, & drag. ſ. diagridij ab vnc. ſ. ad drag. vj. vel vnc. j. datum mihi arridet, nec contra vsum horum purgantium illud obstat, nempè non trahendos esse humores ad locum affectum, nam licet hoc facere ad euitandum maius malum cum igitur in nostro casu impendeat fœcum vomitus, ideò licet vti medicamentis ad intestina attrahentibus, in quem vsum præter iam dicta clysteres acres sæpius iniecti plurimum prodesse solent.

Medicamenta insensibiliter euacuantia maximè hic conueniunt, quoniam materia est impacta, ideò decoctum columbi turrialis, vel galli antiqui cum guaiaco, vel saxafras, china, tartaro albo, cartamo, & similibus paratum, extracta, guaiaci, & saxafras, trociscos viperinos, vtramque antidotum magnam antiquam nullo modo damno, sed præter hæc habeo ego & alia, Primum est acetum scyllinum infusionis cardui be- C nedicti destillatum, & cum syrupo de corticibus citri simplici datum, alterum est Galeni quod fit ex drag. j. cornu cerui vsti, grana. ij. piperis albi, & totidem myrrhæ cum vino exhibitis, vel cum oxymell. simpl. in bolum redactis, tertium est sal aliquod chymicum, inter alia autem salis genera laudo quod ex hisce plantis, nempè parietaria, absynchio, verbasco, pimpinella, lentistico, & camomello conficitur, & eò magis si ex aqua arantiorum detur, quartum est oleum calcanti cum vino. Verum & per ea quæ aluo subduntur licet materiam discutere, ideo clysteres ex decocto fustorum aliorum, & brassicæ in vino odorato vel aqua salita naturali, vel artificiali coctorum, & oleo irino, aut laurino cum nitro, vel ex vrina humana, sapa, oleo, rutaceo, & fermento acri in lixiuio dissoluto in hunc vsum parari poterunt. Tandem & per topica idem peragere licet, quapropter oleum ex croco, & de piperibus Mes. Raffaninum Tralliani, ceratum diachilon magnum cum gummis & portione sacri, vel diapyrites, insessus D ex aqua naturali sulphurea salsa, & nitrosa cocta cum emollientibus, ac resoluentibus, embroca ex eadem aqua, vel oleo communi cum vino Cretico, & baccis iuniperi, ac lauri ebullito in duplici vase, cataplasma ex folijs tabaci in oleo amygdalarum amararum coctis, & cum melle exceptis tandemque synapismus huc referenda sunt.

A quorum omnium vsu habenda est consideratio medicamentorum quæ viscera attemperant, pro ventriculo igitur, ac intestinis thermæ porrectanæ nouæ bibitæ, & per modum embrocæ (quo nomine & Tetruccianæ optimè censetur) adhibitæ, ea tamen ratione, vt ab embroca ceratum masticinum cum extracto nucis muscatæ, vel balsamo naturali alteratum apponatur, sunt præstantissimæ, tametsi plura ex dictis sint, quæ ad hoc opus conducunt. Pro cerebro assumat hora somni conseruas cæphalicas cum Mithridato, curetque sibi caput ablui lixiuio decoctionis plantarum cephalicarum, adhibito agarico loco saponis.

E Tandem ad dolorem vbi insæuierit, conuertenda est curatio per materias remedij anodyni, quocirca intus oleum amygdalarum dulcium, & amararum, vel nucleorum persicorum adiecto puluere mechiocani, vel melle rosato solutiuo non semel, sed pluries datum omnibus, excepta theriaca est præferendum, nam & theriacam, non tamē antiquam summoperè probo, extra verò insessus ex oleo communi, sacculus ex auena torrefacta, item & venter anatis viuæ ventri adhibicus plurimum valet, sicuti & pedum in aqua feruentissima longa detentio, ac stillicidia ex oleis anodynis. Et vt de Amuletis etiam aliquid dicam, corrigia ex dorso lupi cincta, talus leporis ventri alligatus, & coagulum catuli ex vino sumptum conferre solent.

Victus calefaciens, siccans, & attenuans moderatè conuenit, ideò carnes facilis coctionis & uullius ferè excrementi concedantur conditæ aromatibus, rore marino, saluia, petroscelino, imò allium à Gale. duodecimo Meth. vltimo laudatur, sicuti & F Trallianus pora laudat, amygdalatum quoque, & ptysana cum melle, ac pipere minimè inopportuna sunt, nec intinctus, qui cum synapi, nec aliqua sale condita, vti cappares, oliuæ, alices, & aliqui alij pisces minimè duræ, & crassæ substantiæ sunt interdicenda; hinc pisces aliqui friabiliores tamen ex mare capti non sunt denegandi, dummodò potius assi, quam elixi offerantur. Vinum potius generosum ex Galeno, & Tralliano concedantur quod si antosatum vel enulatum, vel guaiacinum eligatur magis placebit, pro aluo irritanda sæpè vtatur aloe succotrina ad scrup. j. & in principio mensæ comedat panem ex tota farina cum sale, anisis, & passulis paratum, aliquandoque bibat vinum sena medicatum; reliqua ad victus rationem attinentia ad proportionem respondeant. Interim autem Deum Optimum maximum præcor, vt hæc omnia in salutem Reuerendæ Virginis cedant.

G

PRO PERILLVSTRI VIRO BONONIENSI MIRA QVAdam renum hæmorargia cum vrinæ nonnunquam suppressione, ac stipticitate alui laborante.

CONSVLTATIO CXLI.

PROVINCIA sanè ardua, ac difficultatibus inuoluta circa tum contemplationem, tum curationem affectus præter naturam, à quo conflictatur vir nobilissimus mihi proponitur, verumtamen ne latum quidem vnguem à sen- H tentia D. Hippocratis primo Epydemiarum scripta recedam, sic enim decet Medicum in morbis tractandis, dicit ille, se gerere, vt si non prosit, saltem non noceat, propterea vt & ipse id assequar, maiori diligentia ac prudentia, quā fieri poterit tum in expendenda natura, & constitutione affectus tractandi, tum in eiusdem curatione proponenda vtar. Certum igitur est (vt à primo exordiar, Virum perillustrem mictione sanguinolenta, sanguinisque per vrinam excretione ab hinc ferè annum aliquot interuallis, incertis tamen laborare, & vna cum sanguine corpuscula quædam sanguinea subnigricantia densa, ac dura, quæ aliquam, & hanc ipsam non lenem caruncularum suspicionem adduxerunt admisceri. Quòd autem hæc excreta sanguinea à toto genere præter naturam à renibus, non autem à vesica prodeant, potest duobus potissimum argumentis persuaderi, nimirum quod sanguis ille perfectè cum vrina mixtus, atque sine dolore, & molestia partium circa vesicam, educatur, verum nec ab vreteribus prodest quia nimis copiosè quā deceat pro ratione vreterū (qui

etiam

etiam & vesicæ conuenit) excernitur, vt ex his pateat quisnam affectus, & quænam illius sedes.

Verum huic affectui, nisi decipior duo alij coniunguntur, primus veluti partus prædicti est vrinæ suppressio ab illabentibus grumis in collum vesicæ inducta, alter verò ab his omnibus disparatus est aluus suppressa, ita vt vix vnquam aliquid excernat, & quod excernit durum schibalosum, semperque auxilio aliquo euacuatur.

Remanet modo, vt pro integra cognitione constitutionis affectuum propositorum generationem, & modum generationis eorundem, in medium proponamus.

Quantum igitur ad sanguinis mictum spectat, cum sit symptoma in genere excretorum à toto genere præter naturam, & ob id symptoma secundarium, necessariò in actionem retentricis renum vitiatam referatur oportet, solet autem quælibet actio vitiari, vel ob morbum, vel ob causam morbificam, hic vtrumque concurrere pro certo habeo morbum quidem in intemperie humida ad frigidum inclinante, nam cum perillustris patiens sit destillationibus à capite obnoxius, quæ aliàs in artus superiores illabentes dolores ibidem pariebant, cumque ventriculum humoris pituitosi feracem habeat, & excrementa hæc cum à capite, tum à ventriculo prodeuntia per nullam quidem regionem à natura fuerint excreta, necesse est vt à iecore, ac renibus antea feruidioribus attracta, renes ipsos plus iusto humectos reddiderint: deindè verò ob insignem hæmorargiam venarum podicis prægressam calore natiuo partium omnium depauperato (vt non dicam rudimentum, sed saltem propensio ad malum habitum, de fœdato totius corporis colore demonstrat) putarem renes ipsos peculiari quadam ratione propter contractam à primo semine imbecillitatem subrefrigeratos esse; in cuius rei confirmationem ea sunt testimonia quod de calore renum, ac vrinæ ardore nullæ extant querelæ; quibus & id accedit, quod quælibet sanguinea excretio præter naturam à toto genere non modo totum corpus, sed etiam & partem à qua primo prodit refrigerat, potissimum in ætate vltimi senij, in qua noster patiens est constitutus, cum igitur iam annus agatur ex quo perillustrem patientem vitium hoc perturbat, credendum est calorem naturalem valdè imminutum fuisse, ac renes ipsos valdè refrigeratos esse; nec obstat vrinas satis coloratas excerni, quoniam id totum in calorem extraneum in iecore, ac renibus conceptum (quod etiam in hydrope sæpius accidit) referre oportet; Ergo facultas renum retentrix ob intemperiem humidam relaxantem oscula venarum labefactatur, ob intemperiem verò subfrigidam natiuo calore decenti orbata, à scopo aberrat.

Cœterum cum in hæmorargijs non rarò facultas retentrix vasorum etiam ob morbum tum in mala compositione, tum in soluta vnitate, lædatur, in illa quidem ob dyapedesim, vel anastomasim, in hac verò per rexim & dyaurosim, decernere oportet an in casu, de quo agitur hoc vel illo modo facultas impediatur dico ergo ego dyapedesim nullo modo hic fieri, quoniam sub ea sanguis serosus, & minimè grumosus eijcitur quod in nobilissimo viro non obseruatur.

De anastomosi autem est difficultas, quia cum hæc fiat à sanguine copia vel acredine peccante, in subiecto hoc non solum hoc tempore, quia refrigeratum est, & vltra solitum emaciatum deficit, imò verò ante statum hunc morbosum occasione temperamenti biliosi naturalis cum subdominio pituitæ, & habitus gracilioris defecit. Cœterum cum vrina non mordeat, calorque ferè omnium viscerum, & proindè iecoris sit valdè imminutus sanguinem nullam in se habere acredinem putarem; Nihilominus existimo anno superiori primù anastomasim in renibus à copia sanguinis ob motum quemdam per currum concitatũ ad renes ipsos delati factam fuisse, cui calor renum extraneus ob multas, præcipuè verò ob eam rationem quod indumenta

E pellicea, aliaq; similia calefacientia gestauerit ortus, ac sanguinem ad renes ipsos attrahens non paruam dedit occasionem. Hoc verò tempore anastomasim alia ratione, quà nimirum sanguis nobilissimi huius viri pituitosus, ac flatibus refertus ad renes nimis relaxatos transmissus, ibique collectus in finibus vasorum turgescentiā quandā parit, atque ora illorum aperit, violenter fieri arbitror.

Verum nec rexim subesse putandum, quoniam in omni vasorum fractione præcedit aliqua causa frangens, vti casus, ac percussio, quæ in præsenti locum non habent, & quamquam motus ille vehemens præcesserit, ob illum nequaquam fractum fuisse aliquod vas ea ratione moueor, quia iugiter hæmorargia ipsum afflixisset, & ita facilè suppressa non fuisset, nec ratio appareret, ob quam in renibus vlcus adhuc genitum non fuisse.

Sed nec ob orrsionem id accidisse puto, quando nunc nulla humorum acrimonia F obseruetur, quod si antea malum hoc excitasset, necessariò vlcus subortum fuisset, cujus tamen notæ paulò infra proponendæ longè à nostro casu absunt.

Sed contra hanc determinationem insurgeret aliquis, quoniam carunculæ in vrinis nunc, & paulo ante visæ sunt, quę vulceris partus, & soboles ex D. Hippoc. existunt, ergo in renibus necessariò aderit vlcus; quod verò adsint carunculæ, apparet ex duritie, & soliditate illorum corpusculorū, quæ in vrinis excerni affirmaui; Alia difficultas occurrit, quia si anastomasis in hoc fieret subiecto patiēte, ergo copiosior prodiret sanguis, cum tamen aliquando exiguum quid illius excretum fuisse sit animaduersum.

De prima difficultate ita habendum, nequaquam vlcus adesse, quia nullus vnquam cum grauitate dolor circa lumbos à perillustri patiente est perceptus, nec pus vrinæ immixtum, nec fœtor vnquam obseruata fuere, imo cruenta excretione cessante, substantia, colore, odore, & contentis vrinæ naturales inspiciuntur cum tamen ob pus G & mucosum quod occasione vlceris renum vrinæ permixtum ipsa alba, crassa, turbida fœtida, & sero lactis persimilis reddatur, quæ tandem deposito sedimento clarescit, & attenuatur; quibus & id addendum, quod nuper filamentum insigne in vrinis excreuit, quod ad capillitium vrinarum reducitur, modo capilli in vrinis excreti non vlceris, sed caloris extranei effectus sunt, vti Galenus in com. Aphorismo. 76. sec. quarta notat, & ibidem diuinum senem, quia dum de capillis in vrinis loquitur vlceris non meminit, laudat. Quod verò ad corpuscula illa, dico non esse verè carunculas, & propterea ex illis vlcus minimè colligere licet, nam veræ carunculæ ex Hippoc. loco cit. sunt comites vrinæ crassæ, præterea a vehementi vlceris erosione, quæ supponit materiam erodentem, vlcusque factum, & purè refertum ortum habent, quæ hic minimè obseruantur.

Atqui corpuscula illa non esse carunculas ex pluribus confirmari potest. Primo H quia veræ carunculæ sunt rotundæ, rubræ, densæ, & duræ refertur substantiam carnis renum, Galenusque loco citato se nunquam veras carunculas cum vrina excretas, vidisse scribit, sed bene quid simile in febribus eis, in quibus sedimina similia orobis ob sanguinem crassum in renibus, atque hepate exustum se conspexisse testatur, at corpuscula nostra variæ sunt figuræ, & non tantum rotundæ, subnigriccant, aliqua mollia, quæ scinduntur facilè, aliqua vero dura minimè renum substantiam redolentia, vt propterea existimem ego corpuscula illa esse sanguinis grumos, qui à succo pituitoso, crasso, & lento (quo plurimum patiens noster vitio cerebri, & ventriculi scatet) immixto consistentiam, imo verò & adhæsum nanciscuntur meritoque adhæsus cum non facilè ab vrinis transeuntibus extergantur, educanturq; necessario fit vt vrinæ prodeuntes sanguinis illius grumefacti partes tenuiores secum educant, & proindè quod remanet præter consistentiam, soliditatem, ac ueluti duritiem aliquā acquirat, quæ iugiter à calore renum extraneo siccante, & proinde crassefaciente

magis,

magis, ac magis fouetur, ac augetur, quibus & illud addendus, quod quia causæ horũ corpusculorum non semper eodem modo agunt, propterea nec eãdem consistentiam soliditate, ac duritiem habent corpuscula illa. A

Et si quis Auicenna ductus auctore duodecimo tertij tract. secundo cap. 10. corpuscula illa affirmaret esse caruncculas genitas in renum vlcere non quidem ob renũ erosionem, sed ob substantiæ illorum diuulsionem, distractionemque à materia frigida in renes irruente, eis que hærente factam, in cuius materiæ separatione simul portio substantiæ renũ diuellatur, separeturq; (sic.n. renũ vlcus fieri à materia frigida scripsit Auicennas) hic ipse sciat quod data veritate huius opinionis, necessariò in euulsione illa perceptus fuisset à perillustri patiente doloraliquis, quod tamẽ non est verum.

Ad secundam difficultatem ita censeo respondendum, quod tametsi simpliciter, & absolutè loquendo in Anastomasi insignis sanguis copia excernatur, tamen pro anastomasi huius, vel illius partis id sæpe fallit, quare cum in nostro casu vnus tantum Ren (vti paucus sanguis demonstrat) laboret, non est necesse sanguinis insignem copiã prodire, Accedit & illud, quod sanguis sua crassitie exitui reluctatur, vt propterea copiosè & affatim exire minimè possit, nec obstat sanguinẽ in perillustri viro semper flatulentum esse, & nihilominus anastomasim non esse perpetuam, quoniam id accidere arbitror ob flatulentiæ varium gradum, nam hæc solum vbi valdè aucta est anastomasim excitat. Sit ergo constitutum, sanguinem hac ratione vitiatum concurrere ad vitij propositi generationem. B

De aluo suppressa ita statuo quod fœces à flatibus suspensæ, & ob mucum quo sunt inuolutæ intestinorum parietibus hærentes retineantur, & facultas expultrix calore natiuo valido orbata, illas tempore debito non expellat, & proinde media obstructione, quam in intestinis pariunt, calorem extraneum ibidem excitant, qui exiccando fœces has, ipsas ad exitum magis ineptas reddit, & cui & calor tum hepatis, tum renum extraneus non parum fauet. C

Ergo pro salute nobilissimi patientis sic Medicò agendum erit, vt remotis omnibus impedimentis occurrentibus, caloris natiui ruina reparetur, impedimenta verò tollentur, si mictio illa sanguinea (prius grumefactione dissoluta) adstringentibus supprimatur, sanguis à flatibus, & pituita depuretur, ac mundificietur, & eiusdem flatus ac pituitæ generatio cohibeatur ob idque caput & ventriculus calefiant, & siccentur, vrina, detractis, propulsisque grummis à colo vesicæ, promoueatur, tandemque aluus ad proprium munus traducatur, fœces humectentur, flatus, ac pituità immixta dissipentur, ac retrahantur.

Quorum operum facilẽ exitũ minimè sperare licet, quoniam vbi Medicus calorem natiuum adminiculantem minimè habet, vix vnquam sui voti compos euadit, hinc cũ calor in hoc nobili non in vna sed ferè in omnibus partibus deficiat, non video qua ratione ipsi Medico in subsidium esse posit, & eò magis quoniam calor non tantum ob causas morbificas, verum etiam ob ætatem senilem est imminutus, accedit quod patiens nobilissimus secundum renes in proprio parente malè affecto ius hæreditarium sibi nactus est, præterea indicationes contrariæ occurruut, membra principia vitæ sunt malè affecta, postremòq; causę morbificę sunt tantę actiuitatis, vt non solum minentur alia mala, verum etiam & in hac ętate materijs pręsidiorum omninò reluctentur, dicente quoque Diu. Hippoc. renum, & vesicę vitia in senioribus non curari, fisus tamen ego primum Dei auxilio, deindè insigni prudentia, & obsequentia perillustris patientis spero futurum vt mala pręsentia imminuantur, maioraque pręcaueantur, non citra tamen aliquam difficultatem, non solum quia patiens subiectum satis delicatum, ac resolubile tractatur, sed etiam locus affectus in hęmorargia ob maximam sui distantiam medicamenta illuc, nisi refracta peruenire Medico suadeat. D

Sed agè iam curatio proponatur, quæ si chirurgia sit perficienda, pauca admodum sunt, quæ ex ea petere liceat, nam sanguinis missio, vt vnicuique satis est perspectum non habet locum, idcircò hæc mihi tantum videntur opportuna, primum vt postulante vsu ad destillationis interceptionem cauterium in sycipite vt saltem in brachio inuratur, modesteque artus superiores fricentur, diligenter, & calida lauentur, imò verò in maxima hæmorargia paulo supra renum regionem cucurbitulæ siccæ adhibeantur, ac tandem vrina suppressa candela, catheterue in fistulam vrinariam, vt grummi sanguinis à vesicæ ceruice depellantur, immittatur.

Pharmaca verò tum euacuantia, tum alterantia probo, euacuantia sint valdè mitia, nam cum subiecto molli, & adeo delicato est agendum ita vt quorumcumque euacuãtium vsus iure sit pertimescendus, Rhabarbarum ergo modicè torrefactum cum melle rosato solutiuo datum, item & cydoniatum cum puluere radicis mechiocani, & F medulla carthami paratum, ad hæc & infusum myrobolanorum chebulorum, emblicorum, belericorum in vino austero nigro factum omnibus præfero, atque ad hunc locũ ius columbi turriti, vel pulli referti, ea tamen ratione vt in illorũ vnetre sint incocta radix chinę & pentaphili, lignum Indicum saxafras, masticheʼ, & santali albi.

De alterantibus verò mea est sententia, vt ad humnrum præparationem ius cum betonica, menta, cicorio, boragine, passulis, & coriandris pręparatis medicatum detur Ad viscerum autem alterationem hæc exhibeantur, nimirum gratia capitis conserua betonicæ, & saluiæ cum puluere mastiche hora somni deuorata, necnon lotio ex lixiuio cinerum radicis oliuæ, & decoctionis verbenæ, baccaræ, stecadis, betonicæ, & agarici, tandemque puluis syncipiti inspersus & cariophyllis, steccade Arabico, sandaraca Arabum, thure, & baccis myrti paratus. Gratia autem ventriculi hæc arrident, videlicet cydoniatum cum pipere albo ruditer tuso, & grana aliquot masticis G deuorata, præterea & ceratum aliquot ex gummi tachamacha, mastiche, ac speciebus diambræ factum, & adhibitum. Gratia autem ruinæ caloris naturalis nil prestantius & accommodatius theriaca mediæ ætatis puluere masticis inuoluta, & aliquoties deuorata, gratia verò hæmorargiæ primum vt coagulo leporino ex syrupo de capill. veneris, & posca dato grumi discutiantur etiam atque etiam laudo, deindè vt ad adstringentia citra refrigerationem saltem insignem deueniatur probo, quocirca cum iuribus prædictis equisetum ophioglossum, radix simphiti maioris iuiubæ & nuces cupressi incoqui poterunt, quibus tamquam vehiculum medicamenti semina alchachengi, ac radix liquiritiæ addere licebit, in quem vsum & trocisci de alchachengi & Rhabarbarum torrefactum saccharo rosaceo immixtum, & aqua stillatitia ex simplicibus nunc commemoratis in aqua thermali Brandulæ, vel alia aluminosa maceratis faciunt. Exterius verò vnguentum de corticibus castanearum Montagnanæ, sicuti & H insessus ex prænominata aqua mihi summoperè placet.

Quæ omnia nisi congruens viuendi ratio addatur, frustra adhibebuntur, igitur ab omni aeris potissimum frigidioris inclementia caueat, vescatur cibis euchimis, quales sunt carnes, oua, pisces saxatiles, contusum ex testibus gallorum cum emulsione fisticorum, succus & distillatum caponis immixta alijs cibarijs, & carnes in aqua chalybeata, vel aurata cum pedibus vituli erunt incoquendæ. Far quoque & oriza in iure prædictarum carnium cocta colo transfusa adiecto ouo concedantur, olera parcissimè degustet, & suis cibarijs puluerem pane biscocto, coriandris præparatis, modico cariophyllorum cum saccharo inspergatur, ab omnique cibo dyacydonitem vel saccharum rosatum deuoret. Vinum subrubrum calybeatum, aut auratum, vel china, santalis, & coriandris medicatum bibat. Pro aluo lenienda prius oportet flatus cum extracto ipsius anthos, vel aqua ardenti infusionis ipsius mastiche dissipare deinde fœces clysteribus ex oleo, & butyro, ac iuribus decoctionis maluarum, betæ,

& merc u-

& mercurialis remollire; tandemque infuso senæ in aqua ardenti aliquoties ante prandium bibito easdem fœces euacuare, nam alia placida, & mitia frustra vt audio, tentantur, quamquã ad operationem illius infusi accelerandum, pruna recentia manna condita in vespera commansa summopere valere arbitror, imo verò vt non auersetur aquam illam ardentem, ita eam sena alterarem, vt in modica quantitate aluum irritare posset, & propterea in singula libra aquę infunderem vnciam vnam, & dimidiam foliorum senę; dormiat capite eleuato in latus, & cruribus retractis, somnus, si fieri poterit vigiliam superet, corpus leuissimis frictionibus, ac moderatis gestationibus exerceatur. Lętus viuat, omnemque spem suam collocet in immensam Dei Optimi benignitatem.

PRO CANONICO TRIDENTINO OB LAESAM IMAGI- nationem se non audire existimante.

CONSVLTATIO CXLII.

MALVM, de quo perillustris, & admodum Reuerendus Canonicus conqueritur est auditus secundum vtramque aurem, pręcipuè verò dextram imminutus, verum quoniam vitium in quolibet sensu est, vel secundum receptionem, vel secundum iudicium, putamus hic iudicium lęsum esse, quà nimirũ imaginatio deprauatur, & quod non est (sicuti ille, qui in cubili tibicines esse imaginabatur, cum tamen ibi non essent) iudicat esse, nam si secundum receptionem esset lęsio hęc iam nobilissimus patiens cordas instrumentorum musicalium ad concentum non perduceret, peiusque in constitutione aeris humida haberet, & iuuamen ex remedijs humectantibus sibi alias non comparasset, quorum omnium opositum ei euenit, relinquitur igitur vt perillustris patiens re vera audiat, & imaginetur se non audire, ac proinde imaginationem deprauari, vt in delirijs fieri solet. Cœterum quoniam mœstus ferè semper manet, vix loquitur, solitudinem amat, & somnia turbata patitur, haud dubitamus illi imaginationem deprauari (vt in delirio melancholico) ex phantasmate tenebricoso imaginationi oblato, meritò cuius & anima rationalis tristis euadit, & imaginatio corrumpitur, nuncque iudicat auditum ferè sublatum esse, cum tamen experientia contrarium doceat, vt dictum est. Causam verò, ob quam potius circa auditum imaginatio decipiatur eam probabiliter credimus esse quod à teneris annis ipse laborauit post aurem finistram abscessu suppurato, & disrupto, à quo remansit ibidem foramen, quod pertingit ad meatum auditorium, vt non sit mirum, si ob affectum illius auris diu perseuerantem ipse facilè se in hac vna imaginatione (vti solent facere melancholici) quòd non audiat defixerit.

Verum tamen quoniam symptomata, nimirum flatuum copia, & eruptio, rugitus imi ventris, ac pulsatio insignis circa fundum ventriculi ad imum ventrem spectantur, statuimus, melancholiam hanc esse, quam flatulentam, & hypochondriacam dicunt, sub qua feruor ad pręcordia ob contumaces obstructiones exortus, succos ibidem existentes veluti exurens, non modo eos ad naturam melancholicam perducit, sed etiam fumos atros in cerebrum & cor eleuat, qui symptomatum melancholicorum sunt causa, imo feruor idem, qui continuo in ventriculum difflatur coctionem perturbat, & proinde flatibus, rugitusque occasionem prębet, qui flatus in partes arterię magnæ vicinas inclusi illam premunt, ac motum ipsius etiam manui tangentis manifestum reddunt, & si aliquis ob absentiam timoris affectum prędictum

non

E non esse melancholicum, sed in latitudine ipsius affectus melancholici contineri, vel timorem quoque adesse quando quærelæ de auditu, iniustè tamen habeantur, & ob id malum aliquot corruptiuum maius futurum timeatur is sciat illorum vtrumque vero esse consentaneum.

An verò obstructiones ortum traxerint vel à ventriculo materiam pituitosam venis meseraicis, vel à iecore sanguinem crassefactum eisdem venis suppeditante, non est difficilè cognitu ei qui vitam anteactam nobilissimi patientis nouerit, cum etenim continuò studijs operam dederit, credendũ labem aliquam vẽtriculi sibi comparasse merito cuius pituita in illo genita, & per venas meseraicas propagata partim in venis hisce detenta, partim verò vsque ad iecur delata, & obstructiones peperit, & iecur ad generationem sanguinis crassefacti disposuit, qui quidem sanguis quod obstructiones illas foueat, & augeat non est quod aliquis dubitet.

F Quocircà totum Medici studium in id conuertendum, ac dirigendum vt ventriculi, ac iecoris intemperies per sua contraria corrigantur, cerebroque, imo & cordi robur addatur, obstructiones hypochondriorum attenuantibus, & detergentibus reserentur, totique cacochimia pituitosa, & melancholica referto prospiciatur, à quo postremò curatio auspicanda, deindè ad alia descendendum erit.

Quod an fieri possit videtur esse satis controuersum, quia ex vna parte morbi huius census sunt peruicaces, & eò magis quando sint progressi, ex altera verò parte ętas primi floris, ac prudentia patientis, necnon morbi tum dignotio, tum curatio vsque huc neglecta multum spei pollicentur.

Cui inhærentes pro curatione primum de materijs chirurgicis sic decernimus vt, nimirum ob sanguinem melancholicum in hypochondrijs redundantem tum vena tali pertundatur, tum venæ podicis cum hyrudinibus reserentur: deindè cauteria in fe-
G moribus supra genu secundum partem domesticam de more excitentur, & quod est in brachio sanetur, ea tamen ratione, vt dum hæc & alia peraguntur iugiter partes infernæ fricentur, vinciantur, & actu calida lauentur.

De pharmacis autem ita constituimus, vel lenita aluo syrupo de polypodio magistrali, & melle rosato solutiuo vel electuario lenitiuo & hyera, præparatisque humoribus decocto melissæ, boraginis, betonicæ, cicorij, & seminum citri, tandemque detracta cacochimia pituitosa, & melancholica per infusum senæ & agarici trociscati, cum syrupo de polypodio magistrali, quamprimum ad euacuantia insensibiliter, atque deobstruentia deueniatur, nimirum ad ius galli iunioris, vel columbi turriti, in cuius ventre sint incocta simplicia supradicta, capillus veneris, citrac, agrimonium, cuscuta, radix filicis maris, china, sassafras, passulæ, tartarum album, quòd eo magis proderit, si manè ante syrupum bolus ex chalybe præparato cum conserua boraginis
H detur, & in vsu huius medicamenti ad plures dies prosequatur. Oxymel quoque longum vt dicunt ex arte paratum cum radice filicis maris, buglossi, & tantillo radicis enulæ non improbatur. Verum & in eundem vsum fotus pro abdomine cum spongia madefacta in vino decoctionis absynthij, scolopendrij, camomeli, anethi, meliloti, abrotani diptami Cretici, radicum altheæ, filicis maris, & maluarum parari poterunt ceratum quoque diapyrites mixtum cum diachilone gummato huc referendum est, imo verò ad dropacismum, sinapismumque vrgente necessitate deuenire licebit. Cœterum quoniam corpus perillustris patientis per interualla purgatione aliqua opus habebit, idcircò præter syrupum de polypodio magistralem cum melle rosato solutiuo de succis vocato, duo alia laudantur, nimirum cydoniatum factum cum puluere radicis mechiocani, coctaque carne pomorum cydoniorum in vino, & aqua boraginis decoctionis polypodij, & epythimi, necnon puluis paratus ex corticibus hellebori nigri ter aspersus succo rosarum, & in vmbra exiccatus asseruatus, & ex ouo sorbili ad

grana quindecim, & post si opportunum videbitur per duos, vel tres dies experiri poterit aquam Tettucianam, cui mel rosatum solutiuum immisceatur. A

Expiato corpore ab excrementorum colluuie, reseratisque obstructionibus, deueniendum ad roborantia, & alterantia viscera, idcirco gratia capitis, cordis, & ventriculi hæc assumpta nobis probantur, nimirum confectio alchermes, diamuscus dulcis, lætificans Almansoris, conserua anthos, & saluiæ, cum conserua boraginis, & rosarum castigata, sed his omnibus theriacam mediæ ætatis serenam vocatam præferimus, à quibus omnibus haustum stillatitiæ aquæ ex succo boraginis, in quo crocus sit immaceratus assumere præstabit. Cordi vero tum epythema ex succo melissæ cum croco, & aceto rosato, tum linimentum cum theriaca & puluere croci in aceto rosato liquatis adhibeatur. Ventriculus embrocetur oleo amygdalino dulci, in quo cum modico vini Cretici fint incocta in duplici vase stomatica moderatè calefacientia, vel saltem valde correcta, illiniatur balsamo orientali, vel oleo masticino chymico. At gratia B iecoris succus cicoreaceorum vel per se, vel cum sero caprino depurato assumptus maximè arridet, ea tamen ratione, vt serum singulis diebus à corpore excerni curetur sic enim flatulentis quoque concedi posse scribebat Galenus exterius quoque regio illius succo prædicto, addito aceti modico perfundi poterit, imo & pro feruore eiusdem iecoris, & pro totius humectatione, qua præcipuè hisce vitijs laborantes indigent, balneum aquæ dulcis suo tempore vsurpatum erit miri vsus.

Et ne hæc medicamenta sint irrita, victus rationem respondentem postulant, quarè omnes aeris excessus sunt deuitandi, cruditas quælibet est aufugienda, cibique boni succi ac facilis coctionis sunt seligendi, quocirca oua, carnes optimæ, pisces saxatiles, iura illarum carnium per longam ebullitionem parata erunt accommodata, & eò magis si in illis borago, buglossum, ac melissa incoquantur, ptysana quoque hordeacea cum cortice citri condito, emulsio seminum citri mundatorum summoperè C arrident, quibus omnibus species cordiales pro cibo vocatæ, vel Margaritæ in succo limonum liquatæ, itemq; puluis Smaragdi electi, & hyacinti cum tantillo Croci immisceri poteruut. Fructus dulces, molles, non modo cocti, sed etiam crudi parcè degustati suo tempore non vituperantur, sed cauete debet à salcis, dulcibus, acribus, farina subactis, & huiusmodi. Vinum tenue fuluum mediocre, non dulce, nec austerum bibat, quod magis proderit, si radicibus buglossi, boraginis, & cicorij, floribus cordialibus, *melissa*, rore marino alteretur, immo verò & vinum enulatum, vel de croco hyeme *bibitu*m est præstantissimum. Reliqua autem ad victus rationem attinentia ad proportionem respondeant.

Et ne aures penitus remedijs destitutæ derelinquantur, patientique aliquo modo moremgeramus, ac ipsum consolemur etiam, atque etiam laudamus vt in aures instillentur totum balsamm naturale, D tum pinguedo Anguillæ croco aspersæ, & in veru coctæ. Interim autem Deum Optimum Maximum precabimur, vt hæc omnia in salutem viri nobilissimi cedant.

PRO

E

PRO NOBILI MVLIERE CESENATE PRAETER *menses vitiatos, & sterilitatem, melancholia etiam, & fluxu hæmorrhoidali laborante.*

CONSVLTATIO CXXXXIII.

MELANCHOLIAM qua illustris, & nobilis mulier vexatur tum timor, tum mœstitia, cum alijs Symptomatibus melancholicis comitantibus, nimirum solitudine, fletu, animique desperatione demonstrant, sicuti & Symptomata ad imum ventrem spectantia, vti ventriculi dolor, inappetentia, rugitus, flatuum copia sæpius per abdomen vagos dolores excitantium, ob constructiones ad tactum perceptæ illam esse, quam vulgus medicorum vocat hypochondriacam suadent, cui præter alia, & cordis palpitatio aliqua, ac ferè iugis quædam hemorrhoidum hæmorargia anectitur. Atqui sunt & alia vitia, quæ à multis annis patitur, videlicet mensium remoratio, prauitas, & copia nimia, ab his & dolores dorsi sustinet nobilis mulier, nec concipit; menses quidem remorantur, quoniam nunquam pro naturæ lege singulo mense fluxerunt, sed duos & tres menses aliquãdo intermiserunt; sunt autem praui, quoniam minima eorum, quæ exeunt portio est sanguinea, sed pro maiori parte exeuntia à sanguine distant, ac inequalia prodeunt, modò enim serosa, & tenuia, modo mucosa, & crassa, nonnunquam subflauescentia, interdum nigricantia, aliquando cruore perfusa, ac loturæ carnis nuper mactatæ similia, nonnunquam subalbida sunt, & sepe per multos dies syncerae alba prodeunt, vt potius purgamenta alba, ac muliebre profluuium in progressu, quam verum menstruum redoleant; Copia etiam tum discreta, tum continua est vitiata, quia menses non ad quinque dies, sed ad mensem, & vltra mensuram naturæ modum excedente fluxerunt, quæ tamen copia ob hæmorargiam venarum podicis, quæ superuenit est valde hoc tempore imminuta.

F

G

Sed quid causæ fuerit, quod nobilis hæc mulier pro naturæ legibus non habuerit menses, primum decernere oportet: nam in fœminis superuacaneum esse sanguinem, qui in menstrua degenerat, nemo est, qui neget, & eò magis si fuerint in ætatibus primis constitutæ, patiensque nobilis annum trigesimum quartum suæ ætatis non transcendit. Dicamus ergo sanguinem bonum in illa exiguum generari, & hunc ipsum totum pro nutritione corporis, & fortasse etiam non sufficienter absumi, prauos verò succos plurimos & copiosos generari, atq; colligi, hinc sanguinis purgatio parua, & non multum effatu digna, malorum autem, & vitiosorum humorum multa, ac copiosa prodit, aliàs ad maiorem virium rectricum labem, ac caloris, habitusque totius corporis mutationem (vt in maximis hæmorargijs accidere solet) perducta fuisset.

H

Remanet igitur vt causa purgationis illius prauorũ succorum copiosæ inquiratur, Galenus igitur primo de Diff. febr. quarto dicebat, prauos humores in corpore coaceruari in vniuersum tribus de causis, quarum vna est natura; Constitutio, & proprietas totius substantiæ membrorum, vt etiam si boni cibi ingerantur, nihilominus praui humores gignitur non secus, ac si vinum bonum in dolio mali odoris ponatur, statim malum illum odorem concipit, secunda causa est, quod mali cibi ingerantur, tertia, & postrema quod malè cibi coquantur, ex quibus causis secundam abesse eò facilè suaderi possit, quod vix mulierem diuitem, ac nobilem malos vsque adeo cibos comedere credendum, immo ipsammet refert se in cibo ferè nullum perpetrare erratum, etsi antea parum in potu excesserit, nunc magis est parca, & quamquam extra

pastum bibat, id quod bibit parum est, & ferè illi est consuetum malè igitur concoquit, ac viscera sic constituta habet, & prauos humores gignant, malę coctioni, ventriculi intemperies frigida, ac humida, cruditatum prouentus, tandemque vomitus pituitosus in ipso purgationis interuallo attestantur, quam cruditatem si inordinata victus ratio erroresque in sex rebus non naturalibus comittentur, tanto maior generationi humorum prauorum occasio dabitur. Atqui & constitutio viscerum, nimirum ventriculi atq; iecoris, generationi eorundem humorum apta, qua. s. bonos humores paucos, prauos verò multos gignunt, huc referatur oportet, quãdo sola mala coctio in tanta humorum colluuie minimè sufficiens videatur, nec mirum quod visceraq; illa ex bonis alimentis prauos succos gignant, quia eadem proprietate in quibusdam ex malis cibis bonos succos gignere experientia comprobatur, Igitur in ventriculo humores pituitosi, crassi, & tenues, in hepate serosi, biliosi, melãcholici, & exusti, ibi quidem ob frigidi, & humidi excessum, hic verò ob feruorem gignuntur, lienque, ac vesicula fellis obstructa non bene sanguinem ab excremento melancholico, & bilioso depurant, proinde & ipsa collectioni eorundem excrementorum prębent occasionem.

Quare omnium excrementorum prædictorum mixtura in toto collecta ac ad vterũ sua natura, tanquam cloacam, & in hoc subiecto à primo seminæ frigidum (quando nullam vnquam ad coitum promptitudinem habuerit) transmissa non modo sua copia, & qualitate irritantia, fluorem illum pariunt, sed expurgatis partibus eorundem excrementorum tenuioribus, quicquid illorum crassius est retinetur, venas obstruit, flogosim excitat, & à flogosi fumi feruidi, & atri in partes supernas efferuntur, qui spiritibus animalibus permixti, hos ipsos funestos, ac syluestres, & opacos reddunt, hinc phantasma tenebricosum formatur, quod imaginationi oblatum, varijs modis, prout ab illustri fœmina narratur, eam corrumpit, & vitiat, verum ijdem fumi spiritibus vitalibus pariter commixti, & in cauernis cordis conclusi, illam cordis palpitationem pariunt. De leui autẽ hæmorargia hæmorrhoidũ ita habendum putamus, quod vel ab hyrudinibus alias ibi, & cũ fructu insigni applicitis, vel occasione trãsmissionis eorundẽ excrementorũ ad venas illas ꝑ anastomasim quandã excitetur. Sed dũ ad vterum fit fluxio, lũbi, & dorsum dolent, qa in transitu excrementorũ partes distenduntur, ac ab acrimonia illorũ pungũtur. Causa autẽ illius periodicationis mensiũ fluentiũ potest à Galeno secundo de Diff. febr. vltimo accipi, nam fit periodus (dicebat Galenus) quoniam excrementa generantur in corpore genita attrahuntur, vel expelluntur, ac in partibus affectis suscipiuntur; Cum igitur excrementa à nobis superius enarrata genita, & collecta fuerint in tali, & tanta copia quæ naturæ sit infensa, à natura ipsa expelluntur per vterum, qui excrementa recipit periodis illis inordinatissimis.

Superest modo vt Methodus curatiua instituatur, oportebit igitur primum excrementorum prædictorum qualitatem castigare, copiam euacuare, motum vitiosum retrahentibus corrigere, obstructiones recludere, eorundem excrementorum generationem alterantibus in contrarium viscera generantia cohibere, tandemque recipientia roborare, spirituumque alterationi consulere.

Ad quos scopos peruenire aut licebit, nam præter id quod vitia sunt valdè progresse, vt quasi sint in habitu, omniaque viscera præcipua malè habent, ac variæ præsidiorum materiæ absque aliquo fructu sunt vsurpatæ, illud vnum sese offert, quod constitutio, ac proprietas totius substantiæ membrorum est inemendabilis, non negandum tamen, quin ad longum tempus nobilis mulier præseruare possit, quando causas morbificas aliqua ex parte submouere, ac imminuere liceat, ad quod peragendum prudentia, & obsequentia illustris patientis plurimum conducet.

Quamprimum igitur propositum assequi tentandum, & primum per materias chirurgicas, ex quartum seriem si sanguinis missio præcipuè per sectã venam perpendatur,

non

E nonvidetur alicuius vsus, quoniam sanguis deficit, præterea ab hæmorrhoidibus ferè semper aliquid sanguinis stillat, corpusque hoc nunquam à succis crudis est immune; quoad cauteria, si gratia reuulsionis ab infernis partibus vnam in brachio sinistro, gratia verò reuulsionis à partibus supernis, & deriuationis præcipuè ab vtero alterũ in femore dextro inuererrent, maximè illi conducere possent; Nec ab vsu illorum nos dissuadet ea ratio, quod in brachio menses aliquando suppressos cauterium magis supprimet, in femore verò copiæ illi aliquoties fluenti maiorem dabit occasionem, nam quoad cauterium in brachio, officeret quidem si aliqua subesset spes euocationis mensium secundum naturam, aut si nunquam fluerent, vt propterea maius sit illius adiumentum quàm nocumentum; de cauterio femoris dicendum, etiam si fluorem, quãdo viget augere possit, nihilominus quia alia commoda, & hæc ipsa maiora præstat, nam à partibus supernis reuellit, materiam obstruentem vasa vteri deriuat, videtur opportunum, præterquam quod & id addendum, quod hæc duo cauteria propria nocumẽ-
F ta sibi inuicem corrigere possunt, verum omnis quæstionis occasio tollitur per id, quod patiens illa omninò renuit, refert tamen se omnia alia remedia, præter cauteria admissuram.

Pharmacis igitur potissimum, ac primum ijs, quæ totum respiciunt insistendum, ad detergendas igitur, & expiandas primas vias à superfluis excrementis, tum electuarium lenitiuum cum speciebus hyeræ, tum syrupum de polypodio cum melle ros. solut. ad humorum verò præparationem ius pulli cum seminibus citri, melissa, cicorio, soncho, betonica, buglosso, capill. ven. rec. & scolopendrio medicatum, cum syrupis simplicibus accommodatis probamus. Tandem verò humores præparati infuso hellebori nigri, agarici trociscati, epythimi, & Rhabarbari cum manna erunt deturbandi, rursusque humores per syrupos compositos, vti de fumaria, de cicorea, de betonica,
G dilutos cum iure paulo supra proposito cocti, per hyeras magnas, Catapocia cochia, cum helleboro parata, immo verò, & per vinum Antimonij in morbis adeo peruicacibus, & contumacibus erunt expurgandi.

Verùm præter hæc subductoria, vomitoria, ac hydrotica non improbantur, vomitoria, quidem semel in mense ex decocto florum Anethi, & genistæ, cum oxymellite, vel ex cibo vario molli, pingui, & vnctuoso parata; hydrotica verò ad plures dies, & in ordine horum decoctum guaiaci, & salsæ cicoreaceis castigatum, aut radicũ chinę, & Cannarum nostratium in regione calida ortarum in duplici pondere, adiecto modicò cardui benedicti omnibus alijs præferimus, & eò magis si frictiones primũ mollis, deinde asperæ ad sudorem corpus disponentes præmittantur. Diuretica verò, vt quæ magis crassam reddunt materiam, feruoremque hepatis augent, aliquo modo nobis sunt suspecta, ergò aut temperata, aut quæ alia ratione, non autem calore, sed par-
H tium tenuitate, ac copiosa humiditate vrinas mouent, seligenda; Cęterum ob corporis inexplebilem impuritatem, Illustrem hanc mulierem ferè perenni purgatione per aluum indigere certò scimus, ideircò in hunc vsum aquam Tettuccianam aliquot interuallis ad duos, vel tres dies bibitam, syrupos compositos de polypodio, de pomis, de fumaria, ac cicorio cum Rhabarbaro, vel vinum ex sena medicatum ferè iugiter parum ante mensam assumpta summoperè laudamus, quibus & id addimus, quod paratur ex dimidia vncia Antimonij præparati in libris tribus tum vini odorati, tum liquoris stillatitij ex helleboro nigro macerati, huius enim guttæ aliquot immixtæ vino, quod in mensa bibitur, placidè, & absque vomitu aluum ciunt.

Habita totius prouidentia, obstructionibus per medicamenta chalybeata, & ius galli antiqui, aut columbi turrialis est incumbendum, in serie chalybeatorũ duo hoc tempore nobis arrident; vnum est chalybs fusus magni Ducis Hetruriæ, alterum est oxymel longum paratũ ex decocto Agrimonij, senecij, capil. ven. rec. Citrac, cuscutæ

artemisiæ,

artemisiæ, radicum apij rec. & filicis maris, ac liquiritiæ passularum, & seminum citri facto in aqua cicorij, buglossi, & betonicæ pluries chalybeata vel aurata. Ius verò galli, aut columbi, quod Autumno sequenti assumi poterit eisdem simplicibus, immo, & china, ligno Indico sassafras, & visci quercini, necnon sandalis alterari poterit, quod eo magis iuuabit, si mane ante syrupũ pilula ex sale theriacali, vel trociscis viperinis cum conserua boraginis exceptis deuoretur; In eãdem obstructionum sublationem linimentum totius abdominis factum ex oleis de cheiri, amygdalarum amararũ, capparorum, & absynthij ebullitis cum vino, succo Tabasci, & Lupinis in duplici vase, additoq; puluere baccarũ Lauri, & Iuniperi, necnon cera maximè nobis arridet. A

Post hæc ad alterationem viscerum est deueniendũ, pro quo opere obeundo aquas nostras Bononienses Porrectanas nouas primum, veteres deinde suo tempore bibitas vt & ventriculo, ac iecori, immo verò vtero, cui aquæ istæ sunt valde amicæ, consulamus, omnibus alijs anteponimus, imo quæ nouæ dicuntur ventriculo sub forma stillicidij, vteroq; sub forma insessus vsurpari poterunt; Nec ob affectum melancholicum videntur suspectæ tanquam summè exiccantes, quoniam corpus hoc, quod tractatur est satis obæsum, ac excrementis crudis refertum, vt aquæ illæ micatas, & pro corde, ac spiritibus peculiariter aquam stillatitiam ex succo boraginis, in quo maceratus sit Crocus, conseruam florum citri cum Margaritis, Smaragdo, lapide Beza, & speciebus lætificantis Almansoris sine Mosco, & ambra paratis aliquoties assumptas laudamus, quibus non modò partium dictarum, sed etiam aliarum gratia theriacam mediæ ætatis, Serenam à Medicis vocatam per interualla deuoratam addimus, immo & serum caprinum infusionis radicum mori nigri, proprietate substantiæ contra melancholiam purgans pluries bibitum, balneumque aquæ dulcis suo tempore toti adhibitum nullo modo prætermittenda à nobis sunt. De medicamentis sterilitatis, si res postulabit aliàs tractabitur. B

Quæ omnia, vt non sint irrita probam viuendi rationem sæpius à viris clarissimis institutam exposcunt, de qua tamen quædam interim non sunt subticenda, primum vt bonis vescatur cibis, moderatè comedat, ac suis cibis immisceat tum melissam, boraginem, buglossum, tum puluerem ex pane biscocto, modico cariophylorum, & Croci, ac saccharo confectum, præstabitque sæpius emulsionem seminum citri in principio pastus, sicuti in fine cydoniatum, vel saccharum rosatum assumere. Secundò bibat vinum fuluum non extra pastum, sed tantum in mensa, ac modestè, quod si auretur hoc tempore, alteretur verò dum vindemiæ fiunt cum radicibus buglossi, & boraginis, chalybeque præparato magis conducet, immo verò, & vinum Croci eodem tempore paratum, hyeme aliquoties bibitum præstantissimum est, sicuti & pro somno conciliando papauerinum hora somni ad duas vncias bibitum probatur. Tertiò corpus exercendum gestationibus, frictionibus, & ambulationibus, opportunè tamen, & citrà laborem. Quartò aluum fluuidam sicut procuret, vino ex sena medicato supra proposito, vel acetario ex radice polypodij quercini recentis in prima cœna commanso. Postremò solitudinem, curas, mœrores aufugiat, & animi illas desperationes omni studio, & diligentia arceat, atque ita nobilis mulier Deo Optimo Maximo concedente à malis propositis saltem præseruari poterit. C D

PRO

E

PRO EGREGIO VIRO ROMANO TINNITV AVRIS dextræ, & dolore capitis cum sensu frigoris secundum idem latus correpto.

CONSVLTATIO CXLIIII.

VITIA quæ virum egregium infestant omnia ad caput attinent, sunt autem auris dextræ tinnitus, ac dolor, qui dextram capitis partem cũ sensu frigiditatis occupat, quæ omnia, vt de se constat sunt de genere Symptomatũ, prioraque duo ad actionem sensitricem deprauatam, postremum ad qualitatem mutatam referuntur; horum autem origo in vnam capitis intemperiem frigidam constituatur oportet, vti ex longa patiendi consuetudine, ætate inclinante, exacerbatione illorum ad Vesperas colligere licet, quam intemperiem non modo partes extra, sed etiam intra craneum obsidere, vitiata auditione, facilè (vt unicuique compertum est) comprobari potest, cum igitur iam sub temperie frigida calor natiuus langueat; & maximus humoris crudi prouentus inde sequatur, calorque ille humorem hunc in spiritum uaporosum resoluat, mirum alicui minimè uideatur, si flatus ille cum humore in meatum auditorium receptus, ibique agitatus, & ab ossibus meatus illius concussus est in causa quod murmur quoddam ut in scripto dicitur referens lebetem ebullientem percipiatur, rursum idem flatus, humorque unaque intemperies frigida ueluti obiecta improportionata organa tactus oblata capitis secundum dextras dolorem illum hemicranicum inferunt, flatus quidem media soluta unitate per distensionem facta, at intemperies symmetriam organi illius corrumpendo, à qua intemperie & frigiditatis sensum produci in partibus illis non est quod aliquis dubitet.

F

G

Sic igitur agendum, ut intemperies capitis calefacientibus, & siccantibus auferatur, amotis pariter prius dolore per anodyna, cacochymia totius, ac capitis per euacuantia.

Quos scopos obtinere uix erit possibile, quoniam mala hæc sunt quasi in habitu, ac ætas inclinationis illa fouet, & auget, ut grauiora etiam uti apoplexia, uertigo, & huiusmodi immineant, spero tamen D. O. M. auxiliante, uitia hæc ualde imminui, & egregium uirum à maioribus præcaueri posse.

Quocirca quantum ad materias medicas, de chirurgicis statuo, vt sanguine in toto exuberante (nam ex scripto nil noui de natura patientis, vt quasi vaticinando hæc proponere cogar) si non est secta vena, in cubito lateris affecti secetur; præterea quamprimum setaceum in ceruice infigatur, & iugiter partes extremæ ventosentur, fricentur, deligentur, & aqua calida lauentur, post hæc corniculi scarificati, ac hyrudines parti affectæ applicitæ, sectioque venæ frontis ob intemperiem frigidam capitis non videntur opportuna, ideo substituantur, alijs non conferentibus, tum cauterium actuale supra cornu dextaum capitis, tum vesicans parti laboranti, præcipuè verò post aurem applicitum, imo & auris scarificationem & perforationem probo.

H

Medicamenta statim vsurpanda sunt, quæ ad totum spectant, ideo primum leniatur aluus hyera, vel Casia, deinde præparentur humores decocto betonicæ, saluiæ, sampsuci, cicorij, boraginis, & lupulorum cum syrupis accommodatis; tandem humores educantur pillulis de Agarico Mes. Rursus præparentur humores decocto origani orientalis cum oxymell. compos. ac syrupo de stecade, & deturbentur pillulis cochijs

adiecta

adiecta portiuncula masticinarũ, & vt interuallis quibusdã præsumpto duos, vel tres dies oxymellite simplici Catapotia Arabica, & sine quibus dicta assumat, etiam atque etiam probo; mox pro totius euacuatione pariter laudo decoctum guaiaci, & salsæ ea tamen ratione vt sudores moueantur, & ante syrupum matutinum bolus ex sale theriacali, vel trociscis viperinis modico Castorij ex lacryma therebinti Cyprij exceptis detur omnia tamen cicoraceis, ac sandalis, si opus erit sint castigata. A

Toti prospecto, iam capiti est consulendum, primum euacuantibus, ideò Catapotia iam proposita, decoctum dictum, si tamen lignum visci quercini adijciatur erunt miri vsus, & eò magis si errhina, & masticatoria addantur, illa quidem ex succo betę, & radicis cyclaminis cum decocto sampsuci, & Altheæ, vel ex elaterio cum lacte muliebri dissoluto, hæc verò ex mastiche cum pyretro Staphisagria, origano, pulpa passularum & cera parata; pars quoque laborans perfundenda aqua ardenti, vel elixire vitæ, eiq; re postulante Synapismus adhibendus.

Sed & alterantibus caput vti oportet, quare hora somni vtramque antidotũ magnã antiquam per se vel cum conseruis capitalibus & oleo, aut sale cranij humani chymicè parato deuoratã laudo, quo & cõfectionẽ Diamusci dulcis cum cerebro vtuli siccato, ac sale chymico verbenæ exhibitã refero, exterius verò medicamentum Galeni ad hemicraniã ex crocormagmatæ, pipere albo, euphorbio, stercore columbino, & attramẽto scriptorio, aceto, ac vino generoso exceptis, ac amylo vel lacte ex Tralliano correctis, si opus erit, præterea & cucuphã floribus capitalibus, agaloco, corticibus citri, cariophilisq; pulueratis refertã, ad hæc & lotionẽ capitis ex lixiuio cineris ficus decoctionis verbenę, sampsuci, saluiæ, stecadis, foliorum oliuæ, & cariophylorum adhibito loco saponis agarico, tandemq; & stillicidium ex aqua thermali sulphurea, & salsa non modò parti laboranti, sed etiam suturæ coronali adhibitum valdè probo. B

Auris autem post hæc suffumiganda decocto absynthi, origani Oriẽtalis, collocyntidis, & vtriusq; veratri in aceto, & vino generoso facto, pani quoq; nuper ex clybano extractus & aromatibus medicatus, rursusq; & cepa sub cinerib. cocta puluere collocynthidis aspersa, & prius oleo amygdalarũ, & succo radicis cucumeris agrestis irrigata pro fomento adhibeantur, pro instillatione oleũ anisorum & fęniculorum chymicum, necnon succum extractum ex radice ciclaminis excauata Castorij oleo, & succo cepæ repleta & cocta, Protenta verò eam, quæ fit ex colocynthidis pulpa, Castorio, euphorbio cum pulpa caricarum ex melle exceptis omnibus alijs præfero. C

Postremò de victus ratione ita sentio, vt patiens inhabitet loca calida, vel temperata, vt vescatur cibis accommodatis, & vinum ligno visci quercini, ac rore marino medicatum ferè toto anno bibat, ab omni repletione, & crapula abstineat, acria, vaporosa, crassa, & viscida, ac frigida alimẽta deuitet, vinum subrubrum seligat à cipo coclearium pulueris coriandrorum præparatorum, & facchari rosabtiqui siccati assumat, aluum sæpius per clysteres solicitet, corpus moderatè, ac tempestiuè exerceat, noctu solum & capite eleuato dormiat, non timeat, nec tristetur. Hæc habui rudi admodum cognitioni malorum, de quibus agitur innixus quæ proponerem, quibus, si metam attigero mihi pergratum erit, sin minus data de nouo occasione per litteras ab Excel. curante scriptas, diligentius rem hanc pertractabo. D

PRO MVLIERE ARIMINENSI SEXAGENARIA CANCRO cum vlcere in poplite dextro detenta.

CONSVLTATIO CXLV.

VBI corpus humanum iecore feruido refertum, & alimento limoso, fœculentoq; nutritum per ætatem iuuentutis, ac consistentiæ insignem succi melancholici naturalis copiam coaceruauerit, eamque non expulerit, necessariò succus hic vel

E per totum spargitur, propagaturque vnde cutis infectiones, affectus melancholici febriles, & a febri immunes, temperamentique totius ad frigidum mutatio occasionem suscipiunt, vel in aliqua parte determinata colligitur ex eoque scyrrhus generatur, quod si idem humor exustionem aliquam & acredinem nactus ob causam vel assantē, vt in his, quod iecur plus iusto feruidius habent, & in febribus ardentibus atq; æstuosis accidit, vel putrefacientem, sicuti in schyrrhis aliquando, vbi .s. materia infarcta, & inculcata putrescit scyrrusq; cancri naturam acquirit, in atram bilem degenerauerit, & per totum diffluxerit, elephantiasim parit, cum verò vni parti ob defluxionē à toto concitatam insederit, cancrum tumorem durum, liuidum, inæqualem, venosum, ac dolorificum, vel tumorem aliqua ex parte huic similem producit, quod quousque humor non est insignis acrimoniæ cancer, vel tumor cancerosus occultus dicitur, vbi verò humor maiorem nanciscitur acredinem erodit, ac cancrum cum vlcere sordido visu

F horrendo, calloso, depascente, ac immani dolori iuncto excitat; quare cum vlcus illi simile in poplite dextro egregiæ fœminæ mihi propositæ tumore ante plures annos ibidem orto superuenisse referatur, non est dubium ad eam calamitatem deuenisse, vt in parte ea habeat cancrum manifestum, quod ad eam prauitatem deuenit, vt tendines illac transeuntes lædat, & misera mulier claudicare cogatur; Verum an tumor ille præexistens fuerit cancer occultus statim à principio meritò dubitari potest, ego verò qui non audio tunc adfuisse illa, quæ cancrum tanquā notæ characteristicæ comitantur, partem negatiuam sustineo, atque statuo primum ibi tumorem fuisse concitatū à succo melancholico naturali qui postea suborto abscessu, ob calorem putredinalem ibi succensum feruorem, ac insignem acquisiuit acredinem, merito cuius non tantum cancrum, sed vna cum vlcere cancrum procreauit.

Ergo omissis indicationibus, quæ ad cancrum magnum sine, & cum vlcere relatæ

G vix vnquam, si sint curatoriæ (etiam si locus affectus ætas, ac vires permitant) si præseruatoriæ, cum insigni dificultate ad fœlicem exitum perducunt, nunc indicationibus ad cancrum paruum cum vlcere relatis non quidem curatorijs quando vlcera ex atra bile secundum Galenum sint incurabilia libro de Atra Bile, sed præseruatorijs insistam, crudele enim, & inhumanum est ægris nil solatij afferre, sed ita agendum, vt saltem reliquum vitę minus molestum longius traducant, quod & in casu proposito quoque est faciendum, quare Medico curanti ratione doloris indicatur anodynum, ratione vlceris firmans vlcus, ne vltro serpat, firmans verò hoc siccum sine mordacitate, ac ad frigidum inclinans esse debet, sic enim cancro nullam inferemus vim nec ipsum irritabimus teste Gal. 6. Aph. 38. & Celso lib. 5. cap. 28. verum quantū fieri potest subtrahendus est fomes, nimirum fluxio, humoris melancholici à toto per auertentia, & per ea, quæ eiusdem generationem prohibent, & cohibent.

H Sed ad scopos hosce etiam pręseruatorios peruenire erit prouincia satis ardua, ac difficilis, quando vitium sit quasi antiquum, & pendeat à causa quæ tum ex sui natura, tū etiā rōne inquinamēti ipsius loci affecti remediorū materijs reluctatur, omni tamē diligentia, ac dexteritate adhibita tentandū vt huic egreæ fœminę subueniamus.

Sumpto igitur exordio à materijs chirurgicis primum aliqua sectio venæ saluatellæ dextræ parca, & repetita, deinde apertio venarum podicis eadem ferè ratione per hyrudines adhibita, sic tamen vt sanguis crassus, ac fœculentus prodeat non videtur inopportuna, cauteria quoque in brachio dextro, & in femore sinistro huc spectare videntur, sicuti & iuges, frictiones, deligationes, lauationes, ventosationesque siccæ partium supernarum, ac cruris, & femoris sinistri.

De pharmacis ita statuendum vt lenita aluo syrupo de polypodio magist. preparatis humoribus ex decocto cicoraceorum, betonicæ, boraginis, buglossi, lupulorum, ac fumariæ cum syrupis proprijs, tandemque deturbatis eisdem humoribus infuso primum

mum senæ, deinde hellebori nigri, & modici agarici trociscati, adiecto syrupo de polypodio, deueniatur ad ius columbi domestici, vel pulli iunioris decapitatorum pro euacuatione totius insensibili, atque etiam per vrinas, in cuius ventre radix chinę electæ, & pentaphilonis, lignum sandali albi, semina melonum, agrimonium, capillus ven. recens, seneciam, radix apij recens, ac tandem cicorium cum passulis incoquerentur, optaremque vt ante syrupum matutinum deuoraret bolum ex trociscis viperinis, vel sale theriachali cum conserua boraginis paratum, & ad plures dies hoc medicamento vteretur, ea tamen ratione vt aliquot interuallis dimissio iure hoc purgaretur syrupo de polypodio dicto, qui etiam citra occasionem huius decocti summo cum fructu illi poterit semel, aut bis in mense esse in vsu, cuius loco vel puluerem hellebori nigri modo consueto prius præparati, deinde puluerati, & ter succo rosarum aspersi, atque in vmbra siccati ex ouo sorbili ad scrup. j. vel cydoniatum factum ex carne illorum in vino decoctionis epythimi, & polypodij cocta, adiectis pulueribus mechiocani electi, & hellebori nigri dicti assumet, quorum loco pręcipuè calidioribus temporibus infusum epythimi & myrobolanorũ nigrorum substitui poterit, mox tempore verno aduentante ad sanguinis, imo verò & iecoris attemperationem nulla ratione lactis caprilis per plures dies vsum negligerem, ea tamen ratione vt prius per decem dies sero pariter caprilo cum succo cicorij, ac boraginis vteretur, in quem finem etiam egregiam hanc mulierem hortarer, vt illi iugiter, essent in vsu conseruæ florum cicorij, rosarum, boraginis, & buglossi, Aetius etiam in curandis, & tractandis hisce malis exhibet quæ vti alexipharmaca etiam venenis aduersantur & ipse probo, & inter alia duo mihi arrident, nimirum vtraque antidotus magna cum conserua rosarum, vel florum cicorij castigata, itemque ius cancroram fluuialium ex lacte asino quinque diebus assumptum, ea tamen ratione, vt perodus hæc septies seruetur.

Tandem de topicis cogitandum, quæ consistentia, mollia minimè verò dura sint oportet, hæc igitur laudo. Primum ex succo solani, plantaginis, & semperuiui, oleo rosato completo, plumbo vsto, ac loto cum modico ceræ exceptis, & in mortario plũbeo diu agitatis. Alterum sit ex equis portionibus Lytargirij, cerusæ, & Pompholigis, succo virgæ aureæ, & oleo rosato pariter eodem modo exceptis, & agitatis; Postremum paratur ex succo tabasci, oleo ros. & cera in mortario eodem conductis, atq; in defectu horum succorum licebit vnguentũ ex succis vocatum substituere, prætereа prædictis omnibus puluerem cancrorum iam dictorum, dolore verò infestãte vnguẽtum populeum vocatum, oleum ex vitellis ouorum, mucilago, sem. Altheæ, ac maluarum in mulsa maceratorum, & occasione tendinum oleum lumbricatũ, vrgente nimis calore oleum violaceum immisceri poterunt.

Postremo ne vana, ac irrita sint alia remedia addendus est victus conueniens, qui erit vt egregia hæc mulier viuat in aere temperato, vel ad frigidum, ac humidum inclinante, propter quod in Germania raro, in Asia frequenter cancri oriuntur, vescatur cibo frigido modestè, & humido, ac attenuanti, proinde caro vituli lactentis, veruecis, pulli, & caponis, columbi domestici, cui caput sit abscissum, oua sorbilia, pisces saxatiles lac, lacticiniaque sal non experta, cucurbitæ, melones, fructus etiam horrarij parcè, Poma, ac Pyra non austera, vuæ pensiles, & passæ, plantæ refrigerantes moderatè, vti cicorium, endiuia, malua, atriplex, blitum, immo borago, & blugossum sint illi in vsu, caueat igitur ab acribus, salitis, crassis, ac fæculentis, alimentis, vtatur vino paucifero albo, tenui, nec austero, nec dulci medicato cum china, radice pentaphili, & buglossi, floribusque cordialibus, vel in quo lamina auri, aut chalybs ignita ad feruorem vini fuerit extincta. Reliqua verò prout decet ac viro doctissimo curanti arridebit respondeant. Deus autem O. M. & Dei para virgo omnes languores egregiæ pãtientis sanet, & imminuat.

E

PRO ILLVSTRISSIMO GENVENSI CAPILLORVM defluuio, & porrigine detento.

CONSVLTATIO CXLVI.

QVOD illustrissimus vir capillorum defluio, ac porrigine furfuratione vocata ab hinc per tres annos afficiatur, nobis per litteras traditum est, simulque in capillorum fluxu id obseruatum est quod ad occipitium, & temppora minus quam ad aliam partem pili decidunt, propter quæ vitia, vt de se constat, cum cutis non modo ornata, sed etiam insigni vtilitate (quando capillis medijs caput se tueatur ab iniurijs externis) orbetur, propterea opera medica opus habent illa. Quocirca vt eis occurrere possimus circa eorum generationem parum digredi oportet.

F

Certum igitur est, capillorum, cutisq; capitis affectiones pendere à vitio, vel cutis vel materię, vel caloris natiui, at in proposito casu calorem minimè vitiari ex pluribus suaderi potest, quando corpus non refrigeratum, ac languidum, sed bene commoderatum, ac in medio floris ætatis constitutum (est enim annorum triginta duorum) & ob id calidum, ac robustum nobis proponatur, de cuius prospera valetudine ferè nunquam ab illustrissimo patiente audita est querela, relinquitur igitur, mala proposita vitium tum cutis capitis, tum materiæ tamquam proprium generationis principium sibi acquisiuisse, cutis autem vitiosa est ob nimiam humiditatem, ac laxitatem, quia si fricetur, colorem mutat, atque intumescit, in cuius confirmationem & id facit, quod patiens semper capillatus, & intõsus incessit, & propterea semper cutim humidã habuerit, necesse est; materia verò & ipsa vitiosa est, quoniam abundat, atque acris est,

G

rõne abundantiæ totam cutim capitis occupauit, vt etiam capilli è toto capite defluãt, magis verò in syncipite quam in occipite, ac tẽporibus, quoniã ibi calor minus viget, ac materia pilorum parcius suppeditatur, his verò in locis calor maior, & materia copiosior ob venarum, & arteriarum numerũ, & magnitudinem existit. A ratione acredinis tum pili eroduntur hinc eorum fluxus, tum vnitas cutis soluitur (vt Auicennas in hoc malo leuem excoriationem in superficie cutis adesse affirmauerit) hinc sensus tristis pruriginosus, & ab hoc materia quædam furfuracea à capite decidit.

Cœterum materia hæc acris, est succus prauus, qui cum non sit amicus naturæ ab ea non regitur, & proinde putrescit, ac corrumpitur, & qui capillorum defluuium excitat est pituita salsa qui verò porriginem ichor eiusdem pituitæ, in quam sententiam adducimur ob salsedinem, quam antea insignem in ore illustrissimus patiens percepit, cui & illud accedit, quod cum ipse venationibus, merito quarum non tantum calor

H

in corpore plus quam decet augetur, verum etiam humores crudi generantur, deditus fuerit, insignem etiam pitutiæ salsæ generationis occasionem nactus fuit, cui non parũ etiam hoc tempore ætas iuuentutis, quæ nonnihil bilis suppeditat fauet. Nec obstat quod cutis capitis fricata rubescat, quoniam sanguinem prædictis succis vitiosis commisceri putamus, propter quem copiosius in occipitio, ac temporibus receptum, & sui aliqua benignitate succos illos vitiosos attemperantem ibidem pilorum fluxum corrigi haud dubitamus.

Sed iam remanet vt videamus vbi nam succi illi generentur, non in toto igitur generari tam certum est, quàm quod certissimũ, quando totius temperamentũ, atq; habitus comoderatissima proponãtur, ideo & in iecore, ac capite feruidioribus, coadiuuãte etiã ventriculo, succos illos suam habuisse occasionem putamus, qui ad cutim capitis transmissi, ibidemq; prater naturã detenti mala iam dicta modo prædicto produxerũt.

Et propterea pro illorum ablatione cutim siccare, ac densare, materiam corruptam euacuare, & repellere, tandemque viscera in contrarium alterare, & corroborare oportet,

oportet, quas indicationes expleri posse non est quod quis dubitet, sicuti tum corporis commoderatio, tum coloris ex frictione cutis subita mutatio pollicentur, verum quoniam affectus sunt satis progressi, idcirco prouincia hæc non erit ab omni difficultate immunis, poterit tamen hisce remediorum materiis perfici. A

Et primum (quantum ad chirurgicas attinet) mittatur sanguis ex cubito dextro, quo tutius topica vsurpentur quamquam & ex podice per hyrudines mitti posse putemus, quando patiens non nihil melancholiam sapiat quò & cauterium femoris dextri referendum asseueramus, verum & gratia capitis post totius prouidentiam materiæ chirurgicæ non sunt reprobandæ, ergo cum Auicenna caput est fricandum, & si valde rubeat, vt venæ frontis, ac temporum turgeant, vena frontis est aperienda, imo verò & cauterium in brachio sinistro infigendum; grassa autem materiæ in cuti existentis, oportet hanc, vsu postulaute, scarificare.

Medicamenta totius in ordine lenientium ex melle rosato solutiuo & syrupo de polopodio, in serie præparantium, ex decocto betonicæ, cicoreaceorum, & boraginis cum suis syrupis; in classe purgantiũ ex infuso Agarici, Rhabarbari, & senæ cũ manna, parata erũt accomodata, quamquã secundã, tum præparationẽ cum syrupis magis cõpositis, tũ purgationem cũ pilulis cochijs helleboriatis necessariã fore credimus, sicuti pro insensibili euacuatione decoctũ guaiaci, salsæ, & chinæ cũ cicoreaceis, ac cephalicis castigatum ad plures dies bibitum Autumno sequenti non improbamus; hoc verò tempore serũ lactis caprini cũ succo cicoreaceorũ, termæq; frigidæ, sicuti & balneum aquæ dulcis ad materiæ, & iecoris attemperationem opportuna videntur. B

Topica attenuantia, detergentia, siccãtia, & modicè adstringẽtia sint, requirunt autẽ prius vt pili sæpius abradantur, quoties nimirũ renascuntur, mox cutis, aut fricanda spõgia imbuta tepida, vel panno aspero, vel folijs ficuũ, aut abluẽda lixiuio decoctionis furfurũ, fumariæ, betæ, radicũ oxylapathi, Agarici, & colocynthidis, post quæ est adhibendũ balsamũ naturale, vel vnguentum ex oleo vnguentariorum rosetarum, & cariophylorum, fauo mellis, vrina pueri destillata, & laudano cum cera exceptis, adiecto malabatro in eundẽ vsum laudatur quod ex cinere Abrotani, & radicũ cannarũ cum oleo nucleorũ Persicorum, Thure, & Laudano in aceto dissolutis, ac cera paratur. Quibus non conferentibus tũ ad oleum ex lutis sulphureis, ac nitrosis, & Laudano destillatum, tum ad medicamentũ ex calcantho, sale minerali, sulphure viuo cum Laudano in oleo masticino dissoluto exceptis est deueniendum, immo verò aliqui ad medicamentum ex cantaridibus ascendunt, etsi cutis exasperetur nimis, abstinent ab his, & clementioribus, vel mitigatorijs, vti butiro atque adipidibus vtuntur. C

Et hæc dum peraguntur exposcunt victum euchimum subadstringentem, qui à Medico curanti institui poterit, de quo referente Galeno primo loc. Acchigenes in porrigine exactè agit, illud autem solum nobis notatu dignum videtur, vt tota hyeme Illustrissimus patiens vtatur vino cum guaiaco, & sandalis medicato, Deus autem Optimus Maximus hæc omnia secundet. D

PRO PERILLVSTRI, ET NOBILI D. ALEXANDRO Ghisellerio Bononiensi, dolore Nephritico laborante.

CONSVLTATIO CXLVII.

VNICVM est Symptoma, à quo vir perillustris torquetur, nimirum dolor, qui prout articulos obsidet Arthriticus, prout renes Nephriticus dicitur, prior est antiquus, posterior verò ab hinc per duos annos ipsum affligit, atq; ei bis vrinæ sanguinolentæ, imo verò prima vice ferè solius sanguinis iuncta excretio. Cæterum, priori dolore prætermisso tanquam minus, ac rarius nun infestante,

E festante, de altero est agendum, & eò magis, quia ab eadem ferè cum pendeant causa, quis vni succurrerit facilè alteri præsto esse poterit.

De ratione igitur præseruandi perillustrem virum à dolore Nephritico, est agendũ, de quo cum à viris Excellentissimis abundè, & exactè sit tractatum, solum quædam, quæ difficultatem habent, considerabo. Conuenio igitur quod dolor hic producatur à soluta vnitate ab arenularum, & lapillorum asperitate inducta, & quod hæc habeant causas generantes, materialem inquam, & agentem, materialis est humor crassus, & viscidus in ventriculo genitus, nam non tantum ob errata externa, & hæc ipsa plura, ac varia; sed etiam ob eam potissimum rationem, quod calor naturalis ob ętatem senectutis deficiat, ventriculum valde refrigeratum esse rationi consentaneum est, vt non sit F mirum, si præter portionem illius humoris, qui ad renes demandatur, quicquid remanet vel in ventriculo, detentum, vel per intestina propagatum inflatus à calore debili resoluatur, & flatus ventriculum, & intestina distendentes, dolorem, & murmur pariat, cui & destillatio à capite, quæ ex sputo copioso, & doloribus articulorum superiorũ liquet, addatur, cum enim illius materia sit pituita excrementitia in capite genita, si in ventriculum decumbat, ibidem materiæ morbificæ præexistenti permiscetur, atque huius actiuitatem auget, & fouet. Causa verò agens est calor renum hoc tempore non valde intensus, sed potius remissus, nam in ętate senili vix calor in renibus intendi potest, à calore autem remisso in materiam crassiorem, & viscidiorem, & longiori tempore agente fieri lapidem haud dubito.

Sed quod facit difficultatem est, quod cum in iuuẽtute in arthritidem, cuius comes est nephritis inciderit, quid causæ sit quod solum per ætatem senilem à nephritide G fuerit deprehensus, circa enim sexagesimum tertium annum laborare cępit hoc morbo. Cui difficultati ex Galeno sic respondi posse existimo, nimirum quod nephritis senum, calculus vesicæ puerorum sint propriæ passiones, cuius ea censetur ratio, quod in pueris materia excrementitia in renibus non retinetur, nec quiescit, sicuti in senibus, quoniam in illis viæ sunt laxiores, & magis apertæ, facultasque expultrix magis valet, in his verò contrarium accidit, quoniam etiam calor languet, vt propterea non sit mirum si in pueris lapis sæpius, in senibus verò rarius in vesica gignatur, & in senibus sæpius, in pueris rarius lapis in renibus producatur.

Cœterum, qua ratione excretio sanguinolenta adiungatur dubium quoque est, nã ex vna parte per abrasionem à calculi asperitate factam sanguinem prodire rationi esset consentaneum, quo in casu dolorem coniungi necesse est, ex altera verò parte per anastomasim venarum renum eundem sanguinem exire quis posset affirmare, quando H prima vice sanguis citra dolorem exierit. In qua difficultate puto ego per erosionem in renibus factam sanguinem prodijsse; Nec obstat perillustrem patientem numquam de dolore conquestum fuisse, quoniam renes sensum acutum nõ habent, & propterea si in ipsis quoque fiat abrasio, non fit dolor, aut si sic, non acutus & acerbus, ita vt etiã sæpe à patientibus non obseruetur, accedit quod anastomasis cum copiosa excretione, ac post motum corporeum insignem fit, quorum nullum hic habuit locum.

Quocirca si nobilis patiens præseruandus est, oportet ventriculum, ac caput calefacere, ac siccare; sublata plethoria, & cacochimia, sicuti in curatione per sectionem venæ & purgationem Hipocrates ad initium sexto Epydem. fieri præcipiebat, & dũ hæc peraguntur, si accidat vt aliquid arenosi, & sabulosi, aut quid simile in renibus gignatur, oportebit hoc ipsum educere, imo verò & ipsum prius comminuere, educetur verò ex Hippocrate loco citato vrinarijs, & diureticis medicamentis.

Sed difficultas esse potest de diureticis medicamentis quia Galenus vndecimo Methodi, laborantibus renibus, nos diureticis minimè vti debere scribit, hæc enim tum suo calore renum calorem augent, tum humores ad locum affectum attrahunt, eosdemq;

eosdemque per locum affectum euacuant. Cui difficultati respondetur, diuretica in preseruatione ob rationes adductas non conuenire, sed bene in curatione ad educendum calculum, qui tamquam præter naturam à toto genere quamprimum est educendus, sicuti Hippocrates admonebat vel dicendum quod laborantibus renibus verè diuretica non sunt vsurpanda, sed tantum illa, quæ & copia humiditatis, ac partium tenuitate vrinas mouent, diureticaque impropriè dicuntur, hæc enim incommoda proposita minimè inferunt. A

Redeo igitur, & statuo, scopis propositis vix satisfieri posse, non solùm quia intemperies ventriculi est in habitu, verum etiam quoniam mala hæc in senibus ex Hippocrate non sanantur, danda tamen est opera vt omni diligentia, ac dexteritate ab Excellentissimo curante adhibita præseruetur.

Ego verò missionem sanguinis ex cubito, potissimum verò per hyrudines ex podice laudo, solet enim sanguis ab hemorrohidibus prodiens nephriticis valde conferre, & eo magis, quando natura partem illam, vt in perillustri viro accidit, solicitat, cauteria solum duo, nimirum vnum in brachio finistro, alterum in femore dextro seruet, & gestet, quòd vero in altero femore existit sanetur. B

Accedo ad pharmaca, quæ si sint communia, & inter hæc lenientia quod fit ex casia & hyera illi vsitatum laudarem, nisi hyera ob aloe, quæ ora venarum aperit, & aromata, quæ nimis calefaciunt, & aperiunt, essent suspecta, quare aut ab hoc abstinendum, aut puluere myrobalanorum, & lacryma terebinthi corrigendum, aut quod paratur ex casia, & tamarindis substituendum. Huic succedit præparans, quod erit oxymel saccharo refertum, & ex decocto betonicæ, sonchi, hæpaticæ, boraginis, sem melonum liquiritiæ, passularum, & coriandrorum præparatorum, ea tamen ratione vt idem oxymel iure pulli diluatur. Postremo pro purgatorio catapotia de mastiche, de tribus cum Rhabarbaro, imo verò benedicta laxatiua cum casia, & terebinthina probantur, quæ aliquoties, præassumpto ter, vel quater oxymellite prædicto, repetenda erunt, atque Autumno sequenti ad insensibilem euacuationem à decocto chinæ cum modico saxafras, & santalis albis in ventre pulli iunioris, vel columbi turrialis coctæ non abhorreo, quod genus medicamenti ventriculo roburquoq; facile poterit addere. C

Nunc verò pro intemperiebus remouendis viscerum primum vt ventriculus aqua tetucij tribus diebus detergatur, deinde verò iecur, & renes aqua nostra Porrectana quindecim dies bibita attemperentur, etiam atque etiam laudo; Quinimo ad sanguinis mictum si Brandulensem aquam vltimo loco tribus vel quattuor diebus biberet, ipse putarem posse sibi insigne iuuamentum comparare, sed vt adiret locum vbi nascuntur aquæ Porrectanæ, quo vti quoque lauacro posset etiam, atque etiam laudarē, Verumtamen quoniam illuc nullus, nisi in fine mensis Iulij accedit, vt hoc tempore non destituatur aliquibus medicamentis, post aquam Tettuccianam poterit per aliquot dies vti ad libram vnam vel alteram aqua mea, quæ sic componitur. D

℞. *radicum ononidis vnc. j.*

liqiritiæ }
raphani domestici } *an. vnc. ſ.*
Altheæ

betonicæ }
saxifragiæ }
capill. ven. rec. } *an. m. j.*
parietariæ }
mentæ }

myrtil-

E

myrthillorum. p. j.
milij solis drag. vj.
quattuor sem. maiorum frigidorum an. vnc. ſ.
nucleorum perſicorum } *an. vnc. j.*
amygdalarum amararum
acida limonum num. vj.
aniſorum } *an. drag. ij.*
coriandrorum præparatorum

F *Contundantur contundenda, & incidantur incidenda, deinde infundantur iu ſufficienti quantitate aquæ Villenſis, tandemque in balneo Mariæ deſtillentur.*

Caput quoq; abluendũ lixiuio cõmuni decoctionis baccarũ myrthi, foliorũ, oliuæ, ſtecadis, abſinthij & caryophillorũ, & aliquãdo hora ſomni conſeruã anthos, vel ſaluię cũ bolo Armena deuorare expediet, & eò magis, ſi nõnihil ſacchari roſacei ẽt addatur.

Ventriculus quoque & ipſe opus ſuis medicamentis habet idcirco cydoniatum cum pipere albo ruditer tuſo in principio menſæ aſſumptum, ſyrupus de corticibus citri, grana maſticis deuorata, item & oleum tum cariophyllorum, tum ſpicæ odoratæ illitium laudo. Et ſi intemperamenta viſcerum non remoueantur, enitẽdum, vt quicquid generatur, & aggregatur in renibus etiam detergatur, & educatur, ſed medijs me G dicamentis, quæ excretionem ſanguinolentam non foueant, quare præter aquam ſtillatitiam propoſitam laudo coagulum leporis cum aqua ſcolopendrij, & ſucco limonum, coagulum enim diſſoluit, & vnit, ac congregat, retinetque, laudo & puluerem ſeminum bardanæ maioris, croci, & ſacchari ex aqua, vel decocto plantaginis aquaticæ datum, tertio probatur mihi aqua ſtillatitia, quæ recipit.

amygdalarum amararum lib. ij.
limones decorticatos & inciſos num x.
ſucci parietariæ lib. iij.
ſucci raphani lib. ſ.

M. Infundantur per vigintiquattuor horas, tandemque deſtillentur in balneo mariæ.

H Quarto puluis pariter corticum auellanarum ſylueſtrium, vel cupularum glandiũ ex decocto aliquo diuretico datus plurimum commendatur, ſicuti & poſtremo loco oleum cydoniorum completum aliquoties per os datum.

Quæ omnia victum accommodatum expoſcunt, vtatur igitur cibo euchimo, non craſſo, nec fœculento non inuiſcante, non acri, ſalſo, aut dulci, bibat vina paucifera, & tempore excretionis ſanguinolentæ ſubrubra, alijs verò temporibus fulua, hyeme, cum abſynthio, & china, alijs temporibus cum radice graminis, ſem alchechengi, & plantagine aquatica medicata, caueat à corporis motionibus vehementibus, & concitatioribus, & in reliquis mediocritatem ſeruet. Deus vero Optimus Maximus illi completam ſanitatem largiatur.

FINIS.